St. Albert's College Library

# THEOLOGIA

## WIRCEBURGENSIS.

EXCUDEBANT JULIEN, LANIER ET SOCII CENOMANI.

RR. PATRUM SOCIETATIS JESU

# THEOLOGIA

## DOGMATICA

## POLEMICA, SCHOLASTICA ET MORALIS,

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

ACCOMMODATA.

St. Albert's College Library

EDITIO ALTERA

OPERA ET STUDIO PATRUM EJUSDEM SOCIETATIS.

TOMUS SECUNDUS.

DE DEO UNO ET TRINO. DE ANGELIS. APPENDIX DE DEO CREATORE.
DE DEO VERBO INCARNATO.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
GTU
LIBRARY
1962

LUTETIÆ PARISIORUM,
SUMPTIBUS JULIEN, LANIER ET SOCIORUM.
4. VIA DICTA DE BUSSY.

1852.

BX
1751
A1
T49
v.2
1852

TRACTATUS

# DE DEO UNO ET TRINO

AUCTORE R. P. HENRICO KILBER S. J.

SS. THEOLOGIÆ DOCTORE EJUSDEMQUE

ET SACRARUM SCRIPTURARUM IN ALMA UNIVERSITATE

WIRCEBURGENSI

PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO.

---

TRACTATUS

# DE ANGELIS

AUCTORE R. P. IGNATIO NEUBAUER S. J.

---

APPENDIX

# DE DEO CREATORE

EX OPUSCULIS R. P. LEONARDI LESSII S. J.

12512

# INSTITUTIONES
# THEOLOGICÆ
## DE DEO UNO ET TRINO.

---

## DISPUTATIO I.

### DE EXISTENTIA, ESSENTIA ET ATTRIBUTIS DIVINIS.

---

### CAPUT I.

#### DE DEI EXISTENTIA.

---

#### ARTICULUS I.

##### AN DEUM EXISTERE POSSIT INVINCIBILITER IGNORARI.

1. *Nota.* Certum est, Deum ut auctorem *gratiæ* nonnisi ex divina revelatione nobis innotescere; quare duntaxat quæritur de Deo ut auctore *naturæ,* secundum prædicata causæ universi, gubernatoris ejusdem, legislatoris, vindicis aut præmiatoris, quæ naturaliter cognosci possunt. Ignorantia proprie talis, hoc est, carentia notitiæ de existentia Dei in homine adulto et rationis compote, ratione sui præcise, alia dicitur *positiva,* sive cum errore positivo, scilicet negatione hujus existentiæ conjuncta; alia *privativa,* sive ignorantia quidem proprie talis, absque eo tamen errore: ratione subjecti et potentiæ alia est *invincibilis,* quando de Deo nequit haberi notitia; sive quia homo nihil omnino cogitat de Deo, ac proinde nihil etiam de inquirenda hac notitia aut ejus obligatione cogitat, sive quia eam inquirere aut invenire non potest; alia *vincibilis,* quæ per oppositam notitiam vinci potest, præsertim accedente cognitione obligationis sciendi aut inquirendi eam notitiam. Cum vero de notitia Dei omnibus præcepta loquamur, facile colligi potest priorem esse sine culpa, posteriorem autem culpabilem.

2. *Dico I.* Non datur ignorantia Dei *positiva* invincibilis.

*Prob.* Ps. 13. 1. legitur: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* Sed si Deus posset invincibiliter ignorari positive, non foret insipiens, qui id in

corde diceret : quia nemo stultus est, qui negat quod adhibita omni diligentia cognoscere nequit ; ergo. Hinc TERTUL. L. de Spect. c. 2. scribit : *Nemo negat, quia nemo ignorat quod ultro natura suggerit, Deum esse universitatis conditorem.* Et in Apol. c. 17. *Hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt* ; ergo.

*Conf.* 1. Moraliter est impossibile, ut quis habeat motivum probabile negandi existentiam Dei, quin multo fortius aut æquale saltem habeat, eamdem affirmandi ; ergo nequit invincibiliter ignorare Deum, cum in hoc dubio teneatur inquirere veritatem, per modum primi principii ad honeste vivendum requisitam. Huic autem obligationi, si satisfecerit, futilia et nulla detegentur argumenta, quibus existentia Dei impugnari potest : Sin minus, ignorantia non erit absque culpa, nec invincibilis.

*Conf.* 2. Motivum, quo quis ad negandum Deum induci posset, vel foret proprio studio excogitatum, vel aliena auctoritate persuasum : Sed neutro modo infertur ignorantia illa invincibilis : nam 1°. quidem si tanta valet perspicacia, ut rationes negandi Deum invenire queat, certe fortiores depromere poterit ad existentiam Dei affirmandam ; quod idem dicendum est, si rationes aliunde acceptas capere ac pervadere possit : 2°. autem privatæ auctoritati contra communem omnium gentium consensum prudenter et inculpabiliter assensus dari nequit : 3°. denique nulla hactenus publica auctoritas contra Dei existentiam emicuit. Athei enim aut nulli reapse fuerunt, aut admodum pauci ; et hi rursus aut insipientes aut improbissimi : iniquum autem est consentire paucis, stultis et scelestissimis ; non sapientibus, honestis ac fere universis : adeoque nulla auctoritas publica invincibilem ignorantiam reddere potest.

3. *Dico II.* Nec ignorantia Dei *negativa* invincibilis datur, saltem per longum tempus.

*Prob.* 1°. SALOMON enarratis falsis numinibus ad ignorantiam idololatrarum culpæ convincendam, ex Sap. 13. 3. sic arguit : *Quorum specie delectati Deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est : speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis : a magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. Sed tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes et volentes invenire. Etenim cum in operibus illius conversentur, inquirunt : et persuasum habent, quoniam bona sunt, quæ videntur. Iterum autem nec his debet ignosci : si enim tantum potuerunt scire, ut possint æstimare seculum ; quomodo hujus dominum non facilius invenerunt ?* — 2°. Qui ignorat Deum, est culpæ ac pœnæ reus, ex Sap. 13. 10. *Infelices autem sunt et inter mortuos spes illorum est.* Ps. 78. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Ad Rom. 1. 18. *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent, quia, quod notum est DEI, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit... ita ut sint inexcusabiles* ; ergo ignorantia illa invincibilis dici nequit. Eodem argumento usus est LACTANTIUS L. 1. divin. Instit. c. 2 ; reliqui vero Patres diserte Deum ignorari non posse enuntiant, quos alibi recitabimus.

*Conf.* Moraliter fieri nequit, ut adultus rationis compos longo tempore nihil cogitet de Deo, et ad eum cognoscendum non moveatur; nam ex appetitu naturali ad beatitudinem, nullaque in bonis creatis quiete reperienda, propellitur ad *bonum* omni creatura melius: ex boni malique conscientia deducitur ad *legislatorem* ac ens superius: ex consideratione sive sui ipsius sive hujus mundi provehitur ad *universi conditorem;* ita nempe, ut saltem cogitatio de illo bono vel superiore vel creatore ingeratur. Ejusmodi autem cogitatio sufficit, ut homo agnoscat obligationem ulterius inquirendi; cui si obsequatur animumque serio applicet, facile certitudinem de Dei existentia assequetur: aut si eam negligat, invincibiliter Deum non ignorabit. Dixi: *Saltem per longum tempus;* quia brevi aliquo tempore hominem, præsertim rudem, vivere sine notitia Dei, satis probabile videtur; tum quod nulla necessitate naturali statim debeant homini occurrere motiva, ex quibus judicare vel saltem dubitare debeat, esse Deum; tum quod homo, maxime rudis, post primum instans morale usus rationis, ita ad breve tempus potest distrahi ad negotia sensibilia, ut non statim species requisitas habeat ad formandum judicium Dei existentis illativum; quia licet varia possint occurrere motiva remota, opus tamen adhuc est longiore discursu.

4. *Obj. cont. I.* Notitia de Deo existente ad solam *fidem* pertinet; ergo ab iis quibus non est revelata, impune ignorari, quin et negari potest. *Conf.* 1°. Sap. 13. 1. et 2. dicitur de idololatris, quod *non potuerint intelligere eum, qui est.* Quin si potuissent intelligere, non apparet ratio, cur voluerint potius militiam cœli tanquam numina habere et colere. 2°. Puer a parentibus atheis, quorum dictis plurimum fidit, enutritus, videtur inculpabiliter etiam positive ignorare posse Deum; ergo.

R. *N. A.* S. Aug. L. 2. de lib. arb. c. 15. n. 39. *Est enim Deus,* inquit, *et vere summeque est: quod jam non solum indubitatum, quantum arbitror, fide retinemus, sed etiam certa, quamvis adhuc tenuissima, forma cognitionis attingimus.* D. Thomas perfectissimam quidem et omnibus numeris absolutam Dei ut auctoris naturæ cognitionem haberi per fidem solam concedit, implicitam vero et confusam etiam ad fidem præambulam ex naturali lumine contendit.

*Ad Conf.* 1am. R. *D.* Idololatræ non potuerunt intelligere Deum, id est, noluerunt *C.* non potuerunt proprie et absolute *N.* Rationem, cur Gentiles, quantumvis de Divina existentia naturaliter persuasi, ad idololatriam deflexerint, reddit Apost. ad Rom. 1. 21. *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt; et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.*

*Ad Conf.* 2am. R. *N. Ass.* Puer enim ejusmodi vel ex naturæ instinctu, vel ex conscientiæ lumine, vel ex creaturarum voce ad quamdam Dei cognitionem pertingere potest, quidquid sibi parentes aut præceptores in contrarium curent insinuare. Neque immunis a culpa erit propter domesticam illam instructionem; quibus cum non fideret negantibus ea, quæ oculis conspiciuntur vel lumini naturali sunt obvia, neque dicentibus, *non est Deus,* aures

præbere debet. Inde vero etiam *disparitas* patet, cur rudis ex vitio aut errore instructoris possit errare circa mysteria fidei ex revelatione tantum nota; non vero circa Dei existentiam.

5. *Obj. cont. II.* Brasiliæ populi, Indique quidam barbari interrogati num, ante Lusitanorum aliorumve adventum et prædicationem, notitiam de Deo habuissent, negarunt ullum sibi Numen fuisse cognitum; ergo datur Dei ignorantia, eaque videtur saltem apud aliquos fuisse invincibilis. *Conf.* Juxta S. Aug. tract. 106. in Joan. n. 4. in quibusdam potest haberi ignorantia Dei : *Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem*; ergo.

R. *T. A.* Quod universaliter verum non esse ostendit vita V. P. Josephi Anchietæ; *N. Cons.* Vel enim Barbari illi, utpote genus hominum suspiciosum ac libertati suæ timens, veritatem hic, ut in aliis quæstionibus sæpe, Lusitanis celabant; vel quia cultus *publicus* ac communis non fuerat, sic respondebant; vel negabant tantum Deum a se fuisse agnitum sub ea ratione *explicita*, quæ ipsis proposita fuerat; vel suarum de Deo cogitationum aut dubiorum, ob vitæ suæ in voluptates ac barbariem declinationem, postea non *recordabantur*. Unde consequitur, vel non omnimodam, vel non invincibilem ignorantiam Dei fuisse. Præterea incredibile est, integram nationem ignorantia Dei invincibili laborare, cum vel ipse Tullius L. 1. de Leg. neget ullam gentem tam immansuetam et feram, quæ licet nesciat, qualem habere deceat, habendum tamen Deum ignoret. Si qui vero singulares homines reperti fuerint adeo hebetes ac plumbei, ut nec ad intimam sui conscientiam et ad clamorem omnium creaturarum advertere potuerint, infantibus potius aut fatuis adnumerandi sunt, quam ratione utentibus.

*Ad Conf.* R. *D. A.* Juxta S. Aug. in paucis saltem quibusdam potest haberi ignorantia Dei omnino et sub quocumque prædicato cum Deo convertibili *N.* sub prædicato auctoris vel creatoris universi *subd.* invincibiliter ac diu *N.* vincibiliter vel non diu *C.* Depravatio naturæ illis voluntaria est, noluntque lumen, ut non cogantur videre turpitudinem suam. Quippe cogitatio de supremo Numine ad honestatem spectat, quin et fundamentum ac radix honestatis est.

6. *Obj. cont. III.* Jobi 36. v. 25. *Omnes homines vident Deum*; et ad Rom. 1. illis adeo manifesta est Dei existentia, *ut sint inexcusabiles*; ergo ne quidem ad *breve tempus* datur Dei ignorantia invincibilis. *Conf.* 1°. Pertinet ad divinam providentiam in primo usu rationis instanti excitare aliquam cognitionem ultimi finis, ad quem homo est creatus; ergo nec ad breve tempus datur Dei ignorantia inculpabilis. 2°. Homo rudis et negotiis distractus nihilominus debet concipi utens ratione; adeoque agere moraliter honeste vel inhoneste : ergo debet implicite saltem cognoscere Deum sub ratione legislatoris et regulæ morum, ne, si agat inhoneste, peccatum *pure philosophicum* emergat.

R. *ad Ant. D.* 1am. *p.* Omnes homines vident Deum facile *C.* statim ac in primo rationis usu *N.* Similiter *D.* 2am *p.* Adeo manifesta est statim et a principio usus rationis etiam in hominibus distractis *N.* intra tempus ali-

quod, quo homo perfecte utitur ratione, adeo manifesta fit ac est, ut sint inexcusabiles *C*.

*Ad Conf.* 1am. *N. A.* Quia, licet ad providentiam divinam spectet, concurrere ad ultimi finis cognitionem tempore opportuno; non tamen necessario excitare per motus subitaneos.

*Ad* 2am. *D. A.* Ejusmodi homo debet concipi ratione utens plene deliberate ac sufficienter ad actum moralem *N.* minus deliberate, aliquatenus impedite, et ad actum moralem non sufficienter *C.* Supponimus equidem ejusmodi hominem nec infantem nec fatuum; sed cum proxima dispositione, qua sicut in negotiis, quibus distrahitur, inferioribus bene ratiocinatur, ita etiam, si de Deo cogitatio incidat, possit recte ratiocinari et inferre Deum: nihilominus quia qualiscumque rationis usus non est sufficiens ad actum moralem constituendum, ut in hominibus negotio quodam aut attentione aliunde distractis, aut etiam in infante jam adolescente ac in facilioribus propter finem agente, compertum est; ex conformitate doctrinæ alibi jam propositæ, homini ad breve tempus ignoranti Deum non damus usum rationis plene perfectum, de quo argumentum allatum recte concludit.

## ARTICULUS II.

### AN DEUM EXISTERE SIT PER SE NOTUM.

7. *Nota.* Præter supernaturalem viam, alteram fidei divinæ, alteram visionis intuitivæ, Dei existentia certo cognosci potest: 1°. immediate et sine discursu quocumque; 2°. mediate per discursum demonstrativum; 3°. mediate per testimonium gentium ac nationum aliquod Numen agnoscentium. Postremus hic modus non nisi morale ex auctoritate argumentum conficit, de quo Metaphysica pertractat.

Nobis discutiendum 1°. an Existentia Dei sit veritas *per se*, ex sola terminorum significatione, manifesta; 2°. an ea demonstrari possit.

8. *Dico.* Deum existere non est *per se*, seu immediate ac sine ullo medio naturaliter manifestum.

*Prob.* Perceptis et penetratis solis his terminis: *Deus existit*, intellectus noster sine alio medio ad illius assensum non determinatur: 1. in illis, qui vel de Dei existentia dubitarunt, vel eam præfracte negarunt; 2. in Christianis Philosophis ac Theologis, quorum plurimi ac doctissimi inferunt, ante omnem discursum dubitari posse, an Deus essentialiter existat.

*Conf.* Scriptura supponere videtur, Deum per se nobis non esse notum, cum ad Rom. 1. 20. tradit Dei invisibilia cognosci per effectus; prima hujus termini, *Deus*, cogitatio non ipsam existentiam, sed aliam quamdam rationem confusam nobis proponit, ex qua modo per discursum deducitur, existentiam esse de ratione formali Dei: quin, etsi etiam Dei cogitatio prima ostenderet immediate existentiam, tamen, nisi jam aliunde constet, Deum esse in rerum natura, non ostendit existentiam *realem* et *physicam*; unde hæc propositio, *Deus est*, per se quoad nos nota est solum in hypothesi quod sit.

9. *Obj. I.* Singulis hominibus indita est ab universorum auctore ingenita atque anticipata idea sui, seu suæ existentiæ : nam Ps. 4. 7. dicitur signatum esse super nos lumen vultus divini; Joan. 1. 9. lucem veram illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum; ad Rom. 2. 14. legem scriptam in cordibus gentium omnium. Sed illud lumen, ea lux ac lex juxta SS. Patres est ingenita cuilibet idea ac notitia supremi numinis; ergo Deum existere, per se notum est. *Conf.* Justin. Apol. 2. dicit *de Deo opinionem ac sententiam esse insitam a natura;* Tertul. L. de testim. animæ c. 5. *memoriam et cognitionem Dei* vocat *doctrinam naturæ et congenitæ et ingenitæ conscientiæ;* Euseb. L. 2. Præpar. Evang. c. 9. *Eximium illud quod Dei nomen essentiamque significat,* docet *ipsius naturæ ductu impressisque animo per sese notionibus, vel divinitus potius inspiratis, neminem non intelligere:* Arnob. L. 1. cont. Gent. c. 33. contendit, cuilibet *ingenitum, affixum, immo ipsi pene in genitalibus matris impressum ac insitum esse Regem ac Dominum, cunctorum quæcumque sunt moderatorem.* Idem præter alios Patres ipsi etiam gentiles Philosophi docent; ergo.

R. Hæc aliaque scripturarum testimonia exponenda esse sive de sola naturali intellectionis facultate, sive de primis quibusdam veritatis ac honestatis principiis, quæ legem naturalem primariam componunt, patet ex ipsis PP. S. Hier, et Orig. expositionibus, juxta quas etiam de Christo aliisque, sola fide nobis cognitis, naturaliter insita notitia perhibetur.

*Ad Conf.* R. Cognitio Dei potest naturaliter nobis insita dici : 1. immediate ac sine ullo facillimæ etiam consequentiæ interventu; formaliter item ac per speciem talem, quæ una sui perceptione reddat veritatem cognitam : 2. mediate ac radicaliter, quando a natura instigamur ad ejus notitiam comparandam, et ab ipsa natura principium aliquod habemus illius, ex quo illam facillime inferimus. Hujus postremæ meminit S. Thomas, q. 10. de ver. a. 12. ad 1. *Omnibus naturaliter insitum est, unde* (id est, quo mediante) *possunt pervenire ad cognoscendum, Deum esse;* quin et uterque Greg. ejusdem rudimenta posuit : Naz. orat. 28. n. 6. *Quod Deus sit, ac princeps quædam causa, quæ res omnes procreavit ac conservet, tum oculi ipsi, tum lex naturalis docent; illi, dum rebus in aspectum cadentibus aciem affigunt... hæc autem, dum per res oculis subjectas, ac recto ordine collocatas auctorem earum ratiocinando assequitur.* Et Greg. M. L. 27. Mor. c. 3. (al. 5.) *Eo ipso, quod homo est rationalis conditus, debet ex ratione colligere, eum, qui se condidit, Deum esse.* Jam vero cognitionem *primo* modo naturæ insitam fatemur quidem efficere hanc propositionem, *Deus existit,* per se etiam nobis notam, sed dari eamdem atque a Patribus asseri negamus : *secundo* autem modo a natura insertam de Dei existentia cum Patribus aliisque affirmamus; quia præter notitiam ex parentum institutione et nobiscum agentium sermone haustam, tum ex innato beatitudinis appetitu, tum ex necessitate agendi honeste, tum ex nobis ipsis et magis ex universa natura creata Deum existere facillime inferimus : sed inficiamur ejus opera veritatem illius propositionis reddi ex sese ac terminis manifestam.

*Inst.* 1. In idea, qua communis hominum ratio Deum percipit, relucet quæcumque perfectio : sed hæc debet esse congenita et naturæ inspirata, nec potest esse comparata per sensus; tum quia parit in homine judicium firmissimum; lex autem et regula firmissimi ac immutabilis judicii extra

finitarum et corporearum rerum ordinem statui debet; tum quia idea sensibus comparata non est semper eadem in omnibus; ergo.

R. *T. M.* Quia hæc idea certe non est prima, quam de Deo habemus, ac forsan non in omnibus, præsertim polytheis *N. min.*

*Ad rat.* 1am. transmissa iterum ejus parte *prima, D. secundam;* Lex et regula judicii firmissimi proxima ac immediata extra finitarum ac creatarum rerum ordinem statuenda est *N.* remota, mediata ac prima seu ultimata *C.* sed *N. supp.* ad hanc sine ratiocinationis usu perveniri. Præterea hoc argumentum ex officina Cartesiana depromptum, secundum quam pro primo demonstrationis ac veritatis cognoscendæ principio existentia Dei requiritur, fallit in illo experimentali atque ad cognitionem de Deo prævio ratiocinio : cogito, ergo sum.

*Ad rat.* 2am. *D.* Idea sensibus comparata, quæ est mere experimentalis, seu præcise capta ex sensibili objecti apparentia et organorum perceptione, non semper eadem est in omnibus *C.* Idea sensibus comparata, quæ potius est rationalis, et ex manifesta constantique objecti habitudine ac recto rationis usu exprimitur *N.*

*Inst.* 2. S. Damasc. L. 1. de fide c. 1. *Nemo,* inquit, *est mortalium, cui non hoc ab eo* (naturæ auctore) *insitum sit, ut Deum esse perspectum habeat: quin ipsæ quoque res creatæ earumque conservatio ac gubernatio divinæ naturæ majestatem prædicant.* Quibus verbis cognitionem Dei, quam nobis insitam vocat, distinguit ab acquisita, quæ per discursum ex aspectu creaturarum comparatur; ergo nostra cognitionis naturaliter insitæ distinctio non tenet; præsertim quia alias omnes scientiæ quantumvis difficillimæ nobis *secundo* modo naturaliter insitæ dici possent. *Conf.* 1. Sicut omnes naturaliter ac sine deliberatione appetimus beatitudinem, sic etiam naturaliter et sine discursu confuse cognoscimus possibile esse ac reipsa dari aliquid, cujus cognitione beati esse possumus : sed hoc a parte rei est solus Deus; ergo. 2. Insitum est a natura et notum per se etiam nobis, Deum esse colendum; ergo etiam sic notum est, Deum existere; quia propositio de tertio adjacente magis nota esse nequit, quam illa de secundo adjacente.

R. *D. A.* His verbis insitam Dei cognitionem distinguit ab acquisita Dei notitia, quæ habetur per veram demonstrationem, et insuper non tantum Dei existentiam sed etiam essentiam ac perfectiones divinas clarius exhibet, ut verba postrema manifeste indicant *C.* ab acquisita Dei notitia secundum existentiam duntaxat, eaque non per propriam demonstrationem sed facillimam et probabilem consequentiam accepta *N. A. et Cons.* Quia scientiæ, præsertim in statu aliquo perfectiore, nec ab omnibus sed solum a paucissimis, nec facile atque discursu omnibus obvio, sed magno labore ac studio acquiruntur : cum e contrario Dei existentiæ notitia minime operosa ratiocinatione et discursu facillimo ab omnibus ratione utentibus comparari queat.

*Ad Conf.* 1am. *D. min.* et naturaliter notum etiam omnibus est, sub hac ratione communi Deum contineri, seu illum conceptum cum Deo esse convertibilem *N.* non ita est notum *C.* Sic autem Deus non cognoscitur formaliter ac ut Deus, sed pure materialiter ac identice.

*Ad* 2am. R. *D. A.* Per se notum est, Deum esse colendum, si faciat hæc propositio sensum hunc absolutum : Deus existit et est colendus *N.* quia sic est

propositio copulativa, de cujus prima parte hic controvertitur. Si faciat sensum conditionatum hoc modo : Deus, si existit, est colendus *C*. Sed inde patet quoque probationem additam intelligendam de propositione *absoluta*, minime autem de *conditionata*.

10. *Obj. II.* Nomine Dei intelligimus ens optimum ac perfectissimum, quo nihil melius est aut cogitari potest, ut patet ex communi omnium sensu ; sed per se notum est, quod ens ejusmodi existat ; quia ex terminis evidens est, existentiam esse aliquid perfectius et melius, quam non existentiam ; quod ipsum etiam de existentia reali probat S. Ansel. in Proslogio c. 2. *Certe id, quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse et in re, quod majus est : Si ergo id, quo majus cogitari non potest est in solo intellectu ; idipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest : sed certe hoc esse non potest. Existit ergo procul dubio aliquid, quo majus cogitari non valet, et in intellectu et in re.*

R. Datis præmissis *N. Cons.* propter transitum sophisticum a sensu conditionato in præmissis ad absolutum in conclusione, non purificata prius conditione. Dictum enim in minore est nobis duntaxat *conditionate* per se notum, hoc nimirum modo : Ens perfectissimum, et quo melius cogitari non potest, existit physice, si est aliquid reale et non solum in apprehensione humana ; an autem sit quid reale ac physicum, an habeat tantum esse objectivum in nostra apprehensione, non est ante omnem discursum vel priorem alterius veritatis assensum nobis evidens. Similis fallacia occurrit in hoc *Syllogismo* : Nomine Trinitatis divinæ intelligitur pluralitas personarum perfectissima, et qua melius aliquid cogitari nequit : sed cuilibet sanæ mentis notum est, existere pluralitatem personarum perfectissimam, ut ostenditur iisdem rationibus ; ergo cuilibet per se notum est, Trinitatem divinam existere ; quod nemo unus adhuc dixit. Itaque R. *T. M. D. min.* Per se notum est, quod ens ejusmodi existat signate ac objective *C.* exercite ac physice. *Subd.* est per se notum in sensu absoluto *N.* in sensu duntaxat conditionato et ex hypothesi, quod ens ejusmodi sit reale ac possibile. *C. ad prob. D.* Ex terminis evidens est, existentiam vel objectivam vel realem esse quid melius *C.* existentiam realem *Subd.* esse quid melius conveniens optimo reali et exercito *C.* optimo tantum objectivo et signato *N.* Ex eo, quod quis concipiat Deum per modum entis optimi, solum sequitur, quod essentia Dei sic concepta involvat existentiam objectivam, quia totum objectivum non nisi partes objectivas, seu ejusdem status involvit.

Eadem responsio est ad argumentum Anselmi, cujus auctoritati oppono D. Thom. hic q. 2. a. 1. ad 2. *Dicendum, quod forte ille, qui audit hoc nomen Deus, non intelligit significari aliquid, quo majus cogitari non possit, cum quidam crediderint, Deum esse corpus. Dato etiam, quod quilibet intelligat, hoc nomine Deus significari hoc, quod dicitur, scilicet, illud quo majus cogitari non potest, non tamen propter hoc sequitur, quod intelligat id, quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantum. Nec potest argui, quod sit in re : nisi daretur quod sit in re aliquid, quo majus cogitari non potest : quod non est datum a ponentibus Deum non esse.*

*Inst.* Ista propositio : Ens pessimum, seu carens omni perfectione, non

existit, est per se nota; ergo etiam per se nota est hæc : Ens optimum, seu carens omni imperfectione, existit; quia contrariorum ex communi axiomate eadem est ratio ac disciplina.

R. *Disp.* est 1. Quia nobis per se notum est idem non posse esse et non esse, ex quo evidenter infertur necessaria non existentia entis pessimi : e contra ens optimum existere non est nobis per se notum, neque ex principio per se noto infertur. 2. Quia bona est argumentatio a negatione potentiæ ad negationem actus, non vero ab affirmatione potentiæ ad actus affirmationem; atque hinc etiam ad evidentiam propositionis negativæ evidentia repugnantiæ sufficit, ad evidentiam vero affirmativæ, præsertim *esse physicum* asserentis, requiritur existentia realis subjecti, et de eadem evidentia hausta per cognitionem intuitivam, qualis de Deo in nobis viatoribus non datur.

11. *Observa.* Ex dictis facile colligi potest, quid de duplici argumento Cartesii, ad quod omnes illius pro Dei existentia allatæ demonstrationes reduci possunt, sentiendum sit. 1um est : Quidquid clare percipitur in idea alicujus rei, illud potest ac debet de ea re affirmari : atqui in idea Dei inclusa clare percipitur existentia; ergo. 2um est : In nobis est idea entis infiniti, scilicet Dei : sed hæc idea nequit habere aliam causam, quam ens infinitum seu Deum; tum quia infiniti repræsentatio, qualis hæc idea est, ab ullo finito produci nequit; tum quia hæc idea habet realitatem objectivam infinitam, ac proin etiam infinitam causam exigit; quandoquidem causa debeat continere omnes effectus perfectiones. Verum utrumque argumentum supponit, dari in nobis ideam Dei ac infiniti velut entis vere possibilis, eamque innatam ac congenitam; quorum primum Atheus negat, alterum autem inter Theologos etiam incertum ac dubium est. Præterea vero postremum argumentum nonnisi merum sophisma est. Etenim hæc idea non est ipse Deus, ut opinatur Malebranchius, sed Dei duntaxat repræsentatio, cujus auctor et causa dicitur ac est Deus, et cujus esse in principiis Cartesianis consistit in mera modificatione mentis, ex se realitatis finitæ, ex repræsentatione autem realitatis objectivæ infinitæ. Jam vero ad producendam hujusmodi modificationem repræsentatricem requiritur et sufficit, ut causa habeat omnes proprietates ejusmodi modificationis, minime vero exigitur, ut etiam contineat perfectiones rei per modificationem repræsentatæ, ut per se patet.

## ARTICULUS III.

### AN DEUM EXISTERE POSSIT DEMONSTRARI.

12. *Nota.* Demonstratio alia est *a priori,* quando aliquid probatur per suam causam, sive physicam sive metaphysicam : alia *a posteriori,* quando aliquid probatur per suum effectum itidem sive physicum sive metaphysicum. His Recentiores nonnulli addunt tertiam, *quasi a priori* vel *a simultaneo,* quando res probatur per suam essentiam aut prædicatum aliquod essentiale, quod neque causa sit, neque illius effectus : reliqui tamen communius negant, hanc esse propriam demonstrationis speciem, quæ videtur

exigere, ut fiat per medium a re demonstrata saltem formaliter ac metaphysice distinctum, eo quod alias non habeatur manifestatio ignoti per aliquid notius. Porro existentiam Dei non posse demonstrari *a priori* vel ipsi Catholici omnes docent; quia Deus, utpote ens a se, primum ac independens, causam sui physicam habere nequit, ejus autem existentia, utpote prædicatum formaliter in ipsa Dei notione inclusum, causam metaphysicam non admittit : demonstrari posse *quasi a priori*, contendunt novæ hujus speciei artifices recentiores, quibus tamen S. Thomas cum aliis plerisque omnibus adversatur; tum quod nulla hactenus ab iis allata sint argumenta, quæ vel a reliquis Theologis quantumlibet ingenio pollentibus haberentur pro demonstrationibus ex se præcise ac sine prævia creaturarum hypothesi convincentibus, vel ab Atheis elidi nequeant : tum quia vix ullus Patrum hanc viam ingressus est, si S. Anselmum forsan excipias; de quo dubitare fas est, an suum argumentum voluerit sic tanquam demonstrationem proferre, aut vim illi tribuerit independenter a supposita exercita entis optimi existentia : tum quia S. Dionysius vel auctor Libri de div. Nom. c. 7. §. 3. sic enuntiat : *Forte veraciter id dicemus, nos Deum non ex ipsius natura cognoscere*, (*id nempe ignotum est, omnemque superat rationem ac sensum*) *sed ex creaturarum omnium ordinatissima dispositione, ut ab ipso producta.* Verum hic demonstrandi modus subtilitatis plus quam utilitatis ad convincendos præsertim Atheos habere videtur. *A posteriori* autem seu per creaturas demonstrari posse Dei extantiam, consentiunt jam Theologi omnes tum contra Atheos, tum contra Petrum de Alliaco paucosque quosdam antiquos, qui Deum ex creaturis quidem probabiliter satis, ac certitudine forsan morali et practica ostendi posse dabant, inficiabantur autem posse proprie demonstrari.

13. *Dico.* Deum existere, potest per se loquendo demonstrari a posteriori seu per creaturas.

*Prob.* Job. 12. 8. dicitur : *Interroga jumenta, et docebunt te; et volatilia cœli, et indicabunt tibi. Loquere terræ, et respondebit tibi; et narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Ps. 18. 2. *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Sap. 13. 5. *A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Ad. Rom. 1. 19. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Ne vero quis excipiat, verba Scripturæ posse exponi de quacumque existentiæ divinæ *probabili* tantum vel probabilissima notitia; S. Chrys. hom. 9. ad Popul. Ant. n. 2. opp. t. 2. *Cœlum tacet*, inquit, *sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit*; S. Hier. in verba Apostoli : *Tam evidenter intellecta sunt, ut conspecta dicantur*; S. Greg. L. 27. Mor. c. 3. (al. 5.) eodem sensu declarat verba illa Jobi c. 36. *Omnes homines vident Deum, unusquisque intuetur procul.* Adde : verba Scripturæ sumenda sunt proprie ex regula S. Aug., nisi auctoritas vel ratio manifesta obstet; sed verba illa: *cognoscibiliter videri, manifestari, conspici,* proprie accepta denotant evidentiam; nec obstat ratio vel auctoritas ejusmodi usurpationi; ergo. Demum Spiritus S. his testimoniis videtur designasse hanc ipsam de Deo notitiam, quam de facto habemus : at reipsa non modo probabilem, sed etiam certam ac evidentem ex creaturis habemus supremi Numinis notitiam ; ergo.

*Conf.* Ad demonstrationem *a posteriori* tria requiruntur et sufficiunt: 1°. ut detur effectus, per quem demonstratio causæ petitur; 2°. ut effectus metaphysicam cum causa per illum demonstranda connexionem habeat: 3°. ut tam effectus quam illa connexio evidenter cognoscatur. Sed hæc omnia in demonstratione Dei existentis per creaturas concurrunt; ergo.

Dixi: *per se loquendo*: licet enim aliqui forsan sint, qui his argumentis assensum præbere ex animi pervicacia aut perversitate nolint, id tamen eorum certitudini ac evidentiæ æque parum derogat, ac parum fuit derogatum manifestis aliis rebus ac principiis, dum quidam, ut PETAVIUS L. 1. c. 1. Theol. Dogm. notat, negarunt, nivem esse candidam, dari motum, ac quidlibet esse vel non esse.

14. *Nec dicas I.* Omnis demonstratio debet esse 1°. ex prioribus; 2°. ex notioribus; 3°. ex necessariis: sed hæc omnia deficiunt in demonstratione Dei ex creaturis; nam 1. creaturæ non sunt quid *prius*, sed potius posterius respectu Dei: 2. etiam non sunt *notiores;* cum existentia creaturarum sit nobis tantum physice certa, Dei autem certa ac evidens metaphysice: 3. nec creaturæ sunt *necessariæ*, sed omnes contingentes; ergo. *Conf.* Effectus creati non sunt proportionati respectu Dei; cum finiti ad infinitum nulla sit proportio: nec etiam apti sunt ad probandam Dei existentiam; quia si spectantur *materialiter* et quatenus præcise sunt entia, nullum dicunt ordinem ad Deum: si vero spectantur *formaliter* et quatenus sunt creaturæ, sunt correlata respectu Dei et creatoris, quem supponunt, non probant; quia correlata sunt simul natura et cognitione. Ergo.

R. *Quoad* 1am. *part. D. M.* Demonstratio debet esse ex prioribus cognitione, h. e. ex iis, quorum cognitio præcedit *C.* ex prioribus existentia, seu iis, quæ prius existunt *N.* cum alias demonstratio *a posteriori physico* implicaret. Itaque in demonstratione existentiæ Dei prius cognosci creaturas sufficit, atque ex his inferri creatorem.

*Quoad* 2am. *p. N. m. Ad prob. D.* Existentia quarumdam creaturarum nobis tantum est physice, non metaphysice certa ac evidens *C.* omnium *N.* Esto, reapse existere creaturas extra nos positas, per sensuum experientiam physice solum evidenter sciamus; quilibet tamen homo non omnino insanus de existentia sui et animæ suæ, vel sui intellectus et voluntatis ex propriis utriusque potentiæ actibus, quos in se experitur, potest habere evidentiam *metaphysicam.* Illa vero demonstratio ex creaturarum extra nos positarum consideratione petita æquivalenter metaphysica dici potest; quia admissa hypothesi existentiæ harum creaturarum, quam omnes facile tribuunt, argumentis metaphysice evidentibus ostendi potest, easdem cum Dei existentia necessario connecti, adeoque Deum existere.

*Quoad* 3am. *p. D. M.* Debet esse ex necessariis absolute vel secundum existentiam talibus *N.* ex necessariis, quæ talia sunt saltem ex suppositione, vel secundum habitudinem ac connexionem cum re demonstrata *C.* Quamvis creaturæ omnes contingenter existant, tamen necessariæ sunt, 1° quia necesse est eas esse ex suppositione, quod sint: 2° quia essentialiter dependent a Deo tanquam causa, et sine eo ne ad momentum quidem esse possunt: hoc vero ad demonstrationem existentiæ Dei sufficere, patet ex demonstra-

tionibus in aliis scientiis, quarum objecta nec quoad existentiam necessaria sunt.

*Ad Conf.* R. *quoad* 1. *D.* Effectus creati non sunt proportionati in ratione cognoscibilis, aut habitudinis seu connexionis *N.* in ratione entitatis aut entitativæ perfectionis *C.* Sane sicut infinita Dei perfectio non impedit, quominus creaturæ sint illi proportionatæ in ratione *effectus* ab eo producibilis, et in ratione *objecti* ab eo amabilis vel odibilis; ita nec impedit, quominus creaturæ sint ipsius existentiæ proportionatæ in ratione medii objectivi, per quod ea a nobis cognoscatur: ad hoc enim satis est, quod cum Deo tanquam causa ipsæ tanquam effectus necessario connectantur; hæc autem connexio per discursum evidentem ipso rationis lumine deprehendi a nobis queat.

*Quoad* 2. *N. ass. Ad prob.* R. Creaturas nec præcise ut entia, nec ut effectus creatos probare existentiam Dei; sed transeundo a creaturis materialiter sumptis ad eas sumptas formaliter argumentum fieri hoc modo: Dantur entia: hæc entia sunt creata: ergo datur creator; in quo cum prima propositio detur ab adversariis, altera vero validissime probetur, postrema est demonstrata.

15. *Nec dicas II.* Ex eo, quod videatur aliquis effectus productus ac existens, nec 1°. infertur recte *causam* ejusdem actu existere; cum illa jam sæpe desierit esse: nec 2°. causa increata seu Deus absolute colligitur; cum effectus creati saltem in causis æquivocis possunt esse a sola causa creata, v. g. homo ab homine. *Conf.* Non potest cognosci vel demonstrari, Deum *existere,* nisi cognoscatur vel demonstretur Dei *esse*; quia essentia et existentia Dei sunt quid idem; sed nequit per creaturas cognosci ac demonstrari esse vel essentia Dei; ergo.

R. *Ad* 1. *D.* Recte non infertur, causam ejus immediatam et creatam actu existere *C.* primam ac increatam *N.* Causa *creata,* quamvis existere debuerit, dum effectum produxit, non tamen, dum effectus etiamnum perstat, permanere debet, cum eum ex supposito non conservet; neque etiam perpetuo durare potest, cum non sit, nec supponatur æterna: utrobique contrarium occurrit in causa *increata,* ac proinde tum æterna, tum necessaria ad rerum omnium conservationem.

*Ad* 2. *D.* Causa increata seu Deus non colligitur ex quibuscumque effectibus semper immediate et per quodibet medium *C.* non colligitur saltem mediate et per aliquod materiæ proportionatum *N.* Ubi causæ sunt *univocæ,* non ex singularibus, sed ex collectione argumentum pro existentia Dei sumitur; ubi vero causa requiritur *æquivoca,* a particulari immediatus transitus ad causam increatam fieri potest.

*Ad Conf.* R. *D. M.* Non potest cognosci aut demonstrari, Deum existere, nisi cognoscatur aut demonstretur esse vel essentia Dei quoad existentiam *C.* quoad se seu prædicata constitutiva *subd.* nisi cognoscatur vel demonstretur quoad prædicata constitutiva omnia, seu adæquate *N.* quoad prædicata saltem aliqua cum Deo convertibilia, scilicet entis necessarii, improducti, a se, vel causæ primæ, auctoris universi etc., seu inadæquate *C.* Sufficit ad cognitionem existentiæ divinæ habendam notio quædam vel inadæquata vel confusa de Dei essentia, quæ in quæstione, *an est,* supponitur; quia alias nec creatura ulla clare cognosci, nec ex effectu aut causa demonstrari

posset, cum nihil in hac vita penitus ac intime secundum omnia attributa percipiatur.

*Ad prob.* R. Nihil ex ea sequi : nisi quod cognita ac demonstrata Dei existentia, saltem imperfecte et secundum aliquod essentiale prædicatum cognoscatur Dei essentia, præsertim physica.

## ARTICULUS IV.

### QUIBUS ARGUMENTIS DEMONSTRETUR DEUM EXISTERE.

16. *Nota.* Sicut argumenta alia dicuntur metaphysica, alia physica, alia moralia; sic et demonstrationes : *metaphysicæ* sunt, quarum media desumuntur ex natura et essentia Dei aut entibus spiritualibus; *physicæ,* quarum argumenta colliguntur ex materia, mundo et corporibus; *morales,* quarum motiva vel fundantur principiis prudentiæ, vel a materia mores spectante depromuntur. Triplicis hujus generis argumenta varia afferuntur a variis, inter quos S. Thomas hic q. 2. a. 3. proponit quinque ac 1. quidem ostendit admittendum esse primum motorem, 2. causam primam, 3. ens necessarium, 4. ens perfectissimum, 5. Conditorem ac Gubernatorem universi; atque hinc Deum existere infert. Pleraque ex illis proferemus. 1°. Ens a se seu *necessarium* intelligimus id, quod quoad suum esse est independens ab omni alio, habetque ex essentia existentiam vel necessitatem existendi. 2°. Ens *perfectissimum* dicitur, cui nihil perfectionis omnino deest, nec ab alio exceditur. 3°. In ente necessario posse existere idem est ac existere; quia, cum posse habeatur ab essentia, et existere sit de essentia entis necessarii, posse ac esse in eodem conveniunt. 4°. Similiter posse habere perfectionem vel ejus gradum hic idem est ac habere : cum enim ens necessarium non existat sine perfectione; sicut ab essentia habet, quod existat, sic ab eadem habet quod tale existat. 5°. Omnis *limitationis* debet esse aliqua causa, sive extrinseca sive intrinseca; hæc vero in ente necessario non alia potest esse, quam propria ejus essentia : neque enim potest limitari ab alio *extra se,* cum sit prorsus independens ab alio : neque etiam *a propria voluntate;* tum quia essentiale esse prius est, quam velle : tum quia, si quid ens necessarium habuit in primo esse, vel non habuit, utpote ab essentia profluens mutari nequit. Itaque, si qua perfectio illi deesset, deberet id fieri ex ejus incompatibilitate cum essentia hujus entis; quæ cum nec assignari, nec dari queat, enti necessario nihil perfectionis omnino deest : neque in hoc etiam ab ullo exceditur; cum unicus duntaxat Deus sit; adeoque ens perfectissimum plane est.

17. *Dico I.* Inter argumenta Metaphysica

1um. Est existentia *entis necessarii.* Si enim quidquid hactenus extitit vel existit, mere contingenter existeret, fieri potuisset et jam posset, ut nihil unquam extitisset vel existeret; quia ens mere contingens dicitur illud, quod ita existit, ut possit non existere, non quidem pro sensu composito, sed diviso suæ actualis existentiæ : sed hoc fieri non potuisset; quia si hoc foret, etiam potuisset fieri, ut nihil unquam esset possibile; cum hac hypothesi stante, si nihilominus aliquid foret possibile, deberet illud posse existere vel pro-

ducendo realiter seipsum tanquam causa adæquata quoad primum esse, vel per mutuam duorum causalitatem se invicem realiter producentium quoad primum esse, ut quodlibet esset causa mediata sui ipsius; quod utrumque impossibile esse evidenter apparet : sed nequit fieri, ut nihil unquam esset possibile; quia possibilitas non est prædicatum aliquod rei existenti accidentale et defectibile, sicut existentia, sed essentiale, *necessarium*, seu reipsa ndefectibile.

2um. Argumentum est existentia *entis improducti*. Si enim omne illud, quod mundus complectitur, est productum; ergo debet esse productum ab aliquo intra collectionem rerum productarum contento, vel ab aliquo extra numerum productorum posito : sed prius dici nequit, quia illud ens tanquam productum vel deberet a se ipso produci, vel ab altero vel mediate vel immediate a se antea producto; in quo utroque manifesta est repugnantia, quam agnoscunt ipsi *Athei*, ob id ad infinitum progressum confugientes; ergo debet dici posterius : sed hoc ipso admittitur aliquod *ens improductum*, utpote non comprehensum in universa multitudine rerum productarum, atque hinc ad eamdem non pertinens. *Conf.* Etiam omisso aliquo processu in infinitum, tota infinitarum causarum productarum collectio est producta, non ab aliquo *intra* collectionem; ergo ab aliquo *extra* collectionem, seu ab ente improducto.

*Prob.* 1a. *p. Ant.* Illud totum non est improductum, cujus nulla pars nec adæquate nec inadæquate est improducta, ut patet ex ipsa collectionis natura; sed nulla pars etiam in collectione causarum infinitarum est improducta, ut ipsi Athei statuunt; ergo.

*Prob.* 2a. *pars.* Nec in collectione causarum infinitarum reliqua omnia producerentur ab uno intra collectionem; quia, cum hoc ipsum statuatur productum, deberet vel a se ipso, vel ab alio quod ante produxerat, produci, contra principia ab ipsis Atheis admissa : nec singula forent producta a singulis, quia et hoc implicat; nam in hoc casu (ubi a postremo effectu, qui nihil produxisse supponitur, abstrahi potest) et in infinita collectione causarum producentium et productarum non sunt producta, quot sunt producentia, et infinitis productis debent correspondere infinita producentia : sed hoc fieri nequit, nisi duo se mutuo mediate vel immediate producant; ut patet in collectione finita centum hominum, quorum singuli dant et recipiunt nummum, quorum duo, si nullus sit dans, qui non sit recipiens, debent mediate vel immediate sibi mutuo dare.

18. *Nec dicas* 1. Licet singula entia sint contingentia et producta, tota tamen collectio potest esse necessaria vel improducta; quia non valet argumentatio a sensu *distributivo* ad *collectivum*, in quam tamen utrumque argumentum resolvitur. *Conf.* Ex eo, quod singula entia sint producibilia, non sequitur posse supponi totam eorum collectionem esse productam; ergo etiam ex eo, quod singula entia sint contingentia, et possint non existere, non sequitur, quod possit supponi totam collectionem entium non existere. Insuper, quamvis quælibet creatura possibilis sit producibilis, tota tamen creaturarum possibilium collectio non est producibilis ; ergo a pari.

*Ad* 1. R. Vel illa collectio est quid distinctum ab entibus, vel non. Si *primum* : illud distinctum, quidquid demum sit, erit ens necessarium et im-

productum, ac consequenter non omnia entia sunt contingentia ac producta : si *secundum* : manifestum est, quod illa collectio debeat sequi sortem singulorum entium.

*Ad rat. D.* Non valet argumentatio hæc in accidentalibus præsertim quantitativis, aut iis, quæ distributioni conveniunt prout distributio est *C.* non valet in essentialibus, aut in iis, quæ competunt abstrahendo a collectione aut distributione, atque hinc a sensu distributivo et collectivo vel a ratione distributionis et collectionis nullam mutationem accipiunt *N.*

*Ad Conf.* R. *quoad prius Disparitas* est : quia imprimis plus requiritur, ut res sit, quam ut non sit ; adeoque etsi supponi non posset, omnia entia esse producta, posset tamen supponi, ea non esse existentia : deinde possunt supponi producta omnia, prout sunt producibilia vel absolute in se, vel relative ad se invicem, vel relative ad causam producentem : *absolute* et *in se* concipiuntur producibilia in infinitum, ita ut qualibet data productione concipiatur adhuc possibilis ulterior ; *ad invicem* si considerantur producibilia, inter ipsa sunt quædam, quæ non possunt simul existere ; relate demum *ad causam* spectata, cum hæc sit omnipotens et ejus fœcunda virtus exhauriri nequeat, necessario supererunt illi semper infinita entia adhuc producenda : unde variæ rationes obstant, quominus supponi possint omnia esse producta : e contra si negetur ens necessarium, nullum momentum obstat, quominus supponi possit, nullum ens existere. *Quoad posterius N. A.* Vel enim supponis collectionem creaturarum possibilium esse infinitam actu, vel potentia tantum. Si *primum* ; etiam illa est actu producibilis, cum possibile idem sit ac producibile : si *secundum* ; similiter est potentia producibilis, eo scilicet modo, quo est possibilis, h. e. tot et tot creaturæ et creaturarum collectiones sunt producibiles ita, ut plures et plures semper produci possint.

19. *Nec dicas* 2. Postrema demonstratio evertit processum in infinitum, etiam a S. Thoma admissum ; quia causam aliquam primam atque hinc principium infiniti inducit ; ergo saltem non valet permisso illo processu.

R. 1°. *N. Supp. Ant.* quod S. Thomas infiniti possibilitatem admittat, cum contrarium constet ex ejus summa p. 1. q. 7. a. 4. et q. 46. a. 2. ad 7. ; qui vero inter Theologos etiam possibilitatem infiniti admiserunt, omnes tamen illud a causa prima necessario dependere statuerunt. 2°. *N. Ant.* Quia postrema argumentatio non probat non posse dari infinitum, sed potius instituta est permissa infiniti possibilitate. 3°. *N. rat. A.* Nam quamvis demonstretur dari causam primam *extra* collectionem, non tamen hoc ipso demonstratur etiam causa prima *intra* collectionem, quia posita infiniti possibilitate, Deus potest infinitum producere simul, vel alia quacumque ratione, quam assignant patroni infiniti. 4°. *N. Cons. primo* quidem, quia permisso processu illo, non simul permittuntur omnia, quæ ex infinito sequi ab aliis dicuntur, ab aliis negantur, quale illud est de causa prima *intra* collectionem : hæc enim duntaxat postulanda sunt ab iis, qui processum infinitum admittunt ut absolute verum seu vere possibilem : *secundo* quia permittimus duntaxat processum præcisive talem, abstrahendo scilicet, an præter illum causa prima necessaria sit vel non : *tertio* quia, licet argumento allato probaretur etiam admittenda causa prima *intra* collectionem, non tamen foret vitium argumentationis contra suppositum de infinito permissum, sed

esset modus argumentandi S. Augustino etiam familiaris, ubi scilicet ab initio aliquid ponitur aut permittitur, sed deinde ostenso absurdo quod ex eo supposito sequitur, idem in fine negatur.

20. *Dico II.* Inter argumenta Physica

1um. Est ex hoc *mundo visibili.* Etenim hic mundus visibilis 1°. non est *a se;* quia, si esset a se, foret necessarius, adeoque omniperfectus secundum gradus etiam infinitos. 2°. Non est *a casu;* tum quia casus nihil est, et ut ens transeat ad existentiam realis causa requiritur : tum quia ex fortuito partium materiæ concursu non potuit coalescere universum hoc innumeris ac variis partibus ad eximiam pulchritudinem, et ad proprios fines assequendos aptissime dispositis ac proportionatis, et ad commune bonum specialeque hominis conspirantibus constans : tum quia nemo nisi insanus dixerit, ex fortuito lapidum, lignorum, calcis et arenæ concursu emersisse palatia, ex characterum imprudenti congestione prodiisse poemata, ex simili colorum confluxu coaluisse exquisitam picturam etc.; adeoque multo minus admirabile mundi opus inde extitisse. Ergo est ab aliquo *opifice,* et quidem summa quadam sapientia et potentia prædito, sine quibus rerum tot ac tantarum ad fines singulis proprios et ad commune omnium ac speciale hominis bonum tam constans et tam eximia dispositio, convenientia, proportio, coordinatio ac consensio intendi ac perfici non potuit. Hunc autem *artificem* Deum dicere vel ex hoc maxime licet, quod Athei ideo negent dari Deum, quia nec talem *artificem,* nec illas perfectiones dari contendunt.

2um. Argumentum est ex *uno homine;* cujus corpus tam admirabilis ac plane stupendi artificii, cujus anima tot facultatibus ad cognoscendum et libere volendum instructa, atque tot dotibus ornata, cujus denique mirabilior adhuc et in nullo Philosophorum systemate satis et ad captum explicanda unio inter corpus ac spiritum causam aliquam summe perfectam exigere manifeste videntur.

21. *Nec dicas* 1°. Plura sunt in mundo, quorum nullus intelligitur *finis;* qualia sunt pluvia in deserto decidens, fulmen rupes diruens, muscæ, ranæ, serpentes etc.; ergo pro rebus conditis non est opus sapientia. 2°. Tum mundus, tum ejus ordo est *finitus;* ergo sapientia et potentia infinita artificis inde non colligitur. 3°. In orbe sunt plura *mala;* justi etiam sæpe carent bonis, et opprimuntur malis, cum contraria frequenter eveniant in improbis; ergo Deus nec auctor optimus, nec providus gubernator videtur esse hujus universi.

*Ad* 1. R. *T. A. N. Cons.* Tum quia ex eo, quod non cognoscamus rei cujuslibet finem ab agente intentum, non sequitur, nullum esse operis aut operantis finem: tum quia recte licet inferre agentis sapientiam ex iis, quorum finem discernimus, et quæ tanquam media ad finem optime assumpta videmus: tum quia bene suspicamur certum aliquem finem operi et agenti esse constitutum, quantumvis nobis ignotum, in iis rebus quæ summa arte et mirabili varietate ab eodem artifice facta cognoscimus.

*Ad* 2. R. *Tr. C.* Cujus veritatem ratione infinitudinis hic probandam non suscepimus; vicimus tamen contra *Atheos,* si causam sapientem ab opere

ipso distinctam concesserint: hoc enim dato facile erit, infinitam sapientiam, si non ex opere ipso, saltem aliunde demonstrare.

*Ad* 3. R. *N. Cons.* Deus quamtumvis optimus omne equidem malum excludit a se, non tamen excludere ab aliis subjectis debet: permittit quidem mala etiam *moralia* seu culpæ, quia creavit naturas liberas, nulla lege ad peccata earum impedienda tenetur, et ex malis bona elicere potest; nullius tamen mali hujusmodi auctor est: malorum *physicorum* auctor esse potest, vel ut absolutus Dominus, vel ut tentator sui operis, vel ut vindex sceleris. Providentiam divini gubernatoris sortis illius diversitas ac insolentia non elevat; tum quia felicitas temporalis sæpe impedimentum non modicum est ad beatitudinem hominis consequendam; tum quia sicut bona hujus vitæ sæpe sunt merces operum naturaliter bonorum, quæ subinde faciunt improbi, sic mala sunt nonnunquam pœnæ delictorum levium, in quæ labuntur etiam probi.

22. *Dico III.* Inter argumenta MORALIA

1um. Est a principio *Moralitatis* desumptum. Impossibile est, ut primum et universale boni virtutisque principium sit *error,* mali autem vitiique simile principium sit *veritas;* sed existere Deum est ejusmodi principium boni ac virtutis, Deum autem non existere est principium mali ac vitii, ut patet tum ex Atheorum vita scelerata, qui Psal. 13. 1. ex quo dixerant in corde suo: non est Deus, *corrupti sunt et abominabiles facti in studiis suis*: tum ex eorum doctrina, inter quos THEODORUS CYREN. apud LAERT., postquam Deum omnem negavit, citra pudorem docuit committenda sacrilegia, adulteria, aliaque facinora nefanda: tum ex ipsa rei natura; quia si legislator supremus non existeret, imperans bonum esse faciendum et malum etiam occultissimum fugiendum, potestatem habens obligandi perfecte, atque ex justo arbitrio tanquam remunerator bonis ac laude dignis præmia, et tanquam vindex malis ac vituperio dignis pœnas constituens, et hominibus hoc munus sæpe omittentibus aut violantibus etiam reddens; certe virtus passim negligeretur, et vitium impune committeretur. Ergo impossibile est, ut error sit Deum existere, et ut sit veritas Deum non existere; ergo Deus existit.

2um. Argumentum est depromptum ex principio *Prudentiæ.* Universalissima et constantissima omnium sententia, quæque non potest esse nisi a puro rationis lumine, est tenenda, præsertim si sit tutior et instet necessitas eligendi hanc vel illi oppositam: sed talis est sententia statuens Deum existere; ergo. *M.* est evidens; tum quia in hoc casu sententia ejusmodi est moraliter certa; tum quia non licet homini hærere suspensum.

*Min. prob. per partes.* Et quidem 1°. vigere in omnium cordibus opinionem de Dei existentia, patet tum ex recensione *historiarum* cujuslibet nationis aut populi, tum ex singulorum etiam immanium hominum internis vel externis testimoniis, queis vel per timorem vel invocationem auxilii in adversis aut favoris in bene cœptis confiteantur ens aliquod superius. 2°. Hanc sententiam profluere *ex recta ratione* ostenditur, quia non est merum præjudicium leviter a mente susceptum, quod vel ab externis vel internis præjudiciorum fontibus promanarit. Nam imprimis non potuit provenire ex prava educatione, aut perversis exemplis aut subtilibus sophismatibus, quibus *externæ* præjudiciorum causæ definiuntur; quia hæc semper alligata

sunt certis quibusdam temporum, locorum aut personarum circumstantiis, et quamvis in aliquos forsan vim suam exerant, in omnes tamen non dominantur: multo minus autem potuit oriri ex fontibus præjudiciorum *internis*, nempe sensibus fallacibus, imaginatione deludente, cupiditatibus abripientibus; quia hæ causæ adeo menti non suggerunt Dei existentiam, ut potius adversæ opinioni faveant, cum Deum neque percipiant sensus, nec imaginetur phantasia, nec libido exoptet. 3°. Sententiam pro Dei existentia stantem esse *tutiorem* patet; tum quia eam asserenti nihil timendum, si falsa sit; multum vero sperandum, si vera sit, ipseque vitam illi conformem duxerit: tum quia e contrario nihil est sperandum Atheo ex veritate suæ opinionis; ex illius autem falsitate plurima sunt timenda. 4°. Urget necessitas eligendi, cum de Dei existentia agitur; quia, si Deus est, eumdem verbo confiteri et quotidiana ac jugi actione colere oportet: adeoque cum vel suspensus hærens jam utrumque non præstet, jam is exercite quæstionem practicam negat.

23. *Nec dicas* 1°. Extitere Athei et adhuc sunt; ergo non est universalissima omnium sententia statuens, Deum existere.

R. *D. Ant.* Extiterunt et etiamnum sunt Athei practici seu actione et corde tales *C.* speculativi seu mente tales *subd.* plures aut populum vel nationem conflantes *N.* pauciores et sectæ rarissimæ *C.* Athei *actione* tales sunt, qui ita se gerunt, quasi nullum agnoscerent aut formidarent Deum; *corde* tales sunt, qui cupiditatibus servientes exoptant nullum existere Deum, imo et id conantur sibi persuadere. Hujusmodi Atheos communi nomine practicos dictos dari etiam frequentes, omnes tribuunt, quin tamen negent illis reipsa cognitam ac intime persuasam esse Dei existentiam. Speculativos vel *mente* tales vocant, qui rationibus et momentis ducti negant existere Deum. Ad hanc classem referuntur etiam Athei indirecti, qui Deo tribuunt aut negant, quæ tribui vel negari non possunt; et ejusmodi statuuntur fuisse Democritus et Epicurus, qui Deo negarunt creationem ac providentiam: proprie tamen magis huc pertinent, qui omnem divinitatis et religionis sensum ex animo exuunt, cujusmodi fuerunt Diagoras, Vaninus, Spinoza et alii quidam. Per hos tamen non dissipatur *moraliter* unanimis populorum de Dei existentia consensus; nec inducitur ignorantia Dei invincibilis, cum hos quidem ex animo, non tamen bona fide ac inculpabiliter Atheos dicamus.

24. *Nec dicas* 2°. Opinio de Dei existentia fuit adinventa a principibus ad plebem coercendam; aut saltem tribui potest timori vulgi a tonitruum fragore perterrefacti; unde et illud est Poetæ: *Primus in orbe Deos fecit timor*: ergo.

R. *N. A.* Ex politiæ humanæ institutis non fuisse ortam de Deo opinionem patet vel ex hoc, quod sit universalissima ac constans; cum illa instituta pro nationum diversis propensionibus et earumdem etiam mutationibus temperari debeant, atque hinc nec universalia perpetua sint. *Metus* quidem rationem reddit attentam ad id, unde terror oritur, non tamen cum existentia Dei connexionem habet, præsertim si opinio de Dei existentia erronea foret: certe a *timore fulminis* si nata fuisset hæc sententia, jam plane evanuisset,

cum tonitruum ac fulminum causa naturalis non amplius nos latet. Poetæ dictum satis elidunt testimonia Patrum ac Philosophorum.

25. *Nec dicas* 3°. Etiam errores universales quondam obtinuerunt, quales illi sunt de negata *Antipodarum* existentia, aut vulgi opinio de magnitudine solis aliorumque astrorum; ergo et opinio universalis de Dei existentia potest esse error.

R. *D. A.* Extitere errores universales, quorum fontes facile deteguntur, et veritas aut falsitas nihil conferebat ad populorum utilitatem *Tr.* quia de allatis exemplis nec habetur monumentum edocens omnium opinionem unanimem, nec apud omnes cogitationem aut assertionem de ejusmodi objectis fuisse verosimile est; unde si qua fuit, horum objectorum tantum *nescientia* universalis erat. Extitere errores universales, quorum causas plane ignoramus, et de quorum veritate ac falsitate maxime populorum intererat, qualem esse oporteret errorem de Dei existentia *N.*

26. *Nec dicas* 4°. Non magis ex unanimi populorum consensu probari potest Deum existere, quam *plures* existere *Deos,* et idololatriam esse admittendam : sed postremum est absurdum; ergo et prius.

R. *N. M.* Disparitas est 1°. Hæc *idololatriæ* opinio non erat universalis, cum in orbe fuerint filii Dei ac postmodum Hebræi, majoribus mundi imperiis cogniti, et inter Gentiles ipsos Philosophi ac prudentiores, qui Deum unum profitebantur, aut interius saltem agnoscebant. 2°. Non erat constans; tum quod per plura orbis primum conditi secula ab hoc errore genus humanum immune viguerit : tum quod insania idololatriæ jam per secula plura maximam partem evanuerit. 3°. Non erat sine præjudiciorum manifestis fontibus enata. Idea enim entis alicujus superioris et provisoris decernentis bona et mala hominibus per naturale lumen rationis facile percepta, deinceps tum sensuum tum imaginationis tum cupiditatis adminiculo, accedentibus etiam causis errorum externis, depravata fuit. 4°. Non erat profecta ex recto rationis usu, cum plurima erant in idololatriæ professione, quæ evidenter errorem ostenderent, si iis mens vel leviter attendere voluisset. Nihil ejusmodi habetur in opinione de Dei existentia, quæ vel ex ipsa idololatria ostenditur, tanquam aliquod fundamentum naturaliter quidem cognitum; sed male in usu applicatum et depravatum.

27. *Nec dicas* 5°. Certum pro incerto relinquere est imprudentis; sed qui ex hypothesi de Dei existentia, ex illius lege relinquit voluptates præsentis vitæ pro obtinenda mercede vitæ alterius, relinquit *certa* pro *incerto;* ergo.

R. 1°. *N. duplex supp.* Imprimis vitæ præsentis bona licet in se certa sint, non tamen sunt certa in assecutione aut fruitionis perseverantia : bona autem et mala alterius vitæ, quamvis secundum hypothesin *Atheorum* sint incerta in se, tamen si semel sunt, certa sunt respectu subjecti. Deinde opinio etiam de Dei existentia non interdicit legitimum et moderatum bonorum præsentium usum; quin et homo ad hujus opinionis regulas vitam accommodans illis certius fruitur, quo minus illis adhæret, quo quietius iisdem utitur, quo certior est de futuris etiam bonis et minus timidus de malis. Unde certum pro incerto non relinqui declaratur. R. 2°. *D. M.* Si incertum et certum

æqualiter se habeant, aut incertum certo sit duntaxat æquale *C*. Si non habeant se æqualiter, ac præterea incertum longe superet pretio certum, incertique spes certa affulgeat *N*.

28. *Observa.* Atheorum tum actione tum corde talium fundamentum unicum est *cupiditas,* vitiorum omnium fecunda radix; unde sibi persuadere, nullum Deum existere, non tam rationum momentis, quam depravatæ voluntatis imperio postremi machinantur. Equidem idem etiam sæpius est initium Atheismi mente talis, nihilominus *mens male feriata* videtur fons ejus proprius ac verus. Invenire enim est homines sic comparatos, ut facile communis sententiæ momenta spernant amore novitatis et paradoxorum illecti; aut ut difficultatum mole opprimantur, quantumvis illæ nullæ sint, aut satis refutatæ. Inde autem fit, ut ad hypotheses ac systemata confugiant quantumvis absurda, modo novus ingenii partus veri speciem mentiatur potius quam habeat, aut difficultates prætensæ declinentur. Porro inter systemata, quæ hac ratione videntur ab Atheis conficta, tria præcipua sunt: *primum* est Epicuri, qui nihil nisi materiam et corpora statuit. Ad hoc revocantur systemata Hermogenis, qui seculo secundo inter cæteras hæreses docuit materiam æque esse æternam ac Deum; et Pythagoricorum, qui materiam subtiliorem potentia faciendi omnia instructam tenuerunt. *Secundum* est Berkeley, Angli cujusdam recentioris, qui præter spiritus in hoc universo nihil admisit. Ad hoc pertinet systema *Immaterialistarum* aliorum, aut potius diversa Berkeleiani systematis expositio. *Tertium* est Spinozæ, natione Batavi, religione primum Judæi, posthæc ad Protestantium partes delati an. 1677. ætat. 44. defuncti, qui unicam in orbe substantiam extensione et cogitatione præditam ponit, hancque Deum vocat. Hæc systemata quam copiose, tam solide confutat *Theologia Naturalis,* recentioris Metaphysicæ pars præcipua.

## ARTICULUS V.

### AN DEUS SIT UNUS.

29. *Nota.* Unum dicitur vel *affirmative,* quatenus unum vocatur, quod est indivisum in se et divisum a quolibet alio; atque hoc modo res quælibet una est: *negative* seu exclusive, quatenus unum idem est ac unicum, seu cujus natura numero multiplicari nequit, vel quod excludit consortium cujuslibet sibi æqualis; atque hoc modo sol unus est. Posteriori sensu quæritur, an Deus sit *unus?* in qua quæstione classis negantium est multiplex; 1ª Gentilium polytheorum et idololatrarum, 2ª Hæreticorum duo summa principia statuentium, 3ª etiam Hæreticorum plures Deos Æonum nomine admittentium, 4ª itidem Hæreticorum, qui, quoniam tres Divinas Personas existimabant esse totidem Deos a se invicem natura numerali distinctos, ac totidem individua unius specifice Divinitatis, vocati sunt Tritheitæ. Contra hos omnes universim

30. *Dico.* Deus est unus seu unicus.

*Prob.* ex Script., quæ singulis fere paginis prædicat unitatem Dei; Deut. 6. 4. *Audi Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est.* Ibid. 23. 39. *Videte,*

*quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me.* 4. Reg. 5. 15. *Vere scio, quod non sit alius Deus in universa terra.* Ps. 17. 32. *Quis Deus præter Deum nostrum?* Marc. 12. 29. *Primum omnium mandatum est : audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.* Joan. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Ad Ephes. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus et Pater omnium.* 1. ad Cor. 8. 4. *Scimus,..... quod nullus est Deus, nisi unus.* Et v. 6. *Nobis tamen unus Deus etc.*

*Conf.* tum ex Conciliorum et fidei Symbolorum auctoritate, quorum primus articulus est *Credo in unum Deum*: tum ex summo consensu Patrum, præsertim eorum, qui aut contra Gentiles aut contra Hæreticos pro hac veritate apologias plurimas ediderunt : tum ex universi pene orbis testimonio, quem Apostoli ac eorum Successores a vana plurium Deorum opinione ac cultu ad unius Dei adorationem traduxerunt : tum ex argumentis iis omnibus, quibus aut proxime errores oppositos convincemus, aut alibi veritatem Christianæ Religionis demonstramus, utpote cujus præcipuum dogma *Dei unitatem* complectitur.

*Si ais* 1°. Pluritas Deorum in Religione tum Judæorum tum Gentilium a Scriptura asseritur, Genes. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* ; ubi τὸ *faciamus* et *nostram* denotat pluralitatem. 1. ad Cor. 8. 5. autem : *Sunt qui dicuntur Dii sive in cœlo sive in terra* (*si quidem sunt Dii multi et Domini multi*) ; ergo. 2°. In Scriptura etiam præter Deum Hebræorum agnoscuntur alii Dii ; sic Angeli subinde apparentes se vocaverunt Deum ; Moyses Exod. 7. 1. constituitur Deus Pharaonis; Judices, Prophetæ ac justi dicuntur Dii. Psal. 81. 1. *Deus stetit in synagoga Deorum.* Et v. 6. *Ego dixi : Dii estis, et filii excelsi omnes* ; ergo. 3°. Eo modo hi omnes dicuntur esse Dii, quo modo ipse Christus dicitur Deus, ut patet ex Joan. 10. 34, 35, *Nonne scriptum est in lege vestra, quia dixi, Dii estis; si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura : quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemat?* sed Christus vere, proprie ac natura est Deus ; ergo.

R. *Ad* 1. *D.* Hæc verba denotant pluralitatem in sensu tropico ac politico, ubi pluralis numerus usurpatur etiam ad explicandam loquentis auctoritatem *C.* in sensu litterali ac grammatico *subd.* Denotant pluralitatem personarum, quia actiones ad extra communes sunt SS. Trinitatis personis *C.* naturarum seu Deorum *N.* Deus est nomen substantiale, adeoque cum ponitur in singulari, essentia non multiplicatur; scriptura autem sic habet : *Vidit Deus, quod esset bonum, et ait : Faciamus* etc. Item hæc verba pronuntiat Apostolus, referendo duntaxat falsam gentilium opinionem *C.* ex propria sententia ac rei veritate *N.* Textus ipse græcus ostendit sermonem esse de iis, *qui dicuntur Dii,* et statim additur : *Nobis tamen unus Deus.*

*Ad* 2. R. *D. A.* In Scriptura præter Deum Hebræorum agnoscuntur alii Dii, sic tantum dicti ob participationem muneris alicujus, potestatis vel virtutis *C.* Agnoscuntur alii Dii vere tales per proprietatem, naturam et substantiam. *N.* Dii vocantur in Scriptura subinde *Angeli,* quia nomine et auctoritate Dei loquebantur; *Moyses*, quia speciali virtute ac potestate in Pharaonem donatus fuit; *Prophetæ* propter notitiam futurorum a Deo revelatam ; *Judices* propter auctoritatem vitæ ac necis concessam ; *Justi* propter gratiam et sanctitatem.

*Ad* 3. R. Christum hic non esse argumentatum positive et a priori, sed argumento duntaxat *ad hominem* ac a minori ad majus. Occasio enim huic divino eloquio fuit Judæorum facta Christo improperatio, quod se diceret Deum, ut patet ex eodem Cap. v. 33. *De bono opere,* inquiunt Judæi Christo, *non lapidamus te, sed de blasphemia : et quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Hanc calumniam Christus dupliciter propellit; 1°. Argumentum retorquendo : Quare dicitis me blasphemum, quod me dicam Deum, cum secundum legem vestram etiam *justi* dicantur *Dii* : si enim hi ita nominantur, a fortiori ille dici potest Deus, qui a Patre missus est : 2°. Divinitatem suam probando miraculorum auctoritate, dicens v. 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi : si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre.*

Quæres. *Quibus argumentis Polytheismus Gentilium expugnetur?*

31. *Nota.* Polytheismi duplex universim species est, altera sine simulacris aut idolis; altera, quæ statuis quoque et imaginibus, Deorum formas referentibus, cultum defert; atque proprio nomine *idololatria* vocatur. Quamvis Hesiodus quibusdam videatur fuisse liberalior, dum 30 millia Deorum numeravit, tamen excessum in eo nullum deprehendet, qui advertit, vix quidpiam in rerum natura extitisse, cui cultum divinitati debitum non exhibuerit gens aliqua et natio. Ac principio quidem astra ac ignem tanquam numina coli cœpta fuisse plurimorum est opinio; postea reges ac heroes, aut alios dote vel re insigniores, sub astri cujusdam nomine; tum animalia etiam siderum quamdam speciem referentia aut iis consecrata; donec invalescente ulterius vanitate hominum ac insania, ob commodi cujusdam spem aut experientiam, vel vitandi aut depellendi mali gratia, ad quæcumque ferme adoranda declinaretur. His immixta subinde idola stellarum, vel hominum vel animantium vel monstrorum speciem proponentia, quibus maximam auctoritatem oracula aut alia signa a malignis spiritibus profecta addebant.

Hebræorum aliquorum opinio *Enos* Polytheismi auctorem facit; tum quod Gen. 4. 26. *Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos : iste cœpit invocare nomen Domini,* legendum putant : *tunc cœpit profanari nomen Domini* : tum quod ex versione Aquilæ sic intelligi possit : *Ipse Enos cœpit vocari nomine Dei,* quasi voluisset Deus appellari, atque hinc ejus filii postea dicti sint *Filii Dei.* Communis tamen id sententia negat ex contrariis omnibus reliquis versionibus, et *Enos* potius auctorem cultus divini publici ac certis ritibus instaurati auctorem vocat; unde ipsius posteri nuncupati sunt filii Dei, seu justi, ut omissam etiam Aquilæ versionem videtur exponere Emissenus : *speravit Enos Deus dici, id est filius Dei : justi enim, qui erant ex semine Seth, filii Dei vocabantur,* ad modum scilicet angelorum, quibus idem nomen in scriptura tribuitur. Idololatriæ autem originem Lactant. L. 2. instit. Hier. in Ose. Aug. L. 8. de Civ. aliique tum Veteres tum Recentiores de Idolis scriptores deducunt a posteris *Chami*; inter quos *Nino* vel *Belo* Regi Assyriorum communiter tribuitur prima idoli speciem humanam repræsentantis fabrica, atque de eo accipitur Salomonis *Sap.* 14. dictum. Utraque Polytheismi species, quam hic confundere licet, vario argumentorum

genere oppugnata jamdudum est a Christianæ Religionis Apologistis ATHENAGORA, JUSTINO, TERTULLIANO, CLEMENTE ALEX., MINUTIO FELICE, ATHANASIO, LACTANTIO, aliisque, quorum rationes nonnullas pro unitate Dei confirmanda hic referemus.

32. *Dico I.* Multiplex argumentum contra Polytheismum habetur ex ipsa ratione.

1um. Est : Natura, cui singularitas individualis est essentialis, numero multiplicari nequit : sed divinitati singularitas est essentialis; quia existere est Deo essentiale, existere autem singularium est; ergo. 2um. Deus est ens summe magnum : sed ens summe magnum par non habet; ergo necessario est unicus Deus. 3um. Si Dii sunt plures, ergo differunt vel essentialiter, vel accidentaliter, vel etiam numero tantum : et sic nullus erit perfectissimus. 4um. Mundus hic visibilis unicus ex diversis partibus in eumdem finem tendentibus resultans non potest explicari, nisi unus admittatur ejus conditor ac rector. 5um. Admissa semel pluralitate Deorum, multitudinis non erit terminus; cum numerus quo major, eo etiam sit perfectior, neque etiam ratio habeatur, cur hoc numero tantum Dii sint, et non plures : imo eorum numerus erit actu infinitus; quia, sublata semel unitatis necessitate, multiplicitas infinita est possibilis, possibilitas autem Dei tanquam entis necessarii infert actum ipsum et existentiam. Atqui Deos actu *infinitos* nullus unquam admisit; ergo nec plures admittendi sunt.

33. *Nec dicas* 1°. Argumenta, quæ contra Polytheismum allata sunt, æque pugnant contra mysterium *Trinitatis*; nam 1°. si tenet hoc : Deus est summe magnus, ergo est unus; etiam tenet istud : persona divina est summe magna; ergo est una persona. 2°. Si tenet hoc : Unus Deus differre nequit ab altero substantialiter, ergo nullo modo; etiam tenet istud : una persona neque accidentaliter neque substantialiter potest differre ab alia, ergo nulla ratione. 3°. Si tenet hoc : poterat unus Deus esse auctor universorum, ergo plures Dii superfluunt; etiam tenet istud : sufficit ad universa creanda et gubernanda una persona, ergo plures superfluunt. 4°. Sicut sublata Dei unitate infertur infinita multitudo Deorum; sic sublata personæ unitate inducitur pluralitas personarum inumerabilis. Ergo vel his argumentis non probatur Dei unitas, vel evertitur divina personarum Trinitas.

R. *Ad* 1. *N. seq.* Disparitas est; quia cum Deus sit verbum *substantiale* et essentiam significans, atque hoc idem etiam sonet ens summe magnum ac omniperfectum, non nisi unum Deum existere necesse est : e contra cum personæ non significent substantiam, et summe perfectæ dicantur tantum ratione naturæ divinæ, ex hujus unitate non sequitur etiam solitudo personæ.

*Ad* 2. Disparitas est; quia ex eodem capite Dii plures vel naturæ diversitate ut *species*, vel naturæ separatione ut *individua* distingui deberent; atque hinc cum ex utroque haberetur divinæ substantiæ limitatio, recte infertur unum tantum esse Deum : quia vero neutro modo personæ ad se invicem distinguuntur, cum sint eadem numero atque indivisa substantia, sed sola personalitate differunt; rite non sequitur esse unam tantum personam.

*Ad* 3. *N. Supp. et seq.* Nam imprimis creare et regere non sunt prædicata, quæ conveniant personæ ratione personalitatis, sed competunt ratione na-

turæ : deinde disparitas est, quia cum natura separata separentur etiam operationes et munera, in diversis Diis etiam foret diversa potentia; unde uno Deo sufficiente aut operante, alter Deus non foret necessarius vel operans : e contra cum non sit dividenda facultas et operatio, ubi non separatur natura, in tribus personis est eadem facultas et operatio est indistincta, adeoque una operante ac sufficiente nequit excludi altera, et sic superfluere vel non operari.

*Ad* 4. *N. parit.* Ratio prioris partis patet ex dictis; cur vero posterior negetur, hæc est : quod personæ originem inter se habeant absque ulla naturæ separatione, et solis connotatis ac relationibus invicem secernantur, quæ amplius multiplicari nequeant : sicut enim in Deo una est ac indivisa substantia, sic et generatio una unusque filius ac una dilectio cum uno spiritu est; sed de his plura in Tractatu proprio.

34. *Nec dicas* 2°. Scriptura universi creationem enarrans Genes. 1. Dei nomine usurpat vocem *Elohim* pluralis numeri. 1. Joan. 7. eo modo Pater, Filius et Spiritus S. sunt unum, quo spiritus, aqua et sanguis; sed tres posteriores sunt substantiæ essentialiter distinctæ; ergo et priores, ac consequenter sunt tres Dii.

R. *Ad* 1. *Elohim* ac *Jehova* non sunt nisi plura ejusdem Dei nomina, ut patet vel ex ipso *Gen.* 1. ubi Elohim, qui v. 1. legitur creasse cœlum et terram, v. 26. ait : Faciamus hominem; quod nomen, quamvis sit pluralis numeri, cum verbo tamen numeri singularis utrobique construitur.

R. *Ad* 2. *D.* Eodem modo unum sunt secundum omnia *N.* secundum quid *subd.* per τό *eodem modo* excludendo unitatem majorem, ac æqualitatem inducendo *N.* secus *C.* secundum S. Aug. L. 2. cont. Maximin. c. 22. n. 3 Voces spiritus, aqua et sanguis assumuntur hic tantum ut figura creata ad explicandum *Trinitatis* mysterium; figura autem et imago non debet idem esse cum veritate, adeoque in *Trinitate* potest esse unitas naturæ ac substantiæ, quæ in allatis rebus est tantum concordia testandi divinitatem Christi.

35. *Dico II.* Aliunde etiam multiplex argumentum contra Polytheismum colligi potest.

1um Est ex *miraculis* pro unitate Dei confirmanda patratis; qualia 1°. sunt ista in Veteri Testamento, quæ præsertim a Moyse facta, aut pro Daniele ac ejus sociis, itemque Machabæis patrata ex ipsis idololatris aut Atheis extorserunt veri et unius Numinis confessionem. 2°. multa quæ patravit Christus ad probandam suam cum Patre unitatem. 3°. plura etiam, quæ Apostoli, Confessores ac Martyres ad fidem suam in Deum unum contestandam fecerunt. Nam cum Deus sit, qui facit mirabilia magna solus, nec inveniri possint miracula ab aliquo Gentilium Numine patrata, inde consequitur unum esse Deum, qui ab Hebræis et Christi fidelibus adoratur. 2um Est ex *idololatrarum punitione*; cujus exempla extant in V. T. in vituli conflati adoratoribus, aut ad idololatriam vel idololatras transeuntibus Hebræis, *Achabo* idololatra, *Ochosia* Beelzebub consulente, Israelis ac Judæ regno vel exciso vel in captivitatem abducto : post Christi adventum autem in *Nerone, Diocletiano, Maximino, Licinio, Juliano* Apostata, aliisque idololatriæ instau-

ratoribus miserabili fato sublatis. Quamvis autem et veri Dei cultoribus multa adversa evenerint, et templa etiam sint excisa; tamen id Deo non repugnante et invito, quemadmodum Diis invitis evenisse plura idololatris gentilium scripta ipsa testantur; sed prædicente, atque hæc vel ad pœnam impiorum vel ad nominis divini exaltationem acciderunt. 3um Est ex *Polytheorum amentia;* quæ apparet 1°. ex notione ac idea, quam sibi contra rationem de Deo fabricant; cum et malo tribuant divinitatem, et æqualitatem inter plura summa constituant: 2°. ex ipsis rebus, quas Deos sibi fingunt, nempe cacodæmones, homines flagitiosos vita functos, bruta animantia, res inanimatas, corporum affectiones, artefacta et manuum opera, etc. 3°. ex ritibus ac sacrificiis aut lepidissimis, aut obscœnis, aut immanibus. 4um Desumunt plures ex *Sybillarum oraculis,* ac Philosophorum non minus quam Poetarum apertis testimoniis, quibus illi, quantumvis exterius Polythei, unum quemdam agnoverunt summum Deum, aliorum quidem, sed inferioris conditionis, Deorum progenitorem ac Dominum.

36. *Nec dicas* 1°. Multa etiam patrata sunt a Diis gentium miracula, prout constat ex idolorum oraculis: ex sanationibus innumeris in templo Isidis ac Æsculapii: ex prodigiis Vestalium, inter quas Tucia vitii accusata in contestationem innocentiæ cribro aquam hausit; Claudia navim, Idæ simulacrum vehentem, sola e vado protraxit; ergo.

R. *N. Ant.* Nam 1°. Oracula pleraque erant ambigua: quæ definitius prædicebantur, ex naturalibus causis prænosci poterant: non a Deo sed a dæmonibus ea prodire, poterat sæpius cognosci ex sceleribus per ea suasis: iisdem oraculis vera unius Dei religio confirmabatur. 2°. Diodoro teste in templo *Isidis* ægroti in somnio monebantur de remedio adhibendo, quod vel fraude mystarum, vel recurrente specie medii a medicis ante auditi, vel dæmonis suggestu contingere poterat: *Æsculapii* curationes vel ipse Aristophanes suspectas facit, cæque nonnisi admotis medicamentis succedebant, sæpe etiam fallebant. 3°. *Tuciæ* miraculum vires dæmonum non excedit; a quibus id factum ad conciliandam falso numini ejusque ministris auctoritatem suadetur, quod Dionysius simul scribat, accusatorem hujus Vestalis postea nullibi comparuisse, licet sedulo pervestigatum. Idem responsum ad *Claudiam* pertinet; quamvis alii etiam concedant, non repugnare, quominus Deus etiam per paganos edat miracula ad veritatis ac innocentiæ testimonium.

37. *Nec dicas* 2°. Multa etiam miracula patrata sunt a polytheis, et ab ipso Antichristo patranda sunt; ergo. *Prob.* 1ª. *p.* ex Magorum portentis coram Pharaone: ex gestis Apollonii Thyanæi, qui puellam revocavit ad vitam, evanuit ex Domitiani oculis, et raptus est in cœlum inter Divorum concentus: ex patratis a Vespasiano et Hadriano, quorum uterque cæcum illuminavit. *Prob.* 2ª. *p.* ex 2. ad Thess. 2. 9. ubi de Antichristo dicitur: *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute et signis et prodigiis.*

R. Vel *Magorum* miracula non erant vera sed apparentia tantum et sensuum illusiones, atque hinc evenit, quod a Moysis miraculis vincerentur; vel aliqua vera etiam fieri Deus permisit ad sui gloriam, ut Moysi major

potestas tradita evinceretur. *Apollonium* artibus magicis deditum fuisse, Philostratum autem scriptorem seculo posteriorem ejus vitam pluribus mendaciis et fabulis incerto auctore relatis infarciisse, ostendunt præter Eusebium Cæsariensem plures alii. Verum et ea, quæ de *Apollonio* narrantur, aut naturam aut dæmonum vires non excedunt: nam resuscitationem illius puellæ ipse Philostratus sic proponit, ut dicat vitalis auræ scintillam forte adhuc latentem medicos fugisse: raptus ex oculis *Domitiani* dæmonum ministerio, ab iisdem doceri poterat Ephesi, quæ Romæ contigerant: præterquam vero quod maxime varient Historici in morte *Apollonii* referenda, mirandum sane non videtur, si dæmones corpus malefici ac spiritum una asportarint. Miracula *Vespasiani* extenuat ipse Tacitus, *Hadriani* vero irridet Marius Maximus; unde merito propria miraculorum ratio iisdem denegatur: quanquam et *Vespasiano* datam a Deo vero miraculorum facultatem concedi possit, ad auctoritatem scilicet illi comparandam, qui tanquam justitiæ divinæ minister destinatus erat ad templi Hierosolymitani ac urbis excidium Judæorumque per orbem dispersionem. *Antichristo* non futuram potestatem vera miracula patrandi docet ipsum testimonium allatum, cum integrum sic habeat: *In omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt.*

38. *Observa.* Bina sunt hæreticorum de Polytheismo systemata, alterum de duplici principio summo, alterum de *Æonibus*. 1um. Jam olim inter Gentiles disseminatum fuisse certum est ex idololatriæ historia. *Ægyptii* enim in Iside et Osiride duo principia contraria venerabantur: *Persæ* Oromasdem dicebant causam boni, et Arimanium causam mali; inter Græcos Philosophos *Stoici*, præsertim Democritus et Chrysippus, præter fati necessitatem statuerunt incompositam materiam adversari naturæ beneficæ, atque duo hinc adversantia principia agnoverunt. A Stoicis error hic transiit ad *Gnosticos*, quorum auctor ab aliis Simon Magus, ab aliis Basilides Menandri a Simone edocti discipulus statuitur. Inter hos *Cerdo* Basilidis discipulus jam a Tert. L. de Præscript. c. 51. commemoratur admisisse *duo initia, id est, duos Deos, unum bonum et alterum sævum*; quo magistro usus *Marcion* eamdem hæresin vergente seculo secundo disseminare cœpit: latius etiam sparsit *Manes*, a suis Manichæus dictus, post medium seculi tertii, quos is sibi 22 discipulos adscivit. *Marcionitas* oppugnavit Tertullianus integris libris quinque, Irenæus L. 4. adversus hæreses, Clemens Alex. L. 3. Strom.; *Manichæos* autem præter Epiphanium, Theodoretum aliosque plures luculentissime insectatus est Augustinus, editis tum ante tum post Episcopatum libris pluribus, maxime autem Libro de natura boni et L. 21. cont. Faustum capitale hoc eorum dogma confecit. 2um. De *Æonibus* systema ex paganismi fabulis fidei nostræ admixtis penitus consutum atque ad determinatum tum classium tum Deorum numerum limatum est a *Valentino* seculi secundi hæretico, cui se maximis viribus opposuerunt inter reliquos Patres præcipui Irenæus L. 2. adv. hæres. et Tertullianus. L. adv. Valent. hos vide. Sane *Deus malus* suamet absurditate opprimitur, et quæ pro eo facere videntur, passim exigui momenti sunt, ac alibi dissipantur.

# CAPUT II.

## DE ESSENTIA DEI.

## ARTICULUS I.

### AN DEUS SIT ENS INCORPOREUM.

*Nota.* Præter *Polytheos* Diis suis humana membra ac sexum tribuentes; præter veteres illos Philosophos, qui Deum velut mundi animam admittebant; præter impiissimum *Spinozam,* sub Dei nomine ipsam rerum universitatem commentum; circa Dei substantiam e Judæis errarunt *Sadducæi* qui neque resurrectionem agnoscebant neque spiritum, ideoque ab *Arnobio,* L. 3. c. 12., inter defensores Dei corporei recensentur : a Christianis aut similis aut æqualis erroris accusantur *Seleucus* et *Hermias,* a S. Augustino *Manichæi,* qui docebant Deum infinita mole diffusum esse, non undique tamen, sed tribus quadris infinitum; a Socrate et Sozomeno *Monachi* plures *Ægyptii,* qui seculo quarto in eum errorem desciverunt, quod Deus sit Anthropomorphos, h . e. humanæ et corporeæ formæ, unde et Anthropomorphitæ appellati sunt.

39. *Dico.* Deus purus est Spiritus, omnis corporis expers.

*Prob. I. ex* Script. Joan. 4. 24. *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in Spiritu et veritate oportet adorare.* 2. ad Cor. 3. 17. *Dominus autem Spiritus est.* Nomen autem *Spiritus* hic proprie et ad litteram usurpatum, probat finis et intentio Christi, qui priore loco Samaritidem mulierem docet, Deum adorandum non corporeo cultu vel uno tantum in templo, sed *mente* et *ubique*, quia nec ipse corpus est, nec uno duntaxat loco inclusus. Tribuit Deo ea, quæ corpori congruere nequeunt, sed tantum Spiritui, qualia sunt *immensitas*, *immutabilitas, immortalitas,* et similia attributa. Asserit nullis lineamentis describi, nulla imagine depingi posse Deum, Isa. 40. 18. *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei ?* Ergo.

*II. ex* Trad. Ecclesia, quæ Anthropomorphitas, ex quo orti sunt, semper inter hæreticos habuit, in Conc. Later. IV. Cap. *Firmiter,* sic definit : *Una est Dei essentia, substantia seu natura, simplex omnino.* SS. PP. omnes uno ore profitentur hanc doctrinam, et pluribus etiam rationibus confirmant; Orig. L. 1. de Princip. c. 1. n. 6. ait : *Non ergo aut corpus aliquod aut in corpore esse putandus est ; sed intellectualis natura, simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens..., ut sit ex omni parte* μόνας, *et, ut ita dicam,* ἕνας *et mens.* S. Hilar. in Psalm. 129. n. 3. *Intelligendum est, Deum incorporalem esse, neque ex partibus quibusdam atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, consistere.* S. Aug. L. 8. de Civ. c. 5. *Porro si noster*

*animus corpus non est, quomodo Deus creator animi corpus est ?* S. Greg. naz. Orat. 28. n. 7. *An corpus eum esse dices ? Quonam ergo modo immensus, infinitus, figuræ expers est, ac denique ejusmodi, ut nec tangi nec oculis cerni queat? etc.* His addi possunt tum consensus Judæorum, qui Sadducæos semper ut hæreticos habuerunt; tum veterum Philosophorum testimonia ab Huetio collecta, inter quos Deum omnis corporis expertem docuerunt Pythagoras apud Lactant. de ira Dei c. 11. Xenophanes apud Clem. Alex. Strom. L. 5. p. 601 (ed. Paris. 1629). Plato apud Aug.

*Conf.* ex notione entis necessarii ac omniperfecti ; ex prædicatis immensitatis, immutabilitatis, immortalitatis aliisque similibus; ex Dei præcellentia præ anima rationali et alio quocumque spirituali ente.

40. *Nec dicas* 1°. Scriptura S. Deo tribuit, quæ corpori sunt propria et ab eo dependent : membra et sensus corporis ex Psal. 33. *Oculi Domini super justos; et aures ejus in preces eorum;* Genes. 8. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis;* Isa. 1. *Os Domini locutum est;* Exod. 6. *Redimam in brachio excelso ;* Job. 10. *Manus Domini fecerunt me;* Exod. 8. *Digitus Dei est hic ;* Isa. 66. *Terra scabellum pedum meorum.* 2°. Tribuit ei dimensionem et situm Job. 11. *Excelsior cœlo est... profundior inferno... longior terra... latior mari.* Isa. 3. *Stat ad judicandum Dominus ;* et 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, *etc.* 3°. Affectiones interiores corporis et sensuum, pœnitentiam scilicet ac iram, Genes. 6. *Pœnitet me fecisse hominem;* Psal. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me;* quibus verbis proprietatem affectionum significari probant, quoad 1um. verba præmissa : *Tactus dolore cordis intrinsecus : delebo, inquit, hominem;* quoad 2um. autem *Lactant.* L. de ira Dei c. 5. ubi quamvis neget in Deo esse alias affectiones, iram tamen locum habere contendit.

R. *D. A.* Scriptura, quæ corpori sunt propria ab eoque pendent, Deo tribuit in sensu proprio et secundum litteræ rigorem *N.* in sensu tropico et secundum modum loquendi cogitandique humanum *C.* Quandoquidem homo sic comparatus est, ut, quæ *pure spiritualia* sunt, vix queat intelligere, nisi sub involucro corporeæ cujusdam imaginis; Scriptura huic infirmitati sua verba accommodans, Dei attributa delineavit sub proprietatibus corporis. Hinc intelliguntur per *faciem Dei* intima visio et familiaritas, per *oculos* scientia rerum accuratissima, per *aures* attentio vel etiam benignitas, per *brachium* aut dexteram potentia, virtus ac robur, per *manus* vel eadem potentia vel auxilium aut venia vel pœna, flagellum aut correptio mitior, per *digitum* summa facilitas vel mirabile artificium aut donum Spiritus sancti, per *pedes* præsentia vel etiam indignatio in conterendis hostibus : similiter explicantur sensuum vocabula, nempe per *auditum* gratia et exauditio precum, per *odoratum* complacentia et delectatio bonorum operum, per *gustum* et *tactum* alacritas et operatio : Item per *dimensionem* Dei exprimitur immensitas, per *stationem* constantia vel alacritas, per *sessionem* immutabilitas : denique per *pœnitentiam* Dei ac dolorem proponitur sceleris gravitas et severitas ultionis, per *iram* autem pœna atque vindicta.

Porro hunc esse Scripturæ sensum constat : 1°. ex eo, quod illa multoties Deum asserat *spiritum*, nec unquam, nisi ubi de Christo sermo est, corpus tribuat Deo; cui præterea proprietates plures cum corpore nullatenus com-

ponendas assignat. 2°. Quia vocat Deum subinde *lucem, ignem, leonem, alatum* etc.; quæ profecto nemo negabit figurate esse intelligenda. 3°. Quia nonnunquam, ubi corporeum quid Deo tribuit, caute monet, non esse sensu carnali accipiendum: Job. 10. *Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, et tu videbis?* 1. Reg. 15. *Porro triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur: neque enim homo est, ut agat pœnitentiam* etc. His accedunt testimonia Patrum, maxime S. Aug. ep. 111. (al. 148). Lactantius autem L. de ira Dei c. 16. et seqq. recte imprimis facit distinctionem inter affectiones *vitiorum,* v. g. libidinis et avaritiæ, quæ nullo modo competere Deo possunt, et inter affectiones *virtutum,* quales sunt charitas in bonos, ira in malos etc.: deinde vero has postremas quoad *effectum* et similitudinem statuit in Deo, quatenus v. g. sicut pater juste iratus punit filium inobedientem, sic Deus punit peccatorem ad emendationem: eas tamen Deo non adscribit quoad *affectum* seu hujus naturam aut imperfectionem et secundum proprietatem, cum ira in Deo non sit affectio quædam physica aut cum perturbatione conjuncta; *Non enim in commotione Dominus,* 3. Reg. 19.

41. *Nec dicas* 2°. Genes. 1. Homo dicitur creatus ad imaginem et similitudinem Dei: ergo, cum homo corpus habeat, illud etiam Deo concedendum est; præsertim cum Prudentius in Apothesi v. 1024. et seqq. et Tertull. L. de Resur. carnis c. 6. agentes de creatione hominis, mentionem faciant *Divini corporis.*

*Conf.* Deus non tantum apparuit sæpius in figura humana, sed etiam homo factus est; adeoque habet verum et humanum corpus nostro simile: ergo.

R. *D. A.* Homo ad Dei similitudinem et imaginem est factus inadæquate et secundum animam duntaxat *C.* adæquate et secundum omnia *N.* Quamvis creatura nulla Deum perfecte repræsentare possit, et res corporeæ, teste *Jobo,* vestigia tantum Dei sint, non autem imagines; interpretes tamen cum plerisque SS. PP. animæ cum Deo similitudinem ponunt vel in eo, quod anima sit *pure spiritualis,* sicut Deus est purus spiritus, vel quod ratione triplicis suæ facultatis, *intellectus* scilicet, *memoriæ* ac *voluntatis,* quamdam Trinitatis analogiam exhibeat. Alia quidem fuit Prudentii et Tertulliani commentatio in hunc locum, utpote cum prior traderet, Deum hominis formationem suscepturum induisse humanum corpus, sacrisque digitis terram in membra distinxisse; alter vero adderet, Deum in hominis plasmatione futuram Christi Incarnationem menti habuisse præsentem, et ad hanc ideam duxisse ex limo hominem: sed enim licet in hujusmodi opinione dici possit, etiam corpus hominis factum esse ad imaginem alicujus corporis; hoc tamen non erat Deo proprium aut ex natura conveniens, sed aut libere assumptum, aut olim ad hominis redemptionem assumendum.

*Ad Conf.* R. *D. A.* Deus homo factus est per unionem hypostaticam cum natura humana *C.* per compositionem, quasi humanitas sit pars Dei *N.* Ex unione hac equidem natura humana ad summam perfectionem evecta est, divinæ tamen naturæ nihil inde perfectionis aut accessit aut decessit.

Quæres : *Quidnam sit sentiendum de quorumdam Veterum circa hanc materiam opinione?*

42. *Nota.* Inter Theologos æque ac Historicos disceptatur, an Deum corporeum esse censuerint Melito *Sardensis* in Asia Episcopus, vir pietate ac scientia seculo 2°. illustris; Tertullianus sub finem ejusdem seculi scriptor celebris et inter Patres laudari solitus; Audius item seu Audæus multorum Monasteriorum prope seculi quarti medium pater, doctrina quidem et monastica disciplina eximius, sed vel odio aliorum vel dogmatum erroneorum causa postmodum exilio mulctatus; ac tandem S. Epiphanius proxime memorato coævus et suppar. Melitonem quidem erroris arguunt Petavius, Cave, Joan. Clericus cum aliis; defendunt l'Herminier, Boucat, Tournely et alii; Tertullianum in suspicionem vocant S. Thomas, Petavius, Huetius, Pamelius et Critici plerique; excusant Natal. Alex. aliique cum prioribus patronis : Audium incusant, quicumque volunt Anthropomorphitas ab eo dictos esse Audianos, et S. Epiphanium etiam Socrates ac Sozomenus denigrare videntur; sed utrumque communior jam sententia absolvit. De singulis breviter nunc statuendum.

43. *Dico I.* Melito Sardensis probabilius videtur ab errore Anthropomorphitarum fuisse immunis.

*Ratio est* 1°. Quia nec Anthropomorphitæ, quod sane ad suæ sectæ defensionem non erant omissuri, unquam Melitonem laudarunt inter eos, qui eamdem secum opinionem habuerunt; nec Scriptores, qui de Anthropomorphitis egerunt, ut SS. Epiphanius et Augustinus, eumdem inter erroris hujus defensores recensuerunt : quin Theodoretus ipse, licet mentem et opinionem Origenis de Melitone referat, altum tamen silet de eodem, ubi de Anthropomorphitis tractat. 2°. Quia Eusebius etiam, magnus alioqui Origenis admirator, L. 4. Hist., Hieronymus item de Scriptor. Eccles. aliique Melitonem magnis afficiunt laudibus; nusquam vero incusant de hoc errore, quamvis illius libri meminerint, in quo solo tota Origenis querela fundatur; quorum sane *primum* facere, *secundum* omittere non potuissent tanti viri, qui susceperant non libros duntaxat Scriptorum recensere, sed et eorum orthodoxiam exprimere.

*Si ais* : Gennadius et Origenes Melitonem arguunt hujus erroris. *Resp.* Gennadius præcipitantiæ in judicando et nimium facilis ad malam partem propensionis arguitur ab aliis; unde sicut ejus auctoritas non æstimatur, dum Dionysium Alexandrinum hæresis Arianæ et Augustinum novitatis reos fecit, sic nec majus pondus habet, ubi Melitonem exhibet Anthropomorphitam. Origenis vero testimonium hoc legitur apud Theodoret. Q. 2. in Genes. *Ante omnia illud disceptandum est, ubinam constet istud* : ad imaginem : *in corpore, an in anima? Videamus porro, quibus utantur, qui prius asserunt; e quorum numero est Melito, qui scripta reliquit de eo argumento, Deum esse corporeum;* unde patet Origenem ex inscriptione libri judicasse de ipso libro, et hinc Melitoni attribuisse errorem Anthropomorphitarum. Verum sive titulus illius libri ponatur cum Theodoreto fuisse hic : ἐνσώματον εἶναι τὸν Θεὸν, sive cum Eusebio et Hieronymo iste : περὶ ἐνσώματου Θεοῦ; deceptus

videtur Origenes, dum ex eo intulit, MELITONEM statuisse Deum esse corporeum. Nam ἐνσώματον non significare *corporeum*, sed potius, si ita loqui fas est, *corporatum*, ex vocis græcæ notione patet : quare Sixtus Senensis recte reprehendit versionem Theodoreti a Joanne Pico factam et proxime recitatam; Rufinus vero postremam inscriptionem latine reddidit *de Deo corpore induto*, Christophorsonus de Deo *incarnato*, Hen. Valesius *de Incarnatione Dei*. Licet enim liber memoratus alius sit ab eo, qui juxta Anastasium Sinaitam inscribitur περὶ σαρκώσεως Κριστοῦ, *de Incarnatione Christi*, tamen in eo libro secundum sententiam Prudentii vel Tertulliani sine errore potuit dicere, hominem etiam quoad corpus fuisse formatum ad imaginem Dei.

*44. Dico II.* TERTULLIANUS, si doctrina ipsius ac sensus unice et rite attendatur, jure etiam excusari potest ab errore Anthropomorphitarum. *Ratio est* 1°. Quia in Apolog. c. 10. Deos Gentilium docet esse falsos, eo quod homines sint iique corporei; ergo existimare non potuit, Deum verum et unicum habere humanum corpus. 2°. Quia plurima de Deo negat, quæ tamen corpori præsertim humano penitus necessario conveniunt, v. g. esse finitum et circumscribi loco, esse divisibilem et mutabilem, esse passibilem etc. Sed 1um. a Deo removet L. contra Praxeam c. 5., ubi loquens de modo, quo Deus ante mundi creationem erat, *Ante omnia*, inquit, *Deus erat solus, ipse sibi et mundus, et locus, et omnia.* — 2um. L. contra Hermog. c. 2. scribens, *Deum in partes non devenire, ut indivisibilem et inde mutabilem et eumdem semper, qua Dominus.* — 3um. Contra Praxeam c. 29., *Quid est enim compati quam cum alio pati? porro... si compassibilis, utique passibilis. Nihil ei vel hoc timore tuo præstas; times dicere passibilem, quem dicis compassibilem : tam autem incompassibilis Pater est, quam impassibilis etiam filius ex ea conditione, qua Deus est.* 3°. Fides TERTULLIANI circa Mysterium Trinitatis sana omnino est, cum nihil accuratius scribi possit, quam quæ habet Apolog. c. 21. de filio loquens : *Hunc ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum; et idcirco filium Dei et Deum dictum ex unitate substantiæ : nam et Deus Spiritus est.* Et L. contra Prax. c. 2. *Tres sunt non statu, sed gradu; nec substantia sed forma; nec potestate sed specie; unius autem substantiæ et unius status et unius potestatis, quia unus Deus.* Sed hæc de Trinitate doctrina stare nequit cum errore de Deo corporeo; ergo.

Dixi : *Si doctrina ipsius ac sensus unice ac rite attendatur.* 1um. Quidem; quia omnino damus, præter Criticos recentiores etiam SS. Augustinum et Fulgentium, D. Thomam et Gennadium attribuisse TERTULLIANO errorem de Deo corporeo. Quamvis enim aliqui judicent, S. Augustinum circa mentem TERTULLIANI videri dubium, eo quod L. de Hæres. c. 86, dicat : *Potuit propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas;* ibidemque addat eumdem nunquam admisisse Deum passibilem, et nusquam ex eo, quod Deum statueret corporeum, fuisse habitum ut hæreticum : fatemur nihilominus S. Doctorem minus fuisse sollicitum de TERTULLIANO ab hoc errore vindicando; quin eumdem etiam ut errantem frequenter, maxime ep. 157. c. 4. (al. 190. c. 4. n. 14.) et L. 2. de Anima et ejus origine c. 5., exhibuisse; quod tamen impedire nos non decet, quominus sine læsione reverentiæ tanto Doctori debitæ, in quæstione critica aliter sentire liceat, et famæ

TERTULLIANI favere, quantum strictiora veritatis jura sinunt aut imperant. 2um. Vero addidimus; quia ad TERTULLIANI in hac re doctrinam assequendam observandum est triplici sensu nomen corporis apud veteres fuisse usurpatum, 1°. *latissime* et per oppositionem ad inane, vacuum ac nihil; quo sensu corpus dicitur omne id, quod reale est ac subsistit, et sumpsit seculo quarto PHŒBADIUS Ep. Agenensis L. contra Arian. c. 20.—2°. *minus late,* sed adhuc improprie, et per oppositionem ad id, quod nullis limitibus sive loci sive temporis circumscribitur; quo sensu omne finitum dicitur corpus, et usurpavit S. HILAR. in Matth. c. 5. n. 8.— 3°. *stricte* ac *proprie* et per oppositionem ad ens carens materia; quo sensu quidquid certa mole, figura et magnitudine constat et circumscribitur, usitata loquendi formula corpus dicitur.

*Si ais* 1°. TERTULLIANUS 1. Diserte asserit Deum esse corpus, dum L. contra Prax. c. 7. scribit: *Quis negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis... sed et invisibilia illa, quæcumque sunt, habent apud Deum et suum corpus et suam formam.* 2. Non agnoscit aliquod medium inter corpus et nihil; ut patet ex L. de Carn. Christi c. 11. *Omne quod est, corpus est sui generis : nihil est incorporale, nisi quod non est.* 3. Animam hominis statuit proprie corpoream, et tamen hoc probat ex eo, quod non sit nihil, cum L. de anim. c. 7. dicat : *Nihil est, si non sit corpus.* 4. Tribuit Deo membra, et passiones non distinctas a passionibus hominum nisi penes accidentia, ut constat ex L. 2. cont. Marc. c. 16.

R. *Ad* 1. et 2. *D.* TERTULLIANUS asserit Deum esse corpus latissime et improprie sumptum, et non agnoscit medium inter corpus latissime sumptum ac nihil *C.* Deum asserit esse corpus proprie acceptum, et inter hoc ac nihil non agnoscit medium *N.* TERTULLIANUS contra *Praxeam* plus non intendit, quam Deum non esse nihil, vacuum aut inane; satis autem in utroque textu ostendit, se non agere de corpore proprie dicto per additam restrictionem : *corpus sui generis ;* præsertim, cum etiam L. contra Hermog. c. 35. scribat : *Ipsa substantia corpus est rei cujusque;* et contra eumdem, qui materiam æternam nec spiritualem nec corporalem volebat, demonstrat dari substantiam incorpoream stricte et proprie loquendo, quæ tamen corporis appellationem aliquo et *latissimo* sensu sortiri queat.

*Ad* 3. *D.* Similiter : probat animam esse corpus late ac improprie sumptum ex eo, quod non sit nihil *C.* proprie sumptum *N.* Pro suo de animæ corporeitate errore alias omnino rationes affert, simulque docet Deum non esse tale corpus, visibile scilicet et passibile, quale volebat animam.

*Ad* 4. *D.* Tribuit Deo membra tropice *C.* proprie *N.* *Item* passiones ab humanis non distinctas nisi penes accidentia, quæ spectant ad corpus ipsum et illud arguunt, adeoque distinctionem essentialem inferunt *C.* non distinctas nisi penes accidentia quæcumque, et in simili natura et substantia *N.* De membris humanis TERTULLIANUM inter et *Marcionem* nulla quæstio erat, sed de animi motibus tantum; quos *Marcion* a Deo, ut ejus providentiam negaret, exclusit, TERTULLIANUS autem admisit, et comparatione humanorum membrorum in Scriptura memoratorum explicavit, addens membrorum et passionum nomina Deo et homini posse esse communia, licet res nominibus expressæ sint prorsus diversæ : unde membra in Deo nec agnovit nec agnoscere fatebatur nisi *tropice* talia. Passiones in Deo a TERTULLIANO admissas aliqui negant, asserunt alii : quod si eas admisit, statuit ab omni principio

corruptorio immunes, ac proinde expertes omnis motus in corpore et alterationis in animo ; ut ex cit. L. et c. patet.

45. *Dico III.* Audius contendebat quidem tenacius hominem ratione corporis ad Dei imaginem fuisse factum, Deum tamen Anthropomorphon non admisit. *Ratio* est 1°. S. Epiphanii silentium, qui cum primum dogma impugnavit, de postremo errore plane nihil meminit. 2°. Ejusdem S. Doctoris ratiocinium, quo contra prius illud Audianæ doctrinæ caput pugnans arguit, exinde sequi Deum esse Antropomorphon. Hæc enim ratiocinatio foret insulsa, si Audius Anthropomorphita fuisset ; in casu tamen contrario recte ac legitime urgebat. 3°. Testimonium, quo idem S. Epiphanius fatetur Audii sententiam fuisse *Catholicam* de Trinitatis mysterio. Fides autem de hoc Catholica stare nequit cum errore Anthropomorphitarum.

*Si ais.* S. Aug. et Facundus Audianos, Theodoretus autem Audium ipsum hujus erroris reos faciunt. R. Prævalere hic debet auctoritas S. Epiphanii et coævi et accurati examinatoris hujus controversiæ, præ memoratis Patribus et ætate posterioribus et minus etiam in hac re curiosis, ut ex eo colligitur, quod Aug. et Facundus discipulos Audii errore nominis Vadianos vocaverint. Deinde magistrum duntaxat, non vero discipulos vindicamus ab errore, qui ex horum ignorantia et rusticitate ortum duxit : unde tamen et ex dogmate Audii circa imaginem Dei suspicionem suam Theodoretus traxisse videtur.

46. *Dico IV.* S. Epiphanius nulla ratione Anthropomorphitis est annumerandus. *Ratio* est, quia voce et scripto eorum errorem damnavit. 1$^{um}$. quidem narrat S. Hier. in L. cont. Joann. Hieros. n. 11. quo docet, quod, cum Joannes Patriarcha Hieros., præsente S. Epiphanio, insurgeret contra Anthropomorphitas, et illum tacite velut hujus erroris reum traduceret, S. D. sermonem capiens : *Cuncta,* inquit, *quæ locutus est collegio frater, ætate filius meus, contra Anthropomorphitarum hæresin, bene et fideliter locutus est, quæ mea quoque damnatur voce : sed æquum est, ut quomodo hanc hæresin condemnamus, etiam Origenis perversa dogmata condemnemus.* 2$^{um}$. constat ex ejus Panario, ubi hæresi 70. Audium reprehendit, quod imaginem Dei in hominis corpore reponeret, quæ opinio vel fundamentum vel occasio fuit hæresis prædictæ ; atque in hujus dogmatis impugnatione Deum ostendit *incorporeum, invisibilem et Spiritum omnes Spiritus exsuperantem.*

*Si ais.* Socrates et Sozomenus narrant, S. Epiphanium abjecte sensisse de Deo, et incusatum fuisse de anthropomorphitarum hæresi ; habuisse amicitiam cum Theophilo Alexandrino, qui Monachos Anthropomorphitas in communione retinuerat ; cum eodem in Conciliis damnasse Origenis scripta, qui Deum defendit incorporeum.

R. Historici illi prius non asserunt, sed duntaxat referunt Epiphanium erroris accusatum esse (jure an injuria, non expendunt) a Joanne Hieros. acerrimo Origenis defensore, et Theophilo Alex., qui primum contra S. Doctorem inimicitias gessit, postea vel errore detecto, vel redintegrata amicitia, primam mutavit sententiam. Præterea potuit Epiphanius cum Theophilo fovere amicitiam, etsi diversam ab eo circa quædam dogmata gereret sententiam : potuit Theophilus monachos ex ignorantia errantes tolerare, aut ex communi contra *fratres longos* odio, amicos habere sine conspirante in dogmati-

cis mente. Denique alias ob causas Origenis scripta esse damnata patet aliunde, et memorata Concilia nihil erronei habuisse constat ex laudibus, quas D. Hieronymus illis illorumque Præsidibus dedit.

## ARTICULUS II.

### AN DEUS IN SUA ENTITATE COMPLECTATUR OMNES PERFECTIONES?

47. *Nota.* Perfectiones, quæ Deo insunt, aliæ sunt plane *divinæ*, h. e., quæ soli Deo conveniunt : aliæ dicuntur *creatæ*, h. e., quæ etiam creaturis communicantur. Creata perfectio vocatur *mixta*, vel *secundum quid*, quæ licet in se bona, habet adjunctam aliquam imperfectionem : *simplex*, vel *simpliciter talis*, quæ quidem nullam involvit imperfectionem, stare tamen nequit cum alia perfectione æquali : *simpliciter simplex*, quam definit S. Ans. in Monol. C. 14. quæ est melior ipsa, quam non ipsa, h. e., quam omnis perfectio cum ipsa incompossibilis seu ei non identificabilis; unde ad hanc Theologi requirunt geminam conditionem, nempe ut ratione sui et formaliter non includat aliquid imperfectionis, neque etiam excludat aut excludatur ab alia perfectione æquali vel majore. Potest autem perfectio contineri vel *formaliter*, cum secundum se seu formam ac naturam propriam inest enti; vel *eminenter*, si inest perfectio altioris ordinis, quæ aliam perfectionem producere potest, vel idem præstare, quod illa alia perfectio præstat. Ex quo postremo etiam patet, quid sit *virtualiter* vel *æquivalenter* in altero contineri.

48. *Dico I.* Deus aliquo modo in sua entitate continet omnes omnino perfectiones.

*Prob.* Exod. 33. 19. Deus de se Moysi loquens inquit: *Ostendam omne bonum tibi.* Sed nisi Deus aliqua ratione contineret omnes perfectiones, non esset omne bonum; cum quælibet perfectio sit bonum. S. Aug. enarr. 2ª. in Ps. 26. n. 8. Deum vocat *Bonum omnis boni;* S. Dionysius autem de div. Nom. c. 5. §. 4. *Deus*, inquit, *non quoquo pacto est ens, sed simpliciter et incircumscripte totum in se esse pariter ambit;* Et Damasc. L. 1. Orth. Fid. c. 12 (al. 9.) de Deo ait : *Universum id, quod est, tanquam immensum quoddam et infinitum essentiæ pelagus complexu suo continet.*

*Conf.* Deus est ens a se, hoc autem omniperfectum est; Deus est ens, quo melius cogitari non potest; quod præter Scripturam Ps. 44. 3., ac Eccli. 43. 33., Baruch. 3. 25. id innuentem, recta etiam ratio postulat. Sed tale ens non foret, nisi omnes perfectiones contineret. Demum si aliqua perfectio possibilis non contineretur aliqua ratione in Deo, illa esset possibilis, ut supponitur; et simul non esset possibilis : non enim posset existere a se; quia nihil se ipsum producere valet: neque a Deo; quia Deus nullo modo illam haberet : neque a creatura; quia si Deus illam nullo modo habeat, creatura multo minus habet, cum hæc nihil boni teneat, quod a Deo tanquam a prima omnium causa non acceperit, ad Rom. 11. 17. *Ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Ergo.

49. *Dico II.* Deus perfectiones mixtas continet tantum eminenter, simpliciter simplices formaliter.

*Prob.* 1ª. *pars.* Deus perfectiones *mixtas* continet aliquo modo: sed non continet formaliter; quia secundum propriam formam sumptæ adversantur nobiliori perfectioni, et aliquid defectus aut imperfectionis in se continent, ideoque in C. Later IV. (Labb. t. 11. p. 148.) damnatus est ALMARICUS, qui contendebat creaturas omnes de Deo vere ac proprie dici posse; ergo continet eminenter tantum. Dein quidquid in perfectione mixta bonum est, in Deo habetur excellentiori modo; agnoscit id Psaltes canens Ps. 93. 9. *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* Isa. 66. 9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus.* Et S. AUG. L. 5. de Trin. c. 1. n. 2. *Sic intelligamus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsidentem.* Demum perfectiones mixtas Deus producit per suam omnipotentiam, et quod illæ non absque defectu præstant, ipse cum singulari excellentia ac sine ulla imperfectione præstat. Ergo.

*Prob.* 2ª. *pars.* 1°. Perfectiones *simpliciter simplices* insunt Deo secundum propriam sui rationem ac formam, et de eo affirmantur sub propria notione et appellatione, ut constat ab inductione perfectionum ejusmodi, quarum aliquæ recensentur Prov. 8. 14. *Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo;* ergo. 2°. Ex eo, quod Deus sit ens, quo melius et perfectius cogitari nequit, recte arguitur in illo contineri formaliter perfectiones, quas melius est formaliter habere quam non habere: et nulla in ejusmodi perfectionibus est ratio, vi cujus prohibeantur Deo formaliter inesse. Sed tales perfectiones sunt *simpliciter simplices*: ergo.

50. *Observa.* Deum non tantum omniperfectum, sed et *infinite perfectum* esse, h. e.; omne genus perfectionis in gradu eminentissimo continere, ex iisdem rationibus probatur. Hinc S. HILAR. in Ps. 144. n. 6. *Hæc*, inquit, *Dei prima et præcipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum et magnitudinis suæ habeat et laudis. Virtus ejus opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur..... Finem magnificentia ejus nescit, et aliquam ementiendi se opinionem immensa magnitudo non patitur. Extenta ubique, extenta semper est, hanc habens infinitudinis suæ laudem: cæterum omnem intelligentiam infinitæ hujus in se qualitatis excedens.* Unde patet, aggregatum ex Deo et creaturis non esse aliquid Deo solo perfectius, quia ratione non minus quam D. AUGUSTINI L. 6. de Trinit. c. 8. testimonio constat, infinitum augeri non posse; præterea vero per additas creaturarum perfectiones aggregatum illud non nisi solo numero, minime vero excellentia crescit; imo etiam ob adjunctos illis defectus excellentiæ aliquid amitteret.

## ARTICULUS III.

### QUÆNAM PERFECTIONES CONSTITUANT ESSENTIAM DEI PHYSICAM?

51. *Nota.* Statum realem seu essentiam physicam Dei hic non posse sumi pro composito ex partibus physicis, sed duntaxat accipi pro complexu perfectionum Deo realiter identificatarum, manifestum est ex hactenus dictis. Potest autem essentia hoc modo spectari vel *philosophice*, si nempe consideratur

prout est a parte rei in se ac independenter a quovis mentis conceptu; quidquid enim alicui realiter identificatur, a Philosophis nomine entitatis physicæ indicatur : vel *theologice,* si natura divina præcise sumitur pro Deitate, et prout communicabilis aut communis est tribus Personis; quia hanc usurpationem adhibent Theologi, si de essentia divina ut a personalitatibus quocumque demum modo distincta loquuntur. Ad hanc pertinent perfectiones tum plane divinæ, tum creatæ *simpliciter simplices,* seu absolutæ necessariæ; non item perfectiones *mixtæ,* cum Deo formaliter inesse nequeant; nec etiam prædicata quasi *accidentalia,* esse Creatorem, Salvatorem, etc., saltem secundum actualem denominationem sumpta. Quare præcipua tantum controversia est circa prædicata relativa Dei seu personalitates, quæ communius pro exemplo *perfectionum simplicium* adducuntur.

52. *Dico I.* Essentia Dei physica *philosophice* sumpta stat in cumulo omnium perfectionum necessariarum tam *absolutarum* quam *relativarum.*

*Prob.* Quidquid in Deo est, est Deus juxta commune Theologorum axioma a Patribus acceptum : sed omnes perfectiones necessariæ tum *absolutæ* tum *relativæ* sunt in Deo, et quidem formaliter ac necessario; ergo Deus sunt. Sed quidquid Deus est, constituit essentiam Dei physicam *philosophice* sumptam, cum hæc sit ipsa entitas Dei, ut est in se; ergo.

*Conf.* Deus, prout est in se ac independenter a quovis conceptu, est ens in omni genere perfectionis infinitum, unum secundum naturam, et trinum secundum personalitates : sed ens ejusmodi pro sui constitutivis dicit perfectiones necessarias tam *absolutas* quam *relativas;* ergo.

53. *Dico II.* Essentia Dei physica *theologice* accepta stat in cumulo unarum perfectionum *absolutarum.*

*Prob.* Essentia Dei theologice a Patribus consideratur ut communicabilis vel communicata tribus Personis : sed nulla perfectio relativa seu relatio divina uni Personæ essentialis ac propria communicatur alteri Personæ; et e contrario tamen, quidquid una Persona præter personalitatem habet divinitatis aut perfectionis, etiam alteri communicatur; ergo.

*Conf.* ex C. Later. IV. c. 2., (Labb. t. 11. p. 145. A.) quod de essentia *theologice* sumpta sic definit : *Quælibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest : et illa res non est generans, neque genita, nec procedens.*

54. *Nec dicas cont.* 1. Tota essentia Deitatis est in qualibet Persona, cum secundum diversa Concilia et Patres, quævis Persona sit perfectus, totus ac plenus Deus : sed in quavis Persona non sunt omnes perfectiones *relativæ;* ergo.

*Conf.* 1°. Personalitas humana non est de essentia physica hominis, ut patet in Christo habente totam naturam humanam sine humana subsistentia; ergo nec personalitates divinæ. 2°. Perfectiones *simplices* seu relativæ sunt inter se oppositæ ac incompossibiles; et æque non continentur formaliter in Deo ac perfectiones mixtæ; ergo constituere nequeunt essentiam *physicam* Dei, utpote entis simplicissimi.

R. *T. M.* Tota essentia Deitatis sumpta secundum realitatem et identifi-

cationem in statu reali est in qualibet Persona *N.* sumpta secundum communicabilitatem et rationem formalem Deitatis quoad prædicata communia et absoluta *C.* Sicut essentia, sic etiam totalitas ac plenitudo essentiæ jam *philosophice* jam *theologice* spectari potest.

*Ad Conf.* 1am. *Disparitas* est, quia personalitatem humanam naturæ humanæ essentialem non esse, atque hinc ab ea realiter abesse posse, patet ex ipso argumento allato; adeoque recte dicitur, eamdem ad essentiam hominis *physicam* non pertinere : contrarium vero sequitur ex eo, quod personalitates divinæ *necessario* insint Deo.

*Ad* 2am. *D. A.* Perfectiones relativæ sunt oppositæ et incompossibiles in ordine ad esse unius Personæ *C.* in ordine ad esse unius essentiæ naturæ ac substantiæ *N.* Quomodo autem natura divina possit dici substantia una ac simplicissima, licet sibi habeat identificatas personalitates inter se distinctas, dicetur alibi. Præterea *Disparitas* est, quia ex perfectionibus *mixtis* formaliter contentis sequeretur in Deo imperfectio; cum illæ sunt cum aliis perfectionibus melioribus incompossibiles : perfectiones autem *simplices* sunt tantum incompossibiles cum alia perfectione æquali; adeoque non inferunt imperfectionem seu defectum perfectionis melioris.

55. *Nec dicas cont.* 2. Essentia Dei etiam *theologice* accepta spectatur a parte rei; ergo includit omnes perfectiones. *Conf.* 1°. Deitas est essentialiter una et trina : sed esse trinam constituitur per relationes ; ergo essentia Dei essentialiter constituitur per relationes; consequenter easdem includit. 2°. Si una in Deo esset Persona, hæc personalitas esset de essentia Dei physica etiam *theologice* spectata; ergo et nunc cum in Deo sint tres Personæ, tres personalitates dicendæ sunt de essentia physica Dei *theologice* accepta; præsertim cum essentia sine relationibus his spectata videatur esse imperfecta.

R. *D. A.* Spectatur a parte rei ut communicabilis tamen et secundum identitatem formalem, Deitati in qualibet Persona convenientem *C.* ut terminata in singulis Personis et secundum identitatem etiam realem *N.*

*Ad Conf.* 1am. *D. M.* Deitas physice et philosophice spectata essentialiter una est et trina *C.* theologice sumpta *subd.* est essentialiter, h. e. necessario trina *C.* est essentialiter, h. e. constitutive, quasi non posset sumi præcisive a personalitatibus *N.*

*Ad* 2am. *T. A.* Quia, cum natura per personalitatem non constituatur, sed subsistat, essentia physica *theologice* accepta sine ea etiam spectari posset. *N. Cons. Disparitas* est, quia in *primo* casu, eo quod personalitas non esset perfectio relativa sed absoluta, non haberetur ulla ratio essentiam secundum alias perfectiones absolutas accipiendi, exclusa personalitate nec realiter nec formaliter tunc distincta : in *secundo,* qui de facto obtinet, personalitates sunt perfectiones relativæ; quæ quia faciunt Personas realiter a se distinctas, quamvis realiter identificentur essentiæ, tamen ab eadem saltem *formaliter* distinguuntur; quod ipsum etiam sufficit ad essentiam Dei *theologice,* seu ut præscindentem a personalitatibus, spectandam. Porro essentiam Dei sine relationibus spectatam non esse imperfectam in ratione essentiæ, patet tum *ex dictis,* tum ex eo, quod Pater sit in ratione Dei perfectus, quin tamen ullus dicat Filium esse de essentia constitutiva Patris.

## ARTICULUS IV.

### QUÆNAM PERFECTIO CONSTITUAT ESSENTIAM DEI METAPHYSICAM ?

56. *Dico.* Essentia Dei *metaphysica* consistit in ente a se, sive *Aseitas omnimoda* est differentia Dei specifica.

*Prob.* Exod. 3. Moyses ad Israelitas ire jussus, Deum v. 13. sic alloquitur : *Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis : Deus Patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi : quod est nomen ejus? quid dicam eis?* Cui Deus respondit 14. *Ego sum, qui sum. Ait : sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos.* Unde sic arguo : Essentia Dei metaphysica recte explicatur per illum conceptum, quem Deus ipse tanquam suæ divinitati propriissimum nobis dedit, et per quem primo ab omni non ipso nostra ratione distinguitur ; quia, ut S. Hilar. L. 5. de Trin. n. 21. dicit, *Loquendum non aliter de Deo est, quam ut ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est.* Sed *imprimis* constat, in his verbis *Ego sum, qui sum*, et *qui est,* conceptum Divinæ essentiæ maxime proprium contineri ; quia Moyses tale nomen vel conceptum talem a Deo petebat, quo audito Israelitæ intelligerent, eum non propria vel humana auctoritate, sed Dei nomine tanquam ab eo missum venire : ad hunc vero finem ineptus erat quilibet alius conceptus Deo cum creaturis communis aut non proprius ipsi soli. *Deinde* conceptus illis verbis contentus omnino idem est cum eo, quem nomine *aseitatis* omnimodæ et independentiæ adæquatæ intelligimus ; quod sic declaro : *sensus* illorum verborum *ego sum, qui sum* potest triplex cogitari ; *primus,* ego sum, qui dependenter ab alio sum vel esse habeo ; sed hunc falsum esse, per se patet : *secundus*, ego sum ex suppositione, quod sim ; sed hic, quamvis verus, non tamen soli Deo proprius est, cum etiam creaturis conveniat : *tertius,* ego sum, qui mihimet ipsi sufficio ad esse, et independenter ab omni alio habeo esse ; atque hic solus uti verissimus est ac soli Deo proprius, sic cum assignato a nobis conceptu manifeste congruit. *Denique* hunc ipsum conceptum esse primum et primo distinctivum Dei, constat ex SS. Patribus, Hilar. qui L. 1. n. 5. de Trin. ad verba Exodi sic ait : *Non enim aliud proprium magis Deo, quam esse, intelligitur;* et in Psal. 2. n. 13. *Ipse est, qui quod est, non aliunde est : in sese est ; secum est ; a se est ; suus sibi est ; ipse sibi omnia est.* S. Ambr. in Psal. 43. n. 19. de verbis Exodi dicit : *Cognoscens mentem ejus Deus, non respondit nomen, sed negotium, hoc est, rem expressit, non appellationem, dicens : Ego sum, qui sum ; quia nihil tam proprium Deo, quam semper esse.* S. Aug. in Psal. 134. n. 4. *Non dixit : Dominus Deus ille omnipotens, misericors, justus ; quæ si diceret, utique vera diceret. Sublatis de medio omnibus, quibus appellari posset et dici Deus, ipsum esse se vocari respondit... Ita enim ille est, ut in ejus comparatione ea, quæ facta sunt, non sint.* S. Hier. in ep. 57. (al. 15. n. 4.), ad Damasum et in c. 3. Ephes. v. 4. ergo.

*Conf.* Omnimodæ *Aseitati* conveniunt omnes conditiones ad differentiam specificam requisitæ : 1°. Est prædicatum Dei *constitutivum ;* cum quæcumque Dei notio vera ac propria afferatur, quales sunt de ente summo, ente necessario etc., sine *aseitate* intelligi nequeat : et quidem est *primo constitutivum ;* tum quia sicut ens primo dividitur in ens a se et ab alio, sic etiam

ante omnia alia prædicata ens per *aseitatem* contrahitur et constituitur : tum quia nullum prædicatum prius assignari potest, unde *aseitas* omnimoda et adæquata profluat. 2°. Est prædicatum Dei *distinctivum* ab omni alio ente seu a non Deo formaliter sumpto; quia Deum discernit a creaturis, quæ sunt ab alio tanquam a causa ; ab attributis, quæ sunt per emanationem ab alio, nempe ab essentia, tanquam radice vel fundamento ; a personalitatibus, quæ omnes iterum pro radice habent Deitatem, et præterea in Filio ac Spiritu Sancto sunt ab alio tanquam a principio et origine. 3°. Est prædicatum, ex quo velut *fonte* ac *radice* reliqua omnia, quæ Deo insunt, profluant et deducantur ; quia ex *aseitate* sequitur necessitas pure essendi, seu habendi omnes perfectiones possibiles per identitatem et essentiam, in qua consistit infinitudo radicalis ; ex infinitudine radicali sequitur infinitas formalis *in essendo* seu cumulus omnium perfectionum, ut sunt æternitas, immensitas, bonitas etc. : ex infinitudine in essendo sequitur infinitudo *in operando*, ut ad intra est generatio et spiratio, ad extra libertas, fidelitas, justitia etc. in actu secundo.

37. *Nec dicas* 1°. Si essentiam divinam constituit *esse a se ;* ergo Deus formaliter non foret ens essentialiter et necessario existens, sed *potens* duntaxat et *aptum* existere. *Conf.* 1°. Nulla essentia constituitur per suum *modum essendi ;* quia hic sequitur ad esse : sed aseitas tantum dicit modum essendi in Deo, sicut abalietas in creaturis tantum dicit modum essendi creaturarum ; ergo. 2°. Aseitas nec est prædicatum *positivum* et reale, cum significet negationem dependentiæ ; nec est *perfectissimum,* cum plenitudo omnis perfectionis utpote explicite continens tum aseitatem tum reliquas perfectiones, videatur esse prædicatum perfectius ; ergo constituere nequit essentiam divinam.

R. *N. seq.* Tum quia nomine entis a se, *formaliter* intelligimus ens per suam essentiam existens, seu de cujus essentia est existentia ; tum quia existentia in Deo nequit præsupponere prædicatum etiam ratione prius, unde profluere concipiatur ; sive enim id dicatur potentia, sive sufficientia, sive necessitas existendi, debet tamen hoc ipsum concipi esse, siquidem quod non est secundum rem neque secundum conceptum , nequidem secundum rationem aliud causare vel emanare potest ; adeoque cum esse et existere sit idem, nequit sine existentia aut prius ad existentiam in Deo aliquod prædicatum concipi. In *creaturis* tanquam entibus contingentibus et ab alio existentibus possibilitas tum activa tum passiva prior est quam existentia : in *Deo* autem, rigorose loquendo, neutra possibilitas datur ; possibilitas vero intrinseca ipsam existentiam actualem involvit.

*Ad Conf.* 1am. *N. min.* Quia *abalietas,* quamvis sit essentiale constitutivum creaturæ qua talis, et differentia ejusdem specifica a Deo, potest tamen concipi ut modus actionis ; cum creatura producatur ab alio : *aseitas* vero nequidem ut modus actionis concipi potest , eo quod Deus a se ipso non producatur.

*Ad* 2am. *D. A.* Aseitas non est prædicatum *positivum* sed negativum secundum dici, seu ratione nominis aut modi explicandi. *T.* secundum esse, seu ratione rei significatæ. *N. Item* Aseitas non est prædicatum *perfectissimum* secundum conceptum explicitum, formalem et physicum *C.* sed *N. supp.*, quod in præsenti quæstione, ubi de speciali perfectione tanquam radice reliqua-

rum assignanda agitur, ad conceptum formalem et explicitum attendendum sit. Non est perfectissimum secundum conceptum implicitum, radicalem ac metaphysicum *N*. Sane repugnat prædicatum illud non esse perfectissimum, quod non solum realiter omnem perfectionem sibi identificat, quo sensu nullum Dei prædicatum altero est perfectius, sed quod etiam nostro concipiendi modo est primum radicale principium, ex quo omnes aliæ perfectiones dimanant; unde S. Bern. L. 1. de Consid. c. 6. n. 13. *Non sane occurrit melius, quam qui est..., si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si et centum talia addas, non recessisti ab esse : si ea dixeris, nihil addidisti : si non dixeris, nihil minuisti etc.*

58. *Nec dicas* 2°. Aseitas convenit etiam aliis a Deo realiter vel formaliter distinctis; ergo nequit dici prædicatum Dei distinctivum.

*Prob. A*. Essentiæ rerum dicuntur esse a se : attributa divina formaliter includunt aseitatem: Personæ Divinæ vere sunt Deus, adeoque sunt ens a se : Pater Divinus a Theologis vocatur fons et origo Divinitatis. *Conf*. 1°. Essentia divina, quæ est in Filio, est a Patre tanquam a principio; ergo non est omnimode a se, et saltem communicari habet a Patre. 2°. Aseitas non potest dici imperfectio, cum nulla Deo imperfectio inesse possit : nec etiam perfectio; quia alias, cum attributa et Personæ Divinæ aseitatem non habeant, carerent perfectione; ergo essentiam divinam nec constituere nec distinguere potest.

R. *D. A*. Aseitas adæquata convenit aliis a Deo distinctis *N*. inadæquata *C*. vel *T*. Essentiæ rerum dicuntur a se in genere causæ formalis, quatenus se ipsis formaliter constituunt esse cujuscumque rei, non in genere causæ efficientis. Aseitas vicissim non includit formaliter attributa, proin potest illis prior, eorumque radix et prædicatum ut primo constitutivum, sic et distinctivum esse. Personæ sunt ens a se ratione essentiæ, non ratione personalitatis. Pater vocatur fons et origo divinitatis ad asserendam illi aseitatem quæ excludat principium et causam, non ad asserendam illi aseitatem omnimodam, aut rationem etiam principii vel radicis respectu naturæ divinæ.

*Ad Conf*. 1am. R. *D. A*. Essentia, quæ est in Filio, est a Patre per communicationem necessariam *C*. per veram productionem *N. A*. vel *T. A. N. Cons*. Essentia Dei metaphysica formaliter præscindit a communicatione sui et non communicatione tanquam ab attributo, utramque tamen *radicaliter* emanat, ita quidem, ut, sicut per se ipsam est in Patre non communicata, sic per se ipsam sit communicata in Filio et Spiritu Sancto. Porro cum communicari sit attributum absolutum et essentiale, minime vero relativum et personale; facile constat, illud a Patre habere non posse, sed dimanare a natura, quæ jam supponitur ante paternitatem constituta.

*Ad* 2am. R. *D*. Attributa et Personæ alias in statu reali carerent perfectione *N*. in statu formali *subd*. si spectentur ut distinctæ et ab essentia separatæ *C*. secus *N*.

59. *Nec dicas* 3°. Esse a se idem est ac esse necessario : sed ex ente *necessario* non profluunt omnes perfectiones; cum dentur entia necessaria etiam creata et imperfecta; ergo. *Conf*. 1°. Ex aseitate non profluunt gradus

*substantiæ viventis, spiritus* etc.; ergo aseitas non est radix omnium Dei prædicatorum. 2°. Aseitas formaliter importat sufficientiam essendi, seu omne id, quod requiritur ad hoc, ut Deus existat : sed ad hoc non sufficit *radix* perfectionum, sed requiruntur formaliter omnes perfectiones; ergo.

R. *D. M.* Esse a se idem est ac esse necessario quomodocumque *N.* ac esse necessario omnimode, nempe cum omnimoda sufficientia ad existendum et adæquata independentia ab alio *C.* sed *N.* hujusmodi ens necessarium aut creatum esse posse aut imperfectum.

*Ad Conf.* 1am. *N. A.* Nam gradus *substantiæ* juxta multos formaliter imbibitur in aseitate; juxta reliquos immediate fluit ex aseitate, cum recte sequatur: Deus est ens a se, ergo existit per se, seu est *substantia.* Porro gradus *viventis* habetur in intellectu ac voluntate divina, gradus *spiritus* in summa Dei simplicitate, quas esse proprietates divinas, atque ex aseitate divina profluere, per se patet.

*Ad* 2am. *D. M.* Aseitas formaliter importat sufficientiam essendi metaphysicam, seu omne id, quod requiritur ad hoc, ut Deus existat secundum esse metaphysicum *C.* sufficientiam physicam essendi *N.* Has enim perfectiones, quæ ad esse physicum Dei requiruntur, aseitas solum importare debet *radicaliter*, ne secundum nostrum concipiendi modum essentia Dei physica cum metaphysica confundatur.

---

# CAPUT II.

## DE ATTRIBUTIS DIVINIS.

### ARTICULUS I.

#### AN DEUS SIT IMMUTABILIS?

60. *Dico.* Deus est omnino immutabilis. Est contra *Stoicos, Socin.*, etc.

*Prob. I. ex* Scriptura. Hæc ob Dei proprietates et naturam ab eo excludit omnem mutationem, quia Malach. 9. 6. dicitur : *Ego Dominus et non mutor.* Sap. 7. 27. *In se permanens omnia innovat.* Num. 23. 19. *Non est Deus ut filius hominis, ut mutetur*; Jacob. 1. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*: ubi ad immutabilitatis assertæ præstantiam intelligendam juvat observare, a Jacobo Deum vocari *Patrem luminum,* et in græco pro mutatione usurpari παραλλαγὴ, quæ varium solis in Ortu, Meridie et Occasu aspectum significat, et pro obumbratione ἀποσκίασμα h. e. umbram solis ex subjectis corporibus; adeo ut *sensus metaphoricus* hic sit : Deus est Pater luminum, a quo omne bonum derivatur; sed non oritur, non occidit, non recedit, nec ei aliquid mutationis et umbræ accidit, dum lucem effundit, seu opera ejus apparent.

*Conf.* Scriptura a Deo excludit mutationem tum ratione substantiæ ac vitæ, quia Exod. 3. 14. dicitur: *Ego sum, qui sum;* et 1. ad Timoth. 6. 16. *Qui solus habet immortalitatem.* Tum ratione actuum et effectuum ad Hebr. 4. 13. *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Prov. 19. 21. *Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit.* 1. Reg. 15. 29. *Triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur: neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.* Tum ratione extrinsecæ innovationis; cum ex oppositione ad cœlos dicatur Ps. 101. 28. *Sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Tum ratione temporis aut loci; cum Deus æternus sit ac immensus.

*II. ex* Traditione. C. Nicænum, referente S. Ambros, L. 1. de Fid. c. 18. n. 120. cont. Arianos definit: *Eos, qui dicunt, erat, quando non erat,... aut mutabilem aut convertibilem Filium Dei, anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia.* Lateran IV. c. 1. vocat Deum *incommutabilem.* Greg. M. L. 12. Mor. c. 17. (al. 33.) in textum Jacobi: *Sed quia,* inquit, *in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercidit.* Chrysost. et Theodoretus in verba laudati Psalmi, *Tu vero,* aiunt, *immobilem habes naturam et mutatione præstantiorem;* Et Cyril. Alex. L. 13. Thes.: (opp. t. 5. p. 127.) *Neque enim idem esset, si in aliud quidpiam, quam est, mutari posset.* Ibid. in Baruch. 3. 3. commentans, *Ibi enim,* ait, *stabilitatem et immutabilitatem divinæ naturæ, et ut semper eodem modo se habeat significans Propheta dicit: Tu sedes in sempiternum.* Ambr. l. c. c. 19. n. 131. definitioni Concilii hæc subjicit: *Arius dicit mutabilem Dei Filium : quomodo ergo Deus, si mutabilis? cum ipse dixerit: Ego sum, ego sum, et non sum mutatus.*

*III. ex* Ratione. Omnis mutatio fit vel in melius, vel in pejus, vel in æquale: sed Deo repugnat mutari in *melius;* quia ex natura sua est optimus et perfectiones omnes in se vel formaliter vel eminenter continet: repugnat etiam mutari in *pejus;* quia per eam mutationem desineret esse Deus, nempe ens perfectissimum; hoc autem nec fieri potest ex naturæ conditione, quæ simplicissima est et actus purissimus; nec ex propria voluntate, cui essentia non subditur; nec ex alio extrinsece quocumque, utpote a quo Deus tanquam ens a se, liber, immunis ac omnino independens est: denique repugnat mutari in *æquale;* tum quia quidquid Deus habet, vi suæ naturæ habet, illique tam esse tale, quam simpliciter esse seu existere essentialiter competit: tum quia hæc mutatio repugnat firmitati et constantiæ, quæ tanquam perfectio simpliciter simplex Deo competit: tum quia si illud æquale non jam haberet formaliter aut eminenter, nec ab alio accipere posset. Ergo.

*Conf.* Mutatio, quæ Deo accidere concipi posset, vel esset secundum *existentiam;* sed Deus habet summam existendi necessitatem: vel secundum *formam substantialem;* sed est summæ simplicitatis et omnem compositionem realem excludit : vel secundum *accidens;* sed totus est substantia et actus purissimus, adeoque accidentis incapax et omnis potentialitatis ac perfectibilitatis physicæ expers: vel secundum *intellectum;* sed Deus jam ab æterno summe completus et determinatus est ad cognoscendum quidquid cognoscit, et quidem uno eodemque actu plane invariabili: vel secundum *voluntatem;* sed Dei voluntas non transit ab uno actu ad alium, quia hic realiter et unicus omnino est et ipsa Dei substantia; nec ad contrarium, quia consilia format absque ignorantia, præcipitatione et passione, atque jam ab

æterno summe completus est ad volendum et nolendum, quidquid vult aut non vult : vel secundum *operationem ad intra ;* sed hæc æterna et immutabilis est Deoque essentialis : vel secundum *operationem ad extra ;* sed et hæc non est quid a Dei substantia distinctum : vel secundum *tempus* aut *locum ;* sed hanc quoque ejus æternitas et immensitas mox ostendenda excludit.

61. *Obj. I.* Sap. 7. 22. in sapientia Dei dicitur *Spiritus multiplex ;* et v. 24. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia.* S. Aug. L. 8. de Genes. ad litt. c. 20. *Spiritus creator,* inquit, *movet se ipsum sine tempore et loco.* Ergo.

R. *Ad text. Script. D. A.* Spiritus sapientiæ dicitur *multiplex* ob perfectiones multas, quas sibi identificat, et sapientia *mobilior* omnibus mobilibus ob vim et efficaciam suam, et effectuum universalitatem *C.* sensu alio *N.* Immutabilitatem his prædicatis non excludi, patet ex eodem cap., ubi v. 22. idem Spiritus vocatur *unicus,* et v. 23. *stabilis ;* sapientia autem v. 27. *in se permanens omnia innovare* dicitur. *Ad text.* S. Aug. R. cum S. Thoma, *D.* movet se, nomine motus late sumpto pro quacumque actione *C.* proprie *N.*

*Inst.* 1. Deus variis animi passionibus in Scriptura affectus legitur, pœnitentiæ quidem Gen. 6. 6. et 8. 21. iræ vero Jerem. 9. 25. et Ps. 105. 40. ; tristitiæ Isa. 63. 10. zelotypiæ Exod. 20. 5. etc. Ergo obnoxius est aliquibus saltem mutationibus.

R. *D. A.* Deus legitur animi passionibus affectus secundum verborum proprietatem, quoad ipsam naturam et actiones ejusmodi affectionum *N.* secundum metaphoram, et quoad effectus præcise illarum *C.* His autem mutationem non probari in Deo, ostendit S. Aug. L. 1. cont. Advers. Legis et Proph. c. 20. n. 40. scribens : *Quando eum pœnitet, non movetur et mutat : sicut quando irascitur, non movetur, et vindicat : quando miseretur, non dolet, et liberat : quando zelat, non cruciatur, et cruciat.* Nempe per metaphoricas illas locutiones effectus tantum diversi significantur, et Dei voluntas eosdem sine imperfectione passionum efficiens, ut idem ait L. 2. ad Simpl. q. 2. n. 4. *Auferamus ergo ista, quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, et remaneat solum velle, ut non ita sit aliquid, quemadmodum erat.*

*Inst.* 2. Legitur in Scriptura sæpius, Deum mutasse consilium, quod habuerat, ut constat de *Ninivitis, Ezechia* et aliis ; item odisse, quem amaverat ; reprobare, quem facere salvum volebat etc. ergo.

R. Quoad 1. *N. A.* Deus enim, quæ voluit, ab æterno voluit ; neque *Ezechiæ* mortem, ac *Ninive* subversionem absolute denunciavit, sed hypothetice duntaxat, si nempe vel cursus causarum secundarum, quæ mortem *Ezechiæ* exigebant, non immutaretur, vel *Ninivitæ* non agerent pœnitentiam. Hæc vero immutabilitati divinæ nihil officere, declarat S. Aug. in Psal. 109. n. 35. his verbis : *Nec aliud facit quasi consilio repentino, quod non ex æternitate se facturum esse præscivit ; sed in creaturæ temporalibus motibus, quam gubernat mirabiliter, ipse non temporaliter motus quasi repentina voluntate facere dicitur, quod ordinatis rerum causis consilii sui secretissimi immutabilitate disposuit.*

Quoad 2. R. *C. A. N. Cons.* Homo quidem in his casibus mutatur, non vero Deus, qui uno eodemque incommutabili justitiæ amore hominem justum diligit, odit peccatorem, ut S. Aug. in solis similitudine exponit L. 22. de Civ. c. 2. n. 1. *Cum Deus mutare dicitur voluntatem, ut quibus*

*lenis erat, v. g. reddatur iratus, illi potius quam ipse mutantur, et eum quodammodo mutatum in his quæ patiuntur inveniunt: sicut mutatur sol oculis sauciatis, et asper quodammodo ex miti, et ex delectabili molestus efficitur, cum ipse apud seipsum maneat idem, qui fuit.* Eadem habet in enarratione Psal. 32. ad illa verba : *Cum perverso perversus eris.*

62. *Obj. II.* Ille vere mutatur, qui de non creante fit creans : sed Deus de non creante factus est in tempore creans; ergo. *Maj. Prob.* 1. ex paritate cum qualibet causa efficiente creata : 2. quia actus creandi est aliqua perfectio, et quidem de novo accedens Deo; cum alias, si is in Deo semper fuisset, semper etiam Deum denominasset Creatorem. 3. quia producta creatura Deus acquisivit denominationem Domini, et jus in creaturam, quod ante non habuerat.

R. *D. M.* Vere mutatur, qui de non creante fit creans per decretum creandi novum, vel novam aliquam perfectionem acquirendo, et in se recipiendo *C.* per actum et decretum æternum, vel præcise dando aliquid creaturæ *N.* In Deo autem creante nec decretum novum est, nec nova illi perfectio accedit.

*Ad Prob.* 1. R. Actio secundum se *in effectu* quidem, non autem in agente, mutationem dicit; cum motus non sit in movente, sed in mobili : in agente tamen creato mutatio oritur ex actione, vel per affectum agendi recens conceptum, vel per susceptum in se impetum, vel per relationem aliquam realem sibi superadditam, vel per aliquod a se decisum : horum vero nihil cum in Deum cadat, disparitas patet. Nam 1°. Quidem in Deo eadem volitio est, quam habuit ab æterno, ut patet ex S. Aug. L. 12. de Civ. c. 17. n. 2. *Potest ad opus novum non novum, sed sempiternum adhibere consilium... In illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutavit aut abstulit voluntatem, sed una eademque sempiterna et immutabili voluntate res, quas condidit, et ut prius non essent egit, quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse cœperunt.* 2°. Nullum impetum aut affectum alium suscipit, ut idem ibidem inquit : *Nobis autem fas non est credere, aliter Deum affici, cum vacat, aliter, cum operatur; quia nec affici dicendus est, tanquam in ejus natura fiat aliquid, quod ante non fuerit... Novit quiescens agere, et agens quiescere.* 3°. Nec in se relationem superadditam habet, eodem Aug. L. 5. de Trinit. c. 16. dicente : *Quod ergo temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici; non tamen secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit; sed plane secundum accidens ejus, ad quod dici aliquid Deus incipit relative.* 4°. Nec creaturas aliquid esse a Deo decisum, nec Deum operando aliquid ex sua substantia amittere, manifestum est ex Script., PP., et ratione.

*Ad Prob.* 2. R. Actum creandi nec esse perfectionem ex parte Dei ab ejus omnipotentia et voluntate distinctam, nec novam et recens antecedentem; est enim solum ex parte *creaturæ* perfectio, vel potius motus ad perfectionem, nempe ad ejus esse. Sequela rationis loco addita, quamvis locum habeat in formis ac denominationibus *absolutis*, non tamen tenet in accidentaliter *relativis*, ad quas denominatio Creatoris, Domini etc., sine aliqua nihilominus accidentis intrinseca susceptione, pertinet; quia ad has non sufficiunt

subjectum et fundamentum, sed requiritur insuper terminus, qui hic non ab æterno, sed in tempore positus est.

*Ad Prob.* 3. R. *D.* Posita creatura Deus accipit denominationem Domini per acquisitionem alicujus, aut receptionem in se *N.* præcise per mutationem in creatura *C.* Ad hoc enim, ut Deus acquirat vel amittat denominationem Domini, sufficit, ut producatur vel destruatur creatura; quia producta creatura idem in se manens Deus incipit habere subjectum, in quod jus suum exercere possit : ea destructa desinit habere subjectum ejusmodi; utrobique nulla in Deo, sed in creatura tantum facta mutatione, ut in similitudine de *nummo,* cum dicitur *pretium,* exponit S. Aug. L. 5. de Trinit. c. 16. Quod de jure divino recens acquisito dicitur, falsum est; quia hoc jus est summa potestas disponendi de rebus queiscumque creatis ex hypothesi, quod existant, estque perfectio increata, æterna, et invariabilis, utpote summa necessitate Deo conveniens, et solam creaturarum possibilitatem supponens; unde manet semper eadem, sive existant creaturæ, sive non.

*Inst.* Deus agnovit olim Incarnationem ut futuram, nunc vero cognoscit ut præteritam. Item aliter se gessit in Veteri, aliter nunc se gerit in Novo Testamento; ergo est mutatus.

*Conf.* Qui liber est, potest aliquid de novo velle, quod antecedenter noluit : sed Deus est liber; ergo.

R. *N. Cons.* In his enim mutatio quidem *objecti* et *effectuum* est, nulla cognitionis aut consilii divini; quia unus, simplex, realiter indivisibilis actus est, quo cognoscit jam ab æterno rem futuram pro eo tempore, pro quo præsens est, et præteritam pro eo tempore, pro quo est præterita; una similiter simplex, invariabilis et indivisibilis volitio ac voluntas est, qua ab æterno pro Judæis voluit hanc Reipublicæ et Ecclesiæ formam, quam pro Christianis abrogavit.

*Ad Conf. D. Maj.* Qui liber est, et simul creatura, potest aliquid de novo velle *C.* qui liber est, et simul Deus *N. Disparitatem* inter creatam et divinam libertatem quoad hoc faciunt omnia illa prædicata divina, qua ejus immutabilitatem hactenus ostendimus, quæ tolleretur. Hinc S. Aug. L. 12. Conf. c. 15. n. 18. ex æternitate probans voluntatis constantiam inquit : *Unde non eum modo velle hoc, modo velle illud; sed semel et simul et semper velle omnia quæ vult; non iterum et iterum, neque nunc ista, nunc illa; nec velle postea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat : quia talis voluntas mutabilis est, et omne mutabile æternum non est; Deus autem noster æternus est.*

## ARTICULUS II.

### AN DEUS SIT ÆTERNUS?

63. *Nota.* Æternitas sumitur *latissime* pro duratione vel longissima, vel remotissima : *Late,* pro duratione, quæ fine caret, licet habeat initium; utraque acceptio non raro in Scriptura usurpatur : *Minus stricte,* pro duratione, quæ præcise principio caret et fine : *Stricte,* pro duratione entis semper existentis et summe immutabilis; atque de hac quæritur. Definitur a Boetio L. 5. de Consol. Pros. 6. *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta*

*possessio.* Dicitur *Possessio*; quia est duratio firma, constans et non deficiens: *tota simul*; quia nec duratio habet prius et posterius seu successionem, cum sit unicum velut punctum, quod omnia sibi succedentia tempora complectitur; nec ens durans admittit successionem seu mutabilitatem, cum in quolibet instanti semper idem sit, et in entitate substantiæ et in perfectionum modificatione : *perfecta*; quia licet sit indivisibilis, omnem tamen perfectionem durationi successivæ convenientem continet : *vitæ*, vel quia æternum debet esse in gradu existendi perfectissimo, vel quia hac voce expressius etiam operationis æternitas significatur : *interminabilis*: quia nec initium nec finem habet aut habere potest.

64. *Dico.* Deus est æternus æternitate etiam *stricte* dicta.

*Prob.* Tres sunt æternitatis stricte acceptæ dotes, ut sit sine initio, sine fine, sine mutabilitate : sed omnes hæ dotes conveniunt Deo; ergo.

*Prob. min. universim.* Quia Deus tum in Scriptura, tum in Conciliis, tum in Symbolis, tum in scriptis Patrum frequentissime vocatur *æternus*: Sed nulla plane obstat ratio, quominus intelligatur vox et secundum litteram et in sensu proprio ac stricto; ergo. *Conf.* Deus est ens a se : ens a se habet sufficientiam et necessitatem existendi : ens autem hæc habens, caret principio, fine et mutabilitate; cum alias nec sibi sufficeret, nec necessario esset, nec etiam aliquid eorum ab alio tanquam penitus independens nancisci posset : Ens carens his tribus est æternum stricte dictum; ergo. Simile argumentum fieri potest ex omniperfectione ac infinitate Dei, ejusque immutabilitate.

*Prob. min. singillatim,* et quidem : *Quoad* 1um. Psal. 89. 2. dicitur : *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a seculo et usque in seculum tu es Deus.* C. Nic. I. supr. cit. *Eos autem,* ait, *qui dicunt* : *erat aliquando, quando non erat..., anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia.* Tertul. L. 1. cont. Marcion. c. 3. *Definio... Deum summum esse magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine.* Hugo Victorin. L. 7. Erud. Theol. c. 17. *Si enim aliquando non fuit Deus, a se ipso initium non habuit.* Richard. L. 1. de Trin. c. 8. Si Deus ab æterno non fuisset, *qui sibi,* inquit, *vel aliis initium daret existendi vel potuisset dare, omnino non fuit.* Huc referuntur omnia testimonia et argumenta Patrum, qui contra Arianos Verbum ex hoc, quod æternum esset, probarunt Deum, et vice versa.

*Prob. Quoad* 2um. Exod. 15. 18. dicitur. *Dominus regnabit in æternum et ultra.* Deut. 32. 40. *Vivo ego in æternum.* Psal. 101. 28. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* 1. ad Tim. 6. 16. *Qui solus habet immortalitatem.* ad Hebr. 1. 11. *Ipsi peribunt, tu autem permanes.* In quæ postrema Apostoli testimonia commentantes Hilar., Aug., Greg. M., Bern., aliique Patres, non tantum perpetuitatem Dei, sed et immutabilitatem ostendunt. Accedunt Symbola, in quibus profitemur regnum, *cujus non erit finis, et vitam æternam.*

Denique *Quoad* 3um. immutabilitas quoad substantiam et modos entitatis divinæ constat abunde ex art. priori; secundum durationem autem *Prob.* Greg. Naz. Or. 38. n. 7. *Deus et erat semper, et est, et erit : vel, ut rectius loquar, semper* est. *Nam* erat, *et* erit, *nostri temporis fluxæque naturæ segmenta sunt.* Aug. L. de vera Relig. c. 49. n. 97. *In ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno; quia spatia temporis præteritis et futuris rerum mo-*

*tibus constant; nihil autem præterit in æterno et nihil futurum est.* Et L. 9. Confess. c. 10. n. 24. de divina Sapientia loquens: *Ipsa,* inquit, *non fit; sed sic est, ut fuit, et sic erit semper: quin potius fuisse et futurum esse, non est in ea, sed esse solum: quoniam æterna est: Nam fuisse et futurum esse, non est æternum.* Greg. M. L. 16. Mor. c. 20. (al. 43. n. 55). *Æternitas semper esse habet, in qua nulla pars suæ longitudinis præterit, ut pars alia succedat; sed totum simul esse est.* Anselm. in Prosl. c. 18. *Nec tu habes partes, nec tua æternitas, quæ tu es; nusquam et nunquam est pars tua aut æternitatis tuæ; sed ubique totus es, et æternitas tua tota est semper.* Eadem in Monol. c. 26. repetit et S. Bern. initio Serm. 31. in Cantica docet.

*Conf.* 1°. Duratio est permanens entis existentia, seu ipsum ens; adeoque sequitur conditionem entis, cujus est duratio: sed ens, cujus duratio est æternitas et ens immutabile, successionem nullam habet; ergo. 2°. Successio importat prius et posterius; nam, ubi hoc admittitur, debet admitti initium et additio: *primum* autem æternitati, *secundum* infinitati divinæ repugnat; ergo. 3°. Permanere in suo esse est perfectio; ergo quo major erit permanentia, eo major erit perfectio, eaque Deo est concedenda. Vel ergo permanentia hæc potest esse sine successione; et hinc Deo debetur: vel non potest esse; et sic Deus ab initio non habuit omnem perfectionem, sed succedentibus instantibus paulatim acquirit; quod sane Deo repugnat.

65. *Nec dicas* 1°. Ambros. in Symb. (al. de Trin. c. 1.) et Hil. de Trin. L. 2. n. 1. soli Patri tribuunt æternitatem, dum ille inquit: *Æternitas ergo in Patre, species in imagine, virtus est in munere;* Hic vero: *Infinitas in æterno, species in imagine, usus in munere;* ergo. *Conf.* 1°. Dan. 7. Deus vocatur *antiquus dierum;* Apocal. 1. dicitur: *Qui est, qui erat, et qui venturus est;* alibi vero in Scriptura actiones Dei jam præteritæ jam futuræ designantur; ergo. 2°. Joannes in Evangelii initio tribuit Verbo Divino τὸ *erat;* et Scriptura sæpius de Deo enuntiat annos et secula; ergo.

R. *D. A.* Soli Patri tribuunt æternitatem sumptam absolute et pro carentia omnis initii, finis et immutabilitatis *N.* sumptam relative et pro carentia originis ac principii producentis *C. Ut potentia, et sapientia et charitas,* inquit Petavius de Deo L. 3. c. 3. n. 7. *dupliciter usurpantur a Theologis; atque ut absolute spectantur et secundum substantiam, communes sunt ex æquo personis tribus, ut autem relative et secundum producentis ac producti notiones accipiuntur, singularum sunt personarum propriæ singulæ: sic infinitas atque æternitas partim tribus communes sunt; partim uni congruunt, qui solus est in sese, non aliunde quod est sumens; sed id, quod est ex se atque in se continens,* ut l. c. n. 6. addit Hilarius.

*Ad Conf.* 1am. R. *Quoad* 1. *D.* Vocatur antiquus dierum, quasi senio confectus *N.* quatenus diebus ipsis ac omni tempori præexistit *C. Quoad* 2. *D.* Dicitur, *qui est etc.* quatenus has temporis differentias indivise et modo simplicissimo complectitur *C.* alio sensu *N. Quoad* 3. *D.* Actiones Dei dicuntur futuræ et præteritæ ratione principii earum effectivi seu operantis *N.* ratione terminorum, qui aut incipiunt esse aut desinunt, seu effectus in tempore producti vel producendi *C.*

*Ad Conf.* 2am. *quoad* 1. *D.* Tribuit Verbo Divino τὸ *erat,* ad significandum illud fuisse aliquando et desiisse, nec semper esse *N.* ad significandum illud

jam extitisse ante omne tempus, etiam quantumlibet infinitum retro spatium, quod homo sibi cogitando proponat *C.* Nempe ut Ambros. L. 1. de fid. c. 8. n. 56. ait : *Indefinite tenditur Erat. Quidquid excogitaveris, erat Filius;* et Hilar. L. 2. n. 13. de Trin. Erat, *quod est, neque in aliquo tempore concluditur ut cœperit, quod erat potius* in principio, *quam fiebat. Quoad* 2. *D.* Enuntiat de Deo annos et secula, ejus durationem his concludendo, aut æternitatis rationem cum annis et seculis æquiparando *N.* durationem ab his eximendo, et æternitatis rationem distinguendo *C.* Primum patet ex textibus Scripturæ *num. pr.* recitatis; alterum ex dictis ibid. *SS. Patrum* recensitis.

66. *Nec dicas* 2°. Duratio in suo conceptu essentialiter dicit plura instantia : æternitas definitur duratio; ergo. *Conf.* 1°. In duratione, quæ partim correspondet tempori, partim illud excedit, debent esse partes et successio; talis duratio est æternitas; ergo. 2°. Si æternitas foret tota simul, ergo omnia illius instantia deberent esse in eodem instanti; non esset plus, quam unicum nunc ac punctum temporis; creatura existens per unicum momentum foret æterna; quia cum tota æternitate corresponderet, vel existeret. Sed hæc sunt absurda; ergo.

R. *D. M.* Duratio rei temporaneæ mutabilis essentialiter dicit plura instantia *C.* duratio rei æternæ ac immutabilis *N.* Duratio nempe similis est enti, cujus est duratio; cum igitur æternitas Dei sit entis simplicis indivisibilis et immutabilis, eadem quoque est duratio nihil acquirens aut perdens, nullam successionem admittens, sed *tota simul.*

*Ad Conf.* 1am. *D. M.* In duratione, quæ secundum se divisim ac fluendo partim correspondet tempori, partim illud excedit, habentur partes et successio *C.* quæ secundum se tota simul et stans correspondet etc. *N.* vel *Subd.* habentur partes et successio formales et reales *N.* virtuales duntaxat et imaginariæ, seu ex humani ingenii imbecillitate ad explicationem qualemcumque pro more aliarum durationum dandam conceptæ *C.* Sicut centrum, quod est unicum ac indivisibile punctum, correspondere secundum se totum singulis circumferentiæ punctis ac lineis concipitur; sic æternitas simplex ac sine fluxu caducis temporum partibus dicitur correspondere.

*Ad* 2am. R. In æternitate non sunt plura instantia intrinseca, formalia et realia. Unicum temporis punctum, licet concipiatur indivisibile, imperfectum tamen est; cum æternitas cum sua indivisibilitate omnem contineat perfectionem, quæ in duratione successiva vel fingi per mentem potest. Creatura existens per unicum momentum coexistit cum tota æternitate relata ad se et durationem intrinsecam, non vero ad tempus reale vel imaginarium et durationem extrinsecam.

67. *Observa.* Res futuras, seu creaturas ab æterno fuisse Deo præsentes secundum suum esse tum *intentionale*, tum *eminentiale*, quod ab æterno vel in cognitione divina vel in essentia et omnipotentia habuerant Dei, dubitatur a nemine : controvertitur tamen inter Auctores, an creaturæ etiam possint dici ab æterno fuisse Deo præsentes secundum suum esse *reale* ac *formale?* Affirmant id Cajet., Gonet, Joan. a S. Thoma cum *Thomistis* aliis non paucis; tum quia creaturæ coexistunt æternitati Dei indivisibili;

tum quia ex SS. Patrum sententia Deo *nihil est futurum, sed ei omnia ab æterno sunt præsentia.* Negant id reliqui cum *Scotistis;* tum quia esse præsens alteri ab æterno habetur formaliter et essentialiter a duplici existentia; creaturæ autem existentiam ab æterno non habuerunt: tum quia licet res creata coexistat in aliquo loco toti indivisibili immensitati divinæ, tamen ei non coexistit *ubique;* adeoque licet in aliqua temporis differentia coexistat toti æternitati, ei tamen non coexistit *semper* et ab æterno. In hac vero controversia, quæ de nomine potius, quam de re versari videtur, pars *negativa* præferenda est; præsertim cum partis contrariæ fundamentum prius ex nuper dictis jam solutum sit, posterius vero non pertineat ad præsentiam realem, sed ad objectivam duntaxat et intentionalem; ut facile ex ipso contextu laudati testimonii, quod ex L. 2. S. Aug. ad Simplic. q. 2. n. 2. depromitur, apparet, cum de præscientia Dei sermo sit, quam ideo proprie dari in Deo negatur, quia futuritio *objective* ab æterno erat, et a Deo etiam comprehendebatur.

## ARTICULUS III.

### AN DEUS SIT IMMENSUS?

68. *Nota I.* Immensitas est diffusio entis circumquaque infinita, h. e. in omnem dimensionem sine omni termino: differt ab *ubiquitate,* quia est aptitudo coexistendi in locis infinitis, cum hæc tantum sit actualis et formalis inexistentia entis in locis aut rebus omnibus extantibus; unde et immensitas Dei est æterna, absoluta et necessaria, *ubiquitas* vero est temporanea, respectiva et libera, quamvis posita creaturarum existentia necessario sequatur ex immensitatis attributo, sicut ex attributo æternitatis necessario sequitur, ut Deus in quacumque temporis differentia, in qua creatura existit, eidem coexistat. Tribus autem modis res quæpiam, maxime Deus, potest esse alicubi vel ubique: *per præsentiam,* si videt aut cognoscit, quæ fiunt alicubi, aut gubernat et moderatur, iisque providet: *per potentiam,* si virtus ejus operatur in aliquo loco, quacumque ratione agendo: *per essentiam,* si ejus entitas ac substantia locum implet, aut res intime pervadit ac penetrat. Porro tripliciter res aliqua per suam essentiam seu entitatem alicubi existere potest; *circumscriptive,* cum ita locum occupat, ut per diversas suæ substantiæ partes totidem loci partibus respondeat, et ulterius non extendatur: *definitive,* cum tota est in toto loco, et tota in qualibet loci parte, nec tamen alibi reperitur, seu extra hunc locum est: *repletive,* cum tota sic locum totum et omnes loci partes implet, et tamen illo non ambiatur nec terminetur.

69. *Nota II.* Circa hanc quæstionem errarunt, quotquot inter Veteres Deum admiserunt corporeum, aut Deos suos inanes vel cœlo, vel alteri mundi parti, vel templis ac idolis tenebant affixos. Inter *Philosophos* errarunt etiam illi, qui supremum Numen dicebant duntaxat esse in cœlis, aut extra cœlum esse, et universi molem torquere, ut *Stoici;* aut in mundo inclusum ceu nautam in navi, ut *Platonici*: inter Judæos et Samaritanos, qui, teste S. Hier. putabant, Deum concludi templo, vel in Jerusalem, vel in monte Garizim:

inter *Hæreticos* Gnostici, Calentiani, aliique, qui duplici principio admisso, bonum in luce, malum in tenebris collocarunt; Manichæi, qui quamvis Deum mole infinita diffusum dicerent, tribus tamen quadris includebant; Sociniani cum Vorstio, Episcopio et aliis, qui virtute quidem et scientia ubique, substantia autem in cœlo duntaxat Deum præsentem statuunt: inter *Catholicos* Augustino Steucho idem postremorum error a quibusdam tribuitur; nonnulli etiam Cartesianos et Gassendistas insimulant, quod ex eorum de extensione, spatio ac loco placitis nullam esse substantialem Dei diffusionem sequatur.

70. *Dico*. Deus etiam ratione substantiæ suæ est rebus omnibus præsens ac immensus.

*Prob. I. ex* Scriptura: Deut. 4. 39. *Scito..., quod Dominus ipse sit Deus in cœlo sursum et in terra deorsum*. Psal. 138. 7. *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades etc*. Sap. 1. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Jerem. 23. 24. *Si occultabitur vir in absconditis; et ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus*. Quamvis vero ex hac præsentia recte inferatur etiam substantiæ immensitas, eamdem apertius etiam exprimunt alia; Jobi enim 11. 8. dicit Sophar de Deo: *Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura ejus, et latior mari*. Salomon. 3. Reg. 8. 27. *Si enim cœli cœlorum te capere non possunt; quanto magis domus hæc, quam ædificavi?* Baruch. 3. 25. *Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus*.

*II. Ex* Traditione. C. Lateran. I. vocat Christum *Incircumscriptum secundum divinitatem*. Lateran. IV. c. *Firmiter*, profitetur, se credere Deum *immensum*; Symb. Athanas. habet: *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus*; et universim loquendo Patres primorum seculorum plures, contra *Arianos* et *Macedonianos* disputantes, tum Filii tum Spiritus Sancti divinitatem ex immensitate probarunt. Speciatim vero de ubiquitate divina substantiali testantur. Theophilus Antioch. L. 2. n. 3. ad Autol. *Dei proprium hoc est, non solum ubique esse, sed etiam intueri omnia*. Arnob. L. 6. cont. Gent. c. 4. *Hoc est proprium Deorum, complere omnia vi sua, non partiliter uspiam, sed ubique esse totos*. Clem. Alex. L. 7. Strom. *Deus non comprehensus omnia comprehendit*. Orig. homil. 12. in Genes. n. 2. *Nonne ubique Dominus? nonne ipse dixit: Cœlum et terram repleo*. S. Cyprian. L. de idol. van. n. 9. *Quod vero templum habere possit Deus, cujus templum totus est mundus?.... Unus est et ubique totus diffusus est*. Athanas. L. cont. Sabell. n. 10. *Ne quæratis loci magnitudinem tantam, ut quæ possit Dei magnitudinem capere; non enim immensum in menso est*. Idem: *Ita complet omnia, ut non cum exigua creatura extensus adæquetur*. Hilar. in Ps. 144. n. 21. *Deus ubique semper est, et totus semper ubique est*. Cyril. Hieros. Catech. 6. n. 8. *In loco minime definitus, sed locorum opifex: in omnibus existens, et a nullo circumscriptus: unus est ubique præsens*; ergo.

*Conf*. Deus est ens omniperfectissimum; esse immensum est perfectio; ergo Deus est ens immensum. Deus est ubique per operationem, ut concedunt Sociniani, et patet ex Scriptura Psal. 138. cit. *Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris; illuc manus tua deducet me*. Act.

17. 28. *In ipso vivimus, movemur et sumus.* Sed operatio Dei entitative sumpta est omnino idem cum illius natura, ut docet Basil. L. 5. adv. Eun. (opp. t. I. p 298. B.) scribens : *In simplici et corporis experte natura eadem est ratio substantiæ et operationis ;* ergo est ubique per substantiam. Deus non est nullibi, cum sit ens existens; ergo est alicubi; ergo ubique. Si enim foret alicubi, nec tamen ubique; ergo imprimis limitaretur ejus substantia, nec jam infinitus foret in hac, sicut in perfectionibus tamen reliquis : deinde in hoc loco non existeret necessario; cum hujus necessitatis nulla ratio dari queat, et præterea repugnet independentiæ divinæ : nec etiam ibi esset libere; quia tunc vel locum illum mutare non posset ratione immutabilitatis, vel alibi sistere se non posset præsentem, quod magnæ imperfectionis nota foret.

71. *Obj. I.* Deus est in cœlo, non autem in terra; Psal. 113. 25. *Cœlum cœli Domino : terram autem dedit filiis hominum.* In tabernaculo et templo, non autem in aliis ædibus, 2. Reg. 7. 6. *Neque habitavi in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de terra Ægypti usque in diem hanc : sed ambulabam in tabernaculo et in tentorio.* In justorum animabus, non vero in peccatoribus, Joan. 14. 23. *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ;* ergo sic est alicubi, ut non sit alibi.

R. *D. C.* Sic est alicubi, ut eo modo non sit alibi *C.* ut plane alibi non sit *N.* Quamvis enim Deus ubique sit per divinitatis suæ præsentiam, tamen *singulariter* est in *cœlo* per gloriæ suæ revelationem, præmii largitionem, et Beatorum Deum laudantium exaltationem ac regnum; in *arca, tentorio* et *templo* per precum exauditionem, misericordiæ manifestationem et munerum concessionem; in *justorum animabus* per sanctificationem, gratiæ inhabitationem et virtutum operationem; unde hæc tantum specialis præsentiæ ratio, non vero substantialis Dei præsentia per allatas probationes excluditur, ut S. Aug. ep. 57. (al. 187.), Damasc. L. 1. de fid. c. 13. (al. 10.), Bern. Serm. 1. in Psalm. 90. n. 4. aliique Patres docent. Cæterum sensus litteralis textus *primi* est, supremum cœlum Domino proprie esse dicatum, illudque dare huic reservatum; terram autem habitandam destinatam hominibus, ac inter eos distribuendam permissum iisdem : *secundi* autem, arcam, in qua Deus sæpe spectabilem se in columna nubis aut ignis præbuerat, hactenus non fuisse in templo, sed sub pellibus ac in tentorio.

*Inst.* 1. Sæpe in Scriptura legimus Deum *ambulasse, descendisse, recessisse* ab impiis etc. Sed hæc immensitati repugnant; ergo.

R. *D. M.* Legimus, Deum ambulasse, descendisse, recessisse etc. sensu proprio, et quo significatur verus motus aut loci mutatio *N.* sensu metaphorico, et quo duntaxat manifestatur diversa Dei operatio et effectus *C. Vide,* ait S. Aug. Serm. 70. de temp. (al. in App. 5. n. 6.) *ne ascensionem et descensionem localem sentias ; indignum est hoc de incorporea et ubique tota sentire substantia ; sed descendere dicitur Deus, quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur;* vel, ut L. 16. de Civ. c. 5. dicit : *Cum aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam ejus quodammodo ostendat.* Hinc *descensus* Dei, Gen. 11. ad videndam turrim Babel, iram ejus et pœnam superborum; Gen 46. cum Jacob in Ægyptum, gratiam et patrocinium; Matth. 3. Spiritus Sancti super Christum, illius invisibilis

Spiritus manifestationem sub columbæ specie; Verbi Divini de cœlo, assumptionem naturæ humanæ designat. Similiter Genes. 3. legitur, Deum deambulasse in Paradiso, et Deuter. 23. ambulare in medio castrorum, dum ibi primos parentes ad examen et pœnam vocavit, hic vero militibus robur et populo tutelam indulsit: *Accedere* autem vel *recedere* dicitur, si beneficia *largiatur*, vel gratias uberiores retrahat.

*Inst.* 2. Genes. 6. legitur, Cain fuisse egressum *a facie Domini*; et 25. Rebeccam perrexisse, ut *consuleret Dominum;* ergo in plaga orientali, ad quam profugit Cain, et in regione, quam reliquit Rebecca, non videtur Deus fuisse.

R. *N. C. Cain* enim dicitur tantum egressus a loco, in quo ei Dominus apparuerat; *Rebecca* autem remotior a marito secessisse in cubiculum ad orandum; unde non secundum sensum proprium sequitur, Deum ubique non existere, præsertim cum in postremo textu citato legatur, Isaacum ibidem pro uxore sua Deum rogasse. Equidem sunt, qui putent, antiquis Patriarchis ante Jacobum fuisse ignotam Dei immensitatem, ideoque hunc Genes. 28. dixisse: *Dominus est in loco isto, et ego nesciebam*: sed cum hic locus de speciali aliqua demonstratione providentiæ virtutisque divinæ, quam apparitionem etiam vocare licet, loquatur, minime vero de præsentia Dei *substantiali*; hæc opinio caret fundamento, nisi forte ad rudiores quosdam restringatur.

72. *Obj. II.* Plures ex Patribus videntur negasse Dei immensitatem: Chrysost. hom. 5. in epist. ad Coloss. n. 3. et Aug. L. 83. QQ. q. 20. docent, Deum nullibi esse. Tatian. L. cont. Græc. et Clem. Alex. L. 5. Strom. negant, Deum permeare materiam et rerum substantias, voluntque eas tantum efficere. Lactantius L. de Opific. c. 16. Deum dicit duntaxat esse in cœlo, ut anima est in solo cerebro. Clem. Alex. L. 2. Strom. Aug. L. 2. ad Simplic. q. 1. n. 5. aliique volunt, Deum in loco esse, non substantia, sed virtute tantum et operatione.

R. *N. Ass. Ad prob.* 1am. *D.* Docent Deum esse nullibi, excludendo per hoc modum existendi creaturarum circumscriptivum ac definitivum *C.* excludendo etiam substantialem præsentiam et modum existendi repletivum *N.* Chrys. et Aug. eatenus tantum negarunt, Deum esse ullibi ac in loco, quatenus a loco non circumscribitur aut terminatur ita ut alibi non existat, secuti in hoc PP. antiquos, inter quos Dion. L. de div. nom. c. 3. §. 1. sic de Trinitate loquitur: *Ipsa neque in loco est, ut absit ab aliquo, vel ex aliis in alia transmigret: et vero in omnibus, quæ sunt, ipsam dicere esse, minus est quam pro illius infinitate; quæ omnia et excedit et amplectitur.* Et Boet. L. de Trin. c. 4. *Nam quod ubique est,* inquit, *ita dici videtur, non quod in omni loco sit, omnino enim in loco esse non potest: sed quod ei omnis locus adsit ad eum capiendum; cum ipse non suscipiatur in loco. Atque ideo nusquam in loco esse dicitur; quoniam ubique est, sed non in loco.*

*Ad prob.* 2am. *D.* Negant Deum permeare materiam et rerum substantias, ut per hoc negent Deum corporum modo permisceri cum aliis rebus, aut tanquam partem et animam illis inesse *C.* ut negent Deum intime rebus omnibus sua entitate et substantia inesse *N.* Prior sensus erat Stoicorum, quos uterque impugnat; unde et Clemens ibid. ait: *Illi Deum omnem per-*

*meare substantiam asserunt, nos autem eum solum dicimus effectorem*: posterior est orthodoxus et a neutro assertus; quamvis in TATIANO, tanquam hæretico et sectæ propriæ conditore, vindicando laborandum alii non censeant.

*Ad prob.* 3am. R. Sunt, qui LACTANTIUM errasse, et hinc deserendum volunt: alii excusant; quia hic non agit de modo, quo Deus est in loco, sed solum animæ locum expendit, eamque cum quibusdam statuit in cerebro, sicut Deus est in summo, h. e. in cœlo, quod benigne exponi potest de quodam specialiori inhabitandi modo ex supr. d. Et quamvis comparationem etiam in eo facere videatur, quod anima commeet quandoque ad pectus et alia corporis membra, Dei vero mens per universas mundi partes intenta discurrat; addit tamen eamdem mentem *ubique præsentem, ubique diffusam,* et L. 7. Inst. c. 3.: *Divinum Spiritum esse ubique diffusum, eoque omnia contineri; non ita tamen* (quod ad superiorem Stoicorum errorem evitandum subjungit) *ut Deus ipse, qui est incorruptus, gravibus et corruptibilibus elementis misceatur.*

*Ad prob.* 4am. *D.* Volunt Deum esse in loco, non substantia, sed virtute tantum et operatione, excludendo per hoc a Deo molem et ejus cum rebus ad instar corporum admixtionem *C.* excludendo ejus substantialem præsentiam, et admittendo tantum præsentiam per potentiam *N.* Usurpata hic a Patribus Græcis vox δύναμις seu vis et virtus eadem est ac illa οὐσία seu essentia et substantia, negatque solum illum sensum priorem. Sic postquam ANASTAS. in L. de incircumscripta Dei substantia dixisset, *Dei substantiam esse in omnibus, quæ sunt,* mox illud exponens dicit: *Divina sua virtute contrahit se ad universa, et continet.* Et FULG. L. cont. serm. Fastid. c. 4. ubi dixerat, *Deum continere omnem locum,* addit: *In quo moles est nulla, et cujus est virtus immensa.* Item utrumque conjungens: *Virtus Dei atque Divinitas necesse est ita sit naturaliter immensa, sicut est naturaliter sempiterna.* Ante hos autem ATHAN. L. cont. Sabell. n. 10. *Non cum omnibus,* inquit, *extensus complet omnia Deus: hoc enim corporeum est: verum tanquam vis omnia continet; est enim vis corporis expers, sub aspectum non cadens, non ambiens nec ambita.*

*Inst.* 1. Deus non potest esse immensus, nisi vel sit extensus, vel secundum totam suam substantiam sæpe multiplicatus: utrumque repugnat Deo; ergo.

R. *Ad* 1am. *p. M. T.* Non potest esse immensus, nisi sit vel proprie et formaliter, vel equivalenter et virtualiter extensus *C.* nisi proprie et formaliter sit extensus *N.* S. AUG. ep. 57 (al. 187. c. 4.) monet: *In eo ipso, quod Deus dicitur ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, et mens a corporis sensibus avocanda: ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus aut humor aut aer aut lux ista diffunditur; sed ita potius sicut est magna sapientia etiam in homine, cujus est corpus parvum.* Negata in hunc modum formali extensione, virtualem seu æquivalentem extensionem ac immensitatem exponit ibid. n. 14. his verbis: *Est Deus per cuncta diffusus sic, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi sine labore regens et sine onere continens mundum... non quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, et in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus; sed et in solo cœlo totus, et in sola terra totus, et nullo contentus loco, sed in se ubique totus.*

*Ad* 2am. *p. N. Ass.* Quamvis enim *modum,* quo spiritus in loco existit, explicare accurate nequeamus, non tamen illa reponenda est in totius substantiæ

repetitione, quia alias una eademque spiritus simplicis substantia foret multiplex, aut reproductio in anima et Angelis naturaliter haberetur.

*Inst.* 2. Si Deus foret immensus, sequeretur; eum replere etiam loca obscœnissima; præsentem esse in dæmonibus, facere jam nunc omnes omnino homines beatos; cum Dei præsentia hominibus beatitudinem tribuat : sed 1um est absurdum et Deo indignum; 2um impossibile, juxta illud 2. ad Cor. 6. *Quæ autem conventio Christi ad Belial* etc.; 3um falsum; ergo.

R. *Ad.* 1am. *Seq.*, quam *frivolam et responsione indignam* Hug. a. S. Vict. vocat, *N. m.* non enim periculum est, ne Deus a locorum sordibus inquinetur, cum spiritus sit ejusmodi inquinamenti incapax.

*Ad* 2am *Seq. N. m.* similiter; quia et hic fictitium est periculum, ne dæmonum malitiam contrahat Deus; allatus vero textus consensum et concordiam, non autem substantialem præsentiam Dei diabolique negat.

*Ad* 3am. *Seq. prob. D.* Præsentia Dei specialis per gratiam consummatam et lumen gloriæ tribuit hominibus beatitudinem *C.* ordinaria et omnibus communis per cognitionem, operationem et substantiam *N.*

73. *Observa.* Utrum Deus existat extra mundum, seu in *spatiis imaginariis,* fere ad modum loquendi pertinet, in quo ipsi etiam SS. PP. discrepant. Alii putant, melius dici, Deum non esse in spatiis imaginariis, sed in *seipso:* alii utrumque bene affirmari, contendunt. Si itaque per spatia imaginaria intelligas spatia creata a Deo distincta, quæ actu non existunt, proprie loquendo Deus iis non coexistit; si vero intelligas ipsam Dei immensitatem, quæ a nullis mundi spatiis includitur, sed eminenter continet spatia majora et majora in infinitum, potest dici existere *in spatiis imaginariis,* quod reipsa nihil est aliud, quam existere in sua immensitate, quæ nullo finito spatio terminari potest.

## ARTICULUS IV.

### AN DEUS SIT OMNIPOTENS?

74. *Nota.* Vox *omnipotens* sub gemina significatione a Patribus usurpatur; modo enim idem sonat ac παντοκράτωρ, seu quod in omnia potestatem ac dominatum habet; modo idem ac παντοδύναμος, seu quod omnia facere potest. Utraque significatio Deo tribuitur, dum eum omnipotentem confitemur; de postrema tamen hic duntaxat agitur, quæ potentiam vere ac proprie effectricem, eamque amplissimam tum ratione *sui,* tum ratione *actionis,* tum ratione *objecti* exprimit. Quæritur hic de potentia *activa,* quæ est principium agendi, seu vis et virtus producendi quidpiam; activa *ad intra* dicitur, quæ producit terminum principio immanentem, h. e. in principio receptum instar formæ aut modificationis, vel ejusdem numero substantiæ cum illo; activa *ad extra,* quæ producit terminum transeuntem seu extraneum, h. e. a principio realiter seu numerice seu specifice quoad naturam distinctum. *Primam* Deo competere evincit Mysterium Trinitatis; de *secunda* testatur *Scriptura* 2. Paral. 20. 6. Job. 13. 25. Ps. 105. 2. et alibi sæpius. Præterea hæc Dei potentia distingui solet in *absolutam,* et absque ullo respectu ad naturas rerum vel alias causas: et in *ordinariam,*

prout operatur secundum communes leges et causas, quas in universo statuit: Nomine *actionis* intelligi potest vel ipsa operatio, vel modus agendi. Circa *priorem* a Theologis id discriminis inter potentiam divinam et creatam statuitur, quod hæc sit principium actionis et effectus simul, ista autem solius effectus. *Posterior* acceptio pertinet tum ad instrumenta, cum aut sine quibus actio fit; tum ad materiam, ex qua fit; tum ad ipsum effectum, quia alius sive ex se, sive ex fine, sive aliunde dicitur. *Objectum* omnipotentiæ adæquatum statuitur omne illud, quod est possibile. Dicitur autem possibile *dupliciter,* positive seu extrinsece, negative seu intrinsece.

Præter veri Dei contemptores, ac diffidentes sæpius Supremo Numini Judæos, *Manichæi* aliique duorum principiorum cultores Deum bonum fecerunt adeo impotentem, ut non posset avertere malum: *Hermogeniani, Seleuciani,* cæterique post Platonicos aut alios etiam Philosophos materiam Deo coæternam finxere, quod negarent Deum facere quidpiam posse ex nihilo. Ejusdem etiam erroris a Theophilo Alex. ep. Pasch. 2. n. 17. accusatur Origenes asserens tanta posse Deum, quantum ei ad operandum materia ministraret: *Ariani* Filium Dei velut instrumentum a Patre conditum esse voluerunt, quo ad cætera procreanda necessario sit usus. Adduntur Origenes, Petrus, Abælardus, Wicleffus, aliique, qui negarunt Deum posse facere alia plura aut meliora iis, quæ fecit vel vult facere.

75. *Dico I.* Deus habet infinitam potentiam *ad extra.*

*Prob.* Ps. 144. 5. dicitur: *Magnus Dominus... et magnitudinis ejus non est finis:* quod de virtute ac potentia intelligendum esse, colligitur ex subjunctis: *Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam prænuntiabunt.* Eccl. 18. 3. *Quis investigabit magnalia ejus: virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit, aut quis adjiciet enarrare misericordiam ejus? Non minuere neque adjicere, neque est invenire magnalia Dei.* Esther. 13. 11. *Domine Rex Deorum et universæ potestatis.* Hilar. L. 8. n. 24. de Trin.: *Deus,* inquit, *est immensæ virtutis vivens potestas.*

*Conf.* 1°. Potentia finita, ex qua parte est limitata, et imperfecta est, et talis, qua facile alia major concipi potest: sed in Deo neque ulla imperfectio esse potest: nec aliqua perfectio talis, qua possit in illo genere major alia facile et sine repugnantia concipi; ergo potentia in Deo non est finita, sed infinita. 2°. Potentia Dei potest spectari vel ratione subjecti, cujus est potentia, vel ratione sui, vel ratione actionis et modi agendi, vel ratione objecti: sub quacumque autem ex his ratione spectetur, emicat infinitas. Nam *subjectum* aut quasi subjectum potentiæ divinæ est essentia simpliciter infinita in genere entis; adeoque cum proprietates sequantur conditionem sui subjecti, etiam potentia infinita est. Potentia Dei *ratione sui* spectata ex nuper dictis non est limitata et finita; ac præterea habet omnes conditiones perfectionis simpliciter simplicis. Ratione *actionis* et *modi agendi* est plane independens ab alio, sicut ratione essentiæ Deus est independens; quia modus agendi sequitur modum essendi. Hinc SS. PP. probant cont. *Manichæos* et *Arianos,* Deum creasse omnia de nihilo, et opus non habuisse instrumento. Spectata demum ratione *objecti,* potest plures ac plures, item perfectiores et perfectiores creaturas absque termino, et sic infinitum produ-

cere : quia Deus simpliciter infinitus est et nunquam satis participari potest; adeoque semper magis et magis ac infinitis modis est participabilis.

76. *Dico II.* Deus est omnipotens.

*Prob.* Scriptura S. 1°. Deum plusquam septuaginta in locis vel ex propriis ejus, vel ex Scriptorum sacrorum, vel ex hominum justorum verbis omnipotentem vocat. 2°. Deo dicit nihil impossibile; Genes. 18. 14. : *Numquid Deo est quidquam difficile?* quod 70. Interp. per *impossibile* vertunt μὴ ἀδυνατήσει Jerem. 32. 17. *Non erit tibi difficile omne verbum.* Luc. 1. 37. *Apud Deum non erit impossibile omne verbum.* 3°. Deo dicit omnia possibilia; Jobi 42. 2. *Scio, Domine, quia omnia potes.* Marc. 14. 36. *Abba Pater! omnia tibi possibilia sunt.* Matth. 19. 26. *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.* In Symbolo Apostolico et Nicæno profitemur nos credere *in Deum Patrem omnipotentem*; et in Athanasiano dicimus: *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus.* Demum Patres unanimiter idem testantur; et quidem eorum nullus est, qui Deum non appellet *omnipotentem*: præsertim autem id faciunt, qui aut scripserunt in Symbola, aut genuinam illam Omnipotentiæ usurpationem exposuerunt, Dionys. et Cyrill. Orig. Greg. Nys. Tert. Aug. etc. Eam in rem Huetius testimonia gentilium Philosophorum et Poetarum collegit.

*Conf.* 1°. Potentia simpliciter infinita est infinita omnibus modis, quibus esse potest; adeoque non solum infinita est in sua *perfectione entitativa* aut *modo agendi*, sed etiam in *objecto*, quantum ex parte illius est aut esse potest infinitas; ergo cum Deus habeat infinitam potentiam, sub suo objecto includit omnia possibilia : ergo est omnipotens; cum ille dicatur talis, qui omne facere potest, quidquid non implicat. 2°. Quidquid est possibile, nec tamen a se sed ab alio, est per aliam potentiam possibile; ergo vel illa potentia est in Deo, et sic erit omnipotens; vel est in alio quodam ente, et sic multo magis et perfectius debet esse in primo ente, a quo scilicet illud ens potentiam suam participat; adeoque rursus Deus erit omnipotens. 3°. Potentia aliunde limitari non potest, quam vel ex dissimilitudine affectus, vel ex majore effectus notabilitate, vel ex necessitate certæ materiæ; nihil autem Deo hoc sensu est dissimile, quod illud in se eminenter non contineat : Deus rebus omnibus est infinite perfectior : Deus ab ejusmodi dispositione non dependet, cum creare possit; vel in materiam dispositiones quascumque inducere potest; ergo.

77. *Dico III.* Deus absolute potest plura et majora iis, quæ fecit aut facere jam vult.

*Prob.* 1ª. *p.* Scriptura enarrat plura Deo possibilia, quam quæ Deus fecisse aut facturus esse legatur. Sap. 11. 8. Recenset plures pœnas et tormenta, quibus peccatores torqueri possint; 1. Reg. 11. 30. *Heli*, et c. 13. 13. *Sauli* exhibet sortem familiæ futuram, si officio aut Dei imperio satisfecissent; 2. Mach. 8. 18. *Judæ* Machabæi ore enuntiat, Deum uno nutu posse delere hoc universum; Matth. 3. 9. per Joan. Baptistam declarat, de lapidibus posse suscitari *filios Abrahæ*; Matth. 26. 53. Christo ipso interprete docet duodecim Angelorum legiones mittendas a Patre, si Filius rogaret. Similiter Athanas. Or. 2. cont. Arian. Aug. L. 26. cont. Faust. c. 7. Bern. ep. 190. c. 8. n. 9.

docent, Deum alia ratione, quam per Verbi incarnationem, potuisse redimere genus humanum. Alia exempla potentiæ divinæ affert TERTUL. adv. Prax. c. 10. AUG. L. de Nat. et Gr. c. 7. L. de spiritu et littera ad Marcellin. c. 1. et 35. THEODORET. serm. 4. cont. Gentil.

*Prob.* 2ª. *p.* Ad Ephes. 3. 20. de Deo dicitur : *Potens est omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus ;* ubi dum in græco legitur, ὑπὲρ πάντα super omnia et ὑπερεκπερισσοῦ superabundanter, primum ad *opera,* secundum ad eorum *perfectionem* referri videtur. Accedunt testimonia Patrum ; nam DIONYS. L. de div. Nom. c. 8. §. 2. scribit : *Deus infinipotens, non solum omnem potentiam producendo, sed etiam..... quod desuper possit innumerabiliter infinitas alias potentias producere ; et quod infinitæ infinito numero productæ potentiæ nunquam queant supraquam infinitam potentiæ ejus potentificæ effectionem hebetare.* THEOPHIL. ALEX. in ep. Pasch. 2. n. 18. *Necesse est,* inquit, *numero mensuraque factorum Dei fortitudinem coæquari, si non potuit majora facere, quam fecit.* CYRIL. Alex. L. 9. in Jean. ad illa verba : *Opera, quæ ego facio, ipse faciet, et majora horum faciet,* hæc notat : (opp. t. 4. p. 803) : *Non enim ideo, quod ad majora facienda vis illum deficeret, iis quæ perfecta sunt, virtutem propriam definiit. Verum cum ea peregisset, quæ fieri oportebat, et quæ tempus ferebat, non eousque tantum pervenire posse immensam ejus potentiæ magnitudinem utiliter iis verbis ostendit.* AUG. serm. 119 de temp. (al. 213. n. 1.) : *Omnipotens est,* de Deo inquit, *ad facienda majora et minora : omnipotens est ad facienda cœlestia et terrestria... Magnus in magnis, nec parvus in minimis : postremo omnipotens ad facienda omnia, quæ facere voluerit.*

*Conf. utr. p.* 1°. Deus in agendo ad extra est *infinite potens,* et consequenter valet ad plura et perfectiora : est *omnipotens,* et hinc potest omne id, cui esse non repugnat : sed nugatorium est et falsum id duntaxat non repugnare, quod Deus de facto facit aut facturus est; cum esse divinum *infinitis modis* participari possit, nulla autem creatura illud perfecte imitetur, adeoque semper aliud et aliud ac perfectius et perfectius supersit producendum ; ergo. 2°. Si Deus plura et perfectiora non posset producere, id oriretur, vel quia ex naturæ necessitate agit, et hinc facit omne quod potest; vel quia potentia determinatur ad hunc rerum concursum propter ordinem sapientiæ et justitiæ divinæ : sed 1ᵘᵐ. est falsum ex libertate Deo propria; 2ᵘᵐ., quia ordo rebus impositus non adæquat sapientiam divinam sicut nec divinam bonitatem; ergo. 3°. Ex contraria opinione sequeretur *primo,* cum omnes creaturæ a Deo productæ et producendæ sint numero et perfectione finitæ, per finitam productionem exhauriri infinitam potentiam : *secundo* Deum non potuisse præservare *Adamum* a lapsu, *Davidem* ab adulterio, *Saulem* a perditione ; non potuisse emollire cor *Pharaonis,* convertere *Achabum*, trahere *Judam* ad pœnitentiam ; non potuisse Christum dare signum *Scribis* petentibus, vocare in defensionem sui *Angelos,* descendere de cruce, etc., adeoque inevitabilem esse rerum omnium eventum, tolli gratiam, libertatem et meritum, necessariam et excusabilem esse peccatorum malitiam : *tertio* Deum signa et prodigia, quæ ab eo facta legimus in *Scriptura,* postmodum autem non amplius renovabuntur, etiam non posse amplius patrare, et sic potentiam eorum esse tantum pro vice simplici.

Dixi : *absolute potest facere* etc.; excludendo potentiam ordinariam, prout

hic sumitur. Ut enim Deus potentia ordinaria possit plura vel alia facere, quam facere decrevit, requiritur, ut possit vel mutare decretum, vel contra illud agere; quia si neutrum posset, alia non posset exequi, quam quæ ab æterno decrevit, non quidem propter defectum virtutis ad agendum sed propter immobilitatem et efficaciam voluntatis, sine cujus imperio et applicatione impossibile est potentiam divinam aliquid exequi : sed Deus neutrum potest; cum ex *primo* sequatur in Deo imperfectio ignorantiæ vel levitatis; ex *secundo* autem aliquid impossibile, nempe agere aliquid contra efficacem volitionem. Hanc vero potentiam ordinariam restrinximus ad acceptionem *primam*, non vero *secundam* num. 74. indicatam; quia certum est Deum facere multa et plura facere posse contra vel supra leges communes et causas in universo statutas.

78. *Obj. cont. I.* Potentia Dei agendi *ad extra* non est infinita in genere *entis;* ergo non continet eminenter omnes effectus possibiles; ergo non est infinita. *Conf.* 1°. Potentiæ infinitæ debet correspondere terminus seu *effectus infinitus* : sed nullus extra Deum potest assignari terminus infinitus; ergo potentia Dei ad extra non est infinita. 2°. Potentia Dei exceditur ab ejus *scientia;* quia Deus plura cognoscit, nempe mala, quam facere possit; ergo non est infinita.

R. *D. A.* Potentia Dei ad extra realiter sumpta non est infinita in genere entis *N.* formaliter et præcisive sumpta *subd.* non est infinita in ratione entis, h. e. non est collectio omnium perfectionum divinarum, sed una duntaxat perfectio in suo ordine infinita *C.* non est infinita in ratione entis, h. e. non se extendit ad omnes omnino effectus possibiles *N.*

*Ad Conf.* 1am. R. *D. M.* Potentiæ infinitæ debet correspondere terminus seu effectus infinitus quoad modum agendi; Deus enim teste S. Aug. L. 11. de Civ. c. 22. magnus etiam est in minimis *C.* Infinitus secundum substantiam *N.* vel *subd.* debet correspondere effectus saltem syncategorematice infinitus *C.* necessario categorematice infinitus *N.* Deus non producit tot et tot creaturas, quin plures et plures easque perfectiores et perfectiores semper producere possit.

*Ad* 2am. R. *D. A.* Potentia Dei exceditur intrinsece ab ejus scientia, quasi illa non haberet excellentiam tantam, quantum ista *N.* extrinsece *subd.* respectu alicujus, quod sit objectum potentiæ divinæ *N.* respectu ejus, quod potentiæ divinæ objectum non est *C.* Sicut per hoc nihil decedit *scientiæ divinæ,* quod falsa non sciat, sic nec *omnipotentiæ,* quod impossibilia, qualia mala omnia sunt respectu Dei, nequeat facere; cum facere malum potentia non sit, sed impotentia.

79. *Obj. cont. II.* Sunt aliqua, quæ Deus facere non potest : non potest mori nec falli : non potest mentiri aut peccare : non potest facere, ut res jam præterita non fuerit : non potest ex quolibet facere quodlibet; ergo.

R. *D. A.* Sunt aliqua, quæ Deus facere non potest, et quæ etiam sunt possibilia *N.* et quæ non sunt possibilia *C.* Quamvis vero ex recensitis aliqua sint, quæ non involvant contradictionem, si conferantur cum creatura, tamen ad Deum relata implicant repugnantiam contradictionis; unde juxta

S. Thomam hic potius dicenda sunt fieri non posse, quam quod Deus ea facere nequeat.

*Ad Prob.* 1am. R. *N. Cons. et supp.*, quod mori et falli ad potentiam activam pertineant; nam S. Aug. L. 5. de Civ. c. 10. n. 1. inquit : *Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult.* Quin ex hoc ipso Deus omnipotens est, ut idem S. Aug. Serm. 119. *de tempore* (al. 213. n. 1.) indicat; cum potentia passiva, quæ imperfectio est, a Deo removeatur. Huc pertinet explicatio, quam tradit Hugo Victorin. P. 2. de sacram. fid. c. 22. :

*Ad Prob.* 2am. R. *similiter.* Posse enim mentiri aut peccare juxta Chrys. hom. 38. in Joan. n. 4. et Ambros. ep. 50. ad Chrom. n. 2. *infirmitatis, non potentiæ* est; tum quia hæc *nihil potius, quam aliquid,* ut Petr. Dam. in opusc. 56. de div. omnip. ait, sunt, neque causam efficientem, sed deficientem habent; tum quia posse peccare est posse *excidere ab ente,* scilicet a veritate et bonitate, ut Dion. L. de div. nom. c. 8. §. 6. scribit.

*Ad Prob.* 3am. R. *D.* non potest facere Deus, ut res jam præterita præteritione præcisa et in sensu diviso non fuerit *N.* ut res præterita reduplicative sumpta et in sensu composito non fuerit *C. Primum* Deus potest, quia potuit rem illam non velle, antequam ejus futuritionem pro eo tempore, quo contigit, decerneret : *secundum* non potest, quia alias deberet facere, ut præteritum simul sit præteritum et non sit præteritum, ac proinde ut verum sit falsum; hoc autem ex dictis nec Deus potest, nec illud ex ratione omnipotentiæ posse debet. Hinc Aug. L. 26. cont. Faust. c. 5. *Sententia quippe,* inquit, *qua dicimus aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud, de quo dicimus, jam non est : hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati.* Cyrillus vero eamdem rem in exemplo inter Patres agitato L. cont. Anthropomorphitas c. 13. declarat : *Cur Deus eam, quæ stuprum passa est, nunquam facere potest, ut non stuprata fuerit? quia non potest mendacium veritatem facere. Neque vero imbecillitatis vitium istud est, sed naturæ probatio nihil pati sustinentis, quod ipsum dedeceat : alienum autem est penitus a Deo mendacium? porro mendacium est efficere, ut, quæ stuprum passa est, nunquam sit passa.*

*Ad Prob.* 4am. R. *D.* Non potest quodlibet facere ex quolibet in sensu diviso *N.* in sensu composito *C.* Nempe quamvis rerum naturæ, si secundum suas notiones seu prædicata essentialia considerentur, sint immutabiles, aut si supponantur res retinere suas naturas, non possint simul acquirere aliam naturam, eo quod alias tales naturæ essent et non essent; si tamen naturæ concipiuntur, ut existunt, cujuscumque rei natura potest converti in naturam alterius rei, uti de aqua in vinum, sanguinem et ignis vaporem conversa, testimonium Scriptura perhibet. Quin et in eo potissimum vis omnipotentiæ divinæ est posita, ut meminit Aug. l. c., *quod universa creatura sua utitur, ut ei placet.* Nam teste Chrys. orat. de Abrah. : *Naturæ affectionibus naturæ opifex non servit : quoniam naturæ necessitati non subest Deus in iis, quæ efficit, cum sit naturæ totius conditor.*

*Inst.* Si Deus potest facere omne possibile, posset exhaurire suam potentiam illud efficiendo, quia ut omnipotens debet actu possibilia facere posse; si autem actu faceret omnia possibilia, hoc ipso ejus potentia esset finita et exhausta : sed nequit dici, quod Dei potentia possit exhauriri; ergo neque,

quod actu facere possit omnia possibilia; ac consequenter quod sit omnipotens. *Conf.* Res mere possibiles sunt actu purum nihil; ergo non possunt actu esse objectum omnipotentiæ.

R. *D. M.* Si Deus posset divisim facere omne possibile, exhauriretur ejus potentia *N.* si posset facere omne possibile collective *C. M.*, sed *N. Supp.*, quod hoc ad omnipotentiam Dei necessarium sit, aut Deo conveniat. Ut enim Deus dicatur omnia posse, satis est, ut quodlibet eorum comparatum ad divinam potentiam possit ex vi illius ita in re constitui, sicut dicitur esse possibile : non autem necesse est, ut possit quodcumque illorum facere simul cum omnibus aliis; quia in hoc potest esse, et reipsa est repugnantia, quæ non involvitur in singulorum productione; ut patet in exemplo potentiæ divinæ rem conservandi vel destruendi, quam creavit.

*Ad Conf.* R. *D. A.* Sunt purum nihil ratione existentiæ *C.* ratione essentiæ *N.* Essentiæ scilicet rerum possibilium sunt reales et æternæ in ideis divinis aut in ipsa essentia divina, quæ infinitis modis potest ad extra communicari.

80. *Obj. cont. III.* Christus Matth. 26. 39. Patrem sic alloquitur : *Si possibile est, transeat a me calix iste,* h. e. subtrahe me a morte imminente : Sed calix non transiit, nec Pater Christum subtraxit; ergo id erat impossibile; ergo impossibile est, quidquid Deus facere non decrevit.

R. *D. Cons.* Ergo id erat impossibile absolute seu potentia absoluta et ex virium defectu *N.* ex hypothesi, quod Deus sic statuerit, seu potentia ordinata et ex immutabilitate decreti divini *C.* Inter varias impossibilitatis acceptiones, quas Greg. Naz. Orat 30. n. 10. et Ambr. L. 4. de fid. c. 5. refert, illa frequenter etiam in Scripturis usurpatur, qua dicitur impossibile, quod quidem absolute Deus facere potest, non tamen reipsa facit aut facere decrevit; sic enim Genes. 19. Deus ad Loth inquit : *Non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc;* Joan 6. dicitur : *Non potest filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem;* et Matth. 13. *Non poterat illic signa facere propter incredulitatem eorum, qui eum excipiebant.* Atque simili plane modo sumi textum objectum, liquet ex Luc. 22. 42. Christi orationem sic enarrante : *Pater, si vis, transfer calicem istum a me.*

*Inst.* 1. Patres pluribus modis declarant esse tantum possibilia et Deum posse facere ea, quæ facit vel vult facere. Nam 1°. Hier. Dial. 1. cont. Pelag. n. 9. illud tantum asserit *possibile,* quod *futurum* est. 2°. Fulg. L. 3. ad Trasim. c. 23. et L. 1. ad Monim. c. 12. docet Deum *tantum posse, quantum vult, et tantum velle, quantum potest;* Damasc. autem L. 1. de fid. c. 8. *Potentiam Dei... sola voluntas sua metitur.* 3°. Athenag. L. 1. de Resurrect. n. 9. 10. Greg. Nyss. L. Catech. c. 1. et Hier. in cap. 4. Dan. ad v. 32. dicunt Deum *omne* id *velle, quod bonum est, et* eatenus *etiam posse; quæ autem non vult, ideo nolle, quia vel injustum vel indignum est :* unde sequitur nec Deum posse ea facere, quæ non vult facere.

R. *N. A.*, si sermo sit de possibilitate absoluta, et quæ ad potentiam Dei secundum se spectatam refertur.

*Ad prob.* 1am. *D.* Hier. id tantum asserit homini possibile, quod est futurum *C.* possibile Deo *N.* Agit hic contra *Pelagianos,* qui hominem absque omni peccato vivere posse jactabant, probatque moraliter loquendo id fieri non

posse, quia id, si exemplum Beatæ Virginis Mariæ exceperis, factum nusquam fuit nec unquam fiet; absolute tamen id per Dei gratiam singularem fieri posse tradit idem Dial. 2. cont. Pelag.n. 16. laudatque Aug. L. 2. de pec. mer. hoc asserentem; unde potius argumentum pro nobis colligitur.

*Ad prob.* 2am. *D.* Et Fulg. et Damasc. his phrasibus duntaxat significabant voluntati divinæ subjacere omnia et nihil posse obsistere *C.* Deum nihil aliud posse nisi quod velit *subd.* nisi quod velit vel actu vel potentia *C.* nisi quod actu ipso tantum velit *N.* Primum sensum intendi ab utroque, patet ex additione, quam Fulg. loco 2° facit his verbis : *Quia, cui semper subest, cum volet, posse, non aliud est in illo velle, quam posse;* et quam habet l. c. Damasc. *Potentiam sola voluntas sua metitur, potest enim quidquid vult;* quo modo etiam loquitur Aug. Enchir. c. 96. dicens, *Deum non ob aliud vocari omnipotentem, nisi quia quidquid vult, potest; nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Cæterum *velle* non semper stricte sumi pro iis, quæ quis actu vult, sed late etiam pro illis, quæ potest velle, declarat communis loquendi formula, qua de homine, qui sui juris est, dicimus, eum facere, quæ vult.

*Ad prob.* 3am. R. Athenag. et Greg. Nysseni locutionem vel intelligendam esse de eo, quod Deus vult aut actu aut potentia, ut modo dictum; vel cum *Petavio* L. 5. Theol. Dog. c. 6. n. 3. dicendum eorum rationem tantum procedere, cum rem factam, aliunde, nempe ex *Scriptura,* constat, qualis fuit illorum de resurrectione corporum et mundi creatione loquendi materia; quia tunc inter argumenta, quibus contra infideles eadem probatur, usitatum et bonum est illud, si nec rem injustam nec Deo indignam esse monstretur. S. Hier. autem nec illam sententiam habet, nec, dum dicit l. c. *Nabuchodonosorem* quasi hominem seculi locutum, aliud contendit, quam Deum non tyrannorum more, quidquid libitum est, statuere nullo æqui vel iniqui discrimine, sed pro cujusque meritis bona vel mala dispensare.

*Inst.* 2. Patres, ac præsertim Aug. L. 2. cont. Maximin. c. 7. et L. 83. QQ. q. 50., contra Arianos probant Filium æqualem Patri in divinis; quia si Pater voluisset eum gignere æqualem sibi et non potuisset, foret imbecillis : si vero potuisset quidem sed noluisset, esset invidus; ergo similiter, si Deus posset plura vel perfectiora procreare, et reipsa non vellet, invidentiæ arguendus esset, ut idem Aug. L. 4. de Genes. ad lit. c. 16. inquit : *Si bona facere posset Deus, nec faceret, magna esset invidentia.*

R. *N. Cons. Disparitas est,* quia cum omnis generatio in similitudinem naturæ fieri debeat, Filio divino debebatur naturæ æqualitas : quare si Pater, quod *Ariani* putabant, voluntate Filium genuisset, nec æqualem tamen sibi, vel imbecillus vel præparcus aut invidus fuisset : hæc autem ratio pro rebus creatis non tenet, quibus nec esse nec ulla perfectio debetur, sed illa sunt beneficia ex liberalitate conditoris.

*Ad prob.* R. 1°. Libri de Genes. ad litt. auctoritatem non esse maximam, cum Aug. ipse L. 2. Retr. c. 24. dicat : *In quo opere plura quæsita, quam inventa sunt; et eorum, quæ inventa sunt, pauciora firmata : cætera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint.*

R. 2°. *D. Cons.* Et hic Aug. intelligendus est de potentia absoluta *N.* de potentia ordinata, si quæ illa posset, non faceret *C.* Nam L. 3. de lib. arb.

c. 9. n. 1. dicit, posse Deum producere meliora, et posito hoc creaturarum ordine, invidum esse, qui velit aliquam interire.

*Inst.* 3. Deus non potest facere nisi ea, quæ prævidit; quia alias posset absque providentia operari: sed prævidit ea sola, quæ facit; ergo et ea sola facere potest. *Conf.* 1°. Dei potentia et ejus voluntas sunt idem, et voluntas etiam Dei est immutabilis: sed Deus non vult alia, nisi quæ facit aut facturus est; ergo nec alia potest. 2°. Si Deus absoluta potentia posset alia, quam quæ nunc facit, facere; ergo pro priori rationis potuisset omittere decretum, quod nunc habet, vel aliud ab illo ponere: sed hoc dici nequit; nam *imprimis*, dum hoc concipimus, mere fingimus contra illas veritates reales, quod Deus in decreto sit immutabilis, et in eo non detur prius et posterius: *deinde* conciperetur, Deum potuisse eligere imperfectionem præ infinita perfectione; cum decretum sit perfectio Dei et ipse Deus, omissio autem illius nihil; ergo.

R. *D. M.* Deus nequit potentia ordinata facere nisi quæ prævidit *C.* potentia absoluta *N.*

*Ad prob.* R. Deum quidem sine ea, quæ modo est providentia operari posse, non tamen sine omni; quia si alia operaretur, etiam alia futura prævidisset. Itaque ex præscientia Dei infertur tantum, ea non esse futura, quæ non sunt prævisa, minime vero non esse possibilia; cum Deus alia præordinare et præscire potuerit.

*Ad Conf.* 1am. R. *D.* 1am. *p.* Potentia et voluntas Divina sunt idem realiter quoad entitatem et in se *C.* quoad tendentiam et terminationem ad objecta *N.* Potentia enim respicit omnia possibilia, voluntas vero definita tantum et volita. *Ad* 2am. *p.* R. *D.* Voluntas Dei est immutabilis, sed libera tamen simul *C.* determinata etiam ex se ad unum *N.*

*Ad.* 2am. R. *N. m. et prob.* 1am. quia fundamentum hoc concipiendi præbet libertas Dei et creaturæ; veritates vero reales supponunt jam ordinatam Dei potentiam. Similiter *N. prob.* 2am. quia vel illa omissio aut decretum aliud foret ipse Deus, sicut jam est decretum præsens, et mutatio tantum esset in termino: vel sicut jam actus liber, prout distinctus a necessario, non est perfectio in Deo, sed prædicatum neutrum, sic nec ejus omissio imperfectio dici potest.

*Inst.* 4. Quodcumque vult Deus, semper est melius, ut inquit Aug. L. 20. c. 4. cont. Faust.; imo necesse est, juxta Damasc. L. 2. de fid. c. 29. init. omnia a Deo optima fieri; ergo nequeunt a Deo fieri plura aut perfectiora.

R. *D. A. Quoad* 1am. *p.* Est simpliciter et absolute melius *N.* respective et comparative melius *C.* Aug. enim ibidem melius dicit fuisse, Christum nasci quam non nasci, ut carnis veritas illius adstrueretur solidius; et nasci ex femina, ut ne videretur muliebris sexus a salute repulsus. *Quoad* 2am. *p. D.* Necesse est fieri optima secundum modum *C.* secundum substantiam *N.* Deus semper agit *modo perfectissimo,* summa scilicet sapientia, æquitate et potentia, ubique intendendo finem ultimum præstantissimum, suam nimirum gloriam, et eligendo media aptissima ad finem proximum, quem sibi proponit assequendum: quia tamen Deus in agendo ad extra omnino liber est; quia nec opus Dei *ad extra* quoad substantiam, quæ finita est, est optimum, nec determinari etiam potest ullum, quo non meliora et meliora in infinitum dentur; quia denique quod in se melius est, comparatum ad ordi-

nem ac seriem rerum certam, minus bonum evadit; Deus nec agit semper nec agere tenetur optimum *substantive*. Præterea discrimen inter homines ac Deum est, quod illi dicantur etiam minus bene agere, si minus bona agunt; quia ex supposito adest præceptum vel alia causa, quæ eos impellat et obliget ad meliora etiam agenda, eorumque in agendo bonitas ex nisu voluntatis et conatu incrementum capit; quorum tamen nihil respectu Dei tenet.

*Inst.* 5. Sicut ex *artefactis* hominum æstimatur eorum scientia et potentia, sic ex Dei operibus elucet ejus virtus et prudentia; ergo sicut ex melioribus artefactis magis æstimantur homines, sic dum Deus ex suis operibus maxime æstimatur, hæc debent esse maxima, et consequenter majora produci nequeunt. *Conf.* Essentiæ rerum se habent sicut *numeri*, quibus nihil addi aut detrahi potest, quin mutentur; et potest a Deo produci creatura omnium perfectissima; ergo Deus non potest facere substantias meliores, nec etiam species perfectiores et perfectiores.

R. *T. A. N. Cons.* Debent esse maxima secundum modum *C.* secundum substantiam *N.* Si unice attendatur creaturarum substantia, hæc in comparatione ad auctorem suum, est *tanquam nihilum*: si attendatur æstimabilitas Dei ex creaturis, hæc ex minimis etiam capi debet, quia, ut Aug. L. 11. de Civ. c. 22. ait: *Deus ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis; quæ parva non sua granditate* (*nam nulla est*) *sed artificis sapientia metienda sunt.* Cæterum *disparitas* etiam est, quod cum homines materia, instrumentis et aliorum ministerio egeant, non possunt ostendere suam industriam nisi in *artefactis*; Deus autem, qui his omnibus ad quidpiam faciendum opus non habet, hoc ipso jam satis manifestat suam virtutem ac sapientiam, et ex modo etiam in minimis operibus infinitam suam excellentiam aperit: ad hæc, cum ars et sapientia hominibus non sit *essentialis*, et ipsa etiam perfectioribus operibus perficiatur, ex his illa recte æstimatur; e contra, quia Deus *essentialiter* est perfectissimus, nec acquirit artem nec operando perficit, ex sola operum cognitione æstimari non debet.

*Ad Conf.* R. *C.* 1am. *p. Ant. et D. Cons.* Ergo non potest facere substantias accidentario meliores *N.* essentialiter meliores *subd.* quatenus nihil potest addere vel demere rerum essentiis *C.* quatenus præter essentias rerum præsentium nequeat facere alias res et sic etiam alias essentias, aut non plures et perfectiores species rerum producere *N. Ad* 2am. *p. N. Ant. et Cons.* Exclusa enim unione hypostatica, visione beatifica et maternitate B. Virginis, quas S. Thomas, quatenus ordinem divinum includunt, vocat perfectissimas, Deus comparatione ad potentiam suam facta, nunquam facit perfectissimum *simpliciter*, nec facere etiam potest; quin tamen inde derogetur infinitæ illius potentiæ.

### Quæres. *An et qualis in Deo detur Distinctio et Compositio?*

81. *Nota.* Prædicata Dei *Relativa* inter se vere distingui, extra dubium est. Circa distinctionem *Absolutorum* duplex præcipue error fuit: Gilbertus Porretanus uti compositionem in Deo admisit, qua *Divinitas non est Deus, sed forma, qua Deus est*; ita videtur multis statuisse inter attributa divina

distinctionem realem : Aetius vero et Eunomius attributa omnia diversas duntaxat voces et sonos esse asserebant, ita ut nullo modo, ne ratione quidem, ab essentia divina distinguantur. Verum proscripta fuit Porretani doctrina in Concilio Rhemensi, præsente Eugenio III., cui acquiescens Gilbertus cum ordinis integritate et honoris plenitudine ad suam Diœcesin remeavit, prout testatur Otho Frising. Errorem *Eunomianorum* confutarunt SS. Patres, et damnavit Ecclesia, præsertim, quod inde pararent sibi viam ad dicendum, Filium et Spiritum S., in quibus non datur innascibilitas seu ratio improducti, non esse ejusdem essentiæ et naturæ cum Patre, ut constat ex Greg. Nyss. orat. 12. cont. Eunom. Hinc

82. *Dico.* Deus est simplicissimus Spiritus, uti omnis compositionis, ita et distinctionis *realis* expers, sive prædicata divina absoluta inter se, sive ad essentiam divinam referantur.

*Prob.* 1ª. *p.* ex dictis *num.* 39.

2ª. *p.* ex C. Lateran. IV. c. 1. *Firmiter.*, ex Hilar. L. 9. de Trin. n. 61. Athan. L. de Decr. Syn. Nic. n. 11. Theodoret. q. 20. in Gen. et aliis PP. *Conf.* ex ascitate, infinita perfectione et summa identitate illius, quod Deus habet, ac demum ex æternitate, infinitate et immutabilitate *essentiæ divinæ.* Personæ autem divinæ non dicunt *simplicitatem*, cum realiter inter se distinguantur, nec *compositionem,* cum non uniantur inter se ad constituendam unam personam vel Deum.

3ª. *p.* ex perfectissima Dei simplicitate, quæ distinctionem realem prædicatorum divinorum tum inter se, tum ab essentia penitus excludit; ita Concilium Rhem. in Symbolo contra Porretanum edito, Later. IV. Innoc. III. c. *Florent.* quod Sess. 18. definit, *omnia in divinis esse idem, ubi non intercedit oppositio relationis ;* ita SS. PP. Aug. Fulg. Bern. et alii. Attamen, quia Scriptura, Concilia et PP. de attributis et essentia divina loquuntur ut multis, quædam inter ea *distinctio rationis* admitti debet, vi cujus non quidem judicare possum, in Deo varias esse perfectiones ceu rationes objectivas, possum tamen unam formaliter cognoscere, et ab altera præscindere, præbente ad id fundamentum pluralitate ac diversitate effectuum, quamvis a simplicissima entitate ii proveniant.

*Si ais* 1°. In Deo est Unitas et Trinitas; ergo compositio. Major daretur in Deo simplicitas, si tres Personæ divinæ non distinguerentur realiter; ergo non est summa. Multa etiam Deo adveniunt de novo, v. g. decreta libera, denominationes Creatoris, Domini, Judicis; ergo saltem in Deo datur compositio ex subjecto et accidente.

R. Ad veram compositionem requiritur *distinctio* et *unio* : adeoque Personæ divinæ compositionem nullo modo faciunt, quia comparatæ ad se invicem tantum distinguuntur, comparatæ ad naturam tantum uniuntur, vel potius identificantur; ergo qua parte uniuntur, non distinguuntur, et qua parte distinguuntur, non uniuntur. Habetur ergo unitas cum pluralitate, non vero sic, ut ex plurium unione resultet unitas. Item major daretur simplicitas, prout hæc præcise dicit identitatem et opponitur distinctioni, non prout dicit carentiam unionis et opponitur compositioni. Demum multa de novo accedunt Deo solum denominative, extrinsece et objective per ordinem ad creaturas.

*Si ais* 2°. SS. Patres passim dicunt, justitiam, sapientiam etc. non esse Dei substantiam, et variis nominibus varias perfectiones significari : sæpe dicunt, ea, quæ de Deo prædicantur, tantum esse diversa nomina, quibus idem omnino significetur; ergo vel distinctionem realem adstruunt, vel etiam distinctionem rationis excludunt, juxta illud in Concilio Rhem. statutum : *Ne ratio in Theologia dividat inter naturam et personam.*

R. SS. Patres, sicut quando impugnant *Eunomium,* verbis quidem durioribus videntur asserere distinctionem entitativam, reipsa vero ad scopum præfixum non intendunt nisi distinctionem rationis; ita contra *Porretanum* disputantes solum excludunt distinctionem realem et entitativam, quin propterea velint prædicata divina esse duntaxat diversa nomina. Concilium Rhem. statuit, ne ratio dividat eo modo, quo divisit *Porretanus,* scilicet entitative ac realiter.

# DISPUTATIO II.

## DE INVISIBILITATE ET VISIBILITATE DEI.

---

## CAPUT I.

### DE INVISIBILITATE DEI.

—

### ARTICULUS I.

#### AN DEUS POSSIT INTUITIVE VIDERI OCULIS CORPOREIS ?

83. *Nota.* Dogma Gentilium et Anthropomorphitarum vel apertum vel ex eorum doctrina necessario profluens erat, Deum *oculis carneis* videri posse. Eumdem errorem Christianis universis exprobraverunt olim Gentiles, quam calumniam Orig. L. 7. cont. Cels. n. 33. et seqq. depulit. Inter *Arianos* tamen fuerunt plures, qui solum Patrem Divinum assererent invisibilem : quin et Catholicorum nonnullos ejusdem erroris sua ætate notarunt Iren. L. 4. c. 37. (al. 20.), et Aug. ep. 6. (al. 92).

84. *Dico.* Deus oculis corporeis nec visus est unquam, nec videri potest.

*Prob. I. ex* Scriptura. Exod. 33. 20. Deus quasi generalem legem statuit : *Non videbit me homo, et vivet.* Item universim legitur Joan. 1. 17. : *Deum nemo vidit unquam.* 1. ad Cor. 2. 9. *Oculus hominis non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit diligentibus se.* 1. ad Tim. 6. 15. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et c. 1. v. 18. præmissum erat : *Regi seculorum immortali et invisibili.* Circa hæc autem testimonia certum est : 1°. quod naturali et sensu obvio accepta loquantur de *visione corporea,* cum proprie videre pertineat ad oculos corporeos : 2°. quod Paulus ibidem vel mentionem faciat de *oculo corporeo* sicut de aure carnea, vel doceat Deum verum esse diversum a falsis numinibus ac spiritum : 3°. quod de *visione mentali* simpliciter nequeant intelligi exceptiones illæ, cum possibilis sit visio Dei intuitiva per intellectum elevatum.

*Conf.* Quoties Scriptura loquitur de visibilitate Dei, utitur terminis qui mentis actum, non autem oculi corporei indicant : Matth. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 1. Joan. 3. 2. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est ;* quibus verbis S. Aug. ep. 6. (al. 92. n. 3.) ostendit, oculos cordis et spirituales intelligi, non autem corporeos, secundum quos Deo similes non erimus.

*II. ex* Patribus. Orig. L. 7. cont. Cels. n. 34. inquit : *Falso nobis imponit Celsus dicens , nos sperare oculis corporis Deum esse visuros.* Athan. disputans contra Arian. a S. Augustino ep. 111. (al. 148. n. 10.) refertur, *instantissime suasisse, Deum non esse visum nisi assumptione creaturæ : secundum Deitatis autem suæ proprietatem, omnino Deum esse invisibilem..... nisi quantum mente ac spiritu nosci potest.* Greg. Naz. or. 28. n. 7. *Deus est ejusmodi, ut nec tangi nec oculis cerni queat.* Cyril. Hierosol. Catech. 9. n. 1. *Carnis quidem oculis contemplari Deum, impossibile.* Hier. in c. 6. Isa. v. 1. *Non solum Patris divinitatem, sed ne Filii quidem et Spiritus S., quia una in Trinitate natura est, possunt oculi aspicere.* Cs. ib. c. 64. v. 4. Ambr. Serm. 8. in Psal. 118. n. 17. docet errasse Moysen, quod existimaverit, Deum oculis videri posse.

*Conf.* 1°. Nulla potentia præsertim vitalis potest ferri extra suum objectum : sed oculus est potentia vitalis, et Deus est extra illius objectum; ergo oculus non potest ferri in Deum, seu eum videre. 2°. Concipi potest, Deum visibilem fieri ab oculo corporeo : si vel Deus assumendo corpus reddat se spectabilem : vel si oculus immutata natura evadat spiritualis, et sic ad videndum Deum idoneus. Sed in *primo* casu non habebitur visio intuitiva ac Dei, ut est in se; in *secundo* autem non jam corporeis, sed spiritualibus oculis videretur Deus ; ergo.

85. *Nec dicas* 1°. Multi Patriarcharum et Prophetarum de facto corporeis oculis viderunt intuitive Deum : quod patet de *Abrahamo* Gen. 15., de *Jacobo* Gen. 32., de *Manue* Jud. 13., de *Moyse* Exod. 33., de *Isaia* c. 6. ; ergo.

R. *N. A. ad prob. D.* Patet de illis, quod viderint Deum immediate et in se ipso *N.* mediate tantum et in alio *C.* Triplex universim modus est exponendi visiones Patribus Veteris Testamenti factas : *primus* est, cum dicitur ipse Deus, et præsertim Persona Verbi, humanæ incarnationi præludens, apparuisse in forma, quam libere ac pro voluntate assumpsit : *secundus,* cum dicitur per Angelum, qui et ipse in hominis assumpta forma apparuit, esse visus : *tertius,* cum in raptu vel extasi, aut in somno per quamdam similitudinem ac sensibiles species se manifestavit. *Primo* usi sunt frequenter Scriptores antiqui, *aliis* moderni communius; quibus etiam suffragatur Scriptura. Nam et *Abraham* Gen. 18., cum videret tres viros, h. e. Angelos sub forma virorum, unum tanquam Dominum adoravit : et quem *Jacob* dixit Deum, Oseas, 12. v. 3. vocat Angelum : et quamvis uxori *Manue* apparuerit tantum Angelus, tamen vir ejus postea dicit, *Moriemur, quia vidimus Dominum.* Denique *S. Stephanus* Act. 7. interpretatur de Angelo vices Dei gerente, quod Scriptura de Deo facie ad faciem collocuto cum *Moyse* dixerat. Sicut vero modus exponendi *secundus* pertinet ad visiones Patriarcharum, sic *tertius* convenit propheticis illustrationibus ; certe nisi similitudinem tantum in visione Isaiæ admittere volueris, oportebit Deum ad modum corporis esse extensum, sedere etc.

86. *Nec dicas* 2°. Job. c. 42. ait de Deo : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Prius c. 19. dixerat : *Rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt.* Ergo et vidit et speravit Deum oculis videndum.

*Conf.* Luc. 3. legitur : *Videbit omnis caro salutare Dei.* 1. ad Cor. 13. asseritur, quod Deum *videbimus facie ad faciem;* ergo Deus oculo corporeo erit visibilis.

R. *Quoad* 1. *D. Cons.* Ergo Job vidit Deum visione substantiæ divinæ *N.* visione effectuum providentiæ divinæ *C.* Sensus enim est : Equidem de tua, o Deus ! providentia audiveram plurima et mirabilia ; nunc autem prosperorum et adversorum sorte jactatus, in me ipso eamdem experior et propius inspicio. *Quoad* 2. etiam *D. Cons.* Speravit Deum videndum oculis mentis *C.* oculis corporis *Subd.* Deum secundum naturam assumptam, seu Christum Salvatorem *C.* Deum secundum naturam propriam *N.* Utramque distinctionem usurpat S. Aug. de Civ. Dei L. 22. c. 29. n. 4. : *primam,* quia Job dicit in carne, non per carnem visurum se Deum : *secundam,* quia de Redemptore loquitur et de sua resurrectione.

*Ad Conf.* R. Similiter, quantum attinet ad *primum* textum, qui de Deo incarnato aperte loquitur : quantum ad *secundum N. Cons.* quia *facies* hic et alibi sumitur metaphorice ad visionem Dei intuitivam exprimendam, qua donantur Sancti in patria; non vero proprie, cum alias Deo humana etiam membra tribuenda forent.

87. *Nec dicas* 3°. S. Aug. de Civ. l. c. n. 5. rejicit opinionem Philosophorum, qui negant res spirituales videri posse a corpore; ergo censet posse videri Deum ab oculo corporeo. *Conf.* S. Doctor ibidem docet Deum oculis corporis beati videndum, et simul opponit hanc visionem Dei cum illa, qua nunc fruimur in hac vita; ergo admittit intuitivam visionem Dei et in se ipso corporeis oculis apud beatos futuram.

R. *D. A.* Rejicit opionem hanc secundum momenta et rationem quibus illam propugnabant *C.* secundum assertionem et sententiam *N. Philosophi* isti volebant spiritum a corpore cognosci non posse, quia nec spiritus possit percipere corporea sed intelligibilia duntaxat, quod refellit. S. Aug. dicens : *Sed istam ratiocinationem et vera ratio et prophetica irridet auctoritas. Quis enim ita sit aversus a vero, ut dicere audeat, Deum corporalia ista nescire?* etc. Inde tamen non concedit, oculum corporeum posse attingere spiritum, nisi in hypothesi mutati corporis in spiritum; in qua sic subdit : *Sicut ergo constat videri corporea spiritu : quid si tanta erit potentia spiritualis corporis, ut corpore videatur et spiritus?*

*Ad Conf.* R. *D.* 1am. *p.* Docet Deum oculis beati corporis videndum immediate et in seipso seu propria substantia *N.* mediate et in effectibus, sicut vitam et animam in hominibus videmus *C.* Etiam *D.* 2am. *p.* Hanc visionem cum illa, qua nunc fruimur, opponit, quoad aliqua et modum tantum visionis abstractivæ diversum *C.* quoad omnia et speciem etiam visionis diversam *N.* Visionem Dei per oculos spirituales etiamnum abstractivam hic admitti, patet ex distinctione priori : diversitas vero inter visionem hujus et alterius vitæ stat in eo, quod præsentis vitæ visio potius excitet fidem de Deo, quam ut eum menti nostræ statim absque medio discursu præsentem sistat, cum alterius vitæ visio per oculos capta ex apprehensis Dei effectibus Deum statim menti objiciat sine intermedio ratiocinio. Ita se ipsum explicat. S. Aug. L. 22. de Civ. c. 29. n. 6. *Non sicut nunc invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur per speculum in ænigmate et ex parte, ubi plus valet*

*fides, qua credimus, quam rerum corporalium species, quam per oculos cernimus corporales : sed sicut homines, inter quos viventes motusque vitales exerentes vivimus, mox ut aspicimus, non credimus vivere, sed videmus; eum eorum vitam sine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora, remota omni ambiguitate, conspicimus : ita quacumque spiritualia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem etiam per corpora contuebimur.* In quem locum S. Thomas 1. q. 12. a. 3. ad 2. eumdem S. Aug. sensum subjungit.

*Nec dicas* 4°. Idem ibid. n. 3. statuit, oculos in gloria fore alios et virtutis præpollentioris, non tamen qualis in animalibus acrius videntibus habetur; et hanc etiam vim probabiliter censet Jobo per aliquod instans in hac vita communicatam, dum diceret : *nunc autem oculus meus videt te* : ergo tribuit posse Deum saltem a spiritualibus oculis videri. *Conf.* Nequit dari ratio, cur S. Aug. nihil definire in quæstione de oculis spiritualibus voluerit; ergo.

R. *D. A.* Statuit hæc absolute et ex sententia propria aut in quam ipse propendeat *N.* hypothetice et ex sententia aliena, quam quidem explicat, quin tamen in eam inclinet *C.* Res patet ex ipso textu : *Utrum videbunt et per oculos corporis, inde quæstio est. Si enim tantum poterunt in corpore spiritali eo modo utique etiam ipsi oculi spiritales, quantum possunt isti, quales nunc habemus, procul dubio per eos Deus videri non poterit : longe itaque alterius erunt potentiæ, si per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed ubique est tota..... Vis itaque oculorum illorum præpollentior erit, non ut acrius videant, ... sed ut videant et incorporalia.* Simili modo illud de *Jobo* additum ex textu cognosci potest, quem ita prosequitur : *Et fortasse ista virtus magna cernendi data fuerit ad horam etiam in isto mortali corpore oculis sancti viri Job, quando ait ad Deum : In obauditu auris obaudiebam te prius, nunc autem oculus meus videt te etc. Quamvis hic nihil prohibeat, oculum cordis intelligi, de quibus oculis ait Apostolus : illuminatos oculos habete cordis vestri.*

*Ad Conf.* R. *N. A.* Imprimis definire nihil voluit, tum quod res non pertineret ad quæstionem dogmaticam, sed mere philosophicam : tum quod Catholicorum etiam quorumdam hanc esse opinionem intelligebat, quos exacerbare noluerat : tum quod librata infinita Dei potentia non possumus semper dicere in se impossibilia, quæ nobis ardua aut impossibilia etiam videntur. Pleraque alia hic objici solita sunt *philosophica.*

## ARTICULUS II.

### AN DEUS INTUITIVE VIDERI POSSIT AB INTELLECTU CREATO PER SOLAS NATURÆ VIRES?

88. *Nota.* Cognitio Dei, quæ in hac vita habetur, est vel ex creaturis seu effectibus a Deo creatis, vel ex fide seu divini verbi significatione, et utraque *abstractiva,* non autem intuitiva seu clara et evidens cognitio Dei, prout est ille *in se.* Quod visio Dei *intuitiva* convenire possit homini per singulare auxilium divinum, quod Theologi *lumen gloriæ* vocant, infra : an vero illa

etiam tribui possit intellectui, sive humano sive angelico, sibi relicto et per solas naturæ creatæ vires operanti, hic quæritur. Affirmarunt id *Anomœi* sec. 4. de quorum duce Actio Epiphanius hæres. 76. p. 989. hæc refert : *Hic enim cum suis in eam vanitatis amentiam incidit, ut supra mortales omnes Deum se, non sola fide sed natura, secundum scientiam nosse jactaret : quemadmodum alicubi supra memini, dicere illos, non simpliciter fidei aliqua notitia Deum sibi esse perspectum; sed perinde ac quispiam cognoscit, quidquid oculis cernitur, aut manibus attrectatur : velut si in manus assumat aliquis lapidem aut lignum aut materiæ alterius instrumentum.* Eumdem errorem sec. 14. instaurarunt *Beguardi* et *Beguinæ* in Germania inferiore, quorum 5us doctrinæ articulus is erat : *Quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata : et anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum.* Quamvis vero ab hoc errore alieni sint Theologi Catholici omnes, sunt tamen inter eos nonnulli, qui saltem *possibilem* existimant substantiam creatam, quæ vel per se sit tantæ virtutis, quanta est virtus complexi ex intellectu et lumine gloriæ, et cui proinde proportionata et connaturalis sit Dei visio, ita ut ad eam eliciendam non sit necessaria ulterior elevatio; vel quæ licet tantæ virtutis non foret, tantæ tamen perfectionis est, ut illi lumen gloriæ, ac consequenter etiam visio Dei intuitiva, sit debitum et connaturale. Verum his sufficiant dicta num. 8. de repugnantia substantiæ creatæ *intrinsece* supernaturalis.

89. *Dico.* Deus de facto intuitive videri nequit ab intellectu creato per solas naturæ vires.

*Prob. I. ex* Scriptura. Hæc enim 1°. ut constat ex textibus relatis, negat Deum videri posse: sed hæc testimonia imprimis non minus de *intellectuali* visione quam corporali exponi possunt, præsertim cum ibidem ad Corinth. addatur : *Nec in cor hominis ascendit ;* et Patres in eos textus commentantes sæpe de utraque visione loquuntur : deinde vero eadem, ut S. Aug. ep. 112. (al. 147.) c. 14. facit, exponi debent de invisibilitate intellectuali per naturam seu vires naturæ, cum aliunde liqueat supernaturali auxilio adjutum intellectum posse habere visionem Dei; ergo. 2°. Docet intuitivam Dei visionem pertinere ad gratiæ beneficium, Psal. 83. 12. *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Ad Rom. 6. 23. *Gratia Dei vita æterna.* 3°. Eadem manifestam Dei cognitionem removet ab hujus vitæ conditione, 1. ad Cor. 9. *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus : cum ergo venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Item : *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte : tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* 2. ad Cor. 5. 7. *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem.* 1. Joan. 3. 2. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.*

*II. ex* Traditione. In C. Vien., ut etiam refertur in Clementinis Cap. *Ad nostrum.* tit. *de hæret.*, recensito cum reliquis errore Beguardorum supra exposito, Clemens V. ita definit : *Nos, sacro approbante Concilio, sectam ipsam cum præmissis erroribus damnamus et reprobamus omnino.* Ex Patribus, qui Anomœos oppugnarunt, Epiphan. hær. 70. n. 7. *Deum quidem,* inquit, *videri præsertim ab humana natura non posse fatemur;... Sed idem tamen Deus invisibilis pro sua humanitate ac potentia imbecillem aciem ita*

*virtute sua corroborare dignatur, ut quod videri alioqui non potest, aspiciat.* Greg. Naz. Orat. 28. n. 17. scribit, *nihil ad nos pertingere in hac vita de Dei notitia, nisi exiguum quemdam rivulum, ac velut parvum magnæ lucis radium.* Ex reliquis Orig. L. 1. Periarch. c. 1. n. 6. *Mens,* ait, *nostra ipsum per se ipsam Deum, sicut est, non potest intueri.* Ambr. comment. in Lucam c. 1. n. 26. *In potestate nostra non est Deum videre, sed in potestate illius est apparere.* Aug. L. 19. de Civ. c. 25. *Sicut non est a carne, sed super carnem, quod carnem facit vivere; sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beate vivere.*

*Conf.* Visio Dei intuitiva est supernaturalis, ex Psal. 83, et ad Rom. 6. Est finis et merces, ad quem per fidem, spem, charitatem et alia opera salutaria pertingitur, Joan. 14. 11. *Qui diligit me, manifestabo ei me ipsum;* et 1. ad Cor. 2. 9. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Constat vero ex Tr. *de Grat.* media hæc et merita debere esse supernaturalia, ac inter hæc et finem atque mercedem necessario intercedere ordinis proportionem; ergo.

90. *Nec dicas* 1°. Juxta S. Aug. L. 10. de Civ. c. 22. Solum peccatum causa est, cur Deum non videamus; ergo intellectus ex se potest videre Deum. 2°. Deus intuitive videndus continetur intra limites intellectus creati, sicut gloriosa corpora intra objectum visus: et Deus videndus non attingitur nisi modo finito; ergo. 3. Deus etiam intuitive videndus est ultimus noster finis; et ad hunc habemus tum appetitum innatum, tum elicitum prudentem ac ordinatum: sed et ultimum finem nostrum, et quod ejusmodi appetitu desideramus, naturaliter possumus cognoscere; ergo.

R. *Ad* 1. *D. A.* Solum peccatum est causa moralis, cur Deum non videamus, quatenus peccati pœna est cæcitas mentis, qua frequenter impedimur a cognitione Dei abstractiva, et quatenus peccati etiam pœna est privatio gratiæ sanctificantis, cujus opera obtinetur finis supernaturalis *C.* est causa physica, et sine cujus interventu omnia in nobis expedita forent, ad visionem Dei ex parte potentiæ requisita *N.* Physica enim causa, cur Deum non videamus, est ipsamet impotentia naturalis, ad quam superandam necessarium est supernaturale luminis gloriæ auxilium.

R. *Ad* 2. *D. A.* Deus intuitive videndus continetur intra limites objectivos intellectus, h. e. objecti specificativi, adæquati et terminativi *C.* intra limites objecti connaturalis ac proportionati *N.* Duplex nempe distinguendum est objectum potentiæ cognoscitivæ: aliud *specificativum* et *adæquatum,* ad quod potentia se extendere et ferri potest, sive propriis viribus sive superiori saltem auxilio roborata; et intra limites hujus objecti continetur Deus intuitive visus, utpote sic visibilis et cognoscibilis, sicut et per actus supernaturales alios fidei, spei et charitatis attingibilis: aliud *connaturale* et *proportionatum,* ad quod potentia connaturaliter, h. e. per se solam et absque auxilio alterius ordinis ferri potest; et intra ejusmodi objecti limites Deus intuitive videndus non continetur, nisi remote tantum et inchoate, non autem proxime et complete.

*Ad prob.* 1am. *Disparitas* est, quia omne *lucidum,* etiam in corpore glorioso, supponitur esse naturale, saltem quoad substantiam; siquidem lux corporea ex sua perfectione nihil supernaturalis quoad substantiam exigit, licet hic

et nunc ex ordinatione Dei extrinseca, sit connexa cum beatitudine supernaturali animæ : e contra non omne *verum* est naturale, sed plura sunt etiam quoad substantiam supernaturalia, maxime autem Deus ; nisi tamen velis dicere, Deum excellentiori modo esse supra omnem naturam creatam et vocari potius auctorem omnis supernaturalitatis et naturæ, quam ens supernaturale.

*Ad prob.* 2am. *N.* Sicut enim supernaturalia quantumvis finita non sunt proportionata et connaturalia potentiæ naturali, sic etiam quæ finito tantum modo attinguntur aut fiunt, non possunt fieri solis naturæ viribus, ut patet in actibus salutaribus quibuscumque seu supernaturalibus.

R. *Ad* 3. *D.* Deus intuitive videndus est finis noster ultimus supernaturalis *C.* naturalis *N.* Naturalis enim finis noster, et quem homo in puris naturalibus conditus habuisset, est perfecta Dei visio abstractiva. Sed de his vide Tract. de gr.

## ARTICULUS III.

### AN DEUS AB INTELLECTU CREATO POSSIT COMPREHENDI ?

91. *Nota.* Comprehensio a Patribus tum Græcis tum Latinis pro cognitione objecti clara, firma, simultanea, et maxime plenissima usurpatur. Ad hujus vero cognitionis plenitudinem duo requiruntur. : 1°. ut omnia, quæ *formaliter* in objecto sunt, attingantur, quod declarat S. Aug. tum in Serm. 38. de Verb. Dom. (al. 117.) c. 3., tum ep. 112. (al. 147.) c. 9. 2°. ut cognoscantur omnia, quæ sunt in objecto *eminenter,* seu quæ in ejus virtute et potentia causaliter continentur, uti declarat S. Thom. p. 3. q. 10. a. 2. et *Petav.* de Deo L. 7. c. 4. ex Patribus ostendit, qui Filio Dei et Spiritui sancto solis comprehensionem Patris tribuunt, quia soli illi præter Dei substantiam, ejus etiam sinum ac profunda cognoscunt, seu quæ in consiliorum illius secreto, absoluta potestate ac virtute continentur. Anomæi dicere ausi sunt Deum a se comprehendi, ut S. Epiphan. exponit, de Aetio l. c. sic pergens : *Ita audacissimus iste dicebat : Tam Deum novi, quam meipsum, imo non tam novi meipsum, quam Deum.* Contra quos

92. *Dico.* Deus ab intellectu creato, lumine gloriæ quantumvis adjuto, comprehendi non potest.

*Prob. I. ex* Scriptura quæ comprehensionem rejicit sive quæ simpliciter de Deo concipitur, sive quæ ad ejus virtutem et attributorum potentiam pertinet. Primum liquet ex Job. 36. 26. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram.* Eccli. 43. 34. *Ne laboretis : non enim comprehendetis.* Jerem. 32. 19. *Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu.* Alterum patet ex Job. 9. 10. *Qui facit magna et incomprensibilia.* Et. c. 11. 7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum omnipotentem reperies?* Psal. 146. 5. *Sapientiæ ejus non est numerus.* ad Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus!* 1. ad Cor. 2. 10. *Spiritus scrutatur omnia etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Ejusmodi

vero testimonia cum nec a Scriptura nec a Patribus restringantur vel ad cognitionem in præsenti vita, vel ad cognitionem ex solis naturæ viribus; *absolute* sumenda sunt, et assertum omnino evincunt.

II. *ex* Traditione. C. Later. IV. cap. *Firmiter* sic habet: *Simpliciter confitemur, quod unus verus est solus Deus, æternus, incomprehensibilis*; et c. *Damnamus* additur: *Nos, sacro approbante Concilio, credimus et confitemur cum Petro* (scil. Lombardo) *quod una summa quædam res est, incomprehensibilis.* Porro Magister sent. intelligebat Deum omnino incomprehensibilem. Basileense autem an. 1435., quo Eugen. IV. necdum transtulerat Concilium Florentiam, damnavit propositionem Augustini de Roma, qua dixerat in suo de Christo et Ecclesia Libro: *animam Christi videre Deum tam clare ac intense, quantum clare ac intense Deus videt se ipsum*; quo sensu comprehensionem expresserat. Idem jam antea etiam præter Gregorium utrumque, Basilium, Chrysostomum et Theodoretum, qui Anomæos ex professo oppugnarant, docuerunt Dionys. L. de divin. nom. c. 13. §. 1. Iren. L. 4. c. 37. (al. 20). Clem. Alex. L. 5. Strom. p. 548. Cyrill. Catech. 6. n. 5. 6. Epiphan. hær. 70. n. 7. Aug. serm. 38. (al. 117). supr. cit. *Conf.* Comprehendere est rem cognoscere quantum est cognoscibilis, et ejus cognoscibilitatem quoad omnia, quæ formaliter et eminenter habet, exhaurire: sed intellectus creatus etiam lumine gloriæ instructus non potest Deum cognoscere, quantum cognoscibilis est; tum quia intellectus ejusmodi semper manet finitus, cognoscibilitas autem est infinita, sicut ejus perfectiones, quas sive formaliter sive eminenter continet, sunt infinitæ; tum quia alias sancti Patres illegitime ex comprehensione probassent divinitatem Filii et Spiritus sancti; ergo.

93. *Obj. I.* Beati a Theologis vocantur *comprehensores*; et Paulus fideles 1. ad Cor. 9. monet: *Sic currite, ut comprehendatis*; ac de se ad Philip. 3. scribit: *Sequor autem, si quomodo comprehendam*; ergo comprehensio Dei est possibilis. *Conf.* Rem cognoscere totaliter et sicut eam Deus cognoscit, est rem comprehendere: sed sic Beati vident Deum; 1. ad Cor. 13. 9. *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*; et v. 12. *Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum*; ergo.

R. *D. Cons.* Comprehensio Dei sumpta pro assecutione et possessione Dei est possibilis. *C.* sumpta pro cognitione Dei adæquata et plenissima *N.* Omnia antecedentis exempla desumpta sunt a similitudine cursorum, qui comprehendunt metam et bravium; unde patet, non esse ibi sermonem de comprehensione ad animi perceptionem et cognitionem perfectissimam translata.

*Ad Conf.* R. *N. m. Ad prob. D.* Et hic Apostolus facit tantum oppositionem cognitionis per fidem imperfectæ et obscuræ cum cognitione per visionem beatificam perfecta et clara *C.* cum cognitione plenissima, et comprehensiva *N.* omnis nostra de Deo et divinis cognitio, sive fides sit, sive scientia ex fide orta, est *imperfecta* et *ex parte*, quia revera totum, quod est Dei, et omnia ejus attributa in hac vita non cognoscimus; et *obscura* etiam est, quia per speculum in ænigmate tantum habetur: in altera autem vita Beatorum cognitio erit perfecta et clara; quia tunc perfectum veniet, facie ad faciem Deus videbitur, et omnes Dei perfectiones cognoscentur. Ad

eamdem etiam intuitivam Dei visionem tantum refertur, quod additum est, quia explicat illud v. 12. initium : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem;* unde colligitur quidem essentiam ac perfectiones Dei et mysteria fidei in seipsis cognosci a beatis, sicut Deus nos in nobis videt, non tamen in cæteris nostram cognitionem esse Divinæ æqualem.

*Inst.* Scire, quænam sit latitudo rei, et omnes ejus dimensiones, est rem comprehendere : sed Paulus sic Deum cognoscebat, voluitque ab hominibus cognosci, ad Ephes. 3. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum : Et scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem Dei plenitudinem;* ergo.

R. *D. M.* Scire tantum in genere et universim, quæ sit plenitudo rei ejusque dimensiones, est rem comprehendere *N.* in specie aut individuo et singillatim *C.* Etiam *D. m.* Paulus voluit cognosci Deum secundum Incarnationem et præsertim quoad crucis mysterium *T.* secundum divinitatem *subd.* cognosci in genere et universim *C.* in individuo et singillatim quoad omnia in Deo cognoscibilia *N.* Quamvis *Apostolus* videatur hic loqui de Christo ut homine, et peculiariter de ejus cruce, hujusque fructu et conformitate in nobis tum in hac tum in futura vita; tamen, si ejus sensus etiam de divinitate intelligatur, nonnisi de cognitione Dei finita et tali intelligendus est, qualem de facto per fidem sive rationis lumen de Deo infinito et omniperfecto habemus, quæ certe comprehensiva dici nequit.

94. *Obj. II.* Objectum quod simplicissimum est et totum videtur, ita ut nihil ejus lateat videntem, comprehenditur ; sed Deus est ens simplicissimum, et totus videtur, ita ut nihil Dei lateat Beatum; quia videtur sicuti est in se; ergo. *Conf.* Beati vident omnipotentiam Dei, imo vident ipsam Dei comprehensionem seu actum, quo Deus seipsum comprehendit; ergo et vident omnia, quæ in omnipotentia et illa comprehensione continentur, ac proin Deum comprehendunt.

R. *D. M.* Si videtur totum ita, ut nihil lateat præcise quoad entitatem et substantiam *N.* Si ita videtur, ut nihil lateat tam quoad entitatem et substantiam quam quoad modum virtutis sive in essendo sive in operando *C.* Quamvis Deus sit ens simplicissimum et hinc secundum partes non videatur, nec cognitioni Beatorum aliquid ejus entitatis ac substantiæ subtrahatur; tamen quia simul est virtualis multiplicitatis et æquivalentiæ infinitæ, a finita cognitione mensurari nequit. Porro videre rem, uti est in se, proprie dicitur de cognitione clara et immediata rei ipsius, rigide autem de totali cognitione rei tam secundum modum quam secundum substantiam : in priori sensu affirmatur a scriptura de Beatis respectu Dei, et nihil obest nostræ sententiæ; in posteriori autem obest quidem, sed et hinc etiam a pluribus Patribus præsertim Græcis negatur.

*Ad Conf.* R. *quoad* 1am. *p. D.* Vident omnipotentiam quantum ad se, h. e. divinitatem ejusque vim effectricem creaturarum *C.* quantum ad alia, h. e. secundum id, quod eminenter continet, nempe perfectiones creaturarum a Deo producibilium, *subd.* vident communi quadam ac generali perceptione, quæ præcise correspondeat ideæ genericæ de omnipotentia *C.* cognitione

peculiari et distincta, quæ sigillatim repræsentet omnes creaturarum perfectiones, quas in infinitum omnipotentia connotat. *N. Quoad* 2am. *p. D.* similiter; quia vident quidem substantiam ipsam actus, quæ est ipse Deus, non tamen omnem illius terminum.

*Inst.* 1. Saltem Deus comprehenditur ab humanitate Christi; nam: 1°. ut ait Paulus ad Coloss. 2. *In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei*, et Joan. 3. *Non est Christo datus spiritus ad mensuram.* 2°. Juxta Isidor. in Exod. c. 42. n. 3. *Sola sibi integre nota est Trinitas et humanitati assumptæ.* 3°. D. Thomas p. 3. q. 10. a. 2. asserit, hominem assumptum cuncta cognoscere, quæ sunt in Deo; ergo.

R. *N. A. Ad prob.* 1am. *D.* Hæc Christo insunt et sunt data, quatenus humanitati conjuncta est divinitas, quæ habet thesauros sapientiæ increatæ ac spiritum non ad mensuram *C.* quatenus ejus humanitas in se spectatur, aut hæc habeat sapientiam creatam infinitam et spiritum non ad mensuram in se ipsa *N.* Verba ab Apostolo immediate subjecta: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, ejus mentem et nostram responsionem explicant.

*Ad prob.* 2am. *D.* Trinitas integre nota est humanitati assumptæ ratione personæ, in qua subsistit, unde et addit: *Quæ est secunda in Trinitate persona C.* ratione sui *N.* Sensus itaque illius est: Christus ut Deus divinam comprehendit essentiam, non autem ut homo.

*Ad prob.* 3am. *D.* Asserit humanitatem cognoscere omnia, quæ sunt formaliter in Deo *T.* quæ sunt eminenter *subd.* quantum ad possibilia, et præsentium etiam ac futurorum omnem virtutem vel modum *N.* quantum præcise ad præsentium ac futurorum substantiam et numerum, quandoquidem Christus omnium, quæ Deus decrevit, caput est *C.*

*Inst.* 2. Deus secundum totam suam visibilitatem continetur intra objectum intellectus creati; ergo per absolutam potentiam Dei potest intellectus creatus elevari ad Deum comprehendendum; præsertim cum lumen gloriæ aut concursus Dei infinitus non implicet.

R. *D. A.* Deus secundum totam suam visibilitatem continetur intra objectum intellectus creati, quatenus habet rationem veri, et ita, ut attingatur modo finito *C.* quatenus habet rationem infiniti, et ita ut attingatur modo infinito *N.* Tota infinitas Dei manet visibilis et comprehensibilis respectu Dei, qui se ipsum solus comprehendit: non autem visibilis et comprehensibilis est respectu intellectus creati, a quo tantum *finito modo* et cognitione communi ac generali, aut distributive, et divisive, non autem modo infinito et cognitione singulari ac distincta, aut collective et simul attingi potest. *Ad prob.* subjunctam *N.* quia repugnantia luminis gloriæ aut concursus simultanei in actu secundo et terminative infiniti patet præter alia ex eo, quod omnis creatura et actio creata essentialiter debeat esse limitata ac finita.

*Inst.* 3. Tota divinitas uniri potuit cum natura humana in Christo unione substantiali et physica; ergo et uniri poterit cum intellectu creato unione accidentali et intentionali; maxime cum illud plus sit quam hoc. *Conf.* Cognitio divina, qua Deus seipsum comprehendit, potuit uniri cum intellectu creato, sicut dignitas naturæ divinæ unita est cum humanitate Christi et ejus operibus: sed hoc modo intellectus creatus comprehendet Deum; ergo.

R. 1. Vel ipsa personalis unio divinitatis cum Christo non facta est, nisi secundum modum et capacitatem finitam humanitatis; ergo et intentionalis fieri non potest, nisi modo finito et pro capacitate intellectus finiti.

R. 2. *T. A. N. Cons.* Disparitas est, quia unio hypostatica nullam supponit actionem in humanitate, ac proin minus repugnat eam esse perfectissimam, quamvis de facto, cum non sit infinita, non sit simpliciter sed secundum quid tantum perfectissima : sed visio Dei est vera actio creaturæ; maxima autem est disproportio inter facultatem finitam et actionem infinitam, qualis deberet esse visio Dei comprehensiva. Ad *rationem* additam R. τὸ *plus* significare hic excellentius, non autem difficilius; imo cum illa unio intentionalis totalis seu visio Dei comprehensiva commensurari deberet Deo, vel per identitatem esset ipse Deus, vel illa nihil posset dari excellentius.

*Ad Conf.* R. *N. parit.* Unio enim illa cognitionis divinæ sic possibilis asseritur, ut per eam creatura Deum cognosceret et comprehenderet: sed nec *primum* evaderet, quia cognoscere dicit actionem vitalem, quæ necessario profluere debet a proprio et interno principio; nec *secundum* quia unio illa fieret pro exigentia aut capacitate intellectus creati et finito modo, ac consequenter non daretur comprehensio. Ex priori autem habetur etiam *disparitas;* quia illa unio moralis non est quid creatum, sed ipsa dignitas increata, secundum æstimationem prudentum, naturæ hypostatice unitæ ejusque operibus communicata; cum unio intentionalis seu visio Dei intuitiva ab intellectu creato elicita sit quid creatum, adeoque essentialiter limitatum ac finitum.

---

# CAPUT II.

## DE VISIBILITATE DEI.

### ARTICULUS I.

#### AN DEUS VIDERI POSSIT AB INTELLECTU CREATO SUPERNATURALITER ADJUTO?

95. *Nota.* In alterum Anomæorum errori oppositum abierunt jam olim quidam anonymi, de quibus Greg. M. L. 18. Mor. c. 28 (al. 54. n. 90). scribit : *Sciendum vero est, quod fuere nonnulli, qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri.* Hos seculo VII. secuti sunt *Armeni* negantes intellectum creatum, lumine superno adjutum, posse clara Dei visione frui. Secuti sunt *Palamitæ* docentes : *Sancti omnes tam homines quam Angeli gloriam quidem Dei temporis expertem* (scilicet increatam illam lucem) *et sempiternam gratiam ac donum recipiunt : substantiam autem Dei nemo unquam vidit homo neque angelus videre potest.* Quin et in Academia Parisiensi an. 1240. fuerant, qui inter alios errores ab Episcopo et Universitate ibidem damnatos hanc quoque propositionem defenderant : *Quod divina essentia in se nec ab homine nec*

*angelo videatur vel videbitur.* Contra hos cum omnibus orthodoxe sentientibus

96. *Dico.* Deus ab intellectu creato supernaturaliter adjuto intuitive videri potest; et a Beatis videbitur.

*Prob. I. ex* Scriptura. Matth. 18. 10. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Sed imprimis facies Dei, secundum Aug. L. 22. de Civ. c. 29. n. 1. *non est aliquod tale membrum, quale nos habemus in corpore, sed manifestatio ejus intelligenda est;* et videre faciem Dei juxta eumdem in ep. 112. (al. 147). c. 8. est *videre eum sicuti est.* Deinde vero in altera vita homines erunt Angelis pares, dicente Christo Matth. 22. 30. *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo*; ergo. Præterea de hominibus legitur Matth. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Joan. 14. 21. *Qui diligit me.... manifestabo ei me ipsum.* 1. ad Cor. 13. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem : nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* 1. Joan. 3. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est.* Sed hæc omnia claram ipsius essentiæ divinæ intuitionem significant, ut ex Patrum interpretatione mox adjicienda patet; ergo.

*II. ex* Traditione, Præter PP. C. Francoford., qui in ep. ad Hispanos scripserant : *Prædicamus Christum Deum verum et vivum, ut ad ejus beatissimam visionem pervenire mereamur, in qua est æterna beatitudo*; Et præter Benedictum XII., qui in Extrav. *Benedictus Deus*, tribuit Beatis *divinæ essentiæ visionem intuitivam et facialem, nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente*; Eugenius IV. Sess. 25. C. Florentini in Decreto Unionis cum Græcis definit : *Purgatas animas in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum sicuti est.* His præluserunt Patres plerique omnes, Iren. L. 4. c. 37 (al. 20. n. 5). Clem. Alex. Strom. L. 5. p. 548. Greg. Naz. Orat. 28. n. 17. Aug. ep. 112 (al. 147). c. 8. et de Civ. Dei. L. 22. c. 29. n. 1. Prosp. (seu potius Julian. Pomerius). Greg. mor. in Job. L. 18. c. 28 (al. 54. n. 90), etc. V. Petavium, de Deo. L. 7. c. 7.

*Conf.* 1. Homo per gratiam potest consequi finem suum ultimum et beatitudinem; quia alias frustra hic illi finis præfixus et a Deo promissus foret : sed finis ultimus et beatitudo hominis consistit formaliter vel ex toto vel ex parte in clara et intuitiva visione Dei; ergo; 2. Si visio Dei intuitiva esset impossibilis, ergo vel quia est cognitio Dei supernaturalis, vel quia est cognitio Dei immediata, vel quia infinita : sed 1°. possibile est auxilium supernaturale, vi cujus potens fiat intellectus creatus ad eliciendam cognitionem Dei supernaturalem. 2°. Deus etiam ratione suæ substantiæ continetur intra verum seu objectum specificativum et essentiale intellectus; adeoque ratione hujus potest immediate terminare cognitionem. 3°. Quamvis Dei entitas sit infinita, tamen quia objectum non est principium sed terminus cognitionis, et præterea objecti infiniti cognitio potest esse finita; non requiritur, visionem Dei esse infinitam.

97. *Obj. I.* Deus est *invisibilis, et inhabitat lucem inaccessibilem*; ergo absolute videri nequit. *Conf.* 1°. Instar privilegii et prærogativæ asseritur soli Filio nosse Patrem et videre Deum, Matth. 11. 21. *Nemo novit Filium*

*nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius.* Joan. 1. 18. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ergo creaturæ visio Dei convenire nequit. 2°. Qui desiderant videre Deum, necdum vident: sed ipsi etiam Angeli sancti desiderant videre Deum, 1. Petr. 1. 16. *In quem Angeli desiderant prospicere;* ergo nec illi vident Deum.

R. *D. A.* Deus dicitur invisibilis et inhabitare lucem inaccessibilem, quatenus nec oculo corporeo cerni, nec solis naturæ viribus intuitive videri, nec penitus comprehendi potest *C.* quatenus nec ab intellectu superius adjuto vel in altera vita intuitive cognosci queat *N.* Etenim, ut S. Aug. ad hanc objectionem respondet ep. 111. (al. 148. c. 3. n. 11.) *Quia nec ista testimonia falsa esse possunt, Beati mundo corde* etc., *negare non possumus filios Dei visuros Deum.*

*Ad Conf.* 1. R. *D. A.* Soli Filio instar privilegii et prærogativæ cum aliis tamen per illum communicabilis tribuitur etc., *C.* non communicabilis *subd.* tribuitur nosse Patrem et videre Deum, per hæc intelligendo cognitionem Dei perfectissimam et plenissimam, seu comprehensionem *C.* intelligendo visionem intuitivam per vires auxilii superni, aut fidei mysteriorumque illustrationem *N.* Primo textui mox additur: *Neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare:* alter vero textus eo pertinebat, ut Joannes ostenderet, a quo tam divina et stupenda arcana didicisset, quæ ante narraverat de Verbo Dei Filio, ejus æternitate, suscepta carne et illata hominibus per illum gratia; hæc enim se ait non ab aliquo homine, ut olim Judæi a Moyse Legem, sed a Filio Dei accepisse, qui illa Dei secreta perciperet aliisque nuntiaret, quemadmodum exponunt Aug. L. cont. Adimant. c. 9. L. 2. cont. Maximin. c. 9., et Cyr. Alex. L. 1. in Joan. c. 10. Cæterum ita visionem Dei antonomastice talem, seu cognitionem comprehensivam tribui Filio, ut non conveniat quidem illa creaturis, non tamen visio propria negetur, declarat Chrys. hom. 14. (al. 15. n. 2) in Joan. hæc notans: *In sinu Patris esse, majus quiddam est, quam videre: qui enim tantum videt, non habet exquisitam ejus, quod videt, cognitionem.*

*Ad* 2. R. *D. M.* Qui desiderant, desiderio puræ spei et excludente objecti possessionem, videre Deum, eum necdum vident *C.* desiderio amoris et complacentiæ in possessione objecti *N. primo* modo desiderant ægri sanitatem: *secundo* modo dives desiderat divitias, quas possidet, semper habere; et tale etiam est desiderium Angelorum Deum intuentium juxta S. Thomam. Alio etiam modo exponit S. Greg. L. 18. Mor. c. 28. (al. 54. n. 91.) et L. 1. in Ezech. hom. 8. n. 28. ubi dicit per hoc desiderium anxietatem et fastidium, non vero præsentiam objecti et in ipsa satietate novitatem ardoris excludi. Præterea juxta text. græc. legitur, *in quæ,* non autem, *in quem* desiderant prospicere, et per hæc intelliguntur cum pluribus interpretibus Redemptio hominum, fidei incrementum et Evangelii gloria; unde de desiderii actu proprio verba intelligi possunt, sed quin huc pertineant.

*Inst.* Ex locis Scripturæ cit. non magis licet inferre visionem intuitivam, quam ex Genes. 32., Num. 12., ubi Jacob et Moyses Deum facie ad faciem vidisse leguntur. Sed ex postremis non deducitur concessa his Patriarchis visio substantiæ divinæ; ergo nec ex prioribus. *Conf.* Dicta Patrum minime conciliari possunt cum veritate nostræ theseos ac dogmatis. Nam 1°. Auctor homiliæ de SS. Deipara, quæ Athanasii nomen præfert, dicit (n. 10.) sicut

nos animam nostram non cognoscimus, sed tantum *velut umbras et figuras ejus ex facultatibus et operationibus illius expressas,* sic et Deum duntaxat cognosci ab anima posse. Auctor vero QQ. ad Antiochum q. 2., qui etiam inter opera Athan. extat, ait, *essentiam Dei* non videri *nudam,* sed tantummodo *quemdam gloriæ gradum* ad captum humanum accommodatum. 2°. Clemens Alex. apud Œcumenium et Theophylactum, in 1. ad Tim. c. 3. v. 16. Cyril. Hieros. Catech. 6. n. 6. Cyr. Alex. L. 1. in Joan. c. 10., Ambros. in Comment. in Lucam. L. 1. n. 25. Hier. apud Aug. ep. 111. (al. 148. n. 7). docent, nec ab Angelis videri Deum *in se, sicut est,* secundum *naturam* aut *substantiam,* sed tantum Deum *incarnatum,* aut *quantum capere possunt, vel pro mensura quisque ordinis sui.* 3°. Dionys. de divinis Nom. c. 1. §. 1. et 4. et de Cœlest. Hier. c. 4. §. 3. Greg. Nyss. Or. 6. de Beatitud. opp. t. 1. p. 813. Basil. L. 1. cont. Eunom. n. 14. Ambros. L. de Incarn. c. 3. n. 21. 22. Isidor. Hisp. in Exod. c. 42. statuunt naturæ divinæ cognitionem omni creatæ menti esse superiorem, et soli Filio ac Spiritui sancto convenire.

R. *N. M. et par.* Generatim enim dicitur, quod nemo in hac vita videat Deum; e contra expresse asseritur, quod Deus ab Angelis videatur, et a Beatis videndus sit in vita æterna; unde visio Dei a Patriarchis erat in aliena forma aut in persona ministri seu Angeli.

*Ad Conf.* R. *N. Ass.* Triplex via est conciliandi cum veritate dogmatis Patrum eorum dicta, quibus venerationem habere oportet, nempe si accipiantur eorum verba vel de visione *corporea,* vel de visione *intellectuali* quidem, sed aut per proprias vires aut in præsenti vitæ statu, vel de visione *comprehensiva* etiam Angelorum ac beatarum mentium. Speciatim

*Ad prob.* 1am. R. Scriptorum hic laudatorum auctoritatem nullam esse, cum ignoti omnino sint, certum autem habeatur, falso illis Athanasii nomen fuisse præfixum. Posterioris tamen verba a quibusdam intelliguntur dicta ad excludendam duntaxat visionem *comprehensivam,* non autem intuitivam finitam: prioris vero, quæ manifeste tantum cognitionem abstractivam concedunt, non sunt tractabilia, sicut nec alius ex Dial. 3. de Trin. S. Athanasio itidem supposito locus. V. Petavium L. 7. n. 4.

*Ad prob.* 2am. R. *D.* Et ex plerisque his ipsis additis negant simpliciter videri intuitive Deum *N.* negant tantum comprehensive Deum videri *C.* S. Epiphan. hær. 70. ubi dixisset, *videri Deum infinitum, non ut se habet in sese infinitum, sed quomodo capere natura potest,* subdit *videri reipsa ut in se est, sed non videri secundum totam suam latitudinem.* Patet hoc ipsum ex eorum verbis, queis negant Deum videri, Cyr. Hieros. *sicut deus est,* Cyr. Alex. *pro eo atque dignum est Deo,* Ambros. *secundum plenitudinem Divinitatis,* Hieron. *juxta naturæ suæ proprietatem,* quod l. c. pro sua et nostra sententia exponit Aug., et Hier. etiam in Comment. ad c. 6. Isa. v. 1. aperte explicat.

*Ad prob.* 3am. R. *D.* Statuunt visionem aut corpoream, aut propriarum virium vel hujus vitæ, aut comprehensivam esse omni menti creatæ superiorem, et postremam soli Filio et Spiritui convenire *C.* visionem intellectualem et simpliciter intuitivam *N.* Dionysius loquitur de naturali et viribus propriis comparata notitia; alter textus ad conspectum, quem homines corporibus inclusi assequuntur, spectat; quia sermonem ibidem de Patriarchis et Prophetis instituit. Similem sensum habet Nyssenus loquens de cogni-

tione Dei hominibus viventibus propria. Ambros. de corporea intelligendus est, quia Verbum dicit incarnatum, ut ab hominibus conspici queat. Basil. quia de profundis Dei, quæ Spiritus scrutatur, ibidem agit, de comprehensiva loquitur. Similis sensus tribuendus est Isidoro loquenti de visione, quæ in toto et integre Deum attingat.

98. *Obj. II.* Inter intellectum creatum et essentiam divinam nulla est proportio; quia ille est finitus et intrinsece naturalis, hæc vero *infinita* et *supernaturalis*, adeoque diversi ordinis; ergo intellectus creatus nulla ratione elevari potest ad intuitive videndam Dei essentiam; præsertim cum intellectus etiam elevatus non possit videre omnia possibilia in Deo latentia, quibus præeminet essentia divina; et oculus corporis, quantumvis naturaliter proportionatus, nequeat directe intueri solem in meridiana luce.

R. *D. A.* Non est proportio entitatis *C.* habitudinis *subd.* completa et proxima sine supernaturali auxilio *C.* inchoata et remota *N.*

*Ad prob. p.* 1am. *Disparitas* est, quod cognitio omnia possibilia cognoscens, foret comprehensiva infiniti et etiam ipsius Dei, cum illa possibilia nihil aliud sint, quam essentia divina infinite participabilis; adeoque infinita etiam foret: e contra cognitio immediate quidem, sed modo finito attingens Dei substantiam nec comprehensiva nec infinita est.

*Ad p.* 2am. *Disparitas* stat in eo, quod radii solares nimia copia et calore irruentes turbent humores et lædant retinam; unde dolor in oculo et provocatio lacrymarum oritur, et fixus obtutus impeditur: nihil ejusmodi oculis mentis, præsertim superne roboratis, in Dei contemplatione est timendum.

*Inst.* 1. Visio Dei intuitiva debet esse infinita: sed visio intellectus creati etiam elevati nequit esse infinita; ergo. *Maj. prob.* 1°. Quia repræsentatio objecti infiniti debet esse infinita; cum ab objecto specificetur actus potentiæ circa objectum. 2°. Quia visio intuitiva debet repræsentare Deum, ut est in se; Deus autem in se est infinitus. 3°. Quia sicut productio rei infinitæ est infinita, sic etiam visionem Dei infiniti infinitam esse oportet.

R. *N. M. et prob.* 1am. Quia repræsentatio et actus quilibet potentiæ non specificatur ab objecto juxta modum essendi, quo objectum est, cum alias omnis actus circa Deum versans infinitus, et circa materiale vel finitum objectum occupatus materialis et finitus foret, quod falsum esse aliunde liquet; sed secundum modum attingendi et tendendi.

*Ad prob* 2am. *D.* Intuitiva visio debet repræsentare Deum, ut est in se. h. e. cognoscere ejus naturam, personas, attributa, et eum etiam esse infinitum ac infinite cognoscibilem *C.* h. e. modo etiam infinito et hæc omnia commensurante *N.*

*Ad prob.* 3am. *Disparitas* est, quia productio debet dare esse rei et hinc effectum continere; adeoque si effectus sit infinitus, causa etiam et productio infinita requiritur: virtus autem cognoscitiva et cognitio rei esse præsupponit, ideoque continere non debet; modus etiam cognoscendi non sequitur modum rei cognitæ, sed modum essendi potentiæ cognoscitivæ, quæ quia finita est, et ille est finitus.

*Inst.* 2. Sicut *speculum* finitum non potest repræsentare objectum infinitum, et *locus* finitus ambire corpus infinitum, nisi utrobique tantum ex parte; sic etiam visio finita non poterit referre Deum infinitum, nisi tantum

ex parte; ergo vel visio Dei debet esse infinita, vel finita Dei visio non erit intuitiva.

R. *N. A. et paritatem.* Corpus, quod *speculum* repræsentat, aut *locus* complectitur, est materiale et constans partibus, et quia speculum non repræsentat corpus, nisi in quantum species recipit, nec locus complectitur, nisi quantum ambiendo commensuratur; nec speculum nec locus finitus infinitum corpus repræsentare et complecti possunt, nisi secundum eas partes, quas dicto modo capiunt: Deus vero est realiter simplex; et quamvis virtualiter sit multiplex, tamen in visione intuitiva attingitur tota ejus essentia et substantia, infinitas autem ejus etiam modo saltem finito et communi et generali perceptione attingitur.

Quæres: *An S. Chrysostomus et Theodoretus rejecto de visione Dei intuitiva Græcorum et Armenorum errori præluserint?*

99. *Dico I.* S. Chrysostomus nunquam negavit Deum intuitive videri posse ab intellectu creato elevato.

*Prob. I.* In hom. de B. Philogonio n. 1. (opp. t. 1. p. 494. E), de Beatis inquit: *Perpetuo vident, quatenus illum videre licet, non solum præsentem, verum etiam suæ gloriæ splendore condecorantem universum cœtum.* In hom 3. n. 3. in Epist. ad Philip. (opp. t. 11. p. 217. E): *Justi sive hic, sive ibi cum Rege sunt: atque ibi quidem multo magis propius, non quasi quodam interjecto vestibulo, non per fidem, sed facie ad faciem.* In Paræn. 1. ad Theodor. lapsum n. 11. *Quid dicemus, quando regiis cubiculis adapertis intueri licebit ipsum Regem, non per speculum nec per ænigma, sed facie ad faciem: non amplius, inquam, per fidem, sed per speciem.* In homil. 10. in 2. ad Corinth. n. 4. (opp. t. 10. p. 512. C.), *Si cogitatio eorum, qui adhuc vivunt, quamvis obscura sit, tantam suppeditat voluptatem; cogita quantam lætitiam nobis allatura sit manifesta ipsa visio.* Similia plura habentur in ejus homiliis in c. 5. Matth. et c. 13. Ep. 1. ad Corinthios.

*Prob. II.* Quia in homil. 14. (al. 15.) in Joan. et in homiliis quinque, quas de incomprehensibili Dei natura scripsit, et e quibus objectiones omnes decerpuntur, pro scopo habuit duplicem *Anomœorum* errorem refutare, quorum *primo* asserebant Deum in hac vita intuitive a se videri, *secundo* etiam videri comprehensive; unde ejus dicta in ordine ad hunc scopum comparata juxta sanam hermeneuticam accipi oportet.

*Conf.* Quia universales suas locutiones ipse sæpius restringit, 1°. ad visionem Dei in terris. hom. 14. (al. 15.) in Joan.; 2°. ad visionem in cœlis omnimodam, perfectam et exquisitam; homil. de incompreh. nat. Dei; 3°. ad visionem æqualem illi, quam habet Filius et Spiritus S. de Patre, homil. 14. (al. 15.) in Joan.; quibus postremis duabus formulis indicat illam, quam nos comprehensivam appellamus.

100. *Nec dicas* 1°. S. Chrys. in homil. 14. in Joan. (al. 15. n. 1. et 2.) multa videtur contraria asserere. Nam 1°. docet, Angelos æque ac Prophetas non vidisse aut videre Dei substantiam. 2°. Angelos nihil nobis enarrare de substantia divina, sed tantum referre, *gloria in excelsis Deo.* 3°. Deum tunc modo visum esse ab Angelis, cum carnem induit. 4°. Verba hæc: *Angeli vident*

*faciem Patris*: noluit intelligi litteraliter; et illa: *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt*, exposuit de imaginatione ad nostrum captum attemperata. 5°. assumpsit duplex probationis genus pro neganda Angelis visione: 1um.; quia visio Dei sicut est in se, est comprehensiva: 2um.; quia sicut oculus corporeus non potest videre spiritum, sic nec spiritus inferior Deum.

R. *Ad* 1. *D.* Angeli æque ac Prophetæ non vident Deum comprehensive *C.* intuitive *subd.* quatenus Prophetæ non vident Deum in hac vita *C.* quatenus nec in altera vident *N.* Ex negata Dei visione intuitiva Prophetis in hac vita refellit *primum*, ex visione comprehensiva Angelis et Prophetis in beatis negata refellit *secundum* Anomæorum errorem.

*Ad* 2. *D.* Angeli nihil nobis enarrare de Dei substantia possunt, quod ejus cognoscibilitatem adæquet, et conferri queat cum eis, quæ enarrat Unigenitus, qui est in sinu Patris *C.* nihil simpliciter et absolute *N.* Ad prius præstandum necessaria foret comprehensio, ad posterius negandum sufficit intuitiva visio.

*Ad.* 3. *D.* Angeli modo post Incarnationem viderunt Deum intuitive *N.* comprehensive *subd.* secundum carnem unitam seu humanitatem assumptam *C.* secundum Divinitatem *N.* Angelis comprehensio Dei negatur quoad Divinitatem tam ante quam post ejus Incarnationem; asseritur autem visio intuitiva substantiæ divinæ semper, et comprehensiva humanitatis etiam assumptæ post Incarnationem; quia, ut S. Doctor inquit, qui antea circumscriptibilis non erat, carne fuit circumscriptus.

*Ad* 4. R. 1°. *D.* 1am. *p.* Noluit hæc verba intelligi litteraliter, excludendo visionem per oculos corporeos *C.* excludendo visionem per intellectum *subd.* visionem comprehensivam *C.* intuitivam *N.*

R. 2°. *D.* 2am. *p.* Verba illa de imaginatione ad nostrum captum attemperata exposuit, ut negaret modum infinitum cognoscendi, respondentem cognoscibilitati objecti infinitæ *C.* ut negaret veram cognitionem intuitivam et finitum intelligendi modum *N.* Secundum aliquam versionem visio Angelorum nomine imaginationis exprimitur, non quasi illa visio esset in se cognitio tantum materialis et phantastica; sed quia si comparetur cum cognitione, quam Deus habet de seipso, æque dici potest imaginatio, ac dum existentia creaturæ confertur cum divina, dicitur nihilum vel umbra.

*Ad* 5. *D.* Assumpsit hoc duplex probationis genus pro neganda visione adæquata et comprehensiva *C.* pro neganda simpliciter intuitiva *N.* 1um enim argumentum sic verum est: omnis adæquata visio Dei, ut est in se, est comprehensiva: 2um autem: sicut oculus corporeus non potest videre spiritum, quia spiritus est extra objectum et rationem objectivam oculi; sic nec substantia inferior potest *probe*, h. e. comprehensive nosse superiorem et Deum, quia cognitio ejusmodi superiorem adæquans et infinita, est extra subjecti vires et rationem operandi subjectivam.

101. *Nec dicas* 2°. Idem in homil. 3. de incomprehensibili nat. Dei (n. 3. 5.) alia in contrarium profert. Nam 1°. dicit, Angelos etiam supremos non videre ipsam meram lucem, et sinceram Dei substantiam, sed attemperatum lumen et condescensum ac indulgentiam: 2°. hoc attemperatum lumen vocat, cum Deus non, ut est, se ostendit, sed quoad videre is potest, qui aspectum

hujus meruit : 3°. tribuit etiam Prophetis similem visionem formæ Dei attemperatæ : 4°. de Angelis enunciat, quod illi ne quidem attemperatum lumen ferre potuerint. 5°. statuit Deum non tantum esse incomprehensibilem, sed etiam invisibilem, imo et inaccessibilem.

R. *Ad* 1. *D.* Dicit hæc ad faciendam oppositionem visionem comprehensivam ac infinitam inter et visionem intuitivam quidem sed finitam *C.* ad oppositionem faciendam inter visionem intuitivam et abstractivam *N.*

*Ad* 2. *D.* Et per hoc ipsum exponit, quod angeli non videant divinam substantiam, quantum visibilis est, ac modo infinito seu comprehensive *C.* quod ne quidem modo finito substantiam divinam intueantur *N.*

*Ad* 3. *D.* Tribuit Prophetis quoad aliqua similem visionem attemperatam *C.* quoad omnia similem *N.* Similitudo stat in hoc, quod cognitio Dei data sit Prophetis et Angelis proportionata eorum capacitati et statui : dissimilitudo autem, quod cognitio Angelorum non tantum sit perfectior sed etiam intuitiva, Prophetarum autem imperfectior et non intuitiva. Utrumque indicat S. D. in hom. 3. *supra* cit. n. 3. ubi ait : *Deum incomprehensibilem non pari modo nos atque virtutes novimus, sed quanto illæ puriores sapientioresque sunt natura humana, tanto perfectius norunt et melius* : Item *Quemadmodum lucem radiorum solis non tam cæcus, quam qui videt, esse inaccessibilem novit : sic naturam Dei inaccessibilem non eodem nos novimus modo, quo illæ superæ virtutes et incorporeæ. Quantum enim inter hominem cæcum et videntem discriminis est, tantum illæ a nobis differunt.*

*Ad* 4. *D.* Atque hac sententia statuit Angelos reipsa non frui visione Dei *N.* Statuit Angelos vel ex reverentia erga Dei majestatem velare faciem suam, ut Propheta innuit, vel ob luminis copiam avertere oculos, ut illum Dei condescensum ferre valeant, ut hom. 1. n. 6. Chrys. dicit *C.*

*Ad.* 5. R. Quamvis his omnibus vocibus tanquam synonimis S. Doctor recte contra *Anomæos* frequenter utatur, tamen incomprehensibilem Deum dicit respectu angeli et hominis, inaccessibilem autem permittit respectu hominis, non angeli; ideoque Anomæos exagitat, quod dicerent sibi Deum esse comprehensibilem, cum tamen, quia homines et in hac vita sunt, nequidem sit illis accessibilis.

102. *Dico II.* Nec Theodoretus negavit, Deum intuitive videri posse ab intellectu creaturæ elevato.

*Prob.* In Vita B. Jacobi anachoretæ inquit : *Cum Sanctorum populo habitare cupiens, et cum eis resurgere, divinoque conspectu potiri.* In vita S. Eusebii : *Ad cursus metam pervenit, et agonothetam cernens, qui remunerationum magnificentia labores superat. Ego vero visione illa frui cupio.* In c. 2. ep. ad Ephes. *Nunc enim bonorum, quæ sperantur, magnitudo est quidem omnino ignota fidelibus : fideles autem vident tanquam in speculo et ænigmate; per fidem enim ambulant, non per speciem : tunc autem videbunt facie ad faciem.* Atque hæc fidelibus propria sunt; quæ autem cum infidelibus in die judicii erunt communia, statim adjungit: *Tunc fideles et infideles videbunt naturam ex nobis assumptam ab omni creatura adoratam, et Sanctos una regnantes.*

*Conf.* Quia in dialogis tribus, qui inscribuntur *immutabilis*, et e quibus maxime Theodoreti fides vocatur in suspicionem, ex professo quidem impugnat *Eutychianos*, qui cum unicam assererent in Christo naturam, conse-

quenter etiam putabant, et ex Baruch. 3. 38. probare conabantur divinam apparuisse in terris ac oculis corporeis esse visam : sed captata hic occasione subinde transgreditur ad lacessendos *Anomæos,* qui ipsius adhuc ætate in Syria, ubi Episcopus erat grassabantur. Colligitur id 1°. ex præfatione in dialogos istos, ubi declarat *Eranisten,* quem tanquam interlocutorem Eutychianum inducit, plures errores ex superioribus hæresibus simul consuere : 2°. ex ratione, quam dat, cur angeli non videant Dei substantiam, nempe: *quia nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, quæ universa comprehendit;* hæc autem ad comprehensivam Dei visionem excludendam pertinet : 3°. ex similitudine testimoniorum, quæ profert, ac pleraque omnia conveniunt cum usurpatis a S. Chrysostomo, quem ut doctorem et magistrum suum colebat et passim sequebatur : 4°. ex eo, quod nisi dicta ejus tanquam opposita Anomæorum hæresi accipiantur, erronea sunt; cum tamen neque a Summis Pontificibus, neque a Concilio Chalc. ubi fidei rationem reddere compulsus est, neque ab Ecclesia erroris nota hic aspersus sit.

103. *Nec dicas* 1°. Theodoretus in dialogo primo plura docet dogmati nostro opposita; nam 1. negat simpliciter Dei naturam sub aspectum cadere, visam esse aut videri posse sive ab hominibus sive ab angelis : 2. Asserit naturam Dei visam tantum fuisse ab angelis, quando Verbum est incarnatum; et hanc angelorum visionem intelligendam esse, ut sumitur visio Prophetarum de Deo : 3. Textibus Scripturæ, præsertim Matth. 18. 10., qui Dei faciem videri ab angelis statuunt, opponit alios textus. 4. Etiam in comment. in ep. 1. ad Tim. c. 6. v. 15. et in ep. 1. ad Cor. c. 13 .v. 12. docet lucem et faciem Dei pertinere tantum ad humanitatem Dei, non ad ejus naturam; adeoque alibi etiam, quam in dialogis contra *Eutychianos* visionem Dei intuitivam negat.

R. *N. Ass.* Et sicut pleraque cum iis, quæ contra S. Chrysostomum objecta sunt, conveniunt, sic eadem fere solutione explicantur. Hinc

*Ad* 1. *D.* Negat hæc in sensu tum Eutychianorum tum Anomæorum *C.* in sensu Catholicorum sæpe jam exposito *N.*

*Ad* 2. R. 1°. *D.* 1am. *p.* Asserit ab Angelis visam intuitive naturam divinam tantum esse post Verbi incarnationem *N.* comprehensive visam, *subd.* quoad divinitatem *C.* quoad humanitatem *N.*

R. 2°. *D.* 2am. *p.* Asserit visionem intelligendam, ut visiones Patriarcharum, de Verbo incarnato *C.* de Deo secundum se, *subd.* quantum ad aliquid *C.* quoad omnia *N.* Vult nempe Theodoretus eodem sensu, ac Chrysostomus, Deum non videri facie ad faciem sensibilem ab oculo *corporeo,* nisi in hominis similitudine, quam vere assumpsit, sicut a Patriarchis et Prophetis visus est in similitudinibus vel adscitis angelorum corporibus; in quo paritas est, sed non omnimoda, cum Verbum vere caro factum sit, similitudines autem, in quibus a Prophetis videbatur Deus, plerumque imaginariæ. Præterea conveniebant etiam in hoc, quod sicut visio Patriarcharum erat finita, sic et angelorum visio intuitiva tum de Deo secundum se, tum de Deo incarnato finita sit.

*Ad* 3. *D.* Textibus Scripturæ, ut abusu Eutychianorum et Anomæorum detortis, opponit alios *C.* ut veris et recte usurpatis *N.* Cum enim ex texti-

bus Scripturæ de Dei facie aut Deo viso inferrent 1°. Deum oculis corporeis videri, opponit illud Exodi : *Nemo videbit faciem meam et vivet;* et cum 2°. inde colligerent, Deum comprehendi, objicit illud Joan. *Deum nemo vidit unquam : Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Unde patet excludi quidem visionem sensibilem et comprehensivam, minime autem intuitivam finitam.

*Ad* 4. R. Similiter, negari hic visionem illam hæreticorum duplicem, non autem postremam Catholicorum, et hinc simul concludo, non tantum in dialogis, sed alibi etiam hæreticos a Theodoreto fuisse infestatos.

## ARTICULUS II.

### AN HOMINUM QUISPIAM IN HAC MORTALI VITA MENTIS OCULIS INTUITIVE VIDERIT DEUM?

104. *Nota.* Certum, quod secundum legem ordinariam fieri nequeat, ut homo vitam mortalem agens Deum intuitive videat. Certum, quod absolute et extraordinarie id fieri queat : quin et supponitur tanquam certum, quod anima Christi viatoris propter unionem hypostaticam cum Verbo hujus intuitivæ visionis prærogativa fuerit donata. Quæstio itaque tantum est, an homini puro, actu et de facto, hoc visionis non quidem permanentis sed *transeuntis* donum concessum sit? Quam licet conjecturando quidam affirment de S. Aug. ex L. 9. Confess. c. 10., aut de S. Benedicto ex D. Bern. Serm. 9. de divers., n. 1. aut de B. V. ex ratiociniis; tamen ea maxime instituitur de Moyse ac S. Paulo, pro quibus ex Scriptura et Patribus certatur.

105. *Dico.* Probabilius nemo hominum in vita mortali degens vel ad breve tempus mentis oculis intuitive vidit Deum.

*Prob.* Scriptura tum V. tum N. T. statuit legem generalem, quod nemo mortalium videat aut viderit Deum, ut patet ex textibus num. 84. laudatis; et communior PP. sententia quascumque Patriarcharum et Prophetarum visiones interpretatur factas esse per *velum, nubem, figuram, similitudinem, conspicabilem materiæ dispositionem,* vel aliam quamcumque *speciem;* ut liquet ex Dionys. de Cæl. Hier. c. 4. §. 3., Cyr. Alex. in Joan. L. 1. c. 10., Cyr. Hier. Catech. 9. n. 1., Epiph. in hæres. 70. n. 6. et seqq., Basil. apud Damascen. in Eclog. Tit 48., Athanas. Greg. Naz. aliisque apud Aug. ep. 111. (al. 148. c. 2.) Phœbad. L. cont. Arian. c. 17. quos recitat L. 7. c. 12. Petavius. Sed vel illa lex generalis ac interpretatio intelligenda tantum est de visione per oculos corporeos, et tunc quidem huc non pertinet; sed nec exceptio et privilegium ab illa lege ac interpretatione, quod adversarii pro *Moyse, Paulo,* vel aliis afferunt, huc spectabit : vel si intelligi etiam possit de visione intellectus seu per oculos mentis, hoc ipso convellit assertum contrarium; ergo.

*Conf.* Res facti et exceptio a lege communi debet certo probari : sed nec probari sic potest, *Moysen* et *Paulum* exceptos fuisse et Dei substantiam vidisse; et potius ostenditur contrarium. Nam 1°. qui ex LL. Exod. et Numer. textus afferuntur pro *Moyse,* et ex ep. 2. ad Cor. pro *Paulo,* visionem intuitivam divinæ substantiæ non evincunt, ut ex objectionum solutione patescet.

2°. Etiam post raptum suum, Paulus 1. ad Tim. 6. sine ulla exceptionis nota universalem hanc propositionem negativam statuit : *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest ;* et Joannes diu post Pauli mortem Evangelium scribens absolute enuntiat : *Deum nemo vidit unquam,* quod neuter sine mendacio aut falsitate facere potuisset, si *Moysi* vel *Paulo* visio Dei intuitiva fuisset concessa. 3°. Patres etiam plures speciatim *Moysen* excludunt a privilegio visionis intuitivæ. Iren. enim L. 4. cont. hæres. c. 37. (al. 20. n. 10. 11). *Neque Moyses,* inquit, *vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel, qui multa de cœlestibus viderunt; quæ autem ab ipsis cernebantur, erant similitudines claritatis Domini et prophetiæ futurorum.* Orig. in Isa. hom. 1. n. 6. *Faciem Dei non vidit Isaias, nec Moyses vidit.* Tertul. L. cont. Prax. c. 14. pluribus momentis ostendit, *Moysen* non vidisse faciem Dei; et L. 4. cont. Marc. c. 22. ejus visionem exponit *de specie hominis, quam Deus erat gestaturus.*

106. *Obj. I.* Moysi videtur concessa fuisse visio Dei intuitiva : Exod. 33. 11. Deus loquitur Moysi *facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Moysi dicenti v. 13. *Ostende mihi faciem tuam;* et v. 18. *Ostende mihi gloriam tuam ;* respondet Deus v. 19. *Ego ostendam tibi omne bonum.* Numer. 12. Statuit Deus hoc discrimen inter Moysen et alios Prophetas, quod his *appareat in visione vel per somnia loquatur* ad eos : illi vero *loquatur ore ad os, et palam nec per ænigmata aut figuras videatur.* Ergo.

R. *Ad prob.* 1am. Phrasis hæc familiare quidem Dei cum *Moyse* colloquium, minime vero Dei visionem exprimit, cum Moyses eamdem tribuat Israelitis Deut. 5. 4. dicens : *Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis;* quamvis c. 4. v. 12. dixisset : *Locutus est Dominus ad vos de medio ignis : vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis.* Quin, si etiam de visione intelligenda foret hæc verborum formula, non tamen ad Dei substantiam pertineret, sed ad angeli speciem, qui texte *S. Stephano* Act. 7. personam Dei repræsentabat.

*Ad prob.* 2am. R. Duplex erat petitio Moysis; 1a. Quam per illa verba, *ostende faciem tuam,* Deo proposuit, tum secundum hebraicum, quo legitur *ostende mihi viam tuam,* tum secundum contextum pertinebat ad id, ut Deus dux itineris, prout hactenus fecerat, esse pergeret; et hanc etiam Moysi Deus concessit, v. 14. dicens : *Facies mea præcedet te, et requiem dabo tibi.* 2a. Quam verbis posterioribus, *ostende mihi gloriam tuam,* exposuerat, huc spectabat, ut manifestaretur sibi divinitas : hanc vero ipsi negavit Dominus verbis illis : *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo et vivet.* Verumtamen præter negatam hanc visionem intuitivam, promisit illi per hæc verba : *ostendam omne bonum tibi,* mirabilia tum potentiæ tum providentiæ signa, ac novum denique beneficium mox subjecit, dum sese illi manifestavit a tergo, h. e. fulgentissimo quodam lumine, quod divinitatis esset indicium, ut postremo versu expressit : *videbis posteriora mea : faciem autem videre non poteris.*

*Ad prob.* 3am. R. Discrimen hic non est ratione concessæ *Moysi* visionis intuitivæ, sed ratione modi tantum, quo Deus familiarissime colloquebatur cum *Moyse,* et aperte eum instruebat manifesta legum, rituum et rerum gerendarum significatione; dum reliquis *Prophetis* raro et majestatis suæ tenax loqueretur, illis voluntatem suam per somnia, imaginarias similitu-

dines et sub propheticorum vaticiniorum velamine insinuaret. Quare ænigmata et figuræ non a visione Dei, sed ab ejus locutione excluduntur, ut ex aliis versionibus liquet. Nam Hebræus ad litteram sic habet. *Ore ad os loquar in eo, et visione et non in ænigmatibus, et ideam Domini contemplabitur.* 70. Interp. *Os ad os loquar ei in visione, et non per ænigmata, et gloriam Domini videbit.* Versio Chald. *Verbo ad verbum loquar cum illo per visionem et non per ænigmata; et similitudinem gloriæ Domini contemplabitur.*

*Inst.* 1. S. Aug. tum in ep. 112. (al. 147.) tum apertius in L. 12. de Genes. ad lit. c. 27. docet : 1°. Moysen in Exod. petiisse a Domino intuitivam Dei visionem et impetrasse : 2°. illud responsum Dei : *Non poteris videre faciem meam,* fuisse figurate dictum et pertinere ad Ecclesiam, non ad Moysen : 3°. Hæc Domini verba : *Non videbit me homo et vivet,* intelligi non de morte corporali, sed de extasi et abalienatione a sensibus.

R. 1°. S. Aug. hæc omnia vel dubitando vel inquirendo potius protulisse, quam definiendo : dubium quidem expressit, dum cit. ep. c. 13. n. 32. de Moyse loquens sic ait : *Quid est ergo, quod eum sic fecit exceptum, nisi forte quia illa contemplatione dignum etiam tunc habuit populi sui talem rectorem?* Plura autem in LL. de *Gen. ad lit.* quæsita, quam inventa fuisse, ex ipso Aug. Retract. L. 2. c. 24, supra ostendimus. Certe, quæ ad explicandos Scripturæ textus ex eodem sup. allata sunt, a sensu litterali ac proprio videntur plurimum abhorrere.

R. 2°. Transmisso, quod Aug. aliquando sententiæ contrariæ adhæserit, nostræ tamen postmodum ac in LL. posterioribus accessit, nempe L. 2. de Trin. c. 16., L. 2. cont. Maxim. c. 12. n. 2., L. 3. de Symb. ad Catechum. c. 3., Quæst. 144. super Exod., Tr. 3. in Joan. n. 17. e quo postremo duntaxat hæc laudasse sufficiat : *Quid vidit Moyses? vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem : omnis illa creatura est; typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat.*

*Inst.* 2. Eamdem Moysi visionem tribuunt Hilar. L. 5. de Trin. n. 21. 22. 23., Ambr. in Hexæm. L. 1. c. 2. n. 6., Basil. hom. 1. in Hexæm. qui et addit, Moysen *in potiendis præsentibus Dei conspectibus fuisse angelis coæqualem.* Præterea Hilar. ibidem, n. 33., Isidor. Hisp. L. de Ortu et obitu Patrum. c. 37. n. 72., Rupert. L. 3. de verb. Dei c. 28. docent Isaiam occisum a Judæis, quod scripserit visum a se fuisse Deum.

R. Hilarii et Ambrosii verba intelligi posse de clara cognitione præsentiæ divinæ, non per essentiam, sed per signa extrinseca, quæ eam certo demonstrarent; præsertim cum Ambr. L. 5. de fid. c. ult. diserte neget Moysi visionem divinæ substantiæ. Basilius per alia, vel in hom. 1. de jejun. vel apud Damasc. conciliari secum ipso debet; aut ejus auctoritati auctoritas Patrum aliorum opponi potest. Ex reliquis de *Isaia* loquentibus opinio Judæorum de ejus verbis duntaxat colligitur, ac præterea non intelligitur adæquata causa illatæ illi necis; cum vel ipso Isidoro teste Judæorum odium Propheta in se maxime concitarit, quod eos Sodomorum principes populumque Gomorrhæ appellasset. Cæterum quæstio hæc non est ex genere illarum, in qua necesse sit, omnes Ecclesiæ Doctores conspirare.

107. *Obj. II.* S. Paulus, referens 2. ad Corinth. 12. visiones ac revelationes sibi factas, 1°. dicit se raptum esse ad tertium cœlum ac in paradisum, h. e. in locum beatitudinis; quod sane ad simplicem mysteriorum revelationem capiendam necessarium non erat. 2°. Narrat se audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui: sed audire verba per *hebraismum* ex Theodoreto idem est ac videre res; et per verba arcana, juxta *græcum* ineffabilia, intelligitur essentia divina, quam unam effari non licet; ergo.

*Conf.* 1°. Act. 26. Christus Paulum sic alloquitur: *Surge et sta super pedes tuos; ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum ac testem eorum, quæ vidisti, et eorum, in quibus apparebo tibi;* ergo in visione illa non tantum audivit, sed et vidit plura, maxime Dei essentiam. 2°. Quia hujus sententiæ sunt S. Aug. l. c., Clem. Alex. L. 5. Strom., Anselm., D. Thom. 1. q. 12. a. 11. ad 2. cum multis Scholasticis; ergo.

R. *N. Ass.* Si enim *Moysi* clarius omnino loquenti recte negatur visio Dei intuitiva, multo facilius *S. Paulo* negari poterit; tum quia versu *primo* dixerat: *veniam ad visiones et revelationes*, et his raptum suum quasi in exemplum subjecit, per quas tamen visionem Dei intuitivam non intelligi satis constat: tum quia mentionem duntaxat facit *auditus*, non visionis, arcanorum verborum plurium, h. e. absconditorum mysteriorum, non unius essentiæ divinæ: tum quia *ignorare* se dicit, an raptus contigerit in corpore aut extra corpus, quod tamen fruentem visione Dei intuitiva æque latere nequit, ac id Beatos post resurrectionem non fugiet. Hinc

*Ad prob.* 1am. *D.* Raptus est ad tertium cœlum et in paradisum, sed ad audienda arcana verba, ut ipse Apostolus continuo subjicit *C.* ad Deum intuitive videndum *N.* Ad *rationem* additam concedo equidem, non ex necessitate sed ex Dei beneplacito fuisse raptum ad capiendam mysteriorum revelationem; ex hoc tamen, quod Divini beneplaciti finem nesciamus, inferri pro intuitiva Dei visione nihil valet. Præterea potuit in hoc raptu Paulus intuitive videre Christum secundum humanitatem, et instrui de arcanis verbis per ipsum, uti ad Galat. 1. 12. dicit se accepisse Evangelium, atque hinc ad eum in paradisum rapi; sed neque hoc ex absoluta necessitate contigisset, cum in suo Damascum versus suscepto itinere Christum viderit et audierit ipse non raptus in cœlum.

*Ad prob.* 2am. *N. m.* Nam 1°. ad *hebraismum* abire in epistola græce scripta non est opus; et quamvis respectu Prophetarum audire verba idem sit juxta Theodoretum ac videre res futuras, tamen proprie loquendo etiam respectu animæ separatæ audire idem non sonat ac clare rem videre, sed alterius locutionem excipere: 2°. *ineffabilia* hic dicuntur, tum quæ fari prohibitum erat, tum quæ fando adæquare et plene explicare *S. Paulus* non poterat: ejusmodi autem non est una Dei essentia, sed et plura de divinis attributis nobis incognita; natura, ordo, gratia et gloria angelorum; paradisi et beatorum pulchritudo, hymni et gaudia; ratio, modus, ordo divinæ reprobationis, prædestinationis et vocationis gentium; Evangelii ac Christi redemptionis mysteria; œconomia demum, regimen et successus Ecclesiæ præsentis ac futuræ; quorum aliqua vel omnia, sub arcanis illis verbis Patres et interpretes intelligunt.

*Ad Conf.* 1am. R. *N. Cons.* quia ex hoc ipso textu nihil evincitur, nisi visio Christi et mysteriorum per eum declaratio.

St. Albert's College Library

*Ad* 2am. Rursus *N. Cons.* et oppono, præter universalem Patrum plurium supra cit. opinionem, Ambr. L. 5. de fid. c. ult., Greg. L. 18. Mor. c. 28. (al. 54. n. 88.) et L. 1. in Ezech. hom. 8. n. 30. quamvis, ut supra dictum est, res hæc ex Patribus, quos inter se consentientes non habemus, minime definienda sit.

108. *Observa. Enochum* et *Eliam* aliqui Moysi ac Paulo addunt, faciuntque eosdem jam nunc beatæ visionis participes. Eorum ratio est : 1°. quia prior Eccli. 44. 16. *in paradisum translatus,* alter 4. Reg. 2. 11. *ascendisse in cœlum* legitur. 2°. quia Athan. Serm. de assumpt. Dom. n. 3., Tertull. de resur. carn. c. 58., Hier. L. ad Pammach. cont. Joan. Hier. n. 29. vocant eos *immortalitatis terminum* assecutos, *æternitatis candidatos, Paradisi colonos.* 3°. quia *S. Eliæ* festum a Sacro Ordine Carmelitarum, approbato a Romanis Pontificibus cultu, celebratur : animæ in exitu a presbyteris Deo per merita *Eliæ* et *Enoch* commendantur : neuter eorum videtur amplius esse viator et in statu merendi, cum alias eorum meritum ob temporis diuturnitatem sanctorum reliquorum sanctitatem excederet; sed in termino et beatitudinis possessione.

Verum nec hos a lege illa communi excipiendos persuadent allata argumenta. Nam quod *primum* attinet, 70. Interpretes τὸ *in paradisum* omittunt, τὸ *in cœlum* autem addito τῷ *quasi* diminuunt. Præterea quamvis et Patres et interpretes discrepent in assignando *loco,* quo illi rapti fuerint, aliis paradisum terrestrem, aliis stationem quamcumque ignotam, in qua feliciter vivitur, intelligentibus; ut Athanasius ipse l. cit. n. 4.; ne tamen cœlum proprie dictum significetur, videtur prohibere Christus Joan. 3. 13. asserens, nullum hominem ascendisse in cœlum ante Christi ascensionem. *Secundum* verum etiam potest esse eo sensu, quod confirmati in gratia et singulari Dei providentia recti serventur liberi ab omni corruptione, fruantur, quantum mortalitas permittit, cœlitum favoribus, et angelicis etiam ac subinde divinis apparitionibus. Hinc similiter, quæ duo priora in *tertio* momento afferuntur, locum habere possunt, præsertim cum de eorum certamine extremo felici, sub finem mundi secundum Apoc. c. 11. 3. futuro, certi simus. An porro *Elias* et *Enoch* etiamnum viatores sint et mereantur, discrepant inter se Theologi : quodcumque vero admiseris, non est tamen, cur excessum supra Deiparæ merita concedas; cum hæc non ab uno opere et ejus diuturnitate; sed ex modo ac vehementia dilectionis maxime pretium habeant. Cæterum si mortuos illos contendas ac omnino beatæ vitæ possessores, jam non restat præsenti disputationi locus, et repugnas totius Ecclesiæ persuasioni, quæ ex plurimis SS. Patribus, Scriptura etiam non obscure favente, tenet hos duumviros necdum vita functos, sub extremum mundi modo occubituros. Cæterum de ipsa Dei *visione intuitiva,* ejus principiis, objecto et mensura vide Tract. de Beatitudine.

# DISPUTATIO III.

## DE INTELLECTU ET SCIENTIA DEI.

---

## CAPUT I.

### DE INTELLECTU DIVINO, EJUSQUE OBJECTO.

—

### ARTICULUS I.

#### QUODNAM SIT OBJECTUM COGNITIONIS DIVINÆ?

109. *Nota.* Dari in Deo *intellectum* et *memoriam*, præcisis utriusque potentiæ creatæ imperfectionibus, nemo dubitat. *Habitus* aut *discursus* Deo proprie tribui nequit, cum ille redundet in potentia perfectissima, hic autem, ceu transitus a minus ad magis notum, dedeceat ens omniscium. Quod Deus habeat rerum omnium *ideas* perfectissimas, quæ non sint extra, sed intra Deum, asserunt SS. PP. Dionys. de Div. nomin. c. 7. §. 2., Clem. Alex. Strom. L. 6. sub fin., Aug. de Trinit. L. 6. c. 10. et alii, et probat *ratio*, tum quia Deus extra se agit per intellectum ut artifex sapientissimus, tum quia ideæ creaturarum sunt increatæ, incommutabiles et æternæ, nihil autem extra Deum increatum, incommutabile et æternum est. Idea *objectiva* in Deo videtur esse ipsa Dei essentia ut participabilis a creatura, et *formalis* ipsum verbum intellectuale divinum, seu conceptus essentialis, quem Deus habet de creaturis ut possibilibus vel faciendis. Nobis hic sermo est præcipue de *objecto* cognitionis divinæ.

110. *Dico I.* Quidquid est cognoscibile, est objectum cognitionis divinæ.

*Prob.* Cum Baruch. c. 3. dixisset, sapientiam nusquam terrarum aut gentium reperiri, demum, ubi sit, declarat v. 32.: *Quis scit universa, novit eam, et adinvenit eam prudentia sua.* David Psal. 138. 5. *Ecce Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua.* Paulus vero 1. ad Cor. 2. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*; Et ad Hebr. 4. 13. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* His adde SS. PP., qui ubique Deum prædicant omniscium, ut Cyril. L. 11. init. (opp. t. 4. p. 929.) Comment. in Joan. scribens: *Proprie ac soli Principi omnium naturæ tribuendum est, omnia scire docente nullo, ac præ oculis habere nuda et aperta;* aut ab eodem quamcumque ignorantiam pro-

pulsant, ut idem L. 32. Thesaur. (opp. t. 5. p. 329.) dicens, *Divinitatis id esse proprium, ut nihil ignoret,* et Nemes. L. de Provid. c. 44. : *Ignorantia et imperitia prorsus aliena est a beata illa substantia, scilicet Dei; ipsius enim est cognitio et sapientia;* aut Deum totum ex natura sua intelligentem esse ac scientiam statuunt, ut Iren. L. 2. c. 47. (al. 28. n. 4.) ait : *Deus cum sit totus mens, totus ratio et totus lux* etc. Unde sequitur apud eumdem *non esse transmutationem nec vicissitudinis obumbrationem,* ut Jacob. c. 1. 17. loquitur.

*Conf.* Omniscientia est perfectio simpliciter simplex; ergo tribuenda est Deo tanquam enti a se et omniperfecto. *Item* intellectus divinus est perfectissimus; ergo exigit cognoscere omne cognoscibile ab aliquo intellectu : sed Deus et quæcumque res extra Deum est cognoscibilis ab aliquo intellectu; ergo. *Denique* si quid Deus non cognosceret, illud foret vel ex debilitate potentiæ, vel ex imperfectione cognitionis : sed neutrum dici potest de ente, quo melius et perfectius esse aut concipi nequit; ergo. Idque non tantum secundum esse *eminentiale* creaturarum, quod est Dei essentia, sed etiam secundum earum esse *formale,* cum et hoc sit aliquid cognoscibile.

111. *Dico II.* Res etiam vilissimæ, cogitationes item et secreta cordis, ac peccata quæcumque sunt divinæ cognitionis objectum.

*Prob.* 1um. Eccli. 1. 2. quærit Siracides : *Arenam maris, et pluviæ guttas, et dies seculi quis dinumeravit? altitudinem cœli et latitudinem terræ et profundum abyssi quis dimensus est?* etc. Denique v. 8. respondet : *Unus est altissimus Creator omnipotens..., ipse creavit illam in Spiritu sancto; et vidit, et dinumeravit, et mensus est.* Matth. 10. 29. dicit Christus : *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.*

2um. 1. Paral. 28. 9. *Omnia,* inquit, *corda scrutatur Deus et universas mentium cogitationes intelligit.* Idem repetit Ps. 7. 10. *Scrutans corda et renes Deus;* et Ps. 138. 3. *Intellexisti cogitationes meas de longe.* Eccli. 23. 28. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuens in absconditas partes.* Et ad Hebr. 4. 12. *Pertingens usque ad divisionem spiritus et animæ, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.*

3um. Gen. 6. 5. *Videns Deus, quod multa malitia esset super terram.* Prov. 15. 3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.* Psal. 68. 6. *Tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.* etc. Patrum testimonia plurima prostant, maxime in commentationibus ad laudatos textus.

*Conf.* Nec minimum est, quod non fiat Deo vel operante, vel movente, vel permittente : adeoque res etiam vilissimæ *naturales* a Deo producuntur et gubernantur; res morales *bonæ,* quales etiam sunt cogitationes salutares, a Deo excitantur et perficiuntur; res morales *malæ,* nempe peccata cogitationum quoque, a Deo sinuntur : sed novit Deus quidquid naturaliter aut misericorditer operatur, vel provido consilio permittit; ergo. Uti vero ex Job. 28. 3. Deo tribuitur cognitio privationum et negationum, sic et notitia figmentorum, quæ homo sibi format, facile ostenditur.

112. *Nec dicas.* 1°. S. Hier. in c. 1. Habac. v. 13. 14. commentans ait : *Absurdum est, ad hoc Dei deducere Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur; quæ cimicum et pulicum et muscarum sit in terra multitudo etc.* Et S. Chrysostomus hom. 35. (al. 34. n. 2.) in Matth. c. 10. v. 30. ait : *Deum humano more capillos non numerare.* Ergo Deus rerum minimarum cognitionem non habet.

R. *D. Cons.* Deus non habet rerum minimarum cognitionem simplicem *N.* providam *subd.* conjunctam vel cum amore studioque singulari, qualem habet respectu hominum vel anxiam et morosam, quales homines habent de rebus suis *C.* convenientem rerum creatarum conditioni, et ab omni imperfectione secretam *N.* S. Hier. omnino simplicem rerum etiam minimarum cognitionem Deo tribuit, cum in ep. 3. (al. 60. n. 12.) miretur Creatoris solertiam *in minutis quoque animalibus, formica, culice, muscis, vermiculis, et istiusmodi genere, quorum magis scimus corpora, quam nomina.* Nec minus eidem dat providentiam de his universalem, cum verbis in objectione recitatis præmiserit hanc sententiam : *Sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei currit providentia, sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem et ordinem cursumque rerum intelligere possumus.* Unde eodem duntaxat sensu, quo Paulus 1. ad Cor. 9. 9. dixerat : *Numquid de bobus cura est Deo?* negavit paternam et specialem de rebus ejusmodi providentiam, ac similem illi, quam hominibus impendit; quemadmodum ex iis, queis objectionis perodium prosequitur, verbis colligitur, quæ sic habent : *Non sumus tam fatui, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.* Simplicem cognitionem capillorum Deo etiam non denegari a S. Chrys., patet ex adjectis ibidem verbis : *Quid vilius passeribus? et tamen nunquam, ignorante Deo, capientur;* adeoque vel ipsa commemoratio *humani moris* videtur duntaxat excludere imperfectam rerum cognitionem.

113. *Nec dicas* 2°. Genes. 22. cum Deus tentasset Abrahæ fidelitatem imperata Isaaci immolatione, demum v. 12 ait : *Nunc cognovi, quod times Deum.* De Sodomitis autem ibid. 18. 21. loquens inquit : *Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, compleverint, an non est ita, ut sciam.* Ergo nec secreta cordis Abrahæ, nec cupiditates Sodomitarum antea cognoverat.

R. *N. Cons.* Abrahamum a Deo non fuisse tentatum, ut ejus fidelitas Deo innotesceret, patet ex testimonio, quod Deus illi Genes. 18. 19. jam dederat : *Scio enim, quod præcepturus sit filiis suis et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant justitiam et judicium; ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum.* Itaque tentatio illa tantum accidit, ut Abrahæ præberetur occasio, fidem et obedientiam suam manifestandi, quod ipsum phrasis illa Scripturæ : *Nunc cognovi* etc., alibi etiam usitata, teste S. Aug. serm. 72. de temp. (al. 2. c. 3. et 4.), declarat. Similiter Deo jam cognita fuisse Sodomorum scelera, constat ex v. 20. *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est;* unde Scriptura utitur tantum hac metaphorica locutione ad instruendos judices, qua sollicitudine ac circumspectione uti oporteat, ubi de pœnis decernendis agitur, ut explicant SS. Chrys. in Gen. hom. 42. n. 3. et Greg. M. mor. in Job. L. 19. c. 14. (al. 25. n. 46).

114. *Nec dicas* 3°. Habac. 1. 13. legitur : *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum et respicere ad iniquitatem non poteris.* Et Matth. 7. et 25. Christus reprobis dicit : *Nunquam novi vos. Amen dico vobis, nescio vos.* Ergo Deus nec mala, nec malos novit.

R. *D. Cons.* Deus nec mala nec malos cognoscit scientia simplici et speculativa *N.* practica et approbationis vel amoris *C.* In Scriptura non raro dicuntur cognosci, quæ placent et approbantur, ut Ps. 1. 6. *Novit Dominus viam justorum,* et 2. ad Tim. 11. 19. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus*; ignorari autem, quæ displicent et vituperio digna sunt; ad quam phrasin spectat illud 1. ad Cor. 14. 38. *Qui ignorat, ignorabitur.* Hujus generis etiam illa esse, quæ objiciuntur, liquet tum ex ipsa historia, tum ex verbis Prophetæ adjunctis : *Quare respicis super iniqua agentes, et taces, devorante impio justiorem se?*

115. *Observa.* Cognitio divina, utpote actus purissimus et determinatus ex essentia ad actualem omnis veritatis notitiam realiter identificatam ac improductam, non habet *objectum formale motivum,* nisi intentionaliter tantum, quot sunt rerum omnium, quascumque Deus cognoscit, veritates objectivæ. Porro multiplex est modus cognoscendi, ad modum alterius, ex alio, in alio, propter aliud, et in se. Cognitio rei *ad modum alterius*, est cognitio confusa, et habetur per speciem alienam, qualis est nostra cognitio angeli per speciem juvenis alati : cognitio rei *ex alio,* est cognitio discursiva vel per ordinem prioris ac posterioris : cognitio rei *in alio,* quæ etiam dicitur mediata et indirecta, est cognitio in medio dicente ordinem ad illam rem, ita ut ipsum medium sit ratio intentionaliter motiva cognitionis rei, ad quam ordinem dicit; in idem recidit cognitio rei *propter aliud*; quamvis τὸ *propter* etiam possit applicari objecto formali intrinseco et identificato cum objecto materiali, ubi scilicet denotat intrinsecum duntaxat modum tendendi, per quem intellectus illud amplectitur tanquam rationem assentiendi, cui innitatur. Cognitio rei *in se* ipsa interdum sumitur pro cognitione habita per speciem propriam et adæquatam rei ; et hoc sensu nulla est rerum creatarum cognitio in se respectu Dei, eamque D. Thomas p. 1. q. 14. a. 5. negavit : magis autem universaliter sumpta cognitio rei in se est cognitio rei propter ipsius propriam veritatem, ita ut ipsa rei veritas intrinseca sit objectum *intentionaliter* motivum cognitionis ; unde et dicitur directa et immediata. Atque hanc acceptionem cognitionis rei in se hic usurpamus.

## ARTICULUS II.

### AN, ET IN QUO DEUS COGNOSCAT SEIPSUM?

116. *Dico.* Deus seipsum perfectissime cognoscit atque comprehendit, tam in seipso, quam in creaturis.

*Prob.* 1ª. *p.* Joan. 10. 15. dicit Filius : *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem.* 1. ad Cor. 2. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei : Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* Ergo quælibet

Persona cognoscit perfectissime aliam : sed quælibet et omnes sunt unus idemque numero Deus; ergo Deus seipsum perfectissime noscit. Ita S. Aug. L. 15. de Trin. c. 14., Minutius in Octavio. c. 18., Isidor. L. de sum. bon. c. 3.

*Conf.* Deus totus est mens et quidem mens prima et præstantissima, qua præstantior nulla ne concipi quidem potest : præterea ipse sibi est perfectissime præsentissimus ac summe intelligibilis; ergo et seipsum perfectissime cognoscit.

*Prob.* 2ª. *p.* perfectissimo enti intelligenti debet assignari objectum motivum et ratio cognoscendi perfectissima : sed tale motivum et ratio non potest alia esse, quam ipse Deus; ergo. Sicut Deus, utpote ens a se et summum bonum, est proprius sibi finis, juxta illud Prov. 16. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* : ita tanquam summa veritas est sibi in cognoscendo sua ratio motiva.

*Prob.* 3ª. *p.* Deus perfectissime et comprehensive cognoscit creaturas, prout sunt in se : sed creaturæ sunt in se essentialiter connexæ cum Deo; ergo perfectissime et comprehensive cognoscit illas ut essentialiter connexas cum Deo. Hoc autem ipsum est, Deum cognoscere seipsum in creaturis.

*Si ais* 1°. Scientia et omnipotentia Dei sunt idem : omnipotentia Dei nequit habere seipsum pro objecto; ergo nec scientia. *Item* Deus saltem nequit se comprehendere, quia Deus alias finiretur juxta illud S. Aug. L. 12. de Civ. c. 18. *Quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur.*

R. *D.* Sunt idem substantialiter et in recto *C.* sunt idem connotative et in obliquo, seu ratione objecti *N.* Omnipotentiæ objectum est omne possibile et producibile, scientiæ omne cognoscibile; sub quo postremo Deus omnino continetur, minime autem sub priori. *Item* finiretur Deus sui cognitione proprie, quasi meta et finis cognitionis ac cognoscibilitatis divinæ haberetur *N.* improprie, quatenus cognitio Dei adæquat totam illius cognoscibilitatem *C.* De S. Augustini textu observat S. Thomas p. 1. q. 14. a. 3. verba illa, *comprehensione finitur,* non esse accipienda positive, quasi Deus seipsum sua cognitione intra certos limites concludat; sed negative et sensu perfectiore, quatenus Deus seipsum cognoscit nullis limitibus circumscriptum visione similiter nullis limitibus circumscripta.

*Si ais* 2°. Deus se cognoscens in creaturis, cognosceret creaturas prius, quam seipsum : et cognitio divina sui per creaturas foret præcisiva; ergo.

R. *D.* Deus se cognoscens in creaturis, prius simpliciter cognosceret creaturas, quam seipsum *N.* respective et secundum hanc præcise cognitionem *subd.* cognosceret creaturas prius *a quo,* quatenus creaturæ sunt ratio, cur Deus per illam cognitionem cognoscatur *C.* prius *a quo,* quatenus in signo rationis priori cognoscerentur creaturæ et non Deus, cum tamen correlativa sint simul cognitione *N.* Porro præcisiva non foret cognitio divina sui per creaturas, quia creaturæ essentialiter connectuntur cum sua causa prima, vera et reali, ideoque cum omnibus prædicatis divinis, sine quibus Deus nequit esse vera et realis causa prima : cum autem talia sint omnia divina prædicata necessaria, tam absoluta quam relativa, cum illis omnibus creaturæ connectuntur, et illa omnia in creatis necessaria cognoscuntur; præsertim cum omnis cognitio Dei sit comprehensiva.

## ARTICULUS III.

### AN ET IN QUO DEUS COGNOSCAT RES OMNES POSSIBILES?

117. *Dico I.* Deus omnes creaturas possibiles *distincte* cognoscit.

*Prob.* 1°. Deus est infinite intellectivus; ergo habet vim cognoscendi omne intelligibile : sed res possibiles sunt intelligibiles; quia sunt entia saltem possibilia, et unumquodque sicut est ens, ita est intelligibile; ergo divina cognitio ob infinitatem suam hæc omnia complectitur. 2°. Impossibile est, Deum ignorare rem, quam possit creare; quia nihil operatur vel operari potest, nisi ut agens intellectuale; tum quod solus hic operandi modus sit perfectus et Deo dignus; tum quod potentia divina utpote infinita, neque tamen infinita entia producens aut ex se determinata ad hæc potius quam illa entia producenda, non nisi per intellectum et voluntatem determinari potest ad effectus, quos ponit reipsa producendos. Ergo repugnat, aliquid cadere sub divinam potentiam, quod sub scientiam divinam non cadat.

118. *Dico II.* Ex supposito, quod Deus essentialiter connectatur cum possibilibus, Deus illa cognoscit *in seipso*; et quidem tot titulis, quot essentialiter cum illis connectitur.

*Prob.* 1ª. *p.* Medium essentialiter connexum cum termino nequit comprehensive cognosci, quin cognoscatur terminus propter realem connexionem.

*Prob.* 2ª. *p.* Quia posito, quod Deus essentialiter connectatur cum creaturis, et quod connexio cum termino sit ratio intentionaliter motiva cognitionis termini; tot erunt in medio rationes objectivæ intentionaliter motivæ, quot sunt connexiones vel tituli connexionis. Medium 1um est species intelligibilis divina creaturarum, quatenus essentia Dei, eminenter *continens* omnes creaturarum etiam ut possibilium perfectiones, rationem intentionaliter movendi ad earum cognitionem gerit. Medium 2um sunt ideæ divinæ creaturarum; quatenus essentia divina ut *participabilis* connotat infinitos modos, quibus a rebus creatis perfectiones divinæ participari possunt; unde attingi oportet primariam possibilitatem, quæ in perfectionum seu prædicatorum consensione consistit. Medium 3um est omnipotentia divina, cujus terminus adæquatus alius non est, quam res omnes possibiles. Medium 4um est ipsum Verbum divinum, quod quia est substantialis imago Divinitatis, in eodem res omnes possibiles etiam repræsentari oportet. Atque hoc medium frequentius assignatur a SS. Patribus.

119. *Dico III.* Deus etiam immediate cognoscit possibilia *in seipsis*.

*Prob.* Quia intellectus divinus est infinite cognoscitivus, non solum debet cognoscere omnia, sed etiam eo modo, quo sunt cognoscibilia : sed possibilia sunt etiam immediate *in seipsis* cognoscibilia; tum quia immediate in seipsis habent veritatem objectivam, vi cujus terminare possint enuntiationem sibi ipsis conformem; cujusmodi sunt, esse producibilia, non involvere prædicata contradictoria : tum quia ut sunt intrinsece possibilia, ita et intrinsece atque hinc immediate cognoscibilia : tum quia res præteritæ existentes et futuræ

sunt in seipsis cognoscibiles, a quibus res possibiles non distinguuntur secundum veritatem objectivam, sed duntaxat secundum statum; ergo.

120. *Obj. cont.* 1um. 1°. Creaturæ mere possibiles non sunt aliquid actu, neque erunt. 2°. Si Deus actu cognosceret omnia possibilia, in mente divina daretur infinitum categorematicum objectivum; sicut hoc a parte rei haberetur, si Deus omnia possibilia actu produceret. 3°. Si res cognoscitur in causa universali, cognoscitur solum in communi et secundum rationes communes: sed possibilia dum cognoscuntur a Deo in *seipso*, cognoscuntur in causa universali; ergo sic saltem non cognoscuntur sigillatim et distincte.

R. *Ad* 1. *D. A.* Non sunt aliquid physice ac subjective *C.* objective ac verificative *N.* Cum nullum objectum physice moveat divinum intellectum, et tam præterita quam futura æque sint objectum divinæ cognitionis ac præsentia, manifestum est possibilia subtrahi non posse intelligentiæ divinæ ex eo capite, quod actu non existant.

*Ad* 2. Deus omnia possibilia solum cognoscit actu et simul, actualitate et simultate extrinseca cognitionis, utpote quæ unicus et indivisibilis entitative est actus; non autem simultate objecti, quæ scilicet collectionem possibilium enuntiet vel omnia possibilia simul esse posse. Si vero actu producerentur omnia possibilia, haberent actualitatem et simultatem sibi intrinsecam; adeoque daretur infinitum categorematicum creatum.

*Ad* 3. *D. M.* Si res cognoscitur in causa universali creata, cognoscitur solum in communi *C.* si in causa increata *N.* Creatura solum est universalis per defectum virtutis; uti dicitur intellectus noster universalis per abstractionem a materia et mutuando species objectorum a rebus: e contra Deus est universalis per plenitudinem; quia virtus divina est causa rerum secundum omnes rationes etiam specificas et individuales.

121. *Obj. cont.* 2um. Quod non continetur formaliter in Deo, nec formaliter seu secundum esse formale cognosci in Deo potest: nullæ creaturæ continentur in Deo formaliter, sed eminentialiter tantum; ergo. *Conf.* Neque ratio *ideæ* potest esse medium cognoscendi possibilia; cum Dion. L. de divinis nominibus c. 7. dicat, *Deum non cognoscere res secundum ideam.* Nec *Verbum divinum*, cum Ansel. in Monol. c. 29. hæc scribat: *Satis manifestum est in Verbo, quo facta sunt omnia, non esse eorum similitudinem.*

R. *N. M.* vel *D.* Quod formaliter in Deo non continetur, nequit in eo secundum suum formale cognosci immediate et directe *C.* mediate et indirecte *N.* Hoc ipso, quod Deus essentialiter respiciat possibilia, nequit seipsum comprehensive cognoscere directe ac immediate, quin simul possibilia tanquam terminos saltem indirecte et mediate intelligat.

*Ad Conf. D.* Deus non cognoscit secundum ideam æternam a se independentem et extrinsecus affixam *C.* secundum ideam sibi intrinsecam, quæque sit ipsa essentia divina ut participabilis *N.* Ita nempe respondet D. Thom. hic q. 15. a. 1. ad 1. Cæterum a Dionysio nihil minus quam cognitionem creaturarum in Deo negari, *num. seq.* apertissime patebit. *Item* in Verbo non sunt similitudines rerum, acceptæ scilicet a rebus externis et creatis *C.* provenientes ab ipso Deo ejusque essentia ut participabili *N.* In hoc sensu loqui Anselmum probant verba continuo subjuncta: *In factis non est simplex absolutaque essentia, sed vere illius essentiæ* (Dei) *vix aliqua imitatio.*

122. *Obj. cont.* 3um. Dionysius L. de divin. nomin. c. 7. manifeste nobis adversatur sequentibus propositionibus; 1a est : *Non secundum visionem singulis se immittit, sed secundum causæ continentiam scit omnia.* 2a. *Divina sapientia seipsam cognoscens scit omnia.* 3a. *Deus ea quæ sunt noscit, non rerum notitia, sed sui.* 4a. *Si secundum unam causam Deus omnibus existentibus esse tradidit, secundum eamdem causam sciet omnia, et non ex existentibus sumet eorum notitiam.* Ergo juxta eumdem Deus possibilia non cognoscit in seipsis, sed in se tantum ipso. Neque solvitur argumentum dicendo, quod excludatur duntaxat cognitio possibilium in seipsis per species a creaturis acceptas; tum quia S. Doctor negat Deum cognoscere creaturas contraposite ad hoc, quod est cognoscere creaturas secundum continentiam causæ : tum quia alias cognitioni divinæ nihil speciale tribueretur; cum angeli etiam non intelligant per species a creaturis acceptas.

R. *D. Cons.* Deus possibilia non cognoscit *in se ipsis* sumendo hunc cognoscendi modum minus jam usitate et pro cognitione, quæ habetur per species proprias ab objecto emissas *C.* sumendo illum usitatiore jam acceptione et pro cognitione rei propter ipsius propriam veritatem *N.* Priorem duntaxat usurpationem negat Dion., qui l. c. intendit unice probare, quod Deus habeat ab æterno cognitionem omnium, neque modo in tempore aliquid discat. Mentem hanc ejus esse, patet tum ex discursus exordio, quod est hujusmodi : *Neque enim ea quæ sunt, ex iis quæ sunt, discens novit divina mens; sed in se et ex se per causam rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque anticipatam et ante comprehensam habet : non quod per speciem singula consideret, sed quod uno causæ complexu omnia sciat et contineat* : tum ex probatione, quam desumit ex Scriptura, in qua frequenter dicitur, Deum res *novisse, prius quam fierent* : tum ex Maximo in Scholiis ad c. 7. Dion., ubi dicit Deum per causam habere in se cognitionem omnium, *quod illam experientia non compararit; tunc enim Deus cognitione posterior inveniretur, aut in aliquo tempore non cognoscens* : tum ex versione Lausselii, secundum quam propositio 4a. sic enuntiat : *Sicut Deus omnibus creaturis actualibus tribuit esse, quin illis esse sumat, ita et eas omnes cognoscit, quin ab eis per speciem cognitionem accipiat.* Hinc

*Ad prob. N. Ass.* Quoad rationem 1am., patet responsio ex dictis, ubi declaravimus, cuinam opponat S. Doctor cognitionem Dei in seipso : quoad 2am. assignamus differentiam, quæ etiamnum stat cum data explicatione. Dum enim Patres probant Deum non cognoscere creaturas per *speciem* ab his acceptam, maximam et specialem perfectionem Deo tribuunt in linea intelligendi; quia si speciem non accipit a creaturis cognitis, nec eam accipit aliunde : ex quo conficitur, intellectum divinum nulla indigere *specie*, adeoque ex se esse completissimum et determinatum ad cognoscenda omnia cognoscibilia, ut primum cognosci possunt; quæ est singularis Dei perfectio : angeli autem quamvis speciem non recipiant a creaturis, illarum tamen speciem habent a Deo infusam.

*Inst.* 1. Aug. L. 83. QQ. q. 46. n. 2. ait de Deo : *Non enim extra se quidquam positum intuetur : Nam hoc opinari sacrilegum est.* Quæ verba exponens D. Thom. hic q. 14. a. 3. ad 1. inquit : *Dicendum, quod verbum Augustini dicentis* etc., *non est hic intelligendum, quasi nihil, quod sit extra se, intueatur, sed quia id, quod est extra ipsum, non intuetur nisi in seipso, ut dictum*

*supra*. Dixerat autem in 0. *Alia autem a se videt non in ipsis sed in seipso;* et L. 1. cont. Gent. c. 48. n. 7. scripserat : *Si igitur Deus aliud a se intelligeret quasi per se et primo intellectum, ejus operatio intellectualis speciem et nobilitatem haberet secundum id quod est aliud ab ipso : hoc autem est impossibile.* Ergo. *Conf.* S. Ambr. c. 1. in Symb. (al. de Trinit. c. 1. not. a.) *Licet,* inquit, *Deus omnia cœlestia et terrestria ac minima quæque perspiciat, nihil tamen extra se intelligere, sed singula in se intueri dicitur.* Et S. Aug. L. 5. de Gen. ad lit. c. 15. *Vidit omnia Deus, quando fecit; et sicut vidit, ita fecit : non præter seipsum videns, sed in seipso.*

R. Quoad textum S. Aug. *D. A.* Deus non intuetur extra se aliquid tanquam exemplar seu ideam, ad cujus similitudinem et normam efformet creaturas *C.* non intuetur extra se aliquid tanquam objectum, quod immediate et in propria ratione ac veritate percipiat *N.* Platonicas ideas nempe hic insectatur S. Doctor cujus hæc verba non interpolata damus : *Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris ? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituebat : nam hoc opinari sacrilegum est.* D. Thomas in Summa l. c. ad 3. affert hanc rationem, cur Deus creaturas non cognoscat *in seipsis* ; quia cognitio divina nequit specificari ab objecto creato, cum istud non possit esse principium intellectualis operationis, per se nempe vel per speciem influens : in L. cont. Gent. autem l. c. plures rationes addit, nempe quod Deus alias mutaretur in pejus, haberet plures operationes intellectuales, foret in potentia, aliquid aliud esset Dei perfectio, et scientia ejus ex multis componeretur : hæ vero omnes non conveniunt scientiæ nisi tali, quæ ab aliquo extrinseco vel constitutive vel physice motive et sic principiative habetur; quorum neutrum in nostra sententia sequitur. Cæterum advertendum est, D. Thomam his in locis sermonem etiam facere de objecto primario et nobiliore, quod essentiam Dei esse, non autem creaturas, jam supra a nobis assertum fuit.

*Ad Conf.* R. 1°. *N. Cons.* Ambr. enim negat duntaxat cognitionem creaturarum in seipsis secundum modum a Dionysio rejectum. 2°. Verba quæ objiciuntur non leguntur in genuino hujus tractatus textu; ut videre est in nova opp. S. Ambrosii edit. l. cit. et in admonit. prævia. Aug. autem hic rursus rejicit ideas a Deo distinctas, ut ipsa verba satis manifestant.

*Inst.* 2. Cognitio creaturarum *in seipsis* est decoloratior et vespertina, juxta S. Aug. ; ergo Deo haud convenit. *Item* sicut se habet bonitas creata ad voluntatem divinam, sic se habet veritas ad intellectum : sed bonitas creata non potest immediate movere voluntatem divinam ad amorem sui; ergo similiter.

R. *D. A.* Cognitio creaturarum in seipsis est decoloratior et imperfectior respectu Beatorum *C.* respectu Dei *N.* In Beatis cognitio creaturarum *in seipsis* est realiter distincta a cognitione earumdem in Verbo; unde nec est beatifica, nec relata adhuc in laudem et amorem Dei, nec habet pro comprincipio lumen gloriæ sed species proprias creaturarum, ex quibus capitibus *decolorata* et *vespertina* vocatur. Nihil autem eorum deest cognitioni divinæ creaturarum *in seipsis,* aut præstantiora adsunt.

*Ad Conf.* R. *N. M. Disparitas* est 1°. quia *voluntas* est potentia libera, et sicut ex hac ratione potest amare vel non amare objectum materiale creatum,

sic potest illud amare ob hoc vel illud motivum : sed *intellectus* est potentia necessaria, et sicut hinc cognoscere debet omne vere cognoscibile, sic pariter debet illud cognoscere omni modo et ex omni motivo, quo cognoscibile est sine cognoscentis imperfectione. 2°. Cum voluntas sit sedes *moralitatis*, moralitas autem actuum divinorum debeat esse perfectissima, sequitur etiam hos actus ex motivo perfectissimo, quale est una bonitas increata, proficisci debere : e contra sicut perfectio intellectus divini exigit, ut omnia cognoscat etiam ea, quæ voluntas amare nequit, qualia sunt peccata; ita pariter exigit, ut ea in se ipsis cognoscat, cum aliunde in hoc nulla repugnantia aut species imperfectionis reluceat.

## ARTICULUS IV.

### AN, ET IN QUO DEUS COGNOSCAT CONTINGENTIA ABSOLUTE FUTURA?

123. *Dico I.* Deus omnia contingentia *absolute* futura certissime ac infallibiliter jam ab æterno cognoscit.

*Prob.* In Scriptura 1°. præscientia futurorum liberorum statuitur tanquam proprius Divinitatis character; Isa. 41. 23. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos.* 2°. Eadem scientia universim tribuitur Deo; Sap. 8. 8. *Signa et monstra scit, antequam fiant, et eventus temporum et seculorum.* Dan. 13. 42. *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant.* 3°. Speciatim etiam hujus scientiæ exempla proferuntur; David enim de se Psal. 138. 3. ait : *Intellexisti cogitationes meas de longe; et omnes vias meas prævidisti :* Deus apud Isa. 48. 5. *Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent, indicavi tibi, ne forte diceres : idola mea fecerunt hæc.* De Christo Joan. 6. 65. *Sciebat ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.* His adde ex Prophetarum libris prædictiones omnes, utpote eventu certo jam comprobatas; unde Tertul. L. 2. cont. Marc. c. 5. *Præscientia Dei tantos habet testes, quantos fecit Prophetas.* Idem testantur Patres : Orig. apud Eus. L. 6. c. 11. (p. 284. A.) de præp. Evang. ait : *Quidquid aliquando futurum est, id Deum multo ante futurum prænosse, ut Scripturæ abesset auctoritas, vel ipsamet ex Dei notione is profecto demum intelligat, qui probe vim illam et excellentiam divinæ mentis intelligit.* S. Aug. L. 5. de Civ. c. 9. n. 1. *Confiteri Deum, et negare præscium futurorum, apertissima est insania.*

*Conf.* Mens divina est perfectissime et *infinite intellectiva,* adeoque certo et infallibiliter cognoscit omnia cognoscibilia sibi aliquando præsentia : est autem *æterna;* adeoque omnia, quæ fuerunt, sunt, aut erunt, aliquando sunt Deo præsentia. *Præterea* Deus est immutabilis; proinde ejus etiam scientia quoad se est *invariabilis,* quamvis objectum ejus sit variabile ; ergo non cognoscit res tunc primum, quando actu sunt, sed ab æterno, sive una cognitione æterna attingit omnia. *Denique* quæcumque erunt, Deus ab æterno in sapientia sua constituit vel ordinando vel permittendo : hoc vero sine certa ac infallibili notitia fieri nequibat; ergo.

124. *Dico II.* Deus contingentia absolute futura non videt in decretis ad unam partem antecedenter determinatis.

*Prob.* Hujusmodi decreta videntur esse superflua, sanctitati divinæ injuriosa, et libertati creatæ noxia; ergo non dantur, ideoque Deus in iis futura videre nequit.

*Ant. prob. quoad* 1am. *part.* Quia decretum antecedenter determinatum ac determinans 1°. non est necessarium ad salvandam in Deo rationem *causæ primæ;* cum hæc ratio salvetur in eo, quod Deus dederit ac conservet causæ secundæ vires ad operandum, et per concursum indifferenter oblatum compleat ejus potentiam proximam, sicque moveat et applicet ad operandum, quin eam determinet : nec 2°. est necessarium ad salvandum *supremum Dei dominium;* cum illud ut *morale* salvetur per hoc, quod Deus causæ secundæ actus possit imperare vel prohibere, illosque pro suo placito ad certum, quem libuerit, finem dirigere et adhibere; ut *physicum* vero per hoc, quod causam secundam possit conservare vel destruere, eamque per media quamvis ex se repudiabilia, tamen certo et infallibiliter Deus possit perducere ad operandum id, quod ipse voluerit : nec 3°. est necessarium ad salvandam infallibilitatem *divinæ præscientiæ;* cum, ut S. Aug L. de prædest. Sanct. c. 10. n. 19. inquit, prædestinatio quidem sine præscientia in Deo esse nequeat, possit tamen esse sine prædestinatione præscientia : nec 4°. necessarium est ad tollendam *causæ secundæ indifferentiam;* cum hæc non sit passiva sed activa, nec proveniat ex imperfectione et defectu, sed ex perfectione et eminentia virtutis ad agendum, vi cujus ita habet potentiam agendi, ut pro arbitrio agere vel non agere possit.

*Quoad* 2am. *part.* Quia si Deus prædeterminaret vel condeterminaret ad materiale tantum peccati, evaderet auctor peccati; tum quia Deus omnino censendus foret velle ipsum formale peccati cum materiali, quod vult et præordinat, necessario connexum : tum quia nec homo, qui causa per se peccati habetur, aliud quid facit, præsertim in *Thomistarum* sententia formale peccati in negativo constituentium.

*Quoad* 3am. *part.* Quia positò ejusmodi decreto homo v. g. nec libere eliceret amorem, ad quem determinat illud decretum; nec libere etiam omitteret non amorem vel odium. Nam in hoc casu : 1°. Homo ille non potest seipsum determinare ad amorem, neque ante illud decretum determinans, cum alias foret inutile hoc decretum; neque dum actu decretum illud determinat, cum se determinare ad amorem non sit præcise amare, nec sponte tantum amare, sed amare vel amare velle sine aliqua necessitate vel obligatione intrinseca antecedente ad amandum, ut tamen fit præsente isto decreto. 2°. Homo ille odium omitteret necessario, non autem libere seu ex potestate intrinseca et dominio in actum, quia non haberet decretum determinans ad odium. Nam qui caret virtute aliqua sic ad odium necessaria, ut ea non posita repugnet esse odium, ille necessario et non libere odium omittit : sed qui non habet illud decretum seu prædeterminationem ad odium, caret ejusmodi virtute; ergo.

125. *Dico III.* Deus futura ejusmodi videt immediate in *seipsis,* h. e. in veritate eorum objectiva et actuali existentia in secutura temporis differentia.

*Prob.* Contingentia absolute futura sunt determinate vera et cognoscibilia

in seipsis; tum quia præscindendo ab omni *decreto* vel *causa,* verificatur in sensu formali de illis hæc propositio : jam non existunt, existent tamen postea : tum quia sicut existentia rei in tempore præsenti cognoscibilis est in seipsa et præscindendo ab omni causa tanquam illius constitutiva, sic et cognosci potest existentia rei in secutura temporis differentia ; ergo Deus, qui ab æterno cognoscit rem quamcumque pro eo modo ac tempore, quo scibilis est ac vera, futura hujusmodi in seipsis cognoscit certo et infallibiliter; cum nos eadem cognoscamus sæpe probabiliter aut imperfecte.

*Conf. I.* S. Thom. in 1. Dist. 38. q. 1. a. 5. in θ, postquam dixisset, in causis quidem necessariis rem futuram cognosci certo posse, minime autem in iis, quæ se habent ad utrumque effectus, scilicet in liberis; ac præterea docuisset contingentia, quando jam extant in rerum natura, habere esse determinatum, ideoque certitudinaliter posse cognosci; demum scribit, divinam de futuris cognitionem non obstante rerum contingentia esse certissimam, quia divinus intellectus intuetur unumquodque contingentium, non solum prout est in suis causis, sed prout est in suo esse determinato, et hanc mox rationem subjungit : *Cum enim re existente ipsam rem videat, prout in suo esse determinato est, aliter cognosceret rem, postquam est, quam antequam fiat, et sic ex eventibus rerum aliquid ejus cognitioni accresceret.* Idem uberius in resp. ad 3. sic exponit : *Actus divinæ cognitionis transit supra contingens, etiamsi futurum sit nunc, sicut transit visus noster supra ipsum dum est : et quia esse quod est, quando est, necesse est, quod tamen absolute non est necessarium; ideo dicitur, quod in se consideratum est contingens : sed relatum ad Dei cognitionem est necessarium; quia ad ipsam non refertur, nisi secundum quod est in esse actuali : et ideo simile est, sicut si ego videam sortem præsentialiter currere; quod quidem in se est contingens, sed relatum ad visum meum est necessarium.* Similia repetit in q. 12. de ver. a. 10. in θ. et in Summa, ubi soli Deo tribuit cognitionem contingentium futurorum in se ipsis ac infallibilem, creaturis vero conjecturalem duntaxat et in causis, ut patet ex parte 1ª. q. 14. a. 13., q. 57. a. 3., q. 86. a. 4.

*Conf. II.* Si Deus futura hujusmodi non cognosceret in seipsis, id oriretur vel ex eo, quod cognitio Dei, utpote per medium contingens, non posset esse *infallibilis;* vel quod illa cognitio, utpote habens motivum determinativum creatum, foret *imperfecta* : sed neutrum ex his sequitur. Nam imprimis quamvis etiam prædeterminatio vel decretum quodcumque, cum sit liberum Deo, possit dici contingens, non tamen in sensu adversariorum hoc impedit infallibilitatem scientiæ divinæ; cum hæc non nitatur illi decreto utcumque, sed ex supposito quod existat : sic similiter ea contingentia futurorum non obstabit infallibilitati cognitionis divinæ; cum et ista asseratur ex supposito quod res postea extitura sit, in quo sensu jam res necessaria est, ut proxime exposuit S. Thomas. Deinde cognitio divina non redditur imperfecta, quod veritas objectiva futurorum sit motivum seu ratio assensus divini, cum eadem veritas præsentium et præteritorum, quæ juxta omnes cognoscuntur a Deo in se ipsis, nullam imperfectionem refundat in cognitionem Dei; ergo.

126. *Obj. cont.* 1um. Quando Deus futura prædixit, hæ prædictiones sæpe caruerunt *effectu,* ut constat ex Isa. 38. de morte Ezechiæ, et Jonæ 3. de subversione Ninive : aut fuerunt tantum *conjecturales,* quia tam circa futura

absoluta quam conditionata Deus sæpe usus est particulis *forte* vel *forsitan*, ut patet ex Jerem. 26. 3., Ezec. 2. 5., Joan. 5. 46. etc. Ergo hæc futura Deus vel plane non vel non certo præscivit.

R. *Ad* 1. *D.* Prædictiones Dei absolutæ caruerunt effectu *N.* conditionatæ, *subd.* ex defectu certitudinis divinæ in cognoscendo *N.* ex defectu conditionis non impletæ *C.* Vide de his Tractatum de Fide.

*Ad* 2. *D.* Sæpe usus est his particulis ad declarandam cognitionem Dei de futuris dubiam et conjecturalem *N.* ad alia quædam vel circa modum asserendi, vel circa res ipsas futuras, vel circa auditores prædictionum significanda *C.* Adverbia *dubitandi* non semper incertitudinem designare, patet ex pluribus Scripturæ testimoniis, in quibus per illa significatur sollicitudo et spes erecta, ut in illo Moysis Exod. 32. 30. *Ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro;* aut difficultas rei, ut in illo Pauli ad Phil. 3. 11. *Si quo modo occurram ad resurrectionem;* aut usurpatio particulæ expletivæ et affirmatio, ut in illo Christi Joan. 8. 18. *Si me sciretis, forsitan et patrem meum sciretis,* quod Joan. 14. 7. sic refertur. *Si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis.*

Similia intelligenda per illas particulas in objectis textibus declarant SS. Patres: Hier. enim in Jerem. c. 26. v. 1. *Verbum ambiguum,* inquit, *Majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium; ne ex præscientia ejus, quasi necessitate vel facere aliquid vel non facere cogatur.* Greg. M. in Ezech. L. 1. hom. 9. n. 8. ait: *Dum constat, quod omnipotens Deus omnia sciat, mirandum valde est, cum dicitur, si forte audiant. Quapropter sciendum nobis est, quia ista dubitatio locutionis Dei non ex ignorantia, sed ex alia significatione descendit.* Aug. Tr. 37. in Joan. n. 3. sic loquitur: *Ille, qui omnia scit, quando dicit forsitan, non dubitat; sed increpat... Dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine ideo dubitante, quia nesciente: quando vero dicitur a Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.* Idem aliam significationem hujus particulæ exprimit in comment. ad Psal. 2. verba hæc, *Nequando irascatur Dominus,* scribens: *Cum dubitatione positus est, non secundum eos ipsos qui monentur, quia cum dubitatione solent cogitare iram Dei, quibus non aperte revelatur.* Similia habentur apud Ambros. L. 2. de pœnit. c. 5. et alios Patres.

*Inst.* Aug. L. 2. ad Simplic. q. 2., Greg. M. L. 20. mor. c. 23 (al. 32. n. 63). Boetius L. 5. de Consol. pros. 6. negant in Deo esse veram præscientiam; ergo. *Conf.* Scientia futurorum contingentium ex suppositione saltem antecedente est contingens; ergo qua talis non dicit novam perfectionem; ergo sicut ex eo, quod Deus modo in tempore fiat actu producens mundum, in eum nullam imperfectionem refundit; sic nec inde imperfectio in Deo argui posset, si futura contingentia nesciret ab æterno, sed primum cognosceret determinate, dum existunt.

R. *D. A.* Negant in Deo præscientiam quoad nomen *C.* quoad rem nomine significatam *N.* sensus quippe Patrum est, quod respectu Dei omnia sint præsentia, atque hinc in eo statuenda sit scientia, non autem præscientia, utpote quæ futurorum est; quemadmodum ipsa verba, si inspiciantur, aperte docent.

*Ad Conf.* R. 1°. *D.* 1um. *Cons.* Hæc cognitio qua talis non est nova perfectio, quatenus cognoscere rem futuram non est perfectius, quam cogno-

scere ejus oppositum, si id futurum esset *C*. Quatenus cognoscere futurum non est perfectius, quam illud non cognoscere aut de eo conjicere tantum *N*. *Primum* duntaxat ostendit, quod illa habitudo scientiæ divinæ ad futurum sit prædicatum neutrum vel perfectio simplex : *Secundum* autem induceret positivam imperfectionem pluribus divinis prædicatis oppositam.

R. 2°. *N*. 1um. *Cons. Disparitas* est, quia transitus a non producente ad producentem aliquid non facit mutationem in Deo agente, sed tantum in effectu producto, ut patet ex dictis num. 62.; fieret autem mutatio intrinseca in Deo, si quid in tempore cognoscere inciperet, quod ab æterno non novisset; cum denominatio cognoscentis sit vitalis et essentialiter intrinseca. Quod hæc præscientia non obsit libertati, docebitur *infra*.

127. *Obj. cont.* 2um. Voluntas Dei est efficax et infrustrabilis, juxta illud ad Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistet ?* præterea vero juxta illud ad Ephes 1. *Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ ;* ergo potest in suis decretis omnia cognoscere. *Conf.* SS. Patres et Doctores aperte id insinuant. Nam 1°. Hilar. L. 9. de Trin. n. 58. et *seq.* ait : *Quæ Deus facere decrevit, in sua voluntate cognovit.* Et Aug. L. de prædest. SS. c. 10. n. 19. *Prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* 2°. Idem L. de don. persev. c. 17. n. 42. loquens de bonis operibus inquit : *Si Deus ea se daturum præscivit, profecto prædestinavit ;* unde sequitur ab illo præscientiam Dei in ejus decreto fundatam agnosci. 3°. S. Thom. L. 1. ad Annibald. Dist. 38. q. 2. a. 1. ait : *Deus scit res, in quantum est causa rerum ;* in 1. Dist. 39. q. 1. a. 1. ad 5. *Scire in Deo sequitur voluntatem, ut imperatum ab ipsa* ; ergo.

R. *D.* 1am. *p. Ant.* Voluntas Dei circa actus proprios aut creaturæ necessarios est efficax et infrustrabilis *C*. circa actus creaturæ liberos, *subd.* est efficax et infrustrabilis ratione decreti determinati ac de se habentis infallibilem connexionem cum actu futuro *N*. ratione scientiæ mediæ, a qua divinum decretum dependet *C*.

2am. *p. D.* Similiter. Loquitur enim Apostolus primario de donis *gratuitis*, v. g. redemptione hominum, vocatione gentium etc., quorum solus Deus est causa tum *physica*, quia solus ea producit, tum *moralis*, quia nulla eorum ratio est in nobis, sed una in Deo, qui sua ex bonitate decernit, talia nobis dona conferre. Si tamen textus Apostoli intelligatur de omnibus, quæ operatur in et cum nobis, operatur secundum consilium voluntatis suæ, quatenus media et rationes, de se quidem indifferentes, sed quas novit cum effectu et fine intento conjungendas, pro sua voluntate eligit ac decernit.

*Ad Conf.* R. Quoad 1um. In utroque textu sermonem esse de iis, quæ solus Deus facit, illique soli libera sunt. De mente autem Aug. etiam constat ex contextu ; quia cum adduxisset ibidem illud ad Rom. 4. *Abraham credidit dans gloriam Deo ; quoniam quæ promisit, potens est et facere,* subjungit : *Non ait prædicere ; non ait præscire ; nam et aliena facta potest prædicere atque præscire ; sed ait potens est et facere : ac per hoc facta, non aliena, sed sua.* Quoad 2um. *D. seq.* Sequitur præscientiam fundatam esse in decreto antecedenter determinato *N*. in decreto de se indifferenti ac evitabili a libertate humana, et sic consequenter tantum determinato *C*. Quoad 3um. eadem est responsio ; D. Thomam nempe loqui de scientia visionis in decreto consequenter tantum determinato et antecedenter evitabili.

*Inst.* Decretum Dei antecedenter determinatum 1°. determinat creaturas secundum nativam earum indolem, necessarias nempe ut agant necessario, liberas ut agant libere : 2°. nihil ponit in voluntate nisi ipsam ejus actionem; quæ cum sit complementum potentiæ agendi, potentiam ipsam non lædit aut minuit : 3°. importat tantum necessitatem hypotheticam et consequentiæ, non autem absolutam et consequentis; quia quamvis recte sequatur : Deus determinat hominem ad ambulandum ; ergo ambulabit : tamen ipsa ambulatio est actio libera ; ergo.

R. *N. A. vel prob.* Nam 1°. hoc ipso, quod decretum sit antecedenter determinatum, non possunt jam per illud liberæ causæ agere libere. 2°. Quamvis actio de se non minuat potentiam, tamen ut provenit a decreto prædeterminante ad unum, lædit omnino potentiam, quæ debet esse libera ad oppositum. 3°. Ipsa deambulatio licet secundum se spectata sit actio libera, non manet tamen, ut pendet ex tali hypothesi, quæ antecedit libertatem hominis et consensum ejus liberum.

128. *Obj. cont.* 3um. 1°. Cognitio infallibilis nequit habere medium fallibile : sed cognitio Dei est infallibilis, et futurum contingens in se est fallibile ; ergo. 2°. Si Deus futura videret immediate in *seipsis;* ergo certitudo et infallibilitas scientiæ divinæ haberetur a creaturis : exspectaret Deus existentiam futuri ejusque veritatem, ut illud cognosceret : futurum esset prius scientia divina. 3°. Nec actus liber voluntatis nec ejus determinatio potest esse independenter vel sine decreto divino; ergo ejus determinata veritas nequit cognosci pro priori ad decretum, imo nequidem sine decreto divino; ergo nec præscindendo a decreto divino ; præsertim cum Dei cognitio sit *comprehensiva* et non tantum actum, sed ejus causam et decretum cognoscere debeat.

R. *Ad* 1. *D.* Futurum contingens est fallibile antecedenter, h. e. ante suppositionem futuritionis *C.* consequenter ex suppositione futuritionis *N. m. et rationem.* Quia ex suppositione hac implicat rem futuram non esse futuram et determinatam.

*Ad* 2. R. *D.* Certitudo et infallibilitas scientiæ divinæ formalis et subjectiva, seu quæ tenet se ex parte cognoscentis, haberetur a creaturis *N.* objectiva et quæ se tenet ex parte rei cognitæ *C.* Ex hac vero si quæ forsan scientiæ divinæ dependentia infertur, non est illa proprie dicta et imperfectionis, sed impropria et perfectionis. Deus jam ab æterno cognoscit, quod in tempore existet : et quamvis in ordine ad signa rationis non cognoscat futura contingentia, nisi in *signo* per se *posteriori* ad absolutam illorum existentiam; hoc tamen non ostendit expectationem *propriam,* quæ importat aliquam animi vel potentiæ suspensionem pro tempore vel signo, quo exerceri possit illud : *impropriam* vero admittere absurdum non est; tum quia Isa. 30. *exspectat Dominus, ut misereatur vestri :* tum quia futura, ut absolute existentia, ante signum prædictum cognoscibilia non sunt. Denique futurum non est secundum tempus et realiter prius quam divina scientia, sed formaliter et secundum nostrum concipiendi modum, ac quidem divina scientia non entitative sumpta, sed reduplicative et denominative sumpta.

*Ad* 3. R. Cum determinatio voluntatis non sit aliqua entitas ab actu

voluntatis distincta, neque proprie aliqua formalitas actus, sed mera ratio in actu dicens ita procedere actum a voluntate, ut ab ea eligatur, omnino admittimus sine decreto et concursu divino, antecedenter tamen indifferente, non actum voluntatis nec ejus determinationem poni posse; quia ut res sit seu esse accipiat, essentialiter requiritur ejus causa, quam in Deo et voluntate adæquate constituimus. Hinc vero sicut determinata futuri veritas pro priori ad suam causam nec esse nec asseri potest, etiam nequit pro priori ad decretum divinum cognosci aut per propositionem enuntiari. Cum vero veritatem objectivam non constituat decretum divinum, et effectus etiam, qua talis, secundum suum esse formale seu constitutiva intrinseca cognosci queat, quin illa cognitione attingatur simul ejus causa aut aliud quodcumque ad ejus positionem adhibitum; sequitur saltem ab intellectu creato futurum formale cognosci posse sine decreto et ab eo præscindendo. Cognitio Dei realiter quidem sumpta est comprehensiva tum actus tum causæ tum sui decreti, sumpta autem formaliter ac reduplicative seu quatenus est cognitio futuri terminatur ad esse formale futuri, utpote quod in esse veri et cognoscibilis constituitur sine decreto tanquam parte.

129. *Observa.* Deus contingentia absolute futura non videt in sua essentia tanquam specie intelligibili, quia hæc non est necessario connexa cum contingente absolute futuro, sed indifferens ex se est ad repræsentandum futurum æque ac non futurum; nisi ex supposito existentiæ futuræ, cum essentiæ divinæ vis repræsentandi infinita jam determinata sit ad repræsentandam futuram existentiam. Neque in decreto applicativo suæ omnipotentiæ aut in alio quocumque decreto scientiam mediam antecedente vel ab ea independente cognoscit: de facto tamen cognoscit in complexo scientiæ mediæ et decreti omnipotentiam applicantis; nam illud est ad utrumque indifferens, vel si est cum uno determinate extremo essentialiter connexum, obest libertati: hoc vero complexum una cum infallibilitate cognitionis divinæ salvat libertatem voluntatis humanæ. Porro Deus futura prædicta videre quidem nequit in causis creatis liberis nude sumptis; videt tamen illa in causis his, ut sese determinaturis: quia causæ creatæ liberæ, quantumvis proximæ completæ ac expeditæ, quoad actum *primum* spectari adhuc debent ut indifferentes ad agendum vel non agendum: sed ut sese determinaturæ spectantur in actu *secundo* ut natura seu causalitate priores effectu. Multo minus Deus futura videt in ipsorum coexistentia reali cum æternitate divina; tum quia nullum futurum physice ac realiter ab æterno extitit: tum quia æternitas, qua Deus creaturis in tempore existentibus coexistit, non facit illas Deo ab æterno præsentes, sed tantum præsentes æternitati in tempore: tum quia hic cognoscendi modus convenire nequit Deo respectu futurorum conditionatorum, quorum conditio numquam est implenda. Cum cognoscit autem futura, hæc cognoscit in veritate objectiva et entitate ipsa, quæ aliquando erit; et sic illa coexistunt Deo ab æterno, at præsentia mere objectiva.

## ARTICULUS V.

### AN, ET IN QUO DEUS COGNOSCAT CONTINGENTIA CONDITIONATE FUTURA ?

130. *Nota 1.* In *conditionate* futuris tria sunt consideranda : *conditio,* quæ etiam hypothesis dicitur, est illa, sub qua aliquid affirmatur vel negatur, et per particulam *si* communius exprimitur : *conditionatum,* quod sub conditione affirmatur vel negatur, et in futuris eventus dicitur : *habitudo* vel conducentia conditionis ad conditionatum.

Dividitur 1°. in mere seu *pure* conditionatum, ubi scilicet conditio nunquam purificabitur, h. e. ponetur seu ad statum absolutum reducetur; et in *non pure* conditionatum, ubi conditio purificabitur, et hinc ex conditionate futuro evadet absolute futurum. De *primo* membro quidem movetur quæstio, cum de altero jam in præcedente articulo responsum fuerit : nihilominus ad ea *secundum* quoque pertinet, eo quod omne absolute futurum præsupponat ante se conditionate futurum; cum, si verum est effectum v. g. esse extiturum sub hac libertate, etiam verum sit quod extiturus sit hic effectus, si detur hæc libertas.

Dividitur 2°. in conditionatum *impossibile,* ubi scilicet sub conditione impossibili aliquid enuntiatur; v. g. si lapis esset homo, libere operaretur : in conditionatum *necessarium,* ubi aliquid enuntiatur sub conditione, quæ necessariam habet connexionem cum conditionato; quod dupliciter haberi potest, nempe vel ex essentia et *natura rei,* ut in hac propositione : si ignis est, calefacit; vel ex solo *decreto* ac *voluntate Dei,* ut in his : si peccator morietur cum pœnitentia finali, salvabitur : si percussisset Joas terram jaculo quinquies aut sexies, percussisset Syriam usque ad consumptionem : si Christus non abiisset, Paraclitus non venisset ad Apostolos, etc. : in conditionatum *contingens,* ubi conditionatum enuntiatur sub conditione, quæ quidem non habet connexionem cum conditionato necessariam, sed tamen vel per modum *causæ* vel per modum *occasionis* connectitur cum existentia objecti conditionati, ut in his : si Petrus vocetur auxilio hoc, assentiet; si vocetur auxilio illo, dissentiet; in qua postrema quamvis auxilium illud nullam dicat proportionem conducentiæ ad dissensum, sicut auxilium hoc in priori eam dicit ad assensum, tamen habet proportionem constitutivi libertatis ad dissensum, ut nempe conducit ad oppositum scilicet assensum : in conditionatum *disparatum* ubi conditionatum enuntiatur sub conditione, quæ nullam plane ad illud connexionem dicit, ut in hac : si Turca dormit, Papa orat. Hujusmodi autem propositiones semper sunt falsæ, si particula *si* rigorose sumatur; eo quod propositio conditionata *rigorose* sumpta non affirmat vel negat nudam existentiam conditionati, sed dependenter a conditione; conditionatum autem nunquam existet nec non existet dependenter a conditione *disparata,* ut patet ex terminis : possunt tamen esse veræ, si particula illa *si* explicetur vel æquivaleat particulæ *quando,* et significet tantum concomitantiam utriusque propositionis : atque in hac potest subinde dari connexio etiam *necessaria* sed *ab extrinseco,* scilicet a voluntate divina vel creata, ut patet in illa Eliæ ad Elisæum : si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petiisti. Porro quamvis postremum condi-

tionatum possit referri ad scientiam Dei mediam *materialiter* sumptam, et conditionatum etiam impossibile juxta aliquos spectet ad eamdem simpliciter, si conditio impossibilis per impossibile purificata haberet connexionem cum conditionato solum contingentem; his tamen uti et aliis omissis, quæ ad scientiam Dei necessariam aut simplicis intelligentiæ spectant, agemus hic duntaxat de contingentibus conditionate futuris.

132. *Nota II.* Thomistæ, ac Scotistæ etiam statuunt, hæc futura cognosci a Deo in decreto per se et antecedenter determinato; quod, quia actu dari volunt, vocant *subjective* seu ex parte actus absolutum; quia vero est circa conditionate futurum, vocant *objective* seu ex parte objecti conditionatum. Alii fere omnes negant non tantum compossibilitatem horum decretorum cum libertate humana et divina sanctitate, sed etiam necessitatem decreti actu existentis ad cognitionem *conditionate* futurorum: unde communius statuunt contingentia conditionate futura, etiam ante et independenter ab ullo decreto actuali, a Deo infallibiliter cognosci in seipsis immediate, quam cognitionem *scientiam mediam* vocant.

133. *Dico I.* Deus contingentia conditionate futura certo et infallibiliter cognoscit.

*Prob.* Deus non dicit aut revelat in Scriptura, quæ vel non cognoscit vel non certo nec infallibiliter scit: sed Deus in Scriptura revelavit plura contingentia conditionate futura; ergo necessario dicendum est, Deum hujusmodi futura certo et infallibiliter cognovisse. *Cons.* valet pro omnibus conditionate futuris, licet non revelatis; sicut hanc illationem Auctores admittunt ex simili illatione pro absolute futuris. *M.* est fundamentum nostræ fidei et ex ipsis terminis nota est, cum suprema in loquendo auctoritas nequeat concipi sine summa sapientia.

*Min. prob.* ex 1. Reg. 23. 11. cum David fugiens Saulem in Ceilam se recepisset, Saul vero hanc urbem expugnare deliberaret, David consuluit Dominum et ab eo responsum accepit: *Si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel indica servo tuo. Et ait Dominus: descendet. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui mecum sunt in manus Saul? Et dixit Dominus: tradent.* Sapient. 4. 11. dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus: aut ne fictio deciperet animam illius.* Matth. 11. 21. Christus ait: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.* Hæc vero fuisse contingentia et quidem pure conditionate futura, ex Sacris Litteris omnino notum est. Consentiunt SS. Patres, præsertim Aug., qui L. de corr. et grat. c. 8. n. 19. sic ait: *Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cum fideliter et pie viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, et ne fictio deciperet animas eorum? utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? nempe nihil horum nisi perversissime atque insanissime dicitur.* L. de don. persev. c. 9. n. 23. *Numquid possumus dicere etiam Tyrios et Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut crediturus non fuisse, si fierent? cum eis ipsis Dominus attestetur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtu-*

*tum.* Epist. 49. (al. 102). q. 2. n. 14. *Quid verius,* inquit, *quam præscire Christum, qui et quando, et in quibus locis in eum fuerant crediturí.* Et infra : *Quid ergo mirum, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus seculis noverat, ut eis apparere aut prædicari merito nollet, quos nec verbis nec miraculis suis credituros esse præsciebat.* Huc denique pertinent loca omnia, in quibus vocationem efficacem congruam Aug. per scientiam conditionatam explicat, uti facit L. 1. de div. qq. ad Simpl. q. 2. n. 13., L. de Prædest. Sanct. c. 6. et seqq., L. de don. persev. c. 8. et 14., et alibi. Cum enim hanc gratiam dicit a Deo prævisam esse ita aptam et congruam voluntati, ut ab ea infallibiliter sit acceptanda, et manifeste supponat hanc præscientiam antecedere voluntatem dandi hanc gratiam, sequitur necessario statutam ab eo fuisse hanc conditionalem : si hæc voluntas ita vocata fuerit, consentiet, et ex positione talis præscientiæ Deus vult dare talem vocationem.

*Conf.* 1°. Deus ex infinita intellectus perfectione debet certo et infallibiliter cognoscere omnem veritatem cujuslibet propositionis, quæ ab intellectu creato enuntiari potest, et hinc objectum propositionis, utrum eo modo sit quo modo enuntiat propositio; nam ut S. Th. p. 1. q. 14. a. 9. ait, *quæcumque possunt per creaturam fieri vel cogitari vel dici, omnia cognoscit Deus* : sed, quamvis sine fundamento et cognitione veritatis, possumus cogitare et enuntiare propositiones conditionatas plurimas et sine numero de quocumque objecto; ergo. 2°. SS. Patres movent varias quæstiones, cur Deus futurorum præscius hoc vel illud faciat, quæ non possunt nisi de *præscientia conditionali* intelligi; ut cur Deus creaverit angelos malos et hominem, cur elegerit Saulem in Regem, Judam in Apostolum etc. apud Cyr. L. 9. in c. 13. v. 18. Joan., Tertul. L. 2. cont. Marc. c. 5., Hier. Dial. 3. cont. Pelag. n. 6., Greg. Nys. Catech. magna c. 7. etc.; ad quas non respondent negando talem in Deo scientiam, sed illam supponendo ex libertate arbitrii et aliis divinæ providentiæ causis rationem reddendo. Theologi plures quæstiones examinant *mere conditionales* de statu naturæ puræ aut innocentis, de Incarnatione si Adam non peccasset, de alio providentiæ ordine; easque etiam ex Scriptura et Patribus et sanæ Theologiæ principiis resolvunt. Viri pii imo et universa Ecclesia varia precantur a Deo, si tamen ea ad gloriæ divinæ incrementum et propriam salutis utilitatem conducant : plurium etiam hominum politicorum in Scriptura, nempe 2. Reg. 19. 7., 3. Reg. 12. 7., Esth. 4. 14., Joan. 11. 48. etc. enuntiationes certæ de futuris sub conditione habentur. Nullus denique, ut *Ludovicus Legionensis* inquit, adeo est hebes ingenio, quem si interroges aliquid ex conditionalibus, statim non respondeat : nescio ego, Deus scit. Ergo nemo est, qui non supponat vel aperte confiteatur Deum certo cognoscere contingentia conditione futura.

134. *Obj.* Ex allatis Scripturæ testimoniis vel conditionate futurorum cognitio, vel certa cognitio divina nequit erui. Nam quod 1$^{um}$. textum attinet, in eo vel quæstio duntaxat erat, et dabatur responsum de præsenti voluntate Saulis et Ceilitarum; hinc Paraphrasis Chald. interrogationes Davidis sic reddit : *Num cogitans descendere? num cogitantes tradere?* et Glossa interlinearis ad verbum *tradent,* hæc habet : *In voluntate habent, ut tradant* : vel si quæstio concedatur fuisse de futuris eventibus, Deus tamen non respondit ex certa scientia, sed *ex conjectura,* fundata scilicet in propen-

sione voluntatum Saulis et Ceilitarum; sicut dum Deus Ezechiæ prædixit mortem, eam non revelavit absolute, sed quantum imminebat ex gravitate morbi, si Ezechias eam precibus non averteret. Quoad 2um. S. Aug. L. de prædest. Sanct. c. 14. n. 26. hoc testimonium explicans ait : *Dictum est secundum pericula vitæ hujus non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat : id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto ; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Denique quantum ad 3um. vel illa locutio non erat assertiva et in sensu proprio, sed *exaggerativa* tantum, quia ad exprobrandum Judæis a Christo fuit dicta, sicut et illud, quod Tyrii levius judicium sint habituri, cum tamen propter aliquod sub conditione tantum futurum nec augeatur nec minuatur pœna; unde et Jansen. Gand. in Concord. c. 4. hanc expositionem adduxit : vel si fuit assertio, erat duntaxat conjecturalis, desumpta scilicet ex dispositione Tyriorum actuali; unde Hilar. in Matth. c. 11. n. 10. quasi per paraphrasin dixit : *Forte illis credendi fuisset affectus, si talium virtutum contemplatio contigisset.* Ergo ex his testimoniis nihil certi statui potest.

R. *N. Ass.* Quoad 1um. textum, *explicatio* 1a. apertæ veritati et proprio ac litterali Scripturæ sensui repugnat : unde si quid interpretari necesse est, potius dicta paraphrasis Chal. et glossa exponendæ sunt de voluntate quidem præsente, sed perseveratura usque ad effectum ipsum, quam ut, sine auctoritate aut necessitate cogente, admittatur improprietas in sermone textus sacri, contra regulam S. Aug. receptam, quæ in Scripturarum hermenia proprietatem verborum, quibus non dictiones singulæ tantum, sed multo magis tota sententia intelligenda est, servandam jubet. Accedit opposita interpretatio S. Hier., qui L. QQ. Hebr. in 1. Reg. c. 23. v. 11. verbum *descendet*, sic exponit : *Ac si diceret, si hic steteris, descendet*; et de verbo *tradent*, ait : *Iste est sensus, si descenderit Saul, et hic te invenerit, tradent*; quæ conditiones adjunctæ non permittunt explicationem de præsenti voluntate, sed futuram manifeste exigunt. Idem in hunc locum asserunt Theodoretus et Lyranus. Similiter *N.* 2am. *explicationem*, quæ supponit de propensione voluntatis priorem, ac præterea cognitionem Dei facit opinionem, contra veritatem argumentorum supra adductorum.

*Ad parit.* Discrimen constat ex S. Historia ; quia Isa. 38. exprimitur gravitas morbi v. 1. *In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem*, et v. 2. deprecatio Ezechiæ pro morte a se avertenda, ac tandem in seqq. vitæ prolongatio : unde patet, illam prædictionem divinam non fuisse absolutam, sed quantum ex præsenti morbo mors secutura foret, nisi eam precibus averteret, adeoque tacitam inclusisse conditionem, quam aliæ promissiones divinæ de exaudiendis illis , qui Deum aliquid conveniens sincere rogarent, satis declararunt : simile nihil observare licet in revelatione David facta: quin nec ab eodem aliam conditionem, nisi quam ipse expresserat, subintelligi potuisse ostendit proprio facto, dum nulla ratione aut mora interposita fugit ex urbe.

Quoad 2um. responsio sumenda est ex dicendis ad 1am instantiam.

Quoad 3um. *N.* 1am. *explicationem*, tum ob regulam S. Aug., tum ob communem Patrum interpretationem, qui hanc dictionem vere propheticam habuerunt, et *eloquia veritatis* aut *apertissime dicta*, uti Aug. L. de Dono

persev. c. 9. n. 22. et in Enchir. c. 95. loquitur, vocarunt. *Quoad probationes*: 1°. Quidem exprobratio major est et efficacior, si intelligatur Christus ex certa præscientia loqui, quia sic comparatio ad confundendos Judæos est aptior : 2°. *Judæis* recte judicium gravius, *Tyriis* levius denuntiatur ; quia gravius peccabant illi non credendo in tanta gratiarum abundantia, quam isti legem naturalem violando sine illa copia : 3°. Jansenius explicationem dictam affert quidem, sed ut tolerabilem permittit tantum, nec affirmat, aut in ea pedem figit; quin illa verba secundum propriam significationem sumpta tanquam expositionem S. Aug. laudat ac defendit. *Explicationem* 2am. *N.* ex hactenus dictis. Ad textum Hieron.

R. Ab eodem particulam *forte* adhibitam omnino censeri posse ea ratione, qua ab Evangelista in eodem cap. v. 24. fuit usurpata : sed hic profecto non significat dubitationem aut incertitudinem cognitionis divinæ ; ergo.

*Inst.* 1. Juxta mentem Patrum videtur neganda in Deo cognitio certa mere conditionate futurorum. Nam 1°. Negant præscientiam de his futuris, ut patet ex Aug. L. 1. de anima et ejus orig. c. 12., ubi inquit : *Ipsa exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur non erit : quomodo enim recte dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Quibus similia habet Fulgent. L. 1. de verit. prædest. c. 7. n. 15. Prosper epist. ad S. Aug. de Semipel. n. 5. Damasc. cont. Manichæos. n. 68. et 73. 2°. Mere conditionata negant futura, ut rursus docet Aug. L. 26. cont. Faust. c. 4. : *Omnia, quæ vere futura sunt, sine dubio fient, si autem facta non fuerint, futura non erant.* Et L. 2. cont. duas epist. Pelag. c. 7. n. 16. *Quomodo enim prescivit ea futura, quæ, illis in infantia morituris, potius præscivit non futura*; ergo. *Conf.* Juxta S. Thomam nullus est modus, quo Deus possit cognoscere futura ejusmodi. Nam, juxta eumdem p. 1. q. 14. a. 13. et 2. 2. q. 171. a. 6. ad 2. alibique, via unica qua Deus ea cognoscere queat, est in præsentia æternitatis : sed futura sub conditione non ponenda, cum in ulla temporis differentia existant, non sunt æternitati divinæ præsentia ; ergo.

R. *N. Ass. Ad prob.* 1am. *D.* Negant præscientiam secundum vim vocis *C.* secundum ipsam rem *subd.* spectatam in se et quoad substantiam *N.* usurpatam a Semipelagianis et quoad abusum ejusdem *C.* Præscientia in rigore sumpta dicit habitudinem scientiæ ad rem posteriorem in tempore extituram, seu antecessionem æternitatis ad tempus; unde Damasc. supr. c. inquit : *Prænotio est, ea quæ futura sunt, antequam in ortum prodeant, nosse.* Et in hoc sensu dicit Aug., *non esse dictum secundum præscientiam,* item *exinaniri præscientiam;* quia sermo erat de mere conditionate futuris; seu de iis, quæ absolute futura non erant, quamvis futura fuissent, si conditio foret posita. Quamvis vero *Semipelagiani,* ut et nos hic facimus, sumerent præscientiam Dei minus rigorose et pro cognitione certa rerum etiam tantum conditionate futurarum, docebant tamen præterea, Deum propter peccata vel merita pure conditionate futura ab ipso prævisa decernere pœnas ac præmia; adeoque quibusdam infantibus negatum esse Baptismum ob demerita, quæ incurrerent, si vixissent; aliis vero eum esse concessum ob merita, quæ, si vixissent, haberent. Atque hoc maxime est, quod impugnant Patres, non autem simplicem quamdam intelligentiam ac certam cognitionem rerum

quantumvis nunquam ponendarum absolute, sed duntaxat futurarum, si aliqua daretur conditio.

Hinc Aug. l. c. de anima et ejus origine subjungit : *Quomodo ergo puniuntur peccata, quæ nulla sunt, id est, quæ nec vita ista nondum incipiente commissa sunt ante carnem, nec morte præveniente post carnem?* Et L. de præd. Sanct. c. 14. n. 29. *Si enim judicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non habuerunt morte præventi, sed habituri essent, si viverent; nihil prodesset ei qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus; nihil prodesset eis qui lapsi moriuntur, si ante morerentur : quod nullus dicere Christianus audebit.* Similia reperies in ejus Discipulis Fulgentio et Prospero : Damasceni autem mens ex nuper relatis verbis patet.

*Ad prob.* 2am. *D.* Negant mere conditionata esse absolute futura *C.* conditionate futura *subd.* quæ habent rationem meriti vel demeriti, ad quod Deus absolute decernat præmium vel pœnam *C.* secus *N.*

*Ad Conf.* R. *D min.* Futura sub conditione nunquam ponenda non sunt divinæ æternitati præsentia tanquam absolute futura *C.* tanquam conditionate futura *N.* Eo nempe modo quo sunt, æternitati etiam sunt præsentia.

*Inst.* 2. Cognitio de futuris conditionatis includit plures imperfectiones, nam 1°. est *fictitia;* quia fingit poni conditionem : 2°. est *apprehensiva* tantum; quia neque negat, neque affirmat conditionem : 3°. est *præcisiva;* quia quamvis effectus sit absolute futurus, nihil tamen enuntiat de absoluta ejus existentia : 4°. est *discursiva;* tum quia propositio hæc : si Petro detur auxilium, consentiet, æquivalet isti : Petro datur auxilium, ergo consentiet : tum quia veritas propositionis conditionatæ consistit in bonitate illationis, cum alias cognitio divina nequeat esse certa et infallibilis de veritate conditionata; ergo Deo tribui nequit.

R. *Ad prob.* 1am. *N. Ass. et Rat.* Quia Deus conditionem non attingit per modum existentis, sed per modum requisiti vel conducentis possibilis; in quo non est fictio : sicut nec est, dum attingit causam necessariam possibilem, ex qua sequitur effectus.

*Ad prob.* 2am. *D.* Est tantum apprehensiva, si sumatur realiter *N.* si formaliter consideretur *subd.* quatenus nihil plane enuntiat de conditione aut conditionato *N.* quatenus non enuntiat existentiam absolutam conditionis aut conditionati *C.* Habetur iterum exemplum in cognitione Dei de possibilibus.

*Ad prob.* 3am. similiter *D.* Est realiter præcisiva *N.* formaliter *subd.* quatenus hæc cognitio non exprimit omnia prædicata, v. g. existentiam absolutam, quæ rei illi realiter conveniunt *C.* quatenus objectum non cognoscat eo modo et secundum ea prædicata, quo seu secundum quæ pro illo signo et statu cognoscibile est *N.* Rursus scientia *simplicis intelligentiæ* paritatem præbet.

*Ad prob.* 4am. *N. Ass.* Quia discursus importat cognitionem claram antecedentis, ex qua progrediatur intellectus ad cognitionem consequentis nondum clare cogniti : in Deo autem nec illa progressio, nec defectus claritatis admitti potest, utpote qui simplicissimo et clarissimo intuitu agnoscit conditionem et conditionatum. *Rat. utr. N.* Imprimis enim conditionalis propositio non æquivalet absolutæ, qualis hic affertur : deinde non datur connexio

antecedentis cum consequente, quæ ad bonitatem illationis necessaria est, sed duntaxat conducentia conditionis ad conditionatum, quæ sufficit ad veritatem conditionatam, adeo ut, si quid plus detur, jam non pertineat ad scientiam liberam, sed necessariam, ut num. 130. observavimus.

*Inst.* 3. Hæc propositio : si Petro detur auxilium A, consentiet, nullum potest habere sensum verum. Non enim potest habere hunc : si detur cum omnibus requisitis ad consensum; quia sic est veritas *necessaria,* ad scientiam necessariam, non autem ad liberam contingentium spectans; cum ex illis requisitis, unum sit cooperatio divina essentialiter connexa cum consensu : nec potest habere hunc : si detur sine illis requisitis, aut præscindendo ab illis ; quia falsum est, sine aut præscindendo a requisitis ad consensum existere eumdem; ergo. *Conf.* Conditionatum posita conditione transit in absolutum; ergo saltem *futura absoluta* nequeunt cognosci conditionate, quia inanis est affirmatio conditionata, quando ab æterno cognoscitur et affirmatur absolute futurum.

R. *N. A.* Quamvis enim nullum *ex assignatis* sensum faciat, tamen reddit hunc : si Petro detur auxilium A cum reliquis omnibus per se requisitis ex parte actus primi, consentiet. Propositio enim sic accepta ex parte hypothesis non attingit cooperationem divinæ omnipotentiæ, quæ pertinet ad actum *secundum,* nec aliquid aliud connexum cum consensu; cum omnia ex parte actus *primi* requisita sint indifferentia. Similis cum proportione est responsio ad aliam explicationem, qua dicitur hæc propositio : si Petrus vocetur auxilio A, consentiet, æquivalet huic : casus vocationis est casus consensus; quin tamen verus sit *sensus universalis,* cum non omnis casus vocationis sit casus consensus; et quin etiam usurpari possit sensus particularis, cum necessarium sit, in aliquo vocationis casu posse esse consensum. Nam dicendum est, æquivalere illam propositionem huic singulari : hic casus vocationis est casus consensus.

*Ad Conf.* R. *D. Cons.* Non possunt cognosci conditionate pro eo signo, pro quo posita cognoscitur conditio *C.* pro alio signo, pro quo necdum intelligitur conditio posita *N. Prob. D.* similiter : inanis est affirmatio in signo priore ad affirmationem absolutam *N.* in signo posteriore *C.* Restauratur explicatio in similitudine cognitionis divinæ de rebus non mere possibilibus.

135. *Dico II.* Deus hæc futura non cognoscit in decretis *subjective* absolutis et *objective* conditionatis.

*Prob.* Decreta ejusmodi repugnant

1°. Circa *mere conditionate futura;* sic v. g. in Tyriorum et Sidoniorum conversione Deus habuit decretum simpliciter absolutum, quo statuit, ne apud illos fierent miracula ; quia juxta Auctores hoc decreto Deus cognovit miracula apud illos absolute non futura; ergo Deus non potest simul habere aliud decretum *subjective* absolutum, quo statuat convertere illos, si apud eos fierent miracula. *Prob. Cons.* Deus non potest habere decretum sub conditione impossibili; quis enim dicat, posse Deum habere decretum, quo sic statuat : si homo habuerit alas, ego concurram cum illo ad volandum? Sed decretum convertendi Tyrios, si miracula apud illos fierent, jam foret de re sub conditione impossibili, quia posito decreto simpliciter absoluto,

quo Deus statuit, ne miracula apud illos fiant, tam impossibile est fieri miracula quam hominem habere alas; ergo Deus illud nequit habere.

Item repugnat Deum habere duo *absoluta* decreta, quorum altero velit effectum esse, quantum est ex parte sua, et altero etiam nolit eumdem esse, quantum ex sua parte est : sed per decretum de objecto conditionato quasi profitetur Deus, se velle talem effectum, quantum in ipso est; per decretum vero omnino absolutum, quo simpliciter non vult conditionem poni, plane profitetur nolle se, quantum est ex parte sua, ut talis effectus ponatur; ergo repugnat, Deum simul habere decretum absolutum non ponendi conditionem, et aliud decretum aliquid faciendi, si talis conditio ponatur. Denique indigna est prudenti testatore hæc voluntas : si digito cœlum tetigerit, lego Titio centum; et hinc legatum hoc pro nullo a JCtis reputatur; ergo erit indigna Deo illique repugnans voluntas, qua v. g. statuat : si, non obstante decreto, quo absolute et simpliciter statui, ne miracula apud Tyrios fiant, apud eosdem miracula futura sint, ego decerno convertere Tyrios.

2°. Repugnant circa futura, quæ ex conditionatis transibunt aliquando in *absoluta*; nam juxta Auctores necesse foret ponere duo decreta absoluta; alterum, quo statuerit Deus, ut talis effectus fiat, si talis conditio poneretur; alterum, quo absolute statuat conditionem poni et effectum sequi. Hæc duo decreta imprimis non possunt *simul ratione* esse in Deo; quia impossibile est, in eodem subjecto simul ratione esse voluntatem simpliciter absolutam de aliqua re facienda, et voluntatem de eadem re facienda, si hæc vel illa conditio ponatur; cum illa sit voluntas circa aliquid faciendum simpliciter et sine ulla limitatione, hæc vero non simpliciter, sed tantum sub conditione. Deinde ex his decretis unum non potest aliud *præcedere* vel *sequi ratione.* Inter decreta enim divina non est ordo prioris et posterioris, nisi quando unum necessario supponit alterum : sed neutrum ex his supponit necessario alterum; tum quia decretum de objecto conditionato haberi de facto potest sine simpliciter absoluto, ut accidere dicitur in futuris mere conditionatis : tum quia, licet nullum decretum conditionale præcessisset, quo Deus statuerit convertere Tyrios, si fierent miracula; Deus tamen posset absolute velle miracula facere, et Tyrios convertere; cum Deus causa libera sit, et habeat omnia ad volendum necessaria; ergo hæc decreta a se invicem non pendent; ergo unum ratione non præcedit alterum; ergo cum nec ratione simul possint esse in Deo, nullo modo Deo insunt.

*Conf.* Sequeretur ex opposita sententia de *mere conditionatis* 1°. Nullum effectum ad extra ex decreto subjective absoluto, sed objective conditionato resultare; cum tamen nullus in Deo admittendus sit actus liber, nulla sincera voluntas aut decretum sine aliquo effectu ad extra in creaturis, ne Deus dicatur vana et futilia emittere decreta. 2°. Cum infinita pene sint, quæ futura essent circa quamlibet rem posita aliqua conditione, necesse foret, ut in Deo admittantur actu et positive infinita decreta pro rebus nunquam futuris : quod sane inutile et otiosum est, atque a recto usu prudentiæ alienum sicut in homine, ita multo magis in Deo. 3°. Necessitarentur Adversarii ad *scientiam mediam,* quam tamen ut effugiant, hæc decreta sine ulla Scripturæ, Patrum et Scholasticorum antiquorum auctoritate confinxerunt. Nam scientia, qua Deus in decreto actuali cognoscit conversionem Tyriorum futuram, si fierent miracula, non est *scientia simplicis intelligentiæ*; quia

hæc est in Deo ante omnem actum liberum voluntatis divinæ, illa vero nonnisi post illud decretum liberum : neque etiam esset *scientia visionis* ; quia hæc non terminatur nisi ad rem aliquando futuram, cum visio sit rei pro aliqua duratione præsentis; per illam autem scientiam nihil cognosceret Deus, quod aliquando sit futurum. Ergo scientia, quæ habetur in decreto conditionali, debet esse *media* inter illas simplicis intelligentiæ et visionis, cum de utraque aliquid participet, et ad neutram earum absolute revocari queat.

136. *Obj.* Datur voluntas in Deo salvandi omnes, quæ est decretum absolutum *subjective* et ex parte Dei, et conditionatum *objective* seu ex parte creaturæ et objecti; ergo ejusmodi decreta non sunt absolute rejicienda. *Conf.* 1°. Sicut intellectus divinus necessario actu cognoscit quidquid et quomodo est scibile, sic et voluntas divina necessario actu decernit quidquid et quomodo est futurum; ergo actu debet dari decretum de futuris conditionatis. 2°. Ad existentiam effectus requiritur decretum proportionatum : sed effectui conditionato proportionatum est decretum conditionatum; ergo.

R. *D. Cons.* Non sunt rejicienda, ut futurum constituatur in esse infallibiliter conditionate futuri, vel ut in Deo detur infallibilis cognitio de tali futuro *N.* ut intelligantur promissiones divinæ, quæ nequeunt esse sine seria voluntate, et hinc sine decreto subjective saltem absoluto *C.* Decreta autem hujusmodi *objective* conditionata dicuntur, quia creaturæ liberæ sunt circa usum gratiarum a Deo promissarum et collatarum, quibus salvari possint, si velint.

*Ad Conf.* 1am. R. *N. A. et par. Disparitas* est, quia intellectus est potentia necessaria, illaque scientia necessario inest Deo, ne in eo sit ignorantia et imperfectio : voluntas autem est libera, et decreta illa nullo ex capite requiruntur, imo repugnantiam dicunt et plurima absurda.

*Ad* 2am. *D. min.* Effectui conditionato proportionatur decretum subjective conditionatum *C.* objective tantum conditionatum *N.* Sicut enim effectus conditionatus est is, qui esset, præscindendo an reipsa sit aliquando vel non sit; sic et decretum, quod esset, præscindendo an reipsa sit vel non sit, conditionatum est ac proportionatum.

*Inst.* Ad futurum conditionatum requiritur aliquod decretum : sed hoc non est decretum præcise *ut possibile*; quia a mere possibili nequit desumi denominatio futuri : neque ut conditionate vel absolute futurum; quia decretum Dei est incapax futuritionis; ergo ut actu et absolute existens. *Conf.* 1°. In signo scientiæ divinæ de conditionate futuro vel Deus habet decretum *subjective* absolutum, vel illud omittit : sed Deus illud non omittit, neque per positivam nolitionem saltem in conditionatis aliquando in absoluta transituris, neque per omissionem pure liberam, utpote quæ Deo repugnat; ergo habet. 2°. Nequit Deus prævidere consensum conditionatum, quin videat simul concursum suum simultaneum : sed hunc nequit videre sine decreto saltem ratione priore et applicante omnipotentiam, ut concurrat; ergo etiam videt decretum ratione prius, et in eo consensum.

R. *N. Cons.* Quia decretum, quod requiritur et attingitur ex parte hypothesis, est conditionate existens, et per modum conditionis suspensive attactum; non autem conditionate futurum, cum non affirmetur per modum

eventus : unde cum manca sit illa divisio vel enumeratio modorum, queis decretum concipi aut esse potest, consequentia nulla est.

*Ad Conf.* 1am. R. *N. M.* ob eamdem rationem : datur enim medium inter dicta extrema, nempe signum indifferentiæ præscindens a decreto et omissione ejus actuali, et conditionate tantum illud enuntians.

*Ad* 2am. R. *D. M.* Quin videat concursum suum simultaneum absolutum *N.* conditionatum *C.* Videt omnino Deus, sicut de ipso effectu dictum est, concursum conditionatum sine decreto absolute posito seu actu existente. Quamvis vero concursum absolutum non videt sine decreto, in eo tamen utpote indifferente nequit videre consensum, ut male in consequente addebatur.

137. *Dico III.* Deus futura hæc cognoscit immediate *in seipsis* ante et independenter ab omni decreto actuali. Ubi adverte : 1°. quod per τὸ *ante* non intelligatur aliqua temporis prioritas, et quasi scientia conditionatorum in absoluta transeuntium foret in aliquo instanti reali, in quo nondum sit decretum actuale; quia in Deo, cum omnia sint ab æterno, nihil tempore prius est altero : sed quod per τὸ *ante* intelligatur prioritas logica et secundum nostrum concipiendi modum cum fundamento in re; quatenus subsistendi consequentia prius est decretum divinum quodcumque logice possibile, quam existens actu, sicut prius est res conditionate futura, quam futura absolute. 2°. Quod per τὸ *independenter*, non intelligatur, posse aliquod creatum esse futurum, independenter ab omni decreto divino; sed solum quod ad futurum conditionatum qua tale non requiratur actuale decretum divinum, sed sufficit logice possibile, quod sit velut pars conditionis, sub qua res est futura; ita ut non dicat Deus : volo, ut, si fiant miracula apud Tyrios, isti convertantur; sed sic : si vellem fieri apud Tyrios miracula, eisque conferrem gratiam quam Corozaitis concessi, illi converterentur.

*Prob.* 1a. *p.* Contingentia mere conditionate futura *in seipsis* sunt cognoscibilia; tum quia pertinent ad possibilia vel futura, aut ex utrisque aliquid participant; unde sicut illa sunt immediate cognoscibilia, sic et hæc : tum quia determinatam veritatem in sua futuritione formali habent; cum non minus implicet, aliquid sub conditione neque esse determinate neque non esse determinate, ac hoc implicat conditione purificata : tum quia juxta Adversarios hæc futura *in seipsis* terminant decretum divinum, adeoque et divinam cognitionem simili modo terminare possunt; cum res eo modo cognosci possit, quo potest decerni, sicut ubi decernibilitas rei est, rei etiam cognoscibilitatem esse oportet; ergo cum infinita intelligendi perfectio in Deo exigat rem cognoscere, quo modo sine imperfectione cognosci potest, et modus rem immediate cognoscendi nihil imperfectionis inducat, necesse est, Deum futura mere conditionata immediate *in seipsis* cognoscere.

*Prob.* 2a. *p.* Contingentia conditionate futura possunt a Deo cognosci ante et independenter ab omni decreto actuali, si ad futurum conditionatum qua tale sufficiat decretum divinum logice possibile, quod sit velut pars conditionis, sub qua res est futura; quia ante quod vel independenter a quo res *formaliter* esse potest, ante id et sine eo res quoque cognosci poterit : sed ad futurum conditionatum qua tale sufficit decretum divinum logice possibile se ita habens; quia futurum ejusmodi quoad existentiam nec aliquid actu

est, nec erit, sed solum esset, si conditio purificaretur; adeoque non requirit causam seu decretum in conditione importatum actu existens; ut patet tum ab exemplo voluntatis humanæ ad actum liberum conditionate futurum requisitæ : tum *a priori*, quia causa solum requiritur ad existentiam, non vero negationem rei, adeoque sicut res nec actu existit, nec extitura est, sic nec causa seu decretum actu existens esse debet, sed solum logice possibile; ergo.

138. *Obj.* Ad effectum non minus requiritur existentia causæ, quam effectus : sed præscindendo a decreto actu existente minus existentiæ haberet causa, quam effectus, quia effectus est saltem conditionate futurus, conditio autem seu decretum non est conditionate futurum; ergo. *Conf.* Eadem est proportio futuri conditionati ad decretum conditionatum, quæ futuri absoluti ad decretum absolutum : sed in Deo repugnat cognitio futuri absoluti non supponens decretum absolutum; ergo repugnat pariter cognitio futuri conditionati non præsupponens decretum conditionatum.

R. *N. min. et prob.* Decretum conditionate existens et effectus conditionate futurus habent æqualem existentiam; quia utrumque existit conditionate, cum hoc discrimine, quod effectus conditionate existat ut eventus, decretum vero ut hypothesis, seu conditio. Unde potius sequitur, si decretum actu existeret, illud plus existentiæ habiturum, quam habeat effectus.

*Ad Conf.* R. 1°. *D. M.* Eadem est proportio futuri conditionati ad decretum subjective conditionatum, quæ futuri absoluti ad decretum absolutum *C.* Eadem est proportio futuri conditionati ad decretum objective tantum conditionatum, quæ est etc. *N.* Paritas præcise stat in eo, quod sicut futurum absolutum nequeat intelligi non præsupposito decreto subjective absoluto, ita futurum conditionatum non intelligatur sine decreto subjective conditionato, h. e. possibili et objective incluso in ipsa conditione, sub qua effectus conditionate futurus enuntiatur. *Disparitas* autem est in eo, quod nullum decretum actu existens debeat supponi pro futuro conditionato, ut pro futuro absoluto. Unde R. 2°. *N. M. Ratio* et *discrimen* est, quia futurum *absolutum* actu erit in tempore; ergo etiam decretum divinum actu erit in tempore; ergo quamvis ad futurum absolutum, quantum est præcise ex parte illius, non requiratur decretum divinum jam existens ab æterno, tamen ratione Dei jam ab æterno debet esse; quia ratione immutabilitatis divinæ repugnat, ut Deus habeat decretum in tempore, quod non habuit ab æterno. Futurum autem *conditionatum* qua tale non erit actu in tempore, aut ab hoc præscindit; sed tantum esset sub conditione, si daretur causa vel occasio ad illius productionem, et consequenter si daretur decretum divinum; ergo ut tale non postulat decretum actu existere in tempore, sed tantum ut esset casu, quo effectus absolute ponendus esset in tempore; ergo etiam non postulat, ut decretum actu existat ab æterno, sed tantum ut esset vel existeret ab æterno, casu, quo talis effectus esset absolute futurus.

*Inst.* 1. Futurum conditionatum transit ab æterno a statu puræ possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ; ergo hujus transitus existit ab æterno aliqua causa. Sed hujus alia causa esse nequit, quam decretum divinum. Nam sicut omnipotentia est primum principium et causa omnis possibilitatis, sic voluntas divina mediante decreto est primum principium et

radix determinatæ futuritionis : sed transitus ille a statu possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ est futuritio determinata ; ergo.

R. Datis cæteris *N. min. subs.* Transitus ille ab uno statu ad alium non est realis et physicus, sed intentionalis et objectivus, consistens in eo, quod in signo primo rationis Deus videat effectum seu actum creatæ voluntatis liberum, esse possibilem seu posse poni posita tali conditione, in posteriore autem signo videat illum actum reipsa ponendum esse, si poneretur talis conditio. In hoc autem statu objectivo res ex statu possibilitatis extrahitur *formaliter* ratione sui, quatenus talis futura esset, si foret conditio ; efficienter autem non extrahitur nisi per alienationem, quatenus talis esset vi causarum suarum non quidem operantium de præsenti et absolute, sed conditionate et tunc operaturarum, si conditio poneretur. Hinc causa cognitionis conditionalis in Deo eadem quoque ex parte objecti est, nempe ipsum esse actuale, quod res seu actus haberet formaliter ratione sui et efficienter a suis causis, si conditio poneretur.

*Ad prob. D. M.* Divina voluntas mediante decreto est primum principium et radix omnis futuritionis determinatæ, hoc sensu, quod nihil futurum sit absolute, nisi dependenter a decreto actu existente, et nihil conditionate, nisi sub conditione, si esset decretum *C.* hoc sensu, quod nihil futurum sit conditionate, nisi actu existat in Deo decretum objective conditionatum *N.*

*Inst.* 2. Quidquid actu est cognoscibile, actu debet esse aliquid ; quia esse, et esse cognoscibile convertuntur : sed conditionate futura non sunt actu aliquid in se, sed essent, si conditio poneretur ; ergo. *Conf.* Intellectus divinus est indifferens, ut sub eadem conditione videat v. g. futurum esse Petri consensum vel dissensum ; adeoque debet dari ratio, cur potius videat consensum quam dissensum. Hæc vero dari non potest in nostro systemate ; nam 1°. ratio illa non est decretum divinum scientia ista prius, quod hactenus rejectum est : 2°. non est conditio, sub qua consensus dicitur ponendus ; quia hæc non petit conjungi potius cum consensu quam dissensu : 3°. nec est ipse consensus ; tum quia is secundum se est indifferens : tum quia, si quid ei determinationis etiam concedatur, non tamen est determinatus, sed determinaretur, si poneretur conditio : tum quia non habetur ratio, cur supponatur potius consensus, posita conditione, quam dissensus.

R. *D. M.* Quod actu est cognoscibile cognoscibilitate vel per se vel per species physice movente ad cognitionem, est aliquid actu *C.* cognoscibilitate tantum intentionaliter movente *N.* vel *subd.* actu est aliquid physice et in esse rei *N.* logice et in esse veri *C.* Præterea vero, si etiam permittatur, cognoscibile debere aliquid esse physicum, non tamen id esse debet pro omni, sed pro eo tantum tempore, pro quo affirmatur.

*Ad Conf. prob.* 1am. *D.* Consensus secundum se est indifferens antecedenter *C.* consequenter et facto supposito, quod extiturus esset, si poneretur conditio *N.*

*Ad prob.* 2am. *D.* Non est determinatus per statum et in tempore, quo affirmatur futurus *C.* per ampliationem vel alienationem et pro tempore, pro quo affirmatur *N.*

*Ad prob.* 3am. R. Nos neque scimus, nisi forte in aliquo exemplo sit revelatum, neque supponimus consensum præ dissensu, sed simpliciter asserimus, si voluntas creata sub certa conditione posita consentiret, Deum

determinate videre consensum sub conditione futurum; sicut e contrario determinate videret dissensum, si dissentiret : unde minus apte exigitur, ut detur ratio, cur potius supponatur consensus. Quia tamen sub aliqua conditione posita possibilis est consensus, et impossibile est, ut neque consensus neque dissensus, aut uterque simul ponatur; hinc libere possumus assumere pro exemplo consensum, et hoc supposito de illo quæstionem hactenus agitatam versare.

*Inst.* 3. Quia consensus conditionalis non est, sed duntaxat esset, non habet rationem meriti moventis divinam voluntatem ad præmium, sed haberet ; ergo ob eamdem causam non habet rationem objecti determinantis divinum intellectum, sed haberet.

R. *Disparitas* est; quia *meritum* duntaxat causat, quia in determinata temporis differentia reipsa est; cum si sufficeret, quod posset esse, aut sub aliqua conditione foret, nemo esset, qui non foret dignus præmio, et ob similem rationem demeriti nullus etiam, qui non mereretur pœnam : *cognoscibile* autem movet intellectum divinum ad cognitionem , quia verum est, seu pertinet ad rationem veri; ad quod non requiritur, ut actu existat, cum ad veritatem actus sufficiat, quod objectum se habeat, ut actus enuntiat.

---

# CAPUT II.

## DE SCIENTIA DIVINA.

### ARTICULUS I.

#### AN, ET QUOTUPLEX IN DEO SIT SCIENTIA ?

139. *Dico I.* Vere datur in Deo scientia, eaque proprii nominis, et perfectissima.

*Prob.* 1ª. *p.* Quia manifesta Scripturæ testimonia Deo scientiam tribuunt. Eccli. 42. 19. *Cognovit Dominus omnem scientiam.* Esther. 14. 14 *Domine, qui habes omnem scientiam.* Paulus ad Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei*; et ad Coloss. 2. 3. de Christo ait : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* etc. *Conf.* tum *a priori*; quia ex aseitate et omniperfectione profluit ac ostenditur, Deo convenire scientiam, utpote perfectionem simpliciter simplicem : tum *a posteriori*; quia ex ordine ac pulchritudine universi manifeste colligitur architectus perfectissimus, qui sine scientia non est.

*Prob.* 2ª. *p.* Quia scientia *proprie* talis est certa et infallibilis ac etiam clara et evidens cognitio seu perceptio veritatis seu objecti scibilis; syllogismus autem, cui communiter tribuitur ratio scientiæ, est duntaxat medium, quo intellectus creatus accipit evidentiam, quo tamen Deus non indiget ad illam habendam : et cognitioni rei per causam aut per effectum, quæ scien-

tia *proprie* talis dicitur, secundum perfectionem æquivalet cognitio certa et manifesta tum rei, tum causæ et effectus, tum connexionis rem inter et causam vel effectum, licet a cognitione removeatur imperfectio compositionis, pluralitatis aut dependentiæ.

*Prob.* 3ª. *pars :* 1. Reg. 2. 3. dicitur : *Deus scientiarum Dominus est,* quod phrasi hebraica idem est ac *scientissimus.* Ps. 138. 6. *Mirabilis facta est scientia tua ex me,* id est, super me, et plus quam intelligere possum : *Confortata est, et non potero ad eam,* h. e. invaluit supra modum, atque ita est exaltata, ut ad eam pertingere non valeam.

*Conf.* Scientiæ divinæ perfectio summa cognosci potest ex discrimine, quod ipsam inter et scientiam humanam intercedit. Non enim est *accidens,* sed ipsa Dei substantia; non est *successiva,* sed tota simul; non *discursiva;* tum quia a minus noto non facit gradum ad magis notum, cum omnia sint Deo æqualiter nota : tum quia, ut Aug. L. 15. de Trin. c. 14. dicit : *Omnia simul videt, non particulatim, aut singillatim ;* nec *præcisiva,* quasi unum attingat sine alio; cum simul et unico intuitu omnia pervadat; nec denique *variabilis;* tum quia mutabilitate et transitu ab una cogitatione in aliam divina scientia caret : tum quia omnis decrementi aut incrementi est prorsus incapax.

140. *Dico II.* Scientia divina dividitur : 1°. in *naturalem* seu simpliciter necessariam, quæ absolute non potest non esse in Deo, et antecedit omne decretum liberum divinæ voluntatis; objectum ejus est omne de se necessarium, uti essentia, attributa et personalitates divinæ, item creaturæ quoad essentiam, et quidditates : et in *contingentem,* quæ absolute potest non esse in Deo, et fundatur aut præsupponit decretum Dei actuale sive mediate sive immediate liberum; objectum ejus est actus liber divinæ voluntatis, vel res creatæ quæcumque quoad existentiam in certa temporis differentia : quia sicut hæc omnia possunt absolute non esse, sic et possunt absolute non sciri a Deo. 2°. in scientiam *simplicis intelligentiæ,* qua Deus res cognoscit sub ratione præcisa possibilitatis; unde ejus objecta sunt tam possibilia, quæ nunquam existunt, quam quæcumque in aliqua temporis differentia existentia, sed expressa duntaxat sub ratione possibilitatis : et in scientiam *visionis,* qua Deus cognoscit et determinate exprimit res ut existentes pro aliqua temporis differentia : unde patet, divisionem hanc non esse omnino æqualem priori; quia objectum *visionis* non minus sunt essentia, attributa et personalitates divinæ utpote existentes actu, quam res creatæ, quæ existunt; adeoque hanc scientiam partim *naturalem* partim *contingentem* esse. 3°. in scientiam *approbationis,* quæ suum objectum exprimit vel ut Deo placens, vel ut complacentia dignum : et in scientiam *simplicis notitiæ,* quæ non exprimit ejusmodi objectum. Porro si hæc scientia nullam indignitatem ad affectum prosecutivum proponat in objecto, vocatur *simplex notitia* pure talis; si vero illud repræsentet ut Deo displicens vel displicentia dignum, dicitur scientia *reprobationis,* et in Scriptura etiam vocatur *ignorantia* vel *nescientia.* 4°. in scientiam *speculativam;* quæ vel est de objecto non operabili, ut cognitio, qua Deus se ipsum cognoscit ; vel est de objecto operabili, sed non qua operabile est : ubi si considerat præcise essentiam et proprietates rei, speculativa *quoad modum* dicitur; siquidem vero considerat

modum operandi vel disponendi res, sed sine intentione operis, dicitur speculativa *quoad finem*: et in *practicam*, quæ versatur circa objectum operabile, qua operabile est; unde scientia speculativa quoad finem tantum, est practica quoad modum : quæ vero ordinatur ad ipsum opus, quoad finem etiam est practica, et *simpliciter practica* vocatur, talemque Deus solum habet de iis, quæ facit; quamvis etiam mala subdantur scientiæ practicæ, in quantum ea Deus permittit aut impedit, aut aliquo modo ordinat. Cæterum scientia Dei practica quoad actus divinæ voluntatis liberos est practica per modum *prudentiæ*; quia illos dirigit proponendo, quid Deus conformiter suæ bonitati et sanctitati velle possit aut non velle : quoad operationes vero et effectus extra Deum, est practica per modum *artis*; quia proponit modum, quo fieri possint aut debeant, quod proprium est scientiæ practicæ, quæ ars et scientia factiva dicitur.

141. *Dico III.* Nec prima nec secunda divisio scientiæ est adæquata, sed inter membra utriusque divisionis datur alia adhuc scientia, quæ recte dicitur *media*.

*Prob.* Datur scientia contingentium conditionate futurorum independens ab omni decreto Dei actuali seu subjective absoluto; sed hæc recte dicitur *media*, tum inter scientiam naturalem et contingentem, tum inter simplicem intelligentiam et visionem; ergo. *Min. prob.* Scientia, quæ ab aliis scientiæ membris aliquid participat, et tamen ab iisdem discrepat secundum aliquid, recte dicitur mediare inter illa membra, seu esse scientia media : sed illa 1°. convenit cum scientia *naturali*; quia antecedit omne decretum liberum voluntatis divinæ saltem actuale : discrepat autem ab eadem; quod, quia objectum ejus est contingens, absolute possit in Deo non esse, quoad actualem scilicet scientiæ denominationem : 2°. convenit cum scientia *contingente*; quia a Deo absolute potest abesse : discrepat vero; quia non supponit ullum decretum Dei actu existens : 3°. convenit cum *simplici intelligentia*; quia non minus illa ac hæc non exprimit ullam existentiam actualem absolutam sui objecti : discrepat ab eadem; quia non attingit objectum sub præcisa ratione possibilitatis, sed sub futuritione quidem conditionata, nihilominus tamen unam ex duabus oppositis possibilium determinante, seu determinata : 4°. convenit cum scientia *visionis*; quia non versatur circa meram objecti possibilitatem, sed existentiam in certa temporis differentia quantumvis conditionatam : discrepat autem, quia non versatur circa existentiam objecti tempore certo actualem et absolutam.

142. *Nec obstat* 1°. Inter necessarium et contingens non datur medium; ergo nec scientia media inter scientiam naturalem et contingentem. *Conf.* Repugnat potentia activa inter necessariam ac liberam media; ergo et scientia media inter necessariam, qualis est naturalis, et liberam, qualis immediate vel mediate respectu Dei est omnis contingens.

R. *D. A.* Inter necessarium et contingens non datur medium per totalem utriusque extremi exclusionem, seu tale quod sub nulla prorsus ratione vel respectu nullius sit vel necessarium vel contingens *C.* non datur medium per participationem utriusque extremi, seu quod sub una ratione et res-

pectu unius sit necessarium, et sub alia ratione et respectu alterius sit liberum *N.*

*Ad Conf.* R. *N. Cons. Disparitas* est, quia potentia activa necessaria vel libera est uno tantum modo, nempe ex parte principii; quod si ad unam contradictionis partem sit determinatum, potentia activa seu agens dicitur necessarium, si vero sit ad utrumlibet active indifferens, dicitur agens liberum: quare sicut inter hæc extrema, utpote proprietates contradictorias includentia medium inveniri nequit, sic nec medium datur agens inter necessarium et liberum. Quamvis vero scientia Dei omnis ex parte principii sit necessaria, eo quod intellectus divinus ad omne verum cognoscendum sit summe determinatus; tamen ex parte objecti pluribus modis participare potest libertatem, nempe vel respectu Dei vel respectu creaturæ seu voluntatis creatæ, ut exponetur.

143. *Nec obstat* 2°. S. Thomas et omnes Scholastici Veteres adæquate diviserunt scientiam Dei in simplicem intelligentiam et visionem; ergo mediam non cognoverunt. *Conf.* Omnis scientia in Deo vel est *abstractiva* vel *intuitiva*; neque inter hæc extrema datur medium: sed omnis scientia simplicis intelligentiæ est abstractiva, et omnis scientia visionis est intuitiva; ergo inter has scientias nulla datur media.

R. *D. A.* Scientiam Dei sumptam solum secundum rationem objecti restrictam et hanc unam, quod aliquando sit in actu, vel non sit, diviserunt adæquate in simplicem intelligentiam et visionem *C.* sumptam secundum rationem objecti magis universalem et omnes status etiam futuritionis conditionatæ complectentem *N. Primum* patet ex D. Thoma p. 1. q. 14. a. 9., ubi docet ea, quæ sunt in actu, aut licet non sint in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt, sciri scientia visionis; ea vero, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, nosci scientia simplicis intelligentiæ: *Secundum* constat ex eodem, ubi is scientiam conditionatorum admisit. Præterea usurpatio simplicis intelligentiæ et visionis apud Veteres erat latior et alia, quam quæ modo invaluit, et strictior est, ut ex definitione utriusque superius data liquet: unde et ipse Molina scientiam mediam tantum interposuit naturali et liberæ Dei scientiæ, non autem simplici intelligentiæ et visioni; cum scientia conditionatorum, quorum conditio nunquam purificabitur, reduci queat ad simplicem intelligentiam, prout hæc cognitionem rerum absolute non existentium dicit; scientia autem conditionatorum quidem, sed sub conditione purificanda, tanquam absolute futurorum ad visionem.

*Ad Conf.* R. *T. M. N. min.* quia, si retineatur data a nobis nuper scientiæ divisio et explicatio, pars utraque vel alterutra *min.* falsa est. Nam 1°. si *abstractiva* et *intuitiva* dicantur differre ex eo, quod prior sit cognitio rei in alio tanquam medio ut quod prius cognito, posterior autem sit immediata et a tali medio independens; utraque pars *minoris* falsa est, quia scientia simplicis intelligentiæ attingit etiam possibilia in seipsis, et scientia visionis cognoscit quoque existentia in decreto divino; ac præterea scientia media intuitiva dici debet. Si vero 2°. dicantur differre ex eo, quod prior terminetur ad objectum præscindendo ab ejus existentia absoluta, posterior autem objectum repræsentet ut absolute existens; prima pars *min.* falsa est, qua-

tenus soli simplici intelligentiæ tribuit rationem scientiæ abstractivæ, cum et illa scientiæ conditionatorum conveniat. Si denique 3°. statuantur differre ex eo, quod prior repræsentet objectum præcise ut possibile, posterior ut quocumque modo existens vel extiturum sive sine, sive sub conditione; secunda pars *min.* falsa est, quia scientia conditionatorum non est visio, et tamen intuitiva foret, unde rursus non sola scientia visionis est scientia intuitiva.

144. *Nec obstat* 3°. Futura, quæ reipsa non erunt, sed forent posita aliqua conditione, non sunt futura, sed possibilia; tum quia juxta S. Aug. L. 26. cont. Faust. c. 4. *Omnia quæ vere futura sunt, sine dubio fient, si autem facta non fuerint, futura non erant*: tum quia in idea ac perceptione rei futuræ venit id, quod aliquando erit. Sed possibilia sunt objectum scientiæ naturalis simplicis intelligentiæ; ergo conditionate futura non sunt objectum scientiæ cujusdam mediæ. *Conf.* Futura conditionata sunt tantum futura dependenter ab aliqua conditione; ergo, cum conditio in mere conditionate futuris non sit futura, sed tantum possibilis, etiam futura conditionata non sunt futura, sed tantum possibilia; præsertim quia, ut transeat res de statu possibilitatis ad statum futuritionis, non sufficit conditio tantum possibilis, cum quod in se futuritionem non habet, illam aliis rebus tribuere nequeat.

R. *D. M.* Quæ reipsa non erunt, sed forent tantum posita aliqua conditione, non sunt futura absolute et simpliciter *C.* non sunt futura conditionate et secundum quid *N.* Eadem responsio convenit probationibus, præsertim cum contextus præsentis testimonii manifeste prodat, sermonem esse de absolute futuro, S. Aug. autem alibi sæpius conditionate futura agnoscat.

*Ad Conf.* R. *N. Cons.* vel *D.* Conditionate futura sunt tantum possibilia, quatenus possibile opponitur præcise actualiter existenti vel extituro *C.* quatenus opponitur uni ex duobus possibilibus præ altero determinate eventuro sub quacumque ratione *N.* Possibile præcise sumptum dicit non repugnantiam prædicatorum vel producibilitatem, præscindendo an res actu existat in aliqua temporis differentia; tantum possibile eamdem non repugnantiam vel producibilitatem dicit, sed negando omnem actualem existentiam pro ulla temporis differentia: hoc ipsum etiam negat mere conditionate futurum, non tamen dicit solam rei non repugnantiam vel producibilitatem, sed proportionem et conducentiam conditionis ad conditionatum, qua posita v. g. consensus potius futurus esset, quam dissensus, qui non minus ac ille possibilis est, ac non repugnat. *Ad prob. N. Ass.* Scilicet, quod ad transferendam rem a statu possibilitatis ad statum futuritionis mere conditionatæ non sufficiat conditio tantum possibilis; quia quamvis hæc in se futuritionem non habeat, includit tamen proportionem ac conducentiam ad rei futuritionem, quam non præstat conditio, sed causa rei futuræ libera præstaret ex propria electione.

145. *Observa.* Contingentia conditionate futura alia sunt immediate libera *creatæ* voluntati, ut illud: si Tyrii viderent miracula Christi, agerent pœnitentiam: alia sunt immediate libera voluntati *divinæ*: et hæc possunt dependere vel ab aliqua conditione, quæ est immediate libera voluntati

creatæ, ut iste actus divinus : si viderem Adamum peccaturum, incarnarer : vel ab aliqua conditione, quæ Deo est immediate libera, ut hic : si crearem alium mundum, crearem tot angelos. Scientia horum omnium conditionatorum dicitur, et est scientia media; sed tamen scientia conditionatorum creaturis immediate liberorum *scientia media directa,* et de hac disputatur inter Thomistas et Nostros : scientia vero conditionatorum Deo immediate liberorum dicitur *scientia media reflexa,* et de hac etiam controversia est inter Nostros. Porro scientia media *proprie reflexa* vocatur ea, quæ pro conditione habet aliquid, quod voluntati creatæ est immediate liberum ; quia cum hoc sub conditione propositum sit objectum scientiæ mediæ directæ, scientia divina illud attingens tanquam conditionem supra scientiam mediam directam reflectit; hoc vero cum non fiat in conditionato, cujus conditio est decretum divinum seu actus Deo immediate liber, hinc scientia illa proprie et sub illo respectu non dicitur reflexa ; quamvis simpliciter adhuc reflexa recte appelletur, eo quod per illam Deus reflectat super actus proprios per modum conditionis importatos.

## ARTICULUS II.

### AN DETUR IN DEO SCIENTIA MEDIA DIRECTA ?

146. *Nota.* Vocabulum scientiæ *mediæ*, quod an. 1566. primus in scholas. induxit P. Petrus Fonseca, S. J. Theologus, ejusdem discipulus P. Lud. Molina an 1589. typo mandavit in Libro, quem inscripserat : *Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis, divina præscientia et prædestinatione.* Operi huic, quod primum in materia Theologiæ scholasticæ a Scriptore Societatis typis vulgatum est, litem non solum de nomine, sed de re ipsa et doctrina movit P. Dominicus Bannez, Prædestinationum physicarum auctor, cum aliis e sacra Patrum Prædicatorum familia DD.; unde ortum duxerunt celebres de Auxiliis congregationes, quarum series et exitus sub Summis Pontificibus Clemente VIII. et Paulo V. in Urbe habitarum in Tr. de gratia exponitur. Controversiæ cardo in eo vertebatur, quod Patres Dominicani vellent Deum agnoscere in *decretis* suis absolutis ac intrinseca virtute gratiæ per se efficacis, quidquid homo facturus sit, si hæc ipsi gratia conferatur ; ideoque inutilem saltem contendebant esse scientiam mediam : Theologi autem Societatis, quamvis in variis discreparent a Molina, cum tamen universim nullam agnoscerent gratiam, quæ per se et natura sua physice sit conjuncta cum effectu, negabant consequenter, Deum certo videre posse futuros actus salutares in decreto dandi gratiam efficacem ; sed necessarium cum Molina statuebant, ut prius prioritate quadam rationis, per scientiam mediam perspiceret quid actura esset voluntas, si talis et talis gratia ei concederetur ; ex quo capite quicumque Thomistis aut aliis etiam, qui gratiæ per se efficacis necessitatem postea restrinxerunt ad præsentem naturæ lapsæ statum, opponuntur, generali nomine *Molinistæ* ab Adversariis vocantur. Quamvis itaque scientiam mediam *directam* dixerimus eam cognitionem, qua Deus sine ullo decreto actuali prævidet, quidquid creata voluntas sub quacumque conditione constituta esset libere factura, quæstionem tamen pro-

positam, ad actus voluntatis salutares vel malos restrictam, præcipue versabimus.

147. *Dico.* Datur in Deo scientia media *directa,* sive Deus certo cognoscit salutaria voluntati creatæ libera conditionate futura, in seipsis, et non in decreto prædeterminante vel condeterminante, aut dandi gratiam *per se* efficacem.

*Prob. I.* Ex Scriptura. Christus Matth. 11. et Luc. 10. justissime increpat Judæos comparative ad Tyrios, propterea quod illi pœnitentiam non egerint, cum Tyrii eam egissent, si eadem vidissent miracula, eademque auxilia interna habuissent : Sed hæc increpatio injusta foret, si scientia conditionata de futura Tyriorum pœnitentia sub conditione miraculorum et auxiliorum eorumdem fundaretur in decreto prædeterminante vel condeterminante aut dandi gratiam ex se efficacem ; ergo. *Min. prob.* Injusta est increpatio comparativa quando datur ingens disparitas in auxiliis omnino necessariis ad operationem, adeo ut unus ea omnia habeat, et alius non habeat, ex solius increpantis arbitrio ; quia vis memoratæ reprehensionis stabat in eo, quod non sit potior ratio, ut Tyrii converterentur visis miraculis, quam ut sub eadem conditione convertantur Judæi : Sed si scientia conditionata de futura Tyriorum pœnitentia fundaretur in dicto decreto, Tyrii quidem ex solius Dei arbitrio habuissent prædeterminationem aut gratiam *per se* efficacem tanquam omnino necessariam ad pœnitentiam, Judæi vero non habuerunt hoc auxilium prædeterminans aut *ex se* efficax ; cum, si habuissent, infallibiliter omnino egissent pœnitentiam ; ergo. Hinc vero etiam patet, quod Judæi potuissent se justissime excusare et respondere Christo : Domine, si Tyrii tua miracula viderent, essent ad pœnitentiam agendam physice prædeterminati ; haberentque præter auxilia, quæ nobis donata sunt, aliud fortius irresistibile et omnino necessarium, quo nos caremus occulto Dei judicio : cur ergo nos increpas, quod visis miraculis non egimus pœnitentiam, per comparationem ad Tyrios ? Increpatio autem justa esse nequit, cui justa obtendi potest excusatio.

*Conf.* 1°. Si statuatur pœnitentia Tyriorum conditionate futura unice esse cognita in decreto prædeterminante, Christus non potuit Judæos objurgare, nisi vel 1. quia pœnitentiam sine prædeterminatione physica non egerunt ; vel 2. quia prædeterminatione ad pœnitentiam agendam caruerunt : sed neutram ob causam poterat objurgatio esse justa. Non quidem ob 1am. quia nemo juste objurgatur, quod pœnitentiam non agat eo modo, quo eum agi est impossibile : sed impossibile erat, ut Judæi sine prædeterminatione agerent pœnitentiam ; ergo. Neque ob 2am. quia rursus nemo objurgatur juste, quod careat re, cujus habendæ vel acquirendæ liberam potestatem non habet : talis vero res est prædeterminatio physica secundum Thomistarum principia ; ergo. Hinc Judæi Christo increpanti ulterius potuissent juste reponere : Domine, vel vis ut sine prædeterminatione pœnitentiam agamus, vel ut cum illa : si *primum,* petis quod et nobis et Tyriis est simpliciter impossibile, cum sine prædeterminatione pœnitentiam agere non minus, imo magis repugnet, quam sine alis volare ; si *secundum,* da nobis prædeterminationem, sicut eam daturus esses Tyriis, et tunc, si pœnitentiam non agamus, quam illi essent acturi, objurga nos, quantum libet.

*Conf.* 2°. Objurgatio unius præ altero nec justa nec seria est, si is, qui

objurgatur, se quidem vituperabilem reddat, sed in iis circumstantiis, in quibus alter non objurgatus se quoque vituperabilem redderet, ubi in easdem incideret; et e contra si objurgatus se redderet laudabilem, ubi versaretur in iis circumstantiis, in quibus positus alter se reddit laude dignum: sed in Thomistarum systemate hoc accidit respectu Judæorum et Tyriorum; nam Tyrii non magis egissent pœnitentiam, quam Judæi, si pariter destituti fuissent gratia prædeterminante; et e contra Judæi tam egissent pœnitentiam, quam acturi erant Tyrii, si pariter gratiæ prædeterminantis auxilio instructi fuissent; ergo.

*Prob. II.* ex Patribus. Plurimi Patrum contra *Manichæos* tractant quæstionem, cur Deus angelos et homines produxerit, posueritque in circumstantiis ejusmodi, in quibus illos peccaturos certo præviderat; ergo agnoscunt aliquam in Deo de futuris angelorum et hominum peccatis præscientiam, quæ ipsum a decreto absoluto eosdem producendi et in talibus circumstantiis ponendi retrahere potuit, quamvis de facto non retraxerit; quia quæstionem hanc non solvunt negando, Deum eam scientiam habere, ut tamen negare debuerunt, si existimassent Deo illam non inesse; sed alias rationes afferunt, ut contra *Manichæos* ostendant, Deum per suam præscientiam et productionem non esse causam, cur angeli et homines peccent, statuuntque pro illorum peccatis propriam ipsorum libertatem, quam Deus, sicut non tenetur, ita ob fines suæ providentiæ sanctissimos noluit impedire. Atqui hæc scientia omnino est *media,* cum nulla alia scientia assignari queat, quæ Deum ab illo decreto retrahere valeat.

*Nam* 1°. non est scientia *visionis* absoluta, qua illos absolute peccaturos videt; quia hæc scientia decretum absolutum angelos et homines creandi, eorumque peccata permittendi supponit, ipsoque est posterior, adeoque Deum ab eodem decreto retrahere nequit; cum sicut prius non pendet a posteriori, sic neque per ipsum impediri potest. Præterea si absoluta peccati futuri præscientia posset Deum a decreto absoluto Luciferum peccaturum creandi retrahere, etiam posset tam cum carentia hujus decreti quam cum ipso decreto reipsa conjungi, atque hinc dari scientia absoluta de futuro Luciferi peccato sine ullo peccatum hoc permittente decreto absoluto et actuali; quod falsum omnino est et maxime in Thomistarum sententia.

*Nec* 2°. est scientia *conditionata* in decreto objective conditionato fundata, quo Deus vellet angelos et homines ad actum peccati prædeterminare, si illos produceret; quia si Patres decretum hujusmodi agnovissent, objectionem Hæreticorum reliquissent insolutam: cum enim hi Deum arguerent peccati auctorem, si homines crearet, quos peccaturos prævideret, majore fundamento id arguissent, si Deus futura illorum peccata non prævideret, nisi in decreto conditionato illos determinandi ad actum peccati; atque hinc Patres potius laborare debuissent, ut ostenderent, Deum non fore auctorem peccati, etsi tale decretum habuisset. Præterea Deus de facto habuit decretum absolutum creandi angelos et homines, eosque, ut Thomistæ volunt, prædeterminandi ad materiale peccati; ergo de facto non habuit illud decretum conditionatum; cum in illorum systemate decreta conditionata tantum locum habeant circa effectus nunquam absolute futuros, decreta autem simpliciter absoluta sufficiant pro eventibus absolute futuris.

*Nec* 3°. est scientia *necessaria,* qua Deus videt futura angelorum et homi-

num peccata, si illos ad materiale peccati prædeterminaret; quia Patres alias non potuissent peccata futura refundere in solam angelorum et hominum libertatem, sed debuissent ea referre ad divinam prædeterminationem; utpote quam illi evitare non poterant, et cum qua non peccare impossibile illis fuerat.

*Conf.* 1°. ex S. Aug. qui gratiam efficacem explicat per vocationem congruam, h. e. collatam in his circumstantiis, in quibus prævisa est habitura effectum; L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 13. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem.* Item: *Illi electi, qui congruenter vocati, illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati.* Et infra: *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Ex his enim sic arguo: 1. Specialis Dei misericordia erga electos in eo stat juxta S. Aug., quod ipsos vocet vocatione congrua, et cui videt illos obtemperaturos: sed hoc nec esse potest sine scientia *media,* nec cum scientia conditionata decreto efficaci innixa; quia innixa ejusmodi decreto scientia consistit in gratia intrinsece efficaci, non autem in congrua tantum et conducente ad voluntatis consensum cum gratia; ergo. 2. Juxta Aug. specialis misericordia Dei erga electos contraposite ad non electos, scientiam conditionatam consequitur; quia ex ea dirigitur Deus ad vocandum, *quomodo scit congruere,* cum possit vocare, quomodo scit non congruere: sed si scientia conditionata fundaretur in decreto sæpius dicto, non consequeretur misericordia scientiam, sed præiret; ergo. 3°. Juxta eumdem, qui non attemperantur vocationi, non sunt electi, quia non secuti: sed hæc causalis foret falsa; cum electi non essent, quia Deus efficaciter non decrevit ut vocationem sequerentur; ergo.

*Conf.* 2°. D. Thomas p. 3. q. 1. a. 5. ad 2. cum retulisset Augustini verba L. de don. persev. c. 9. n. 23. ex eodem hanc doctrinam statuit: *Deus his, quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit subvenit, aliis autem non subvenit, de quibus in sua prædestinatione occulte quidem, sed aliud juste judicavit.* Ergo posita illa conditionata prævisione de illorum fide, Deus adhuc potest subvenire et non subvenire; ergo illa prævisio non fundatur in decreto, quod sit subventio prædeterminans aut de se efficax.

*Prob. III. ex* Rationibus. 1ª est *a priori.* Divina cognitio conditionata de pœnitentia Tyriorum, ab ipsorum voluntate determinabilis in existendo, est scientia media et independens ab omni actuali decreto, ut patet; sed datur in Deo talis cognitio: certum enim est, quod si Tyrii velint facere pœnitentiam sub conditione miraculorum, extitura sit Dei cognitio de ipsa conditionata pœnitentia; et quod non sit hæc cognitio extitura, si non velint agere pœnitentiam; quod ipsum est cognitionem Dei esse Tyriis determinate liberam, seu ab eorum voluntate determinabilem in existendo; ergo.

2ª est *a posteriori.* Juxta Thomistas, si agatur v. g. de conversione alicujus infidelis ad fidem, ponitur hic ordo decretorum: 1°. Deus absolute decernit et vult hunc fieri fidelem: 2°. Decernit et eligit ad hunc finem medium per se et ex natura sua efficax seu determinans ad talem effectum per physicam præmotionem: 3°. Effectus iste infallibili consecutione est reipsa futurus, et ut talis scientia absolute certa cognoscitur in prævio decreto. Jam vero hic

procedendi modus videtur omnino contrarius libertati. Nam *primum* decretum, quod supponitur antecedens et efficax, atque hinc difficulter cum libertate conciliatur, eatenus tantum intelligitur libertati non nocere, quatenus Deus in illius executione se attemperat conditioni naturæ liberæ : sed nec Deus in executione se attemperat libertati, cum *secundum* decretum non minus sit absolutum antecedens et efficax, quam erat *primum* ; ergo. Deinde hic ordo ostendit Deum cæco modo ac improvide decernere, ut hic homo fiat fidelis. Nam si decretum actuale *primum* non præcedat scientia media, Deus in illo signo priori nesciret, an homo, qui ratione suæ libertatis gratiæ potest consentire vel dissentire, esset vel non esset consensurus; tum quia id scire nequit per scientiam *simplicis intelligentiæ,* cum per illam sola cognoscantur possibilia vel conditiones necessariæ, non vero contingentia conditionate futura hominibus libera : tum quia id non scit per scientiam *visionis,* utpote quæ sequitur *primum* decretum : tum neque id scire potest per scientiam *conditionatam* fundatam in decreto objective conditionato ; propterea quod partim admitteretur scientia quædam inter simplicem intelligentiam et visionem media ; partim admitteretur scientia hæc conditionata pro futuris absolute eventibus, cum tamen Thomistæ eam pro solis mere conditionate futuris statuant; partim in illa scientia non videretur actus creaturæ liber, sed necessarius et ad unum antecedenter determinatus.

3ª est ex *facta hypothesi.* Supponi enim potest 1°. Non existere decreta illa Thomistica solum ex parte actus seu subjective absoluta, præsertim circa conditionate futura, quorum conditio pendet a solo Deo. *Ratio* est, quia si illa decreta existant, libere existunt; adeoque sic existunt, ut possent non existere : quod autem sic existit, ut posset non existere, potest etiam supponi non existere; ergo. 2°. Hac suppositione etiam facta, possunt tunc formari hæ propositiones conditionales contradictoriæ : si Christus prædicasset Tyriis, pœnitentiam egissent; si Christus prædicasset Tyriis, pœnitentiam non egissent : unaque earum determinate est vera, altera falsa. *Ratio primi* est, quia harum propositionum possibilitas, sicut rerum aliarum possibilium, est independens ab omni decreto divino actu existente. *Ratio secundi* est, quia Tyrii, Christo apud illos prædicante, vel egissent pœnitentiam, vel non egissent, cum inter hæc non detur medium : si vero egissent pœnitentiam; prima propositio determinate vera est, et secunda falsa : si non; secunda determinate est vera, prima falsa. 3°. In suppositione illa facta adhuc habetur contingens et libera futuritio conditionata pœnitentiæ vel impœnitentiæ Tyriorum. *Ratio* est, quia hoc ipso habetur contingens et libera futuritio conditionata alicujus actus, quod vere dici possit : hic actus libere esset vel futurus esset, si esset vel futura esset aliqua conditio ; cum actum conditionate futurum esse nihil aliud sit, quam illum verificare posse propositionem hujusmodi, quia hoc ipso habet veritatem objectivam : sed in facta suppositione, ut patet ex 2ª hypothesi, de alterutro actu, h. e. de pœnitentia vel impœnitentia Tyriorum vere dici et enuntiari posset : esset aut futura esset, si esset vel futura esset talis conditio; ergo. His præsuppositis sic arguo : objectum scientiæ de contingentibus conditionate futuris non dependet a dictis decretis; ergo nec ipsa scientia; cum hæc nonnisi ratione objecti ab illis dependeat. *Prob. A.* Objectum hujus scientiæ est contingens et libera futuritio conditionata; ut per se patet : sed hæc futuritio nullatenus dependet

ab his decretis; quia habetur, etsi supponantur decreta illa non existere, ut ex hypothesi 3ª liquet; ergo.

4ª. est ad hominem et ex Thomistarum principiis, inter quæ unum est, in positione conditionis v. g. miraculorum Christi ad pœnitentiam Tyriorum importari decretum Dei, ita ut illa conditio sic exponatur: si decrevissem miracula fieri apud Tyrios; alterum est, nullum dari decretum indifferens, et nullum finem obtineri posse per aliquod medium, nisi hoc sit exhibitum ex efficaci intentione talis finis: ex quo sequitur, illud decretum in conditione importatum debere concipi ut efficaciter a Deo prævolitum, vel ut deserviret ad pœnitentiam, vel ut ad hanc non serviret. Jam sic argumentor: Deus in decreto suo *subjective* absoluto et *objective* conditionato nequit ut conditionem assumere miracula, nisi ut facienda vel intentione connexa cum pœnitentia, vel ex intentione incompossibili cum illa; ut patet ex allatis principiis: sed quocumque fine dicantur facienda miracula, repugnat decretum memoratum; ergo non datur, nec in eo futurum conditionatum præsciri potest. *Min.* patet; quia imprimis repugnat, quod Deus decernat pœnitentiam, sub conditione miraculorum faciendorum ex efficaci intentione, ne prosit ad pœnitentiam, cum sub tali conditione pœnitentiam impossibilem esse appareat: deinde etiam repugnat, quod Deus decernat pœnitentiam sub conditione miraculorum faciendorum ex intentione efficaci, ut sequatur pœnitentia; quia existere pœnitentiam, si fiant miracula per efficacem intentionem pœnitentiæ, est veritas necessaria: sed de hac repugnat decretum quodcumque, maxime liberum; quia veritas necessaria antecedit omne decretum, nec Dei *arbitrio* subest; ergo.

148. *Obj. I.* Admissa prædeterminatione vel gratia per se efficaci, nihilominus justa fuit objurgatio Christi comparativa Judæorum cum Tyriis; 1°. quia Judæi fuerunt Tyriis pares vel forte superiores quoad *actum primum* et potentiam pœnitendi, seu sufficiens auxilium, licet fuerint inæquales quoad *actum secundum* et auxilium efficax; cum decretum et gratia prædeterminans non det posse, nec pertineat ad actum primum, sed solum det agere, et teneat se ex parte actus secundi. 2°. quia Judæorum *culpa* factum est, quod non fuerint conversi; cum caruerint prædeterminatione, vel quia majora quam Tyrii peccata commiserunt, et sic majus conversioni opposuerunt impedimentum; vel quia gratiæ prævenienti restiterunt, aut non, sicut Tyrii fecissent, se ab eâ moveri siverunt.

R. N. *Ass. et prob.* 1ªm. tum quia in ordine operandi non datur medium inter *actum primum,* qui est causa operationis, et inter *actum secundum,* qui est formalis operatio; cum ergo gratia prædeterminans secundum Thomistas non sit formalis operatio, sed ejus causa, non pertinet ad actum secundum, sed ad primum; adeoque Judæi illa carentes non erant quoad *actum primum,* et quoad posse Tyriis æquales: tum quia sicut Deus injuste præciperet Judæis posse converti, si pro solo suæ voluntatis beneplacito ipsis negaret aliquod essentiale requisitum ad posse; sic pariter injuste præciperet illis pœnitentiam agere, si illis simili modo negaret gratiam prædeterminantem, quæ est essentialiter prærequisita ad agere. Unde permisso etiam illo, quod prædeterminatio non constituat actum primum proximum, sed in principiis Thomistarum sit indispensabilis applicatio

potentiæ ad actum vires efficacissimas voluntati tribuens, increpatio Christi redderet hunc sensum : Væ tibi, Corozain ! quia si Tyrii ultra gratiam, quam tu accepisti, accepissent applicationem indispensabilem et vires ad pœnitentiam efficacissimas, egissent pœnitentiam; quæ sane ridicula et injusta foret increpatio.

Similiter *ad prob.* 2am. *N. Ass.*, tum quia in systemate Thomistarum prædeterminatio nec obtineri ab homine, nec impediri potest: tum quia, quamvis juxta S. Aug. L. de don. persev. c. 14. n. 35. Tyriorum oculi non erant ita excæcati, nec cor adeo obduratum ut Judæorum ; tamen, ne ita excæcarentur et obdurarentur, vel ut excæcatio et obduratio tolleretur, necessaria ipsis erat juxta eumdem L. de prædest. SS. c. 8. n. 13. gratia illa, quæ a nullo duro corde respuitur, et quæ secundum Thomistas est *per se* efficax ac prædeterminans; adeoque non sua culpa, sed ex defectu gratiæ impedimentum hoc habuerunt, vel non removerunt : tum quia illa non resistentia seu facilitas se permittendi motibus divinæ gratiæ, est actus voluntatis bonus et salutaris, ad quem habendum exigunt rursus Thomistæ prædeterminationem, adeoque Judæi obtendere poterant, se gratiæ sufficienti obstitisse, nec se permisisse, quia destituti erant efficaci et prædeterminante.

*Inst.* 1. Admissa etiam scientia media, objurgatio Christi non fuit justa, si requiratur æqualitas gratiæ. Nam juxta principia etiam *Molinistarum* ad pœnitentiam reipsa agendam necessaria est gratia efficax : sed hanc gratiam non habuerunt Judæi, Tyrii autem essent accepturi ; ergo et hic caruerunt Judæi aliqua gratia necessaria, qua Tyrii non essent carituri.

R. *Ad prob. D. M.* Ad pœnitentiam reipsa ponendam necessaria est gratia efficax, quæ ut talis novam gratiæ prævenientis entitatem a gratia sufficiente distinctam importat *N.* quæ ut talis entitati gratiæ sufficientis solum voluntatis consensum superaddat *C. M.* et *D. min.* Judæi non habuere gratiam efficacem ut prævenientem seu secundum entitatem, et omnia prævenientis gratiæ auxilia ad pœnitentiam essentialiter requisita *N.* non habuere gratiam efficacem ut operantem *subd.* ex defectu auxilii necessarii ad habendam ejus operationem *N.* ex defectu propriæ cooperationis *C.* In systemate nostro gratia efficax in *actu primo* seu ut præveniens et ad pœnitentiam prærequisita, entitative et intrinsece non differt a gratia sufficiente ; et sub hac ratione Judæi non caruerunt gratia efficaci : gratia vero efficax in *actu secundo* seu ut operans, respective ac extrinsece differt a mere sufficiente per hoc, quod cum efficaci conjungatur actualis consensus et cooperatio, quæ est in libera hominis potestate; et hanc Judæi non habuerunt, quia ipsi libere non consenserunt seu non conjunxerunt suam operationem, uti tamen facturi erant Tyrii, si illis entitas gratiæ data fuisset. Hinc vero patet, justissimam fuisse in hoc systemate increpationem Christi, utpote quæ facit hunc sensum : Væ vobis, Judæi ! quia vos voluntaria obstinatione inefficacem redditis meam gratiam, quam Tyrii, si ipsis exhibita fuisset, voluntaria cooperatione redditurі essent efficacem. Contrarium sequitur ex doctrina adversariorum, qui entitatem et vires diversas tribuunt gratiæ efficaci et sufficienti.

*Inst.* 2. Gratia efficax in illis principiis licet non sit gratia sufficiente major *physice* et in ratione entitatis, est tamen major *moraliter* et in ratione beneficii : sed Deus juxta nos decreverat dare Tyriis gratiam efficacem, eamque de facto decrevit non dare Judæis ; ergo decreverat dare Tyriis

gratiam moraliter et in ratione beneficii majorem, quam quæ data est Judæis; ergo moraliter saltem et in ratione beneficii inæquales erant.

R. 1°. *N.* 1am. *part. min.* Quamvis juxta omnes verum sit, et ex eventu pateat, quod Deus decreverit Judæis non dare gratiam efficacem; nullum tamen habetur fundamentum dicendi, quod Deus actu decreverit dare Tyriis gratiam efficacem; imo cum adhuc ostensum fuerit, scientiam mediam non fundari in decreto actuali, et præterea non fuerit reipsa a Tyriis posita pœnitentia; sequitur, a Deo nec ante, nec in, nec post scientiam mediam de futura sub conditione tantum pœnitentia Tyriorum fuisse aliquid actu decretum. Quia tamen loco *minoris* a nostris principiis penitus alienæ et falsæ potest substitui hæc: sed Tyrii de facto habuere in statu conditionato gratiam efficacem, quam Judæi in statu absoluto non habebant; hinc

R. 2°. *D. M.* Gratia efficax est moraliter et in ratione beneficii major sufficiente, quando a Deo absolute datur *C.* quando absolute non datur. *N. M.* et *D. min.* Tyrii in statu conditionato gratiam habuerunt et simul in statu absoluto ea illis fuit data *N.* non fuit data *C.* Gratia efficax absolute data, est gratia quam Deus confert in signo posteriori ad scientiam mediam de futuro consensu sub hac gratia, et cum absoluta intentione consensus absolute futuri; patet autem hoc esse *moraliter* majus beneficium, quam si Deus dat gratiam, cui hominem dissensurum prævidet; gratia autem efficax in statu conditionato est gratia sufficiens, quæ per scientiam mediam prævidetur effectum habitura, si daretur; ex hoc autem præcise necdum habetur ratio *specialis beneficii* præ gratia pure sufficiente, cum illa gratia, ut talis, sit indifferens ut a Deo conferatur vel non conferatur. Itaque Tyrios in statu conditionato gratiam efficacem habuisse solum significat, illos fuisse gratiæ sufficienti consensuros, si eam habuissent, et sic habituros fuisse gratiam efficacem; hoc vero non est beneficium speciale Tyriis præ Judæis esse concessum; præsertim cum Judæi pariter sub eadem gratia sufficiente prævideri poterant pœnitentiam acturi, et solum propter voluntariam obstinationem non prævisi sunt acturi pœnitentiam. Si tamen transferatur argumentum ad statum utrinque absolutum, et petatur, cur pro diversis possit esse inæqualitas gratiæ in ratione beneficii, non autem in ratione auxilii, quin tollatur æqualitas objurgationis;

R. 3°. *Disparitas* est, quia in *primo* casu manent eædem vires gratiæ et potentia in utroque homine: juste autem increpatur unus præ altero, quoties unus non agit bonum cum iisdem viribus et potentia, quibuscum alter agit: in *secundo* autem casu habentur in uno majores vires et potentia, dum in altero vel minora hæc omnia sunt, vel etiam deest aliquod ad operandum omnino necessarium, ut docent Prædeterminantes; non potest autem juste objurgari posterior, si non agat bonum, ad quod agendum minores vires et potentiam habet, aut caret necessario ad agendum auxilio.

*Inst.* 3. In hoc systemate Tyrii habuissent concursum in *actu secundo*, quo Judæi caruerunt; item habuissent gratiam, cui Deus præviderat esse consensuros, qua rursus caruerunt Judæi; ergo fuerunt Judæi inæquales Tyriis.

R. *D. Cons.* Judæi fuerunt Tyriis inæquales quoad auxilii entitatem ac intrinseca *N.* quoad auxilii rationem moralem et extrinseca *subd.* ita tamen, ut id attribuendum sit voluntati Judæorum, qui noluerunt agere *C.* ita ut nihil ejusmodi ex eorum parte intervenerit *N.* Cum Judæi non minus ha-

buerint, quam Tyrii habituri fuissent, eadem miracula, easdem gratias excitantes, eamdem omnipotentiam Dei ad concurrendum cum Judæis paratam, quam parata fuisset cum Tyriis concurrere; æquales omnino erant quoad auxilii entitatem et necessaria ad agendum prærequisita : cum vero Tyrii habuissent concursum in *actu secundo* ad pœnitentiam, quia voluissent pœnitere, Judæi vero hunc concursum in *actu secundo* non habuerunt, quia noluerunt pœnitere; sequitur, inæqualitatem hanc refundendam unice in voluntatem et culpam Judæorum, minime in gratiam divinam, quæ nequit esse concurrens aut cooperans, nisi simul humana voluntas agat et operetur. Similiter quod Deus gratiæ illi, quam dedit, prævideret Judæos non consensuros, non proveniebat ex aliquo gratiæ ipsius defectu, quandoquidem eidem consensuri fuissent Tyrii, sed ex Judæorum propria voluntate et culpa, qui æque ac Tyrii consentire potuissent, et hinc consensuri prævideri.

*Inst.* 4. Qui eligit nos, ut simus, non quia sumus sancti; prædestinat nos et operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ; gratis et non ex operibus nos justificat et salvat; ille non exspectat et explorat an voluntates nostræ consensuræ sint, sed pro suo beneplacito et ex decreto absoluto nos eligit, prædestinat, justificat et salvat : sed Deus ex ep. ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti*; ibid. v. 11. *Prædestinati sumus secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; ad Rom. 3. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius*; et ad Ephes. 2. 8. *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur*; ergo.

R. *D. M. quoad* 1am. *p.* Qui eligit nos, ut simus sancti, prædestinat etc. ille non exspectat nec explorat voluntatem tanquam causam motivam, impulsivam et determinativam ad dandam homini gratiam *C.* tanquam rationem prælucentem aut causam directivam, qua Deus nostro concipiendi modo prius dirigatur, quam quidquam statuat circa liberas hominis actiones *N.* Similiter *D. alt. part.* Pro suo beneplacito et decreto absoluto nos eligit, quatenus hoc independens est ab operibus mere naturalibus et etiam a meritis conditionatis tanquam causa motiva et determinativa *C.* quatenus a conditionatis meritis tanquam causa directiva est independens *N.* Textus allati vim suam et veritatem omnino retinent in nostro systemate. Elegit enim nos Deus, ut essemus sancti, non vero quia futuri eramus sancti *viribus propriis* sine gratia; imo nec prævisa sanctitas ex gratiæ beneficio futura Deo est *causa* et *regula*, qua certo ducatur, moveatur, vocetur ac determinetur, ut gratiam et sanctitatem largiatur. Deus etiam operatur omnia secundum *consilium* voluntatis suæ, et prædestinat secundum *propositum*; quia licet prævideat, quid homo facturus sit in his vel illis circumstantiis sub hac vel illa gratia, istam tamen conferre non tenetur, sed ex solo beneplacito et pura liberalitate confert. Ne porro offendiculo sint illa verba *exspectare*, *explorare* etc. quamvis a nobis vix adhiberi soleant, facit tum Scripturæ phrasis, qua Deus inducitur loquens Isa. 5. 4. *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? an quod exspectavi, ut faceret uvas*; et Apoc. 3. 20. *Ecce sto ad ostium et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum* : tum sensus, quo minime significamus Deum incertum aut suspensum circa ea quæ futura sunt; sed attentum et curantem ne ulla libertati humanæ vis inferatur, sed ejus cooperatio sit libera.

*Inst.* 5. Qui ex sua seu gratiæ suæ virtute dat velle et perficere, inclinat corda quocumque vult; facit cor novum et carneum, ablato veteri et lapideo; is futuram hominis actionem bonam cognoscit in absoluto dandi gratiam decreto et gratiæ virtute, nec, antequam decernat opus, exploret necesse est quid voluntas hic et nunc actura sit: sed ad Philip. 2. 13. *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate*; Prov. 21. 1. *Cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud*; Ezech. 36 26 *Dabo vobis cor novum... et auferam cor lapideum, et dabo vobis cor carneum*; ergo.

R. *D. M.* Qui ex sua seu gratiæ suæ virtute dat hæc et facit antecedenter seu independenter a prævisione futuri sub conditione effectus, is cognoscit hæc omnia in decreto dandi gratiam solo et seorsim sumpto, et in virtute ipsius gratiæ *C.* qui dat et facit hæc duntaxat consequenter ac dependenter ab illa prævisione *N.* Cum enim Deus in iis, quæ non facit solus, sed concurrente voluntate humana, non agere statuerit nisi salva hominis libertate; nulla autem gratia sit, quantacumque ejus vis supponatur, cui voluntas humana non possit resistere si velit: plane sequitur futurum effectum a Deo non decerni, nisi præviso prius consensu voluntatis futuro sub hac vel illa conditione; neque illum in sola gratiæ entitate aut illius dandi decreto cognosci. Hoc tamen non impedit, quominus Deus effectum, quemcumque voluerit, obtineat, et ipse eumdem dare et facere dicatur: tum quia licet inter infinitam gratiarum copiam nulla sit cui voluntas non possit resistere, tamen non omnibus reipsa est restitura aut resisteret, si hæc vel illa daretur: tum quia singulare potentiæ et benignitatis divinæ beneficium est, quod illam gratiam largiatur, qua emolliendam esse contumaciam voluntatis quantumvis maximam prævidet.

*Inst.* 6. Deus, et non homo, est ratio, qua is, qui bene agit, discernitur ab alio non bene agente, juxta illud 1. ad Cor. 4. 7. *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* sed in systemate nostro homo pro statu conditionato per consensum suum est ratio qua discernatur a dissensuro; pro statu autem absoluto Deus ratio discernendi esse nequit; sive per gratiæ auxilia, utpote quæ indifferentia sunt et supponuntur etiam æqualia in utroque; sive per scientiam mediam, utpote quæ Deo non est immediate libera; ergo.

R. 1°. *N. Supp.* 1ae. *part. min.* Quia in statu *conditionato* nec datur nec dari potest discretio unius ab altero tanquam boni a malo: tum quia qui posita aliqua conditione bene vel male ageret, non est, sed tantum esset bonus vel malus, et hinc non discernitur, sed discerneretur: tum quia qui bene ageret posita hac conditione male ageret sub alia; et vicissim qui sub hac conditione ageret male, bene ageret sub alia: adeoque non est ratio in hoc statu, cur alius præ alio bonus vel malus dicatur.

R. 2°. *D.* 1am. *part. min.* Homo in statu conditionato se solo esset ratio, cur discernatur *N.* cum gratia *subd.* esset ratio principalis et superior *N.* instrumentalis et inferior *C.* Gratia siquidem divina, quæ tam in conditione, quam in conditionato intelligi debet, elevat, corroborat et adjuvat voluntatem, eamque sollicitat et movet ad actum salutarem; unde eidem in hoc primæ partes debentur præ voluntate, quæ quidem agere non posset, nisi sollicitaretur, moveretur, elevaretur et adjuvaretur.

*Ad* 2am *part. min. prob. D.* Deus discernere nequit pro statu absoluto per auxilia gratiæ indifferentia, ut collocata ex prævisione boni usus *N.* per ea præcise secundum entitatem sumpta *T.* Duplex est discretio : alia *radicalis* et in actu primo; alia *formalis* et in actu secundo. *Primam* constituunt Thomistæ in gratia prædeterminante, Nostri autem in gratia intrinsece ac de se quidem indifferente seu repudiabili, sed quæ prævisa est per scientiam mediam conjungenda cum bono usu seu consensu. Sicut autem unius Dei specialis favor et beneficium est ab illo unice dependens, quod Deus hanc gratiam det, cum aliam cum bono usu non conjunctam similiter prævisam dare posset : sic hæc discretio etiam soli Deo convenit ac tribuitur; atque hæc locum tantum habere potest in statu absoluto, cum præsupponat scientiam mediam. *Secundam* omnes statuunt in ipso salutari consensu : sicut vero hic tribuitur Deo tanquam causæ principali, et creaturæ tanquam causæ minus principali et quasi instrumentali, sic idem dicendum est de discretione; quæ secundum dicta accommodari etiam potest statui conditionato.

149. *Obj. II.* S. Aug. in LL. de prædest. Sanctorum et de don. persev. totus in eo versatur, ut contra *Semipelagianos* probet, præscientiam Dei rerum futurarum esse innixam decreto Dei efficaci, nec illam esse priorem. *Prob.* L. de don. persev. c. 17. n. 42. sic loquitur : *An forte Semipelagiani nec ipsa futura opera bona dicunt prædestinata? ergo nec dantur a Deo, aut ea se daturum nescivit. Quod si et dantur a Deo, et ea se daturum esse præscivit, profecto prædestinavit.* Unde sic arguitur : Quæcumque Deus donat et efficit, etiam decreto suo prædefinit ac prædestinat : sed Deus donat et efficit bona opera futura sive absolute sive conditionate talia; ergo ea opera decreto suo prædestinat; et hinc ea in decreto cognoscit.

R. *D. Ass.* S. Aug. in his Libris totus in eo versatur, ut probet præscientiam rerum futurarum quarumcumque esse innixam decreto Dei efficaci *N.* Dixit enim L. de præd. Sanctorum c. 10. *Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse; potest autem esse sine prædestinatione præscientia.* Versatur in eo, ut probet, innixam esse decreto Dei efficaci præscientiam rerum bonarum seu salutarium, præsertim autem initii fidei ac perseverantiæ *subd.* rerum salutarium absolute futurarum *C.* conditionate tantum futurarum *N.* Licet *Semipelagiani* gratiam confiterentur necessariam ad omne opus bonum et fidei augmentum, contendebant tamen a sola natura haberi tum initium fidei, seu pium credulitatis affectum, quem inter bona opera non computabant, tum perseverantiam usque in finem. Hoc posito errore, ut explicarent quinam ad fidem vocarentur, et vocati bona agerent ac perseverarent, abutebantur scientia conditionatorum, et docebant : 1°. Quod Deus prævideat homines ex solis naturæ viribus habituros vel non habituros voluntatis illam dispositionem et credulitatis affectum, si vocarentur, et pro hujus prævisionis ratione ad fidem illos vocet, vel non vocet : 2°. Quod, prout idem prævidet homines cum gratiæ auxilio bona opera facturos, vel non facturos, si gratiam haberent; ita illis etiam gratiam, cum qua perseverent, det vel non det : 3°. Quod scientia illa conditionata moveat, impellat et determinet Deum, ut actu vocet vel non vocet ad fidem, det vel non det gratiam : quod proinde fides vocationi correspondens et consensus gratiam subsequens fundetur in illa conditionata scientia tanquam causa, potius

quam in Dei decreto seu prædestinatione ; et hinc etiam fides ac consensus absolute futurus prævideatur, qui necdum sit a Deo decretus et prædestinatus.

Contra hos errores opponit se S. Aug. in LL. memoratis, et universim quidem in L. de præd. SS. demonstrat, *initium fidei* etiam esse donum Dei, quod ipsum de *perseverantia* in L. de don. persever. evincit : speciatim vero contra 1um. opponit exemplum Tyriorum, quibus Christus non apparuit, quantumvis crediturí prævideretur : contra 2um. urget exemplum Justi rapti e vita, licet peccaturus prævideretur, si diutius vixisset : contra 3um. statuit pro ratione motiva et causa determinativa quæ facit, ut Deus vocet et det gratiam, unam voluntatem Dei et misericordiam ex illo Apostoli, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*: contra 4um. denique ostendit : 1°. quod prædestinatio nullatenus dependeat ex prævisione operum mere naturalium sive absolute sive conditionate futurorum; 2°. quod neque ab operibus, cum gratia sub conditione tantum faciendis, reipsa autem non futuris, tanquam a causa, motivo et determinativo pendeat ; 3°. quod decretum et prædestinatio sit vera et prima causa operis boni reipsa aliquando futuri, atque hinc nullus effectus bonus absolute futurus possit prævideri, scientia nempe visionis, qui non sit decretus et prædestinatus a Deo. Hanc porro prædestinationem definit *præscientiam et præparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur,* hoc est, quibus certissime præveniuntur divina gratia eo modo, quo Deus et præscivit eos libere cooperando perventuros ad fidem ac opera bona, et ut pervenirent, singulari misericordia decrevit, et eo illos tempore ex hac vita rapere voluit, quo erant justi; in quo prædestinatio ad fidem et perseverantiam a S. Doctore constituitur.

*Ad prob.* R. 1°. *C.* totum, si in *minore* nihil dicatur de futuris tantum conditionatis ; quia absolute futura bona omnino prædestinari a Deo omnes Catholici fatentur.

R. 2°. *D.* Quæcumque Deus dat et efficit absolute et actu *C.* quæ dat et efficit tantum conditionate, aut quæ potius daturus et effecturus tantum esset, si poneretur aliqua conditio, illa decreto quodam actuali et absoluto prædefinit et prædestinat. *N.* Per hoc, quod nullum opus salutare sive absolutum sive conditionatum possit esse sine gratiæ divinæ auxilio, Deus in statu etiam mere conditionato recte dicitur dare et efficere opus salutare ; specialius tamen dat et efficit salutare opus absolute futurum, quia ad illud dat auxilium gratiæ, per scientiam mediam prævisum conjungendum cum opere, ex singulari etiam benevolentia et intentione ut cum opere conjungatur; quod decretum efficax scientiam mediam sequens est prædefinitio et prædestinatio.

*Inst.* 1. L. de præd. SS. c. 10. n. 19. sic ait: *Prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Inde sic arguitur : Quæ Deus est facturus, in et ex prædestinatione sua præscit : sed Deus omnes actiones nostras liberas est facturus ; ergo ex et in prædestinatione sua eas præscit, ac proinde non per scientiam mediam.

R. 1°. *N. min.* Quia Deus nec facturus est opera nostra mala, neque etiam conditionate tantum futura opera bona, nec ea prædestinat.

R. 2°. *D. M.* Quæ Deus solus et per se solum facturus est, in et ex sua prædestinatione præscit *C.* quæ facturus est per et cum hominibus libere operantibus *subd.* quæ est absolute facturus *C.* quæ tantum facturus erat sub

conditione *N.* Præscientia Dei alia est absoluta et visionis, alia conditionata et media. Scientia visionis Deus præscit opera nostra bona absolute futura: hæc autem non sunt absolute futura, nisi quia a Deo prædestinata sunt, seu ex speciali et gratuita Dei benevolentia ad illa datæ sunt gratiæ, quibuscum operatio conjungenda fuit prævisa; adeoque in et ex hac prædestinatione prævidere Deus potest bona opera absolute futura: scientia autem conditionata præscit opera bona conditionate futura; hæc autem Deus non prædestinat seu absolute et actu decernit, consequenter nec ea in et ex prædestinatione prævidet.

*Inst.* 2. S. Aug. L. de don. persev. proponit hanc regulam: quod ubi in Scriptura et Patribus invenitur nomen præscientiæ, et de vocatione electorum agitur, nomine præscientiæ debeat intelligi prædestinatio. Sic enim c. 19. n. 48. inquit: *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, et agitur de vocatione electorum, eamdem prædestinationem intelligere?* Præmiserat autem c. 18 n. 47. *Unde aliquando eadem prædestinatio significatur nomine præscientiæ;* quod cum probasset Scripturæ testimoniis, sic pergit: *Præscivit reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus: hoc est ergo prædestinavit; sine dubio enim præscivit, si prædestinavit: sed prædestinasse est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus.* Unde hoc fit argumentum: Si in Deo daretur aliqua præscientia bonorum operum independens a decreto, eique anterior, falsa esset generalis ista regula S. Aug.: sed hoc sine injuria tanti Doctoris asseri nequit; ergo.

R. *D. M.* Si in Deo daretur aliqua præscientia absoluta bonorum operum independens a decreto illoque anterior, falsa esset illa regula *C.* si daretur præscientia conditionata independens a decreto *N.* vel *subd.* si daretur præscientia conditionata in sensu et cum abusu Semipelagianorum *C.* Si in sensu et cum usu catholico. *N.* Cum præscientia bonorum operum ut absolute futurorum fundetur in prædestinatione Dei, recte docuit Aug., nomine præscientiæ absolutæ posse intelligi et aliquando significari prædestinationem: cum vero præscientia operum bonorum conditionate futurorum non fundetur in prædestinatione Dei, quandoquidem Tyriorum opera fuerunt sub conditione prævisa, quin tamen sint prædestinata; minime docuit Aug., nomine præscientiæ conditionatæ, quam nos cum ipso admittimus, intelligi posse aut aliquando significatam esse prædestinationem; unde latam ab illo regulam in nostro systemate nequaquam falsam esse constat: quia tamen juxta *Semipelagianorum* errores, quodcumque adultorum bonum, sub conditione prævisum, est absolute futurum, cum conditionata præscientia Deum moveat ac determinet ad fidem et gratiam tribuendam, et simul præscientiæ potius quam prædestinationi res omnis adscribenda sit; sequitur regulam illam S. Aug. etiam de prædestinatione sub nomine præscientiæ absolutæ intelligenda in eorum systemate fore falsam, nisi illud rejiciatur.

*Inst.* 3. Futurum æque ac præscientia futuri, de quibus S. Aug. in LL. laudatis loquitur, sunt conditionata et non absoluta. *Prob.* Quia S. Prosper in illa Epistola, ad quam respondet his libris Aug., proposuit hanc quæstionem: *An scilicet ea, quæ sunt a Deo præscita, sint etiam ab eo prædestinata, ita ut præscientia sit subnixa decreto, vel e contra decretum præscientiæ?* Sed hæc quæstio est de scientia media, et hanc scientiam Dei decreto non innixam rejicit S. Aug.; ergo.

R. *N. Ass.* Ratio negandi patet imprimis ex *phrasi Augustiniana*, quæ ubi præscientiam aut futurum simpliciter nominat, scientiam et futurum absolutum intelligit, ut ostendunt testimonia n. 134. adducta. Deinde relucet ex conjunctione prædestinationis cum illa præscientia; cum enim prædestinatio juxta S. Aug. sit absoluta et efficax præparatio mediorum salutis efficacium, quæ electis dantur in tempore, et hæc nullo modo spectet ad reprobos, sequitur per illam intelligi non posse decretum objective conditionatum etiam reprobis, quales Tyrii erant, a Thomistis attributum; ac consequenter nec conjungi posse prædestinationem cum scientia conditionata. Postremo colligitur ex scopo, quem sibi præfixum habebat Aug., nempe contra *Semipelagianos* ostendere, quod fides et perseverantia sint donum Dei; cum vero hoc probet ex eo quod Deus fidem et perseverantiam non tantum præsciat simpliciter, sed prædestinando et promittendo, nihil autem præsciat prædestinando, nisi quod facturus et daturus est; sequitur plane, eumdem de absolute futuro et de scientia absoluta sermonem fecisse.

*Ad prob.* R. 1°. *N. M.* Verba enim Prosperi (ep. inter Augustinianas 225. n. 8.) hæc sunt: *Tum utrum præscientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita: an per genera causarum et species personarum ista varientur; ut quia diversæ sunt vocationes in his qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere; in his autem qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum: an vero uniformiter, licet dividi præscientia a proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito: et sicut nihil sit quorumcumque negotiorum, quod non scientia divina prævenerit; ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo auctore profluxerit.* In his vero verbis, si ea cum facta prius Prosperi expositione comparentur, tria maxime interrogationum capita ex opinione P. Annati continentur; 1°. quidem, an opera salutaria præsciantur a Deo ut meritoria, priusquam in Deo sit propositum, a quo descendat gratia supernaturalis ad illa opera elicienda? 2°. an circa illos qui absque meritis propriis salvantur, scilicet infantes cum baptismo decedentes, detur in Deo propositum absque præcedentia operum, quæ absolute prævideantur a Deo; circa alios vero, qui per propria merita gloriam consequuntur, an dicendum sit, prius a Deo operæ absolute prævideri, quam propositum existat? 3°. an absque distinctione dicendum sit, omne opus bonum provenire a Deo ut habente propositum æternæ salutis? In his vero quæstionibus nihil dubitatur de scientia media, sed, ea supposita, de præscientia visionis movetur vel controversia dogmatica contra Semipelagianos, vel etiam alia de prædestinatione ad gloriam ante prævisa absolute merita, quæ sine errore in fide negari vel affirmari potest.

R. 2°. *N. min.* quoad utramque partem ob rationes nuper relatas.

*Inst.* 4. Quia S. Hilar. in simili epistola refert, quod Semipelagiani in sui erroris patrocinium adduxerint ex L. de sex QQ. ad Paganos, qui in ep. 49. (al. 102. q. 2. n. 44.) Aug. continetur, illam sententiam, qua dixerat, *Christum tunc voluisse apparere, quando sciebat et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturí*: sed hoc ipsum testimonium pertinebat ad scientiam conditionatam; ergo. *Conf.* Celebre fuit apud Semipelagianos principium Fausti Regiensis: *Nisi præscientia exploraverit, nihil prædestinatio decernit;*

Sed illa præscientia exploratrix juxta illos erat scientia conditionata; ergo.

R. *D. min.* Hoc testimonium pertinebat ad scientiam tantum conditionatam *N.* ad scientiam absolutam, et quæ supponit conditionatam *C.* Patet distinctio ex ipsis verbis et ex subjecta altera Augustini responsione, quæ in confirmatione objectionis tertio loco refertur; ubi sermonem de re absolute futura fieri, atque hinc scientiam absolutam explicari manifestum est.

*Ad prob. D. m.* Illa scientia exploratrix Semipelagianorum erat conditionata, et de futuro naturaliter meritorio, et de futuro ex hac præscientia etiam tanquam infallibili regula motiva necessario extituro *C.* erat conditionata sine his erroribus *N.* Hinc vero liquet, catholicam nostram de præscientia conditionata sententiam minime impugnatam ab Augustino fuisse.

*Inst.* 5. S. Aug. ea, quæ in epistola 49. (al. 102.) dixerat, et Semipelagiani pro se repetierant, retractat L. de don. persev. c. 9., ut patet tum ex Tyriorum exemplo ibi relato, tum ex S. Thoma p. 3. q. 1. a. 5. ad 2. id asserente: in L. autem de prædest. SS. c. 9. n. 18. dicit: *Cernitis me sine præjudicio latentis consilii Dei aliarumque causarum hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur.* Et post repetitam priorem sententiam addit: *Sed utrum prædicato sibi Christo, a se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos præsciverit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere atque disserere tunc necessarium non putavi.* Demum subjungit correctionem quamdam prioris sententiæ: *Potest etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat et ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.* Ex his vero, sequitur 1°. eamdem in prædestinatione et electione ante mundi constitutionem fundari. 2°. Constat in doctrina Augustini idem esse, Deum solummodo præscire fidem hominum futuram, ac homines illam habituros a se: ei idem esse, habere fidem Deo donante, ac Deum prædestinasse eorum fidem. Cum vero etiam in statu conditionato habeant fidem Deo donante, non autem a se; sequitur et in statu conditionato fidem prædestinari, nec cognosci posse independenter a decreto.

R. Bina doctrinæ capita ad illas Paganorum quæstiones Aug. insinuaverat: 1°. Christum voluisse hominibus apparere, quando et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturí: 2°. Omnes illos, ad quos Christus non venit, prævisos a Deo incredulos fore, si ad eos venisset. De postremo asserto nihil S. Aug. c. 9. cit. memorat, id tamen retractat alibi, ut ostendimus supra, ex contraria illius sententia in LL. de præd. SS. et don. persev. et ex textu D. Th. omnino constat: de priore autem asserto responsionis loco tria affert: 1um. est, quod confirmet suam sententiam, dum ait: *Quid enim est verius, quam præscisse Christum, qui et quando et quibus locis in eum fuerant crediturí.* 2um. quod dicat, *Semipelagianos* vane et falso gloriari suo patrocinio, quasi docuisset, gratiam fidei a Deo illis in tempore concedi, quos ab æterno credituros prænovit, sive ex gratia, sive ex pio quodam naturali ad credendum affectu; propterea quod nec data ab eo responsio aliquid præjudicet latenti Dei consilio aliisque causis, nec quæstionis materia postulaverit aliquid de causis futurorum determinare, circa quas postmodum error

*Semipelagianorum* duplex exortus est. 3um. quod ad errorem recens exortum confutandum, minime autem ad confirmatam a se priorem sententiam corrigendam scribat, dici posse, Christum voluisse (actu nempe et absolute) apparere et prædicari, quando et ubi sciebat a se esse electos; qua sententia prædestinationem non præmittit scientiæ conditionatæ sed absolutæ. Inde vero patet 1am. *seq.* esse falsam.

*Ad* 2am. *D. Ass.* In doctrina Aug. idem est solummodo præscire fidem hominum absolute futuram, ac homines illam habituros a se; item idem est fidem Deo absolute et reipsa donante homines habere, ac Deum prædestinasse fidem *T.* tum quia gratiæ ad fidem simpliciter donari a Deo possunt scientia media duntaxat prælucente, non autem dirigente et ex singulari beneficio: tum quia, quamvis in hoc providentiæ ordine, aut etiam connexive sint idem, non tamen formaliter idem sunt; cum præscientia absoluta fidei futuræ præsupponat prædestinationem seu decretum absolutum dandi hominibus ad credendum auxilium, non id physice prædeterminans, sed per scientiam mediam prævisum conjungendum cum effectu. Idem est sumendo præscientiam conditionatam vel fidem conditionate futuram *N. Ass. et Supp.*; tum quia in statu conditionato homines non habent fidem aut ad illam auxilium, sed haberent fidem, si auxilium hoc vel illud haberent: tum quia decretum possibile in conditione importatum non potest esse immediate prædestinativum aut prædefinitivum ipsius fidei, sed solum actus primi proximi et prævenientis gratiæ ad fidem requisitæ.

150. *Obj. III.* Ex doctrina scientiæ mediæ sequuntur plura absurda, e. g. quod Deus non retineat rationem primi moventis, liberi ac determinantis, quod *prob.* 1°. quia ejusmodi primum debet prius eligere et determinare actionem, quod hic non conceditur: 2°. quia antequam Deus libere determinet, scientia media illi repræsentat voluntatem creatam ut se determinantem pro eodem statu, adeoque creaturam exhibet ut primum determinans: 3°. quia ante omne Dei liberum decretum, Petrus v. g. conditionate consensurus libere facit, ut detur in Deo scientia media consensus sub conditione futuri; quod ipsum nec facit Deus, nec facere potest, cum ab ipso scientia media non sit determinabilis aut impedibilis.

R. *N. Ass. et prob.* 1am. Falsitas patet ex eo, quod Deus alias unicum esset liberum et determinans. Unde præter rationes alias, illamque D. Thomæ, qua Deus creaturam determinare dicitur ad bonum in genere, illa autem se ipsam tantum ad bonum in particulari; ad tribuendum Deo titulum primi liberi et determinantis sufficere hic potest altera *negativa,* nempe quod Deus vim eligendi et determinandi a nullo habeat alio; altera *positiva,* quod scilicet omnis electio et determinatio creaturæ præsupponat Deum eligentem et se determinantem dare creaturæ facultatem eligendi et se determinandi omniaque ad illam necessaria; atque hoc quidem proportionate pro statu conditionato non minus, quam pro absoluto.

*Ad prob.* 2am. *D.* Scientia media repræsentat voluntatem creatam ut se determinantem pro eodem statu sub conditione, si Deus ipse prius se determinavit ad danda ea quæ necessaria sunt ut creatura libera se ipsam determinare queat *C.* independenter a tali conditione *N.* Ex hoc autem, quod per scientiam mediam creatura non videatur se determinatura, nisi

sub conditione, si Deus prius se determinaverit, sequitur evidenter ab illo rationem primi determinantis in statu conditionato tribui Deo, non autem creaturæ.

*Ad prob.* 3am. *T.* 1a. *p.* Quia ante decretum Dei liberum, sicut Petrus non existit, ita nec aliquid facit, sed solum facturus videtur, si daretur decretum divinum ponendi eum in certis circumstantiis cum sufficienti facultate; unde assertum de actuali decreto duntaxat intelligi debet. *D.* 2am. *p.* Hoc nec facit nec facere potest Deus eo modo, quo facit Petrus *C.* alio modo *N.* Petrus ideo *objective* facit, ut in Deo detur scientia media sui consensus, quia, si talis daretur conditio, ipse consensum positurus esset : jam vero hunc eumdem consensum simul cum Petro facturus esset Deus; adeoque et Deus aliquo modo objective facit, ut in se ipso detur hæc scientia media. Cæterum quia Petrus *immediate* libere positurus esset consensum, Deus autem *mediate* libere; Petrus eumdem alio modo facit quam Deus, Petrique solius respectu scientia media dicitur simpliciter libera objective, determinabilis et impedibilis : quod non magis absurdum est, quam quod Deus rerum essentias mutare nequeat.

*Inst.* 1. In hoc Systemate tribuitur Deo modus concurrendi cum creaturis liberis cæcus, imperitus et indeterminatus. *Prob.* 1°. Modus concurrendi per concursum indifferentem sine intentione effectus particularis seu cum intentione tantum generali agendi quod creatura aget, est modus concurrendi memoratus : sed talis tribuitur Deo in nostro systemate; ergo. 2°. In signo scientiæ mediæ operatio creaturæ nec est determinata ad individuum a Deo; quia in hoc signo Deus nullum habet decretum actuale : nec a creatura; quia hæc juxta nos ad individuum in nullo statu determinat; ergo. 3°. Scientia media nihil aliud repræsentat quam creaturam esse operaturam, si Deus cum ipsa operetur; in quo nihil singulare est aut alias incognitum, cum hæc veritas sit necessaria et omnibus evidens.

R. *N. Ass. Ad prob.* 1am. *D.* Iste modus concurrendi est cæcus, imperitus etc., si non includat intentionem dandi creaturæ omnia ad particularem effectum libere ponendum requisita *C.* si hæc omnia dandi intentionem includat *N.* Hanc porro intentionem includere modum concurrendi divinum etiam pro statu conditionato, patet ex *proxime dictis*; quibus et illud adjunge, quod gratia, quæ ad actum salutarem in quocumque statu prærequiritur, hominem etiam moveat, inclinet et alliciat ad bonum particulare, homoque eam non determinet, sed potius determinationem ejus et impulsum sequatur.

*Ad prob.* 2am. *D.* Operatio nec a Deo nec a creatura est ad individuum determinata absolute *C.* conditionate *N.* Scientia media enuntiat quemlibet actum futurum in specie et individuo *sub conditione*, si adessent omnia ad agendum essentialiter prærequisita, inter quæ est decretum Dei negative determinans ad individuum, ut communius in Philosophia docetur : adeoque enuntiat illum futurum sub conditione, si Deus hoc decretum haberet; et hinc Deus videt actum in individuo conditionate futurum.

*Ad prob.* 3am. *N. Ass.* In quo vel inscite vel maligne ab adversariis confunditur concursus Dei simultaneus in actu *primo* cum eodem in actu *secundo*. Quid porro scientia media repræsentet, ex ipsius tendentia et statu quæstionis sæpius proposito satis notum est.

*Inst.* 2. Detrahitur libertati et omnipotentiæ divinæ; quod *prob.* 1°. quia posita et ab homine determinata hac veritate conditionata: si detur auxilium tale, non existet consensus, Deus non poterit pro suo libitu facere quod existat complexus ex hoc auxilio et consensu; imo antecedenter necessitatur ad coexistendum alicui contingenti absoluto, scilicet carentiæ hujus complexus. 2°. Quia possibilis foret creatura tum una, quam Deus pro libitu suo non posset convertere et prædestinare ad gloriam ut coronam, si nempe prævideatur omnibus auxiliis dissensura; tum altera, quam Deus nequiret indurare negative et propter demerita reprobare, siquidem prævideatur consensura auxiliis omnibus.

*Ad prob.* 1am. R. 1°. *D.* 1um. *memb.* Non poterit Deus facere, quod hic complexus existat libere a creatura *C.* quod existat non libere *N.* Posita scientia media de dissensu sub auxilio determinato, vel Deus obtinere nihilominus potest consensum, immutata aut ad statum absolutum non adæquate reducta hypothesi scientiæ mediæ; vel si eadem ex integro posita nequeat facere ut libere existat prædictus complexus, nulla inde emergit Dei imperfectio, cum hæc impotentia reipsa nihil aliud sit, quam Deum non posse necessitare hominem, cui velit conservare libertatem.

R. 2°. *D.* 2um. *memb.* Antecedenter necessitatur indeterminate ad coexistendum carentiæ illius simultatis seu complexus *C.* determinate *N.* Carentia illius complexus potest esse vel per carentiam auxilii vel per carentiam consensus; quamvis autem Deus necessitetur ad carentiam complexus, liberum tamen eidem est, ut illi carentiæ coexistat sive per primum, sive per secundum.

*Ad prob.* 2am. R. 1°. Admissa utriusque casus possibilitate, nec is sequitur ex scientia media, cum res non ideo futura aut possibilis sit, quia Deus prævidet, sed e contrario ideo prævideat Deus, quia res est; nec etiam sequitur absurdum in scientia media, cum absurdum non sit creaturam a Deo prævideri libere facturam, quod ipsa facere potest.

R. 2°. *D. Ass.* Moraliter possibilis foret tam una quam altera creatura, quæ etc. *N.* metaphysice foret possibilis *subd.* in hac providentia *N.* in alia *T.* Ratio cur in omni providentia sit moraliter impossibilis ejusmodi creatura, stat in eo, quod divina libertas convertendi, et propter merita propria prædestinandi creaturam, constituatur per scientiam mediam de aliquo auxilio *congruo,* libertas vero negative indurandi et propter demerita reprobandi per scientiam mediam de aliquo auxilio *incongruo*: jam vero in omni providentia est moraliter impossibilis creatura, circa quam non habeat Deus scientiam mediam de aliquo auxilio congruo et etiam aliquo incongruo; quandoquidem Deus creaturam liberam possit constituere sub infinitis circumstantiis, et vocare per infinita auxilia utrinque diversissima, quibus attentis nemo prudenter judicare potest aliquam creaturam consensuram vel dissensuram omnibus, ut insinuat S. Aug. L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 14. *Cum alius sic, alius sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat... quis dicat defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, in qua Jacob justificatus est?*

Atque in hoc consistit *moralis* illa *impossibilitas*, ex qua pro præsenti providentia etiam metaphysica impossibilitas deducitur. Ex Scripturis enim et Patribus constat, Deum circa quamlibet creaturam prævidere auxilia

alia congrua, alia incongrua: quin ex data ratione pro impossibilitate morali infertur tam congrua quam incongrua circa quamlibet creaturam esse *syncategorematice infinita*, et quodlibet conferri posse sub circumstantiis aliis et aliis in infinitum, cum quibus ut semper vel nunquam sit congruum, moraliter est impossibile. Quamvis autem creatura possit libere impedire scientiam mediam, cujus hypothesis reducitur ad statum absolutum, non tamen libere impedire potest, aut potius reipsa libere impeditura esset formalitates syncategorematice infinitas scientiæ mediæ de infinitis auxiliis congruis et incongruis, utpote quorum hypotheses infinitæ collective sumptæ nequeunt reduci ad statum absolutum; adeoque restare solum potest, quod in alia providentia sit metaphysice possibilis talis hypothesis: quem casum etiam si quis supponat, quantumvis obstante morali impossibilitate, nihil absurdum inde eliciet; cum per eamdem nihil aliud ponatur, quam posse a Deo produci creaturas liberas, nec violari velle libertatis usum sive ad bonum sive ad malum.

Quæres: *An in Deo etiam detur Scientia media reflexa?*

151. *Nota.* Advertimus suprà, inter eos, qui scientiam mediam admittunt, controversiam agitari, an sicut Deus ante et independenter ab omni decreto actuali cognoscit, quidquid creatura sub quacumque conditione contingente factura esset, si et id simili modo perspiciat, quo ipse sub conditione sive creaturæ sive sibi immediate libera decreturus esset. In ea porro universim statuunt alii, Deum illas veritates cognoscere dependenter ab actuali decreto, et consequenter per scientiam visionis, non autem mediam. Alii autem distinguunt inter cognitionis hujusmodi objecta; et siquidem cognitio divina assumat pro conditione *scientiam mediam directam mere possibilem*, sive non reducendam ad actum seu realem existentiam, concedunt circa id objectum dari scientiam mediam reflexam: negant vero, si pro conditione assumatur scientia media directa *actualis*, seu quæ actu ab æterno fuit, maxime in decretis divinis; propterea quod hæc scientia media directa non possit attingi suspensive, nec per modum conditionis a scientia media reflexa contingente. Alii, admissa scientia media et reflexa de aliis objectis, negant, Deum prius sua decreta absoluta cognoscere ut ponenda, quam cognoscat ut actu posita, eo quod inter ea non detur prioritas rationis.

152. *Dico I.* Deus sua decreta libera, quæ nunc non habet; sed sub alia conditione quacumque conducente haberet, cognoscit per scientiam mediam *reflexam*, et sic ante seu independenter a decreto actuali.

*Prob.* De decretis ejusmodi possunt formari propositiones contradictoriæ; ergo cum ambæ non possint simul esse veræ vel simul falsæ, et earum objectum determinate sit vel non sit, altera earum determinate erit vera, altera falsa; ergo ut tales a divino intellectu, quem nulla latet veritas, sunt determinate cognoscibiles; ergo si hæc vel illa decreta Deus sub certa hypothesi esset habiturus, eadem se habiturum Deus certo cognoscit. Jam vero sine fundamento asseritur, quod ea non cognoscat nisi in aliquo decreto conditionali *actu* existente et ad omnes hypotheses possibiles exporrecto; cum hujus

decreti nulla vel necessitas vel utilitas ostendi queat; ergo illa cognoscit immediate in se ipsis sive per scientiam mediam *reflexam*.

*Conf.* Ex paritate scientiæ mediæ directæ. Nam per hanc independenter a decreto conditionali actu existente Deus certo cognoscit, quidquid creatura sub conditione libere vellet aut faceret; ergo et independenter a simili decreto cognoscere potest, quodcumque ipse Deus libere vellet aut faceret aliqua conditione posita; tum quia sicut Dei cognitio est supercomprehensiva voluntatis creatæ, ita et comprehensiva omnino adæquans voluntatem suam: tum quia objectivum medium hujus cognitionis divinæ circa actus suos æque habetur ac medium objectivum circa actus humanæ voluntatis.

153. *Dico II.* Deus sua decreta libera, quæ de facto habet, cognoscit etiam per scientiam mediam *reflexam*: adeoque hæc datur etiam circa scientiam mediam directam actualem.

*Prob.* Ut propositio sit vera absolute, non tantum sufficit ut objectum absolute sit, sed ut etiam sit sub aliqua conditione; quia si sub nulla conditione esset aut esse posset, simpliciter non esset; ergo adeo veritas propositionis absolutæ non impedit veritatem conditionatæ, ut hæc potius sit prior proprietate independentiæ et subsistendi consequentia; ergo et scientia Dei potest et debet haberi circa veritatem conditionatam priorem veritate absoluta; ergo admittenda est scientia media *reflexa* circa scientiam mediam directam actualem, atque hinc circa libera decreta quæ Deus de facto habet.

*Conf.* Rursus ex paritate scientiæ mediæ directæ. Volitiones creaturæ etiam actu existentes prius ratione cognoscuntur a Deo conditionate quam absolute; adeoque cognosci eodem modo poterunt liberæ volitiones divinæ, quamvis absolute dentur.

154. *Dico III.* Videtur esse probabilius, quod, supposita in Deo scientia media *directa* et *reflexa*, Deus prius cognoscat sua decreta absoluta ut ponenda, quam ut actu posita.

*Prob.* Ex eo quod ratione prius sit decretum ut ponendum, quam actu positum; cum ratio positionem hanc negandi sumatur a contrario: ac præterea inter Theologos hic conveniat, eo modo quodlibet a Deo cognosci, quo modo est cognoscibile. Decretum divinum ut absolute ponendum non dependet ab actuali existentia illius habitudinis, quam dicit decretum actuale liberum, sed solum a conditione, sub qua prius fuit conditionate ponendum, purificata, et per quam constituitur in ratione decreti absoluti ut logice ponendi; decretum autem actuale dependet ab actuali habitudine quam dicit ad objectum: sed conditio purificatur in priori signo per scientiam mediam directam seu independenter ab actuali decreto; decretum autem actuale habetur in signo posteriori, ut patet ex signis rationis, quæ hic formari possunt. Nam in *primo* signo, quod est simplicis intelligentiæ, spectatur decretum logice possibile; in *secundo*, quod est scientiæ mediæ reflexæ, spectatur decretum conditionate ponendum, quia hoc signum dicit v. g. si viderem Petrum consensurum huic auxilio, illud ei darem; in *tertio*, quod est scientiæ mediæ directæ, spectatur decretum absolute ponendum, quia enim hoc signum dicit v. g. sed video Petrum consensurum huic auxilio, purificatur conditio, per cujus purificationem constituitur decretum absolu-

tum logice ponendum; in *quarto,* quod est scientiæ visionis, spectatur decretum absolute positum actu, quia hoc signum dicit v. g. ergo dabo hoc auxilium. Ergo decretum ut ponendum, est in priori signo seu prius ratione, quam decretum ut actu existens; præsertim cum scientia media directa decretum divinum logice ponendum constituens sit quodammodo causa directiva decreti actualis; ergo et prius est cognoscibile, et a Deo cognoscitur.

*Conf.* Ideo divinum decretum prius est conditionate ponendum, quam actu existens, quia prior est scientia media directa ut logice possibilis et per modum conditionis importata, a qua decretum conditionate ponendum dependet et constituitur prius in ratione decreti conditionate ponendi, quam sit decretum actu existens: sed etiam prior est scientia media directa ut existens et purificans conditionem scientiæ mediæ reflexæ, a qua dependet et per quam constituitur decretum absolute ponendum antequam sit decretum actuale; ergo si in Deo prius sit decretum conditionate ponendum, quam actu existens, etiam prius est absolute ponendum, quam actu existens.

155. *Observa.* Ex dictis colligi potest, quinam circa res creatas contingentes a nobis admittatur scientiæ divinæ secundum diversa rationis signa ordo et series: nempe in *primo* signo Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit rerum possibilitatem; in *secundo* per scientiam mediam reflexam, quid ipse sub quacumque conditione esset facturus; in *tertio* per scientiam mediam directam, quid creaturæ sub conditione quacumque essent facturæ; in *quarto* per scientiam visionis Deus cognoscit res absolute futuras, præsentes et præteritas. Quod autem scientia media *reflexa* ordine præcedat mediam directam, ratio est prima, quia scientia media reflexa pro sua conditione habet scientiam mediam directam ut logice possibilem: cum igitur scientia media directa prius sit logice possibilis quam existens, etiam prius est scientia media reflexa, quam directa. Altera est, quia, antequam absolute verus est hic complexus ex scientia media directa et decreto, quo Deus v. g. dicit: quia video Petrum consensurum auxilio tali, si illud ei daretur, dabo ei tale auxilium: jam prius relucet hæc veritas conditionata: si viderem Petrum consensurum auxilio tali, illud ei darem. Postrema est, quia prius debet videre Deus actus proprios sub conditione futuros, quam actus extraneos et alienos; imo in illo signo, in quo jam actu datur scientia media directa, Deus non potest amplius per scientiam mediam reflexam dicere: si viderem, darem; sed debet per scientiam mediam directam dicere: sed video; et per scientiam visionis subjungere: ergo dabo.

## ARTICULUS III.

### QUEMNAM USUM IN DEO HABEAT SCIENTIA MEDIA?

156. *Nota.* Præter propriam omniscientis perfectionem, quam Deo *præscientia* tribuit, eadem præsertim conducit ad titulum divinæ *providentiæ* tuendum. Est autem providentiæ præcipuum munus, singularum rerum et maxime creaturarum rationalium proprios intendere fines, et media

decernere, per quæ fines hujusmodi infallibiliter et ad earum naturas accommodate attingantur; hoc autem ut perfectissime fiat, tria omnino necessaria sunt: 1°. requiritur, ut, dum aliquid Deus absolute decernit, etiamsi media cum fine tantum contingenter juncta adhibeat, per ea norit finem certo et infallibiliter obtinendum, quia alioqui cæca foret providentia et operatio fortuita: 2°. ut, dum infallibiliter decernit media et finem circa creaturas rationales, non lædat libertatem, sed totam ejus indifferentiam relinquat; cum alias accommodate ad illarum naturam non ageret: 3°. ut, dum decernit medium seu auxilium gratiæ efficax, faciat speciale beneficium: dum autem inefficax decernit, non inferat maleficium; ut in abundantia ostendatur adesse favoris et dilectionis augmentum, in sufficientia vero abesse malignitas. An ad hæc præstanda non *utilis* duntaxat, sed et *necessaria* sit scientia media, hic quæritur.

157. *Dico I.* Scientia media est necessaria ad *decreta divina* absoluta provide et sapienter formanda.

*Prob.* Ut Deus decernat sapienter circa finem et provide circa media ad finem conducentia, debet scire quinam modus agendi sit aptior ad finem assequendum, et quem eventum habitura sint media, quæ adhiberi possunt; quia omne agens propter finem nullam aliam regulam habet, quam considerationem futuri sub conditione, dicitque: si hoc medium elegero, hoc eveniet; si alterum sumpsero, eveniet aliud; quandoquidem alias imprudenter et cæco modo ageret. Sed hoc unice præstatur per scientiam mediam; non enim ad hoc sufficit scientia *simplicis intelligentiæ*; cum per eam Deus quidem videat quid fieri possit, aut quod media possent obtinere talem finem, si voluntas libere consentiat, cum media maneant indifferentia; minime autem videt, quodnam futurum sit, an voluntas nempe consensura, et media ista sint efficacia futura; cum hæc scientia respiciat tantum possibilia seu sub præcisa ratione possibilitatis; ergo.

*Conf.* Si ad formanda decreta Dei absoluta non esset necessaria scientia media, ergo quia sufficeret quod, supposita sola scientia possibilitatis, divina voluntas sit efficacissima; sed per hoc imprimis non intelligitur Deus agere provide et sapienter, utpote cujus intellectus non dirigeret voluntatem, sed pro ratione esset voluntas; quique non attenderet, quis modus agendi et quid naturæ cujuslibet rei magis conveniat: deinde vel ponitur voluntas Dei efficacissima per media necessaria et ad unum ex se determinata, vel per media indifferentia: si 1$^{um}$. ergo sicut cum ejusmodi mediis non potest stare libertas creata, sic nec voluntas efficax per illa potest sufficere ad formanda decreta absoluta circa actus liberos creaturæ: si 2$^{um}$. ergo voluntas etiam efficacissima potest esse fallibilis, utpote dependens a mediis indifferentibus, nec habebit infallibilitatem nisi innixam scientiæ mediæ, vi cujus norit media illa, quantumvis indifferentia, certo tamen esse conjungenda cum fine.

158. *Dico II.* Scientia media est necessaria ad conciliandam *libertatem* cum *efficacia* gratiæ et *certitudine* decretorum Dei, sive prædefinientis sive prædestinantis.

*Prob.* 1$^{a}$. *p.* Ut cum libertate voluntatis creatæ concilietur efficacia gratiæ,

requiritur 1°. absoluta *infallibilitas* gratiæ efficacis; quia gratia efficax est medium, quod Deus adhibet ad obtinendum infallibiliter finem a se absolute intentum, adeoque ut sit proportionata, debet esse absolute infallibilis : 2°. requiritur gratiæ intrinseca *repudiabilitas;* quia nisi gratia ex se ac intrinsece sit repudiabilis, non relinquit facultatem dissentiendi seu resistendi gratiæ; quam tamen ad salvandam libertatem voluntatis et consensus requiri aliunde supponimus. Hæc duo autem conciliantur imprimis per scientiam mediam, utpote per quam Deus summa infallibilitate novit voluntatis libere futurum esse consensum sub conditione, si præberetur gratia talis ex se repudiabilis : deinde conciliari nequeunt sine scientia media; nam ut gratia sit absolute infallibilis et simul intrinsece repudiabilis, necesse est, ut non sit absolute infallibilis a se seu ex natura sua, sed solum ab extrinseco; quia gratia absolute infallibilis *ab intrinseco,* est etiam intrinsece irrepudiabilis, cum intrinseca irrepudiabilitas oriatur ex sola intrinseca infallibilitate. Jam vero gratia nequit esse absolute infallibilis *ab extrinseco* sine scientia media; cum sic infallibilem esse nihil aliud sit, quam esse talem per denominationem extrinsecam petitam ab illa scientia, qua Deus summa infallibilitate præscit consensum voluntatis futurum esse sub conditione, si daretur hæc gratia quantumvis ex se repudiabilis ; ergo.

*Prob.* 2ª. *p.* Ut cum libertate creata concilietur *certitudo* prædefinitionis ad actum salutarem et prædestinationis ad salutem electorum, requiritur : 1°. infallibilitas tum prædefinitionis tum prædestinationis in obtinendo fine cuilibet proprio; 2°. libertas voluntatis prædefinitorum, quæ stat in facultate expedita ad faciendum et non faciendum illum actum salutarem, vel etiam ad faciendum oppositum, et libertas voluntatis prædestinatorum, quæ stat in facultate expedita consentiendi et non consentiendi vocationi aut gratiæ efficaci habitæ. Hæc porro rursus conciliari per scientiam mediam, ex prioribus patet; sine ea autem conciliari non posse probatur: nam per prædefinitionem Deus absolute et efficaciter vult, ut actus salutaris liber et libere fiat : hoc autem sine scientia media velle non potest sapienter; cum sapienter non possit id velle, nisi ratione prius id sciat, se in sua potestate habere media in particulari, quibus actus salutares infallibiliter simul et libere fierent, si darentur, quod ipsum est id scire per scientiam mediam : per prædestinationem præparat beneficia, quibus certissime liberantur, ut ait Aug., quicumque liberantur, consequenter dat gratias absolute infallibiles, sed simul tamen ex se repudiabiles, ut in 1ª partis probatione est ostensum : hoc autem præstari non posse sine scientia media, ibidem declaravimus.

159. *Dico III.* Scientia media necessaria est ad declarandum *specialem favorem* et beneficium Dei, dantis gratias efficaces et negantis inefficaces prædestinatis.

*Prob.* 1ª. *p.* Specialis benevolentia, quam Deus exhibet prædestinatis præ reprobis dando gratias efficaces, stat in eo, quod conferat gratiam *quia* et *ut efficacem;* nec enim stat in hoc, quod conferat gratiam ut utilem; cum sic etiam reprobis conferat : nec quod conferat ut moraliter congruam; cum moralis congruitas gratiæ non reddat certissimam prædestinatorum salutem, ut tamen exigit S. Aug., prædestinationem vocans *præparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur* : nec quod

conferat præcise gratiam, ut sit efficax; cum hoc præstare nequeat per decretum seu intentionem efficacem, salva creaturæ libertate, sine prævia scientiæ mediæ directione; neque etiam per decretum duntaxat serium inefficax, quoniam et per hoc confert gratias reprobis: nec quod simpliciter conferat gratiam, quæ est in actu secundo efficax; cum licet in hoc Deus foret *materialiter* beneficus, non tamen formaliter: neque ita specialiter, ac est, si conferat, quia certo et infallibiliter gratia est efficax. Sed Deus nequit conferre gratiam *quia* et *ut efficacem* sine scientia media; quia gratia non est efficax et infallibilis ab intrinseco, sed ab extrinseco duntaxat; quod genus infallibilitatis sine scientia media non habetur; ergo.

*Prob.* 2ª. *p.* Sicut specialis est Dei benevolentia, quod conferat gratias efficaces prædestinatis, et hæc stat in eo, quod conferat illis has gratias *qua* et *ut efficaces*, sic et specialis est benevolentia, quod prædestinatis non conferat seu neget gratias inefficaces, et hæc stat in eo, quod illis has neget *qua* et *ut inefficaces*. Sed Deus nequit negare gratiam ut inefficacem sine scientia media, quia gratiæ sufficientis inefficacia similiter non est ab intrinseco, adeoque præsertim certa ejus inefficacia non nisi ope scientiæ mediæ cognosci, et consequenter a Deo negari prædestinatis potest; ergo.

160. *Dico IV.* Scientia media præcedens decretum Dei, dantis gratiam inefficacem aut negantis gratiam efficacem, non arguit aut facit, Deum esse *maleficum*.

*Prob.* Quando Deus confert auxilium utile et sufficiens ad effectum obtinendum, non est *maleficus*, licet prævideat, ex creaturæ propria culpa, illud non esse conjungendum cum effectu, aut neget vel non det aliud auxilium prævisum cum effectu conjungendum, si tantummodo illud detur non obstante auxilii inefficacia, et aliud negetur non obstante auxilii efficacia; quia sic in *primo* casu datur auxilium, quin inefficacia sit motivum illius conferendi, aut circumstantia objectiva vel conditio, sine qua non daretur: in *secundo* autem negatur auxilium aliud efficax prævisum, quin efficacia sit motivum illius negandi aut circumstantia objectiva vel conditio, sine qua non negaretur: alterutra enim ratione eveniente, Deus insidiaretur hominum saluti, et velut ex industria secerneret inefficax ad dandum, et efficax ad negandum. Sed scientia media, præcedens decretum Dei dantis gratiam inefficacem et negantis efficacem, non impedit quominus Deus conferat auxilium utile et sufficiens ad effectum obtinendum; et præstat tantum, ut illud detur non obstante auxilii inefficacia, et aliud negetur non obstante illius efficacia; cum non habeat se ut motivum vel circumstantia objectiva seu conditio superius exposita, nec in his casibus proprie dirigat, sed duntaxat præluceat; ergo.

161. *Nec dicas.* 1°. Systemati scientiæ mediæ, secundum usus illos consideratæ, congruunt variæ notæ, quæ illud suspectum reddunt. Nam 1. Est *novum*; cum constet, illud esse primo a P. Molina inventum, et hic ipse de scientia media ambitiosius q. 23. a. 4. sic scribat: *Quæ si Augustini ætate nata et explorata fuisset, certe nec Pelagiana hæresis nata fuisset, nec Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare.* 2. Est nimis planum ac *facile* pro concordia libertatis cum gratia, præscientia et

prædestinatione; cum tamen S. Aug. L. 1. de Gr. Chr. c. 47. dicat: *Ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

R. *D. A.* Est novum novitate dogmatis et doctrinæ *N.* novitate methodi, qua antiqua doctrina exponitur *C.* Postremum vero adeo suspectum non est, ut hoc sit præcipuum Theologorum institutum, systemata ejusmodi exhibere, ex quibus obscuris Fidei nostræ mysteriis lux quædam accedat.

*Ad prob.* 1am. R. Molina recte dicitur Inventor et Dux scientiæ mediæ, quatenus eam diligenti studio apud sanctos Patres his vel aliis terminis propositam observavit, ac ordinata methodo concinnatam exposuit; non autem, quod eam nullius ductu eruerit; cum plane fateatur nitaturque ostendere, illam a sanctis Patribus ac præsertim Aug. fuisse traditam et acceptam.

*Ad prob.* 2am. R. Verba Molinæ genuina hæc sunt: *Nos pro nostra tenuitate rationem totam conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia et prædestinatione, quam toto articulo* 13. q. 14. *et art.* 6. q. 19. q. 22. *et tota hac quæstione tradidimus, sequentibus principiis, ex quibus eam deduximus, quæque variis locis tradidimus, inniti judicavimus: quæ si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum gratia divina, præscientia et prædestinatione cohærere non posse.* Ex quibus observo: 1°. Molinam non de una scientia media, ut imponit Gonet, et ex eo Le Blanc seu Hiacynth. Serry in Hist. Contr. de Aux., sed de allegatis ab ipso principiis et eorum cohærentia, ordine ac methodo fuisse locutum: 2°. Arrogantiæ notam a se satis removere, dum *tenuitatis* suæ mentionem facit, et modestiæ ergo particulam *forte* adhibet: 3°. S. Augustino non inferre injuriam, cum ne ejus quidem nomen, quod falso inseruit Gonet, protulerit, et particula *semper* etiam tempora ante Augustinum ac *Pelagium* indicent: 4°. Nec supponere Augustini sententiam fuisse aliam aut falsam; cum illa potuerit esse eadem, licet non eodem ordine et claritate prolata; item vera, licet ex ea, nempe non perinde ab omnibus intellecta, quidam errandi occasionem sumpserint.

*Ad prob.* 2am. R. Facilitatis et lucis notam ad commendandum potius systema quodcumque pertinere, constat ex proxime dictis. Cæterum nec in systemate scientiæ mediæ desunt *difficultates*, quas copiose objiciunt adversarii, sive recentiores hæretici sive Thomistæ; nec per eam sublatæ sunt illæ, quas *Pelagiani* moverunt contra necessitatem gratiæ et prædestinationis gratuitatem, ut a S. Augustino, sic et a nobis assertam: nec denique S. Doctor concordiam supponit explicatu impossibilem, cum L. 4. cont. Julian. c. 8. n. 17. dicat: *Ego enim dixi, istam quæstionem ad discernendum esse difficilem: non autem dixi, non posse discerni.*

162. *Nec dicas* 2°. Systema hoc diversum est a systemate S. Aug., quo conciliare is libertatem cum gratia studuit. Nam 1. nullibi recurrit is ad scientiam mediam pro illa concordia, sed ad omnipotentiam Dei, vires efficacissimas gratiæ, et latens Dei consilium: 2. contra systema S. Aug. motæ

sunt a *Pelagianis* querelæ, quod de medio tolleret libertatem, fatumque ac coactionem induceret; quæ tamen, supposito scientiæ mediæ systemate, non nisi ridicule proponi potuissent.

R. N. *prob.* 1am. Quod enim scientiæ mediæ rectum usum commendarit, patet ex pluribus locis, ubi gratiam congruam asserit, et per præscientiam explicat : in commendatione autem divinæ omnipotentiæ et virium gratiæ efficacissimarum nihil nobis eadem commendantibus adversum dixit; præsertim cum nec asserat omnipotentiam cæcam nec vires gratiæ tales, quibus resisti nequeat, ut ab intrinseco efficaces : ad latens denique Dei consilium in omni catholica prædestinationis expositione recurritur. His adde, quod quamvis S. Aug. recte probaverit cum humana libertate certitudinem prædestinationis et gratiæ efficaciam componi, tamen illi nec necessitas nec occasio nec otium fuerit, hujus concordiæ modum contra recentiores hæreticos exponendi. Nam *Manichæi* negabant liberum arbitrium non propter gratiæ necessitatem aut infallibilitatem, sed propter duarum in uno homine animarum luctam et alternam victoriam, quæ necessitatem quoque alternantem inferret : *Pelagiani* ab Aug. libertatem negari putabant, quod gratiam ad omne opus necessariam prædicaret; unde inferebant hominem liberum esse non posse ad suammet salutem operandam, si alieno ac debito auxilio præveniri et adjuvari necesse foret : *Lutherani* vero errore olim non ita vulgato nunc contendunt negatam a S. Doctore libertatem, quia putant ab eo non solum requiri gratiam tanquam ad salutem necessariam, sed talem, cui resisti, et quacum proin libertas conciliari nequeat.

Idem quidem obmoverunt unus vel alter Monachus Adrumetinus, et sub extrema tempora nonnulli *Massilienses* : Sed priores quidem, misso ad se Libro de grat. et lib. arbit. correcta falsa persuasione, omnino quieverunt; posterioribus vero Aug. satisfecit libris duobus, uno de prædest. Sanctorum, altero de dono persev., in quibus quid sibi agendum putaverit, declarat sub primi finem (c. 21.) ita scribens : *Institimus, quantum potuimus, ut etiam ipsum initium fidei donum Dei esse ostenderemus... fateantur nos fecisse, quod fecimus, id est, etiam initium fidei, sicut continentiam, patientiam, justitiam, pietatem et cætera, de quibus cum his nulla contentio est, donum Dei esse docuisse;* quibus similia habet in c. 17. n. 41. 42. libri alterius : unde constat necessitatem et occasionem non fuisse S. Aug., cum explicuisset ea, quæ fidei erant, cætera, quæ credenda non fuerant, et inter hæc modum rationemque, qua Dei dona, præscientia et prædestinatio, cum libertate arbitrii conveniant, uberius subtiliusque persequi; præsertim cum post hæc nullæ *Massiliensium* de libertatis eversione objectiones perlatæ ad Aug. legantur, et ipse, in diversissima distractus, nec dictatos libros semel relegere posset, ut idem in epist. *ad Marcellinum* testatur.

*Ad prob.* 2am. R. Supposito etiam systemate nostro, illa *Pelagianorum* objectio, quamvis reipsa invalida sit ac nullius momenti, locum habet, cum desumpta sit ex necessitate gratiæ nullo naturali merito obtinibilis, quam systema illud etiam omnino statuit ac supponit.

163. *Nec dicas* 3o. Idem convenire videtur cum systemate *Semipelagianorum;* 1. quia inventum est ad eumdem finem, nempe ad conciliandam libertatem cum efficacia gratiæ et prædestinatione : 2. quia habet eumdem

effectum; cum nimium tribuat libero arbitrio in negotio gratiæ et salutis, et prædestinationem ad gratiam non relinquat gratuitam.

R. *N. A. et prob.* 1am. Nam *Semipelagiani* nec gratiam nec prædestinationem admittebant ad initium fidei, quod non secus ac *Pelagiani* putarent iis tolli libertatem; unde scientia media non utebantur ad concordiam declarandam inter libertatem et gratiam ac divina prædefinitionis aut prædestinationis decreta. Utebantur itaque hac *scientia* non tam media quam *absoluta,* et *meritorum* quidem *naturalium,* ut imprimis assignarent motivum et rationem cur Deus unum præ altero ad fidem vocet, vel ad salutem eligat; ubi nos nullum motivum ex parte hominis agnoscimus, sed cum Apostolo ad gratuitam Dei voluntatem et inscrutabilia Dei judicia confugimus: deinde ut declararent, Deum non esse acceptorem personarum; quam notam a Deo penitus removet gratuitas gratiæ et absolutum Dei in dona sua plane indebita dominium.

*Ad prob.* 2am. *N. utr. p.* Nam in systemate nostro nihil tribuimus libero arbitrio, nisi quod ipsi adversarii citra hæresin negare nequeunt; nempe veram prævenienti gratiæ resistendi et parendi potestatem, determinationemque liberam ad bonum, a *Tridentino* assertam et a Catholicis omnibus admissam. In eodem prædestinatio tota est ex Dei voluntate libera et misericordi; tum quia Deus per scientiam mediam non explorat nostram voluntatem tanquam causam, regulam, aut motivum, quo Deus certo determinetur ad gratiam concedendam: tum quia licet scientia media præluceat, et etiam nostro concipiendi modo dirigat prius Deum, quam absolute quid statuat circa liberas nostras actiones, aut gratiam dare decernat; tamen sæpe dat gratiam inefficacem non obstante ejus inefficacia, et non dat efficacem non obstante gratiæ efficacia prævisa.

## ARTICULUS IV.

### QUÆNAM SCIENTIA DEI SIT CAUSA RERUM?

164. *Nota.* Scientiam Dei esse causam creaturarum seu rerum a Deo aliquando existentium, constat tum ex Scriptura, in qua Sap. 7. 2. *Sapientia omnium artifex,* et Ps. 103. 24. Deus *omnia in sapientia fecisse* dicitur: tum ex ratione, ex qua manifestum est, Deum esse agens rationale perfectissimum. An ea *directiva* duntaxat sit, an vero simul *efficiens,* cum Tertul. in Apolog. c. 17. potius sentiendum, qui inter formalitates Dei sic distinguit: *totam molem istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit.* Sed gravior controversia est, cuinam scientiæ divinæ hoc munus tribuendum sit, maxime circa effectus nobis liberos? propterea quod ex ea dependeat conciliatio præscientiæ divinæ cum nostra libertate. Thomistæ recentiores pro causa proxima directiva et effectiva hujusmodi objecti assignant scientiam *visionis*; non quidem quatenus præcise est visio sui objecti, quia sic speculativa est, sed quatenus est scientia approbationis, applicata per decretum efficax, vel quatenus est imperium intellectuale, posterius quidem decreto efficaci intentivo et electivo, prius vero usu activo et decreto executivo: ad quod persuadendum tria probanda suscipiunt: 1um. scien-

tiam visionis de objecto nobis libero non determinari ab ipso objecto, nec esse illo posteriorem : 2um. ideo effectus nobis liberos esse futuros, quia Deus illos videt; non autem e contrario : 3um. Deum non posse decernere existentiam hujusmodi effectuum, nisi eam absolute prævideat. His opposita est unanimis Nostrorum sententia. Nempe scientiam divinam, quoad operationes extra Deum, esse practicam per modum artis, adeoque 1°. nonnisi ut causam directivam admittimus : quia vero idea divina formalis habet rationem artificialis directionis, et, ut cognitio repræsentans essentiam, proprietatem aliasque affectiones rerum possibilium, est ipsissima scientia *simplicis intelligentiæ* : sequitur 2°. hanc maxime scientiam pro causa rerum statuendam : cum porro pro decretis divinis rite formandis et cum libertate humana conciliandis requiratur scientia media directrix, illa vero sive ratione effectuum, sive ratione perfectionis divinæ, necessaria sit ad actus nostros maxime salutares; hæc quoque scientia 3°. dici potest suo modo causa eorum actuum directiva. Itaque

165. *Dico*. Scientia divina *visionis* de effectu nobis libero, non est causa sive directiva sive effectiva ejusdem effectus. Dico : *ejusdem effectus*; scientiam enim visionis de uno objecto v. g. meritis, posse aliquo modo esse causam alterius objecti et dirigere ejus decretum v. g. conferendi gloriam ut coronam, ex dicendis alibi constat.

*Prob*. Si scientia *visionis* effectus nobis liberi, esset istius causa directiva vel effectiva, ergo ideo ejusmodi effectus esset futurus quia Deus eum futurum videt; non autem ideo eum prævideret, quia is est futurus : sed hoc esse falsum ostenditur 1°. ex Patribus, inter quos Origen. in c. 8. ep. ad Rom. v. 28. (opp. t. 4. part. 1a. p. 605. col. 1. C.) inquit : *Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, scitur a Deo, antequam fiat*. Euseb. L. 6. Præp. Evang. c. 11. p. 288. A. *Neque enim idcirco fit, quod futurum esse cognoscatur; sed quod futurum sit, idcirco futurum esse cognoscitur*. Chrysost. hom. 60. in Matth. (al. 59. n. 1. opp. t. 7. p. 594. C.) *Non quia futura scandala prædixit, ideo evenient; sed quoniam omnino ventura erant, idcirco prædixit*. Hier. in c. 26. Jerem. v. 1. *Non ex eo, quod Deus scit aliquid futurum, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus novit quasi præscius futurorum*. 2°. Ex ratione lædendæ alias *libertatis* creatæ; quia si consensus v. g. ideo est futurus, quoniam prævidetur ab æterno, voluntas imprimis, antecedenter ad scientiam *visionis* de consensu tanquam causam per se consensus, non posset pro libitu consentire; consequenter nec libere dissentire; quia potentia libera debet esse ad duo extrema : deinde nec in sensu composito visionis de consensu posset dissentire, ut adversarii fatentur : denique nec in sensu diviso; quia voluntatem posse dissentire in sensu diviso visionis de consensu, est posse se dividere a scientia visionis de consensu, ut rursus ab adversariis datur; ergo. 3°. Ex ratione lædendæ alias *sanctitatis divinæ*, quia similiter dicenda essent peccata futura, quia Deus ea scientia visionis prævidit h. e. ex decreto absoluto, de illis facto, ea vidit scientia approbationis et per modum imperantis.

*Conf. I*. Si scientia visionis foret causa rerum, ergo scientia visionis non foret posterior suo objecto, nec hoc illam aliquo modo determinaret : sed hoc falsum esse rursus ostenditur 1°. ex Patribus, inter quos Euseb. l. c. hæc

præmittit: *Libere quod res est eloquamur: non Dei modo prænotio rerum causa non est, sed etiam, quod a communi sensu remotum quidem sed verum tamen est, id ipsum quod futurum est, ejusmodi prænotionis est causa.* JUSTIN. seu Auctor QQ. ad Orthod. q. 58. *Non est præscientia causa ejus quod futurum est; sed id, quod futurum est, est causa præscientiæ; non enim quia præscita est, evenit res futura; sed quia futura est, præscitur.* DAMASC. Dial. cont. Manich. n. 79. (opp. t. 1. p. 462.) *Præscit itaque Deus ea, quæ sponte ac libere acturi sumus... verum ut quæ facturi sumus præsciat, hoc a nobis proficiscitur: nisi enim facturi essemus, ne ipse quidem, quod futurum non esset, præcognosceret.* 2°. EX RATIONE; nempe tum quia cognitio divina de objectis libere contingentibus habet objectum formale intentionaliter determinative motivum; tum quia scientia visionis est ea, qua cognoscitur existentia rei ut actualis pro tempore, pro quo est actualis, adeoque ut actualem et productam supponit: unde nec prior est, nec causa esse potest.

*Conf. II.* Si scientia visionis esset rerum causa, ergo quia Deus non posset decernere existentiam rei, nisi eam absolute seu per scientiam visionis prævideat, ne scilicet voluntas divina cæco modo et in incognitum feratur: sed imprimis, ne voluntas divina cæco modo feratur, sufficere potest scientia *simplicis intelligentiæ* aut *media*, et non necessaria est visio: deinde juxta Thomistas pro priori ad scientiam visionis potest esse et datur decretum efficax intentivum rei et electivum mediorum: denique secundum eosdem nec ipsa scientia Dei causat ut visio, sed ut imperium; ergo nec principium hoc, nec ejus ratio, nec fundata in utroque assertio stare potest.

166. *Obj. I.* Patrum testimonia nihil hic videntur probare. Nam 1°. plerique loquuntur de *peccatis*, quæ utique Deus non facit; non autem de actibus bonis, quæ Deus nobiscum operatur secundum consilium voluntatis suæ. 2°. Negantes *visionem* esse rerum causam, intendunt duntaxat indè non imponi necessitatem rebus præcognitis, non vero excludunt a scientia causalitatem. 3°. Intelligenda sunt Patrum dicta de scientia visionis, prout hæc visio seu intuitio præcise est ac speculativa, non autem prout est scientia *approbationis* et rationem imperii habet.

R. *N. Ass. Ad prob.* 1am. R. 1°. Falsum esse assertum constat ex recitatis verbis, quæ generalia sunt, et ad omnes effectus pertinent. 2°. Quantum hæc testimonia spectant ad ostendendam contra *infideles* et *hæreticos* præscientiæ divinæ cum libertate creata concordiam, par est ratio boni et mali operis; cum alias hæc stare non posset respectu operis boni, aut ejus quod peccatum non est, si illorum causa foret scientia visionis. 3°. Cur ad probandam thesin generalem usi fuerint PATRES nonnulli exemplo *peccatorum*, ratio erat, quod longe facilius intelligatur, Deum, qui peccati auctor esse non potest, sua præscientia res futuras non facere sed supponere.

*Ad prob.* 2am. R. *N. Ass.* Quamvis enim Patres recte dicant, præscientiam Dei non inferre necessitatem, id tamen non tantum dicunt, sed probant ex eo, quod non sit causa rerum futurarum, sed quod habeat se instar memoriæ respectu præteritorum, ut loquitur S. Aug. L. 3. de lib. arb. c. 4 n. 11. aut instar scientiæ, quam medicus habet de morbo futuro alterius, ut illustrat S. DAMASC. l. supra cit.

*Ad prob.* 3am. R. *N. Ass.* Quia imprimis hi sensus Patrum non solverent sed augerent difficultatem *gentilium* et *hæreticorum*, quæ stabat in componenda libertate nostrorum actuum cum infallibilitate et connexione scientiæ divinæ ab æterno existentis : consortium enim illud scientiæ cum decreto, approbatione et imperio non minuit, sed auget vim infallibilitatis et connexionis; quandoquidem non sola scientia, sed etiam decretum, approbatio et imperium sint infallibiliter connexa cum futuro, cujus causa dicuntur. Deinde vel illæ reduplicationes : *ut intuitio, ut imperium*, denotant duas tantum formalitates, vel duas virtualitates in scientia visionis : si *primum*; manet tota vis argumenti, cum distinctio; per rationem nostram, formalitatum non tollat, quod utraque formalitas a parte rei non sit eodem modo causa, si una sit; vel quod neutra sit causa, si altera non sit : si *secundum*; ergo esse causam futuri non convenit virtualitati scientiæ visionis, sed virtualitati decreti seu imperii, quod, ut tale, non est scientia, nec visio, nec repræsentatio; ideoque extra quæstionem versamur, cum hic non quæramus an decretum et imperium intellectuale, sed an scientia visionis sit causa rerum, quas videt.

*Inst.* 1. Patres non pauci favent contrariæ sententiæ. Nam 1°. S. Aug. L. 15. de Trin. c. 13. inquit : *Universas autem creaturas suas et spirituales et corporales, non quia sunt, ideo novit; sed ideo sunt, quia novit.* Et L. 13. Conf. c. ult. *Nos ista quæ fecisti videmus, quia sunt : Tu autem quia vides, ea sunt.* L. 5. autem de Civ. c. 9. n. 4. *Voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit et præscivit : et ideo quidquid valent, certissime valent, et quod facturæ sunt, ipsæ omnino facturæ sunt; quia valituras atque facturas ille præscivit, cujus præscientia falli non potest.* 2°. S. Greg. L. 20. Mor. c. 23. (al. 32. n. 63. opp. t. 1. p. 667. A. B.) ait: *Quæcumque sunt, non ideo ab æterno videntur, quia sunt; sed ideo sunt, quia videntur.* 3°. Consentit S. Thomas, qui in 1. dist. 39. q. 1. a. 1. ad 5. ait : *Esse Dei non subjacet voluntatis libertati, sicut scire operativum creaturæ.* Et p. 1. q. 14. a. 8. ad 1. respondens ad testimonium Origenis l. c. ait : *Sed quod dicit ideo præscire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentiæ, non secundum causam essendi. Sequitur enim, si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscierit : non tamen res futuræ sunt causa, quod Deus sciat.*

R. *N. Ass.* Patres *visionem*, quo nomine juxta D. Thomam q. 2. de veritate a. 9. ad 3. omnis scientia Dei intelligi potest, nonnunquam dicunt esse causam futuri, alio tamen sensu, quam quem Thomistæ volunt, eoque multiplici et vario, qui ex testimoniorum contextu colligendus est :

1us enim sensus est, quod scientia divina sit prima radix et origo omnium rerum, quatenus Deus nihil efficit solus vel cum creaturis coefficit *ignorans* et *cæco modo*, sed prius habuerit ideas rerum omnium et modorum, e quibus voluntas divina deinceps vel decernendo vel permittendo illud eligat, quod in iisdem ideis de possibilitate cernebat sapientiæ suæ congruentius : quæ quidem scientia, cum sit de possibilibus et præcedat decretum, est simplicis intelligentiæ; cum sit instar artis, est directiva; et si consideretur ut conjuncta cum decreto, ratione hujus potest etiam dici effectiva. Hunc sensum expressit S. Aug. L. 11. de Civ. c. 10. n. 3. de Sapientia Dei : *In qua sunt immensi quidam atque infiniti thesauri omnium intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum etiam*

*visibilium et mutabilium, quæ per istam factæ sunt; quoniam Deus non aliquid nescius fecit, quod nec de quolibet artifice dici potest.* Porro eodem sensu accipi posse 1um. Aug. testimonium, liquet ex verbis mox subjunctis : *Non enim nescivit, quæ fuerat creaturus : quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit : nec aliter ea scivit creata, quam creanda.*

2us sensus est, quod scientia sit potius causa rerum, quam res sit scientiæ causa in *genere* nempe *physico*; quatenus scilicet res creatæ non concurrunt ad Dei scientiam mediante sui specie, sicut ad nostram concurrunt : et quamvis veritas objectiva habeat rationem determinativi intentionalis objectivi, tamen intellectus divinus est determinativum *ut quod* ac per modum virtutis et quasi principii, ipsa autem scientia determinativum *ut quo* formale, et per modum exercitii. Atque hunc sensum habet et 2um. Aug. testimonium et illud Greg.; quia prior negat causalem illam in divina scientia eodem modo, quo eam affirmat de cognitione, qua nos videmus res existentes; posterior autem ideo meminit æternitatis divinæ scientiæ, quod res in tempore extituræ non possint media specie influere in cognitionem æternam.

3us sensus est, quod scientia Dei sit causa *consequentiæ*, non autem *essendi*, et particula *quia* usurpetur sensu illativo non causali, quatenus si videntur a Deo futura, necessaria est hæc consecutio : ergo erunt, quo sensu 3um. Aug. textum sumi, ipsa postrema verba denotant.

Denique quod attinet D. Thomam, is nobis minime adversatur, dum 1°. dicit scire operativum creaturæ subjacere voluntati divinæ; quia hoc stat in eo, quod scientia simplicis intelligentiæ non aliter sit effectiva, quam ut conjuncta cum decreto : neque dum 2°. negat res futuras esse causas divinæ scientiæ; quia per hoc negatur rebus futuris causalitas proprie talis et influxus physicus in scientiam divinam, cum id nomen causæ absolute talis importet. Cæterum omnis ejus doctrina reducitur ad *hunc discursum* : Scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis ad artefactum : unde sicut scientia artificis seu ars est principium, quo artifex ad extra operatur; sic scientia Dei est principium, quo Deus res ad extra producit. Hanc autem æquiparationem fieri cum scientia simplicis intelligentiæ non vero visionis, declarat 1. quia discrimen inter formam naturalem et intellectualem in eo ponit, quod licet utraque operetur, prout inclinatur seu determinatur opus, forma tamen naturalis determinetur a natura, intellectualis a voluntate; pro cujus ratione dat, quod *forma intellectualis* sit indifferens ad opposita, ideoque nihil agere possit, nisi per appetitum determinetur : sola autem simplex intelligentia est sic indifferens, minime visio. 2. Quia cum dicit formam intelligibilem per voluntatem esse determinatam ad causandum, et scientiam esse causam rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam, supponit hanc formam et scientiam priorem esse decreto Dei libero, quod determinat et conjungitur : quod iterum non convenit visioni sed simplici intelligentiæ.

*Inst.* 2. Scientia *visionis* effectus soli Deo liberi, v. g. angeli, juxta plures est causa per se ipsius effectus ; ergo pariter scientia visionis effectus nobis liberi.

R. *T. A. N. Cons.* Scientia *visionis* effectus Deo soli liberi juxta omnes est virtualiter indistincta a decreto efficaci per se antecedente productivo ejusdem effectus; tum quia nulla ratio nos cogit admittere inter hæc extrema

distinctionem ejusmodi : tum quia scientia visionis decreti essentialiter connexi cum effectu, quale est omne decretum circa effectus *soli Deo* liberos, est etiam scientia visionis effectus ; cum nequeat comprehensive cognosci medium essentialiter connexum cum termino, quin terminus cognoscatur : adeoque cum decretum illud sit causa per se *moraliter* effectiva effectus hujusmodi v. g. angeli, ideo scientia visionis angeli est etiam ipsius causa in eodem genere causalitatis. Verum scientia visionis effectus *nobis* liberi juxta multos virtualiter, juxta alios saltem magis distinguitur ab omni decreto per se antecedente, imo est per se posterior effectu nobis libero, et decretum per se antecedens non est connexum cum hujusmodi effectu, sed indifferens; eo quod alias libertas læderetur: adeoque in nullo genere causalitatis per se potest visio esse effectus nobis liberi causa.

167. *Obj. II.* Scientia, quæ est causa rerum, juxta S. Thomam, 1°. est scientia approbationis et beneplaciti : 2°. est libera, ne res dicatur necessario fieri a Deo : 3°. est terminata ad rem ut aliquando existentem : sed nihil ex his convenit simplici intelligentiæ; omnia tamen visioni divinæ congruunt, ut manifestum singula percurrenti fiet; ergo.

R. *Quoad* 1um. *D. M.* Scientia, quæ est causa rerum, secundum se et ut scientia spectata, est scientia approbationis *N.* secundum aliud sibi adjunctum sumpta, et ut dicit affectum aliquem voluntatis ad rem scitam *C.* Hic vero affectus voluntatis seu decretum non antecedit, sed sequitur scientiam secundum se spectatam ; unde visioni congruere nequit in Thomistarum opinione. Præterea *minor* etiam negari potest, quia dupliciter res approbatur : *primo* intendendo ut sit ; atque hæc præcedit visionem, et est scientia simplicis intelligentiæ, ut habens adjunctum decretum rei producendæ : *secundo* complacendo in opere facto; atque hæc sequitur rem factam, ideoque causa ejus esse nequit.

*Quoad* 2um. *D. M.* Scientia, quæ est rerum causa, debet esse libera in essendo sive existendo, et ita ut non habeat necessitatem attingendi objectum *N.* libera in causando, et sic, ut non habeat necessitatem ponendi effectum *C.* Potest autem scientia *simplicis intelligentiæ,* quantumvis necessario existat, non habere sibi adjunctum decretum divinum ; cum, illa scientia non obstante, Deus possit decernere vel non decernere existentiam possibilium cognitorum.

*Quoad* 3um. *D. M.* Scientia hæc secundum se et ut repræsentativa objecti terminatur ad rem ut existentem, tanquam effectum ab ipsa directione causatum *T.* tanquam ad objectum sub ratione existentis a cognitione repræsentatum *N.*

*Inst.* 1. Impossibile est scientiam esse causam illius, quod non cognoscit; cum scientia non aliter causet, quam dirigendo : sed scientia *simplicis intelligentiæ* non cognoscit res existentes seu futuras; tum quia hæc statuitur esse cognitio eorum, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt : tum quia scientia dirigens decretum efficax debet proponere objectum decreti efficacis, quod utique est objectum absolute futurum et non est terminus simplicis intelligentiæ; ergo. *Conf.* Etiam juxta nos scientia divina non aliter causat res in *actu secundo* nisi ut conjuncta cum divino decreto : sed ut cum decreto

conjuncta non est scientia simplicis intelligentiæ, sed *visionis*; cum jam sit cognitio de re facienda et extitura; ergo.

R. *D. M.* Impossibile est, scientiam esse causam illius, quod non cognoscit saltem ut possibile *C.* ut existens vel futurum *N. M.* et sub eadem distinctione etiam *N. min.* Præterea falsam esse probationem ejus 1am. constat ex supra dictis in explicatione scientiarum: 2a. non aliter intelligitur, quam quod objectum decreti efficacis debeat proponi per scientiam in statu possibilitatis; non autem existentiæ actualis pro tempore quocumque. Itaque ne voluntas divina irrationali et cæco modo procedat, satis est quod, antecedenter ad decretum, cognoscat rei decernendæ existentiam ut possibilem et producibilem per decretum: imo implicat scientia quæ, antecedenter ad decretum, repræsentet objectum, prout est, in eodem statu in quo ponitur per decretum; cum implicet, rem esse ante decretum in eo statu, in quo ponitur per decretum.

*Ad Conf.* R. *N. min.* Quia scientia simplicis intelligentiæ, etiam ut conjuncta cum decreto quod dirigit, et quo medio in actu secundo causat, ex dictis est cognitio rei producendæ et extituræ, non tamen ut talis, sed ut possibilis et producibilis; quia semper habet eumdem tendendi modum sibi intrinsecum et essentialem, ac proinde semper manet simplex intelligentia. Cæterum in hactenus disputatis videntur adversarii loqui de decreto efficaci per se antecedente actus creaturæ liberos, in quo falsum supponere illos, superius demonstratum fuit.

*Inst.* 2. Objectum nobis liberum v. g. consensus 1°. nequit esse *causa* scientiæ visionis; quia causa in causato supponit dependentiam et imperfectionem: 2°. nequit esse *prior* illa; quia nihil est ab æterno: 3°. nequit esse *determinativum*; quia ipse, utpote quid contingens, determinari deberet, nec tamen est determinatus juxta nos per decretum: neque etiam potest dici determinatus per voluntatem creatam, utpote necdum existentem. Ergo visio dicenda est causa objecti. *Conf.* Quamvis Deus libere ponat prædefinitionem vel complexum ex *scientia media* et *auxilio*, quæ ambo sunt metaphysice connexa cum consensu, tamen per hoc Deus non est determinativum nostri consensus; quia tam prædefinitio quam ille complexus supponunt consensum nostrum jam conditionate determinatum; ergo etiam quamvis homo libere ponat consensum, qui metaphysice connectitur cum *scientia visionis*, tamen is dicendus non est determinare visionem aut intellectum divinum; quia et hic est essentialiter conditionate determinatus ad veritatem objectivam consensus cognoscendam, pro casu existentiæ talis consensus.

R. *Ad* 1am. *p. D.* Nequit esse causa proprie et stricte talis scientiæ visionis *C.* improprie et late talis, scilicet in genere objective intentionaliter determinativi. *N.* Ex hac vero causalitate utpote intentionali, et cum aliquo tamen discrimine causalitati finis æquali, non inferri posse imperfectionem aliquam aut dependentiam propriam, vel ex eo liquet, quod, hac causalitate non obstante, scientia Dei existat ab æterno sine consensu existente, res autem *proprie* non dependet ab alio, sine quo existit perfectissime constituta.

*Ad* 2am. *p. D.* Nequit esse prior prioritate temporis, originis, naturæ vel causalitatis proprie et stricte talis *C.* causalitatis improprie et late talis, et in

genere tantum intentionaliter objective determinativi *N*. Huic autem prioritati minime obstat, quod scientia sit ab æterno, et consensus duntaxat in sua temporis differentia; quia ad intentionaliter causandum non requiritur existentia actualis, ut in causa finali et meritoria exemplum habetur, sed ad summum existentia intentionalis, quam utique habuit consensus futurus; quatenus jam æterno verum erat, consensum esse futurum.

*Ad* 3$^{am}$. *p. N. et memb.* 2$^{um}$. *prob. D.* Voluntas nondum existit pro statu *C.* alienative et pro tempore quo erit consensus *N*.

*Ad Conf.* R. *N. Cons. Disparitas* est, quia determinatio consensus conditionata, quam supponunt prædefinitio vel ille complexus, est æque contingens et libera, ac determinatio ejusdem absoluta, atque hinc nequit componi cum determinatione aliunde accedente circa eumdem consensum : e contra cum illa necessaria determinatione conditionata Dei ad veritatem objectivam consensus cognoscendam, recte componitur determinatio nostra libera contingens, et ab hac etiam contingentia vel potius indifferentia intellectus divini circa hanc determinate veritatem objectivam determinationem sortitur.

168. *Observa.* Ex dictis facile est componere præscientiam divinam cum libertate creata. Quia enim hæc præscientia, licet tempore antecedens et æterna, est intentionaliter, objective et determinative posterior nostris actibus liberis ut absolute futuris, sequitur eam esse evitabilem et impedibilem a libertate creata; quandoquidem sicut voluntas in tempore consentiens est medium intentionale objective determinativum, cur Deus ab æterno præviderit consensum futurum, sic in tempore pro signo libertatis potest dissentire, et intentionaliter objective determinare Deum, ut ab æterno cognoverit dissensum futurum. Hinc sequitur 1°. rem prævisam non esse necessariam nisi consequenter, de qua necessitate S. Ans. L. de Concord. præscient. et prædestin. part. 1. fuse disputans, hanc dicit esse *sequentem, quæ nihil esse cogit* (c. 2); *quæ descendit de libera voluntate* (c. 3); *quam* voluntas *priusquam sit cavere potest* (ibid.); *et quæ fit a libera voluntate* (c. 4). 2°. hanc necessitatem esse duntaxat consequentiæ, non autem causalitatis vel in essendo, cum res prævisæ nullam habeant necessitatem, nisi dependentem a libertate, et quæ sit effectus libertatis. 3°. non pugnare inter se has enunciationes : Deus prævidet Petrum consensurum; Petrus potest non consentire; sicut nec hæ pugnant : Petrus consentit, Petrus potest non consentire; quia Petrum posse consentire, et Petrum posse non consentire, sunt propositiones veræ, utpote quæ ambæ de materia possibili; et Petrum consensurum, ex supposito consensus, vera etiam est determinate. 4°. illam propositionem Petri de Rivo : *Quod sequitur ex antecedenti necessario, necessarium est* : vel recte damnatam esse a Sixto IV., vel siquidem, ut aliqui contendunt, damnata non est, nihil evincere : nam si absolute prolata sit de quocumque antecedente, necessario falsam esse probat necessarium consequenter seu ex hypothesi : si vero intelligatur de necessario absolute tali, sub eodem non venit scientia divina, utpote quæ res contingentes, et quidem ut libere ac dependenter ab indifferente voluntatis electione futuras, supponit et consequitur.

# DISPUTATIO IV.

## DE VOLUNTATE ET PROVIDENTIA DEI.

---

## CAPUT I.

### DE VOLUNTATE DIVINA EJUSQUE OBJECTO AC PERFECTIONE.

### ARTICULUS I.

#### AN VOLUNTAS IN DEO DETUR ET QUOTUPLEX?

169. *Dico I.* Datur in Deo voluntas seu facultas volendi proprie talis, actus volendi prosecutivus et aversativus.

*Prob.* 1ª. *p.* Psal. 134. 6. dicitur: *Omnia quæcumque voluit, fecit,* et ad Ephes. 1. 11. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Conf. ex ratione,* quæ docet, voluntatem esse perfectionem essentialem omnis agentis intellectualis, et consequenter Dei tanquam maxime intelligentis; esse fundamentum dominii supremi, libertatis et moralis bonitatis, quæ tanquam perfectiones simpliciter simplices Deo utpote enti perfectissimo vindicantur.

*Prob.* 2ª. *p.* 1. Joan. 4. 16. *Deus charitas est;* et juxta D. Th. primus actus voluntatis et quasi radix aliorum est amor; ergo sicut in Deo est voluntas proprie talis, sic et amor. Deus autem seipsum amat amore specifico et gaudii, creaturas rationales amore benevolentiæ, et quasdam etiam amore amicitiæ, irrationales vero amore *quasi* concupiscentiæ; ut communius S. Th. 1ª. q. 20. a. 1. et 2. et plerique Theologi exponunt; ergo. *Desiderium* est affectus, quo voluntas vult et tendit in bonum ut absens: sed Deus in bona extrinseca, scilicet ea, quæ ad ejus laudem cultumque pertinent, ac illi placent, tendit sæpe ut absentia; tum quia ea vult, antequam sint: tum quia eorum multa vult esse, quæ tamen hominum culpa nunquam erunt, ut in salute hominum et observatione præceptorum experientia docet; ergo in Deo datur *amor* et *desiderium* circa bona extrinseca; non vero *spes* proprie dicta, quia versatur circa bonum arduum seu difficile et probabiliter tantum futurum; sperans vero agnoscit aliquem quasi superiorem aut potentiorem, qui præstare objectum speratum queat.

*Prob.* 3ª. *p.* de *odio abominationis* tum contra peccata tum contra peccatores, ex Psal. 44. 8. *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem;* Ps. 5. 7.

*Odisti omnes, qui operantur iniquitatem;* et Sap. 14. 9. *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus;* ergo. De *odio inimicitiæ* contra peccatores; Exod. 23. 22. Deus ait : *Inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te:* ex Apoc. 18. 7. *Quoniam glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* De *fuga mali* sat constat, quia illam hic sumimus ut præcise oppositam desiderio circa bona Dei extrinseca. *Exceptis,* timore, tristitia, pœnitentia et desperatione : quia ex sese sunt imperfecti; cum *timor* respiciat futurum *tristitia* autem præsens malum proprium, quod tamen Deo nunquam accidere potest : *pœnitentia* dolorem quemdam et voluntatis mutationem importet, cujus utriusque Deus est incapax : *desperatio* autem eosdem et plures defectus, quam spes includat. Demum nec *iram,* quæ est appetitus vindictæ cum spe ulciscendi ex tristitia procedens, proprie convenire Deo ex eadem ratione postrema patet. Quomodo tamen tum eadem tum dolor, pœnitentia et tristitia sub aliquo tropo tribuantur Deo a Scriptura vel Patribus, *supra* expositum est. Ex simili ratione nonnisi metaphorice *odium* Deo quidam Patres concesserunt; quia nempe illud cum passione et commotione per se conjunctum existimarunt.

170. *Dico II.* Quatuor sunt voluntatis divinæ divisiones, quarum inter Theologos mentio habetur frequentissima.

1ª. Divisio est in voluntatem *beneplaciti,* et voluntatem *signi,* quam primus videtur tradidisse Hugo Victorinus. Circa hanc observandum est :

1°. Quod voluntas *beneplaciti* sit verus et internus seu in Deo realiter existens actus voluntatis, quo prosequitur aliquod bonum, vel aversatur malum; ideoque dicatur voluntas *proprie* talis; voluntas autem *signi,* ut membrum et oppositum priori sumpta, non est verus et internus voluntatis divinæ actus, sed ejus duntaxat signum aliquod, seu effectus quidam creatus illum significans; ideoque dicitur voluntas *improprie* et *tropice* talis, sicut testamentum dicitur voluntas testatoris.

2°. Signa voluntatis divinæ quinque hoc versu continentur : *Præcipit aut prohibet, permittit, consulit, implet.* Hæc signa diverso modo voluntatem Dei indicant; nam *præceptum* indicat voluntatem obligandi ad rem præceptam, cum simplici affectu, ut fiat : *prohibitio* voluntatem obligandi ad non ponendam actionem prohibitam, cum simplici affectu, ne fiat : *consilium* est signum intellectus divini practice judicantis, aliquid esse melius, cum simplici affectu, ut actio consulta fiat : *permissio* indicat voluntatem non impediendi actum permissum, imo generalem concursum dandi ad eumdem, sed cum simplici affectu, ne fiat : *operatio* indicat voluntatem efficacem, qua actu rem facit vel ad eam concurrit, cum Deus omnia per suam voluntatem operetur.

3°. Voluntas *signi* semper supponit et significat voluntatem beneplaciti, quæ terminetur ad ipsum signum; quia cum Deus præcipit, permittit etc., vere et interne vult esse præceptum, permissionem etc., sine quo actu signum foret falsum, et immerito voluntas Dei diceretur. Voluntas tamen hæc *beneplaciti* non terminatur semper ad rem significatam; quia quamvis in operatione semper adsit, abest tamen constanter in permissione : in reliquis autem voluntatis signis jam abest, jam adest.

4°. Regula, qua certo dignoscamus voluntatem signi meram esse et non

conjunctam cum beneplacito, hæc videtur statui posse: si eventu ipso vel Scripturæ testimonio Deus declaret aliud voluisse, quam quod exterior præcepti vel prohibitionis sensus indicat; sic dum Deus jussit *Abrahamum* immolare filium, videbatur in Deo esse voluntas actualis occisionis, reipsa tamen non erat nisi merum signum hujus voluntatis: cum subinde Deus prohibuerit hanc immolationem, et solum intenderit animi promptitudinem in *Abrahamo* ad illam exequendam, fideique ac obedientiæ manifestationem: similiter dum Christus homini a lepra mundato prohibuit, ne cui hoc beneficium acceptum diceret, quod ille tamen prædicare cœpit; hic ipse intellexit, Deum non ideo prohibuisse, quin vellet opus suum prædicari, sed ut daret formam homini laudem humanam declinandi. Unde patet, falso generatim assertam a quibusdam meram *signi* voluntatem, quoties non eveniunt quæ Deus exterius imperat vel consulit, aut e contra fiunt quæ prohibet; præsertim cum sequeretur inde *mandata, consilia* et *prohibitiones*, quæ Deus prævidet non observanda, non esse seriam ac sinceram Dei voluntatem, sed simulatam duntaxat ac illusoriam, contra aperta Scripturæ Eccli. 34. 5., et 1. ad Thess. 4. 3. testimonia; hominesque ea non observantes in rei veritate non esse violatores divinæ voluntatis.

2ª. Divisio est in voluntatem *antecedentem* et *consequentem*. Observandum autem est:

1°. Quod voluntas *antecedens* in Deo sit ea, quæ attingit objectum in se, præcisis circumstantiis; voluntas *consequens*, quæ objectum circumstantiis omnibus vestitum considerat: prioris exemplum est in voluntate divina *salvandi omnes*, posterioris in voluntate divina *aliquos damnandi*, positis eorum peccatis; ut sub nomine voluntatis *primæ* et *secundæ* Chrys. hom. 1. in ep. ad Eph. n. 2. (opp. t. 11. p. 5. D.) sub iisdem autem vocabulis hic expressis Damasc. L. 2. de Fide Orth. c. 29. prop. finem, referunt, et S. Thomas p. 1. q. 19. a. 6. ad 1. illustrat paritate judicis, qui antecedenter vult omnem hominem vivere, consequenter autem vult homicidam suspendi.

2°. Voluntas hæc *antecedens* est beneplaciti et non duntaxat signi; quia Chrys. l. c. eam vocat εὐδοκίαν, quam vocem de se beneplacitum significantem, ad vim majorem declarandam, ibidem exponit per voluntatem cum magno desiderio; Damasc. voluntati antecedenti nomen beneplaciti aperte conjungit; D. Thom. autem q. 23. de ver. a. 3. voluntatem beneplaciti ac proprie talem per antecedentem ac consequentem distinguit: unde quamvis postremus p. 1. q. 19. supr. cit. voluntatem antecedentem dicat voluntatem secundum quid ac velleitatem, id tamen non facit ad excludendam rationem voluntatis veræ ac sinceræ, sed per exclusionem voluntatis absolutæ, qualis est consequens, ut ex ipso contextu liquet.

3°. Eadem *antecedens* voluntas præscindit tantum a circumstantiis particularibus, maxime consensus et dissensus circa gratiam Dei et meritorum vel demeritorum personalium; adeoque non attingit hominem tantum secundum sua pure naturalia, sed etiam cum originali peccato consideratum. *Ratio* est, quia circumstantia peccati originalis est omnino communis universæ naturæ humanæ, adeoque ab antecedente voluntate attingitur, non autem a consequente, quæ ad diversas in diversis hominibus circumstantias spectat; ut hoc S. Thom. in 1um. dist. 46. q. 1. a. 1. docet. Patet id rursus ex laudatis hactenus Patribus: nam Chrys. voluntatem *primam* vocat, quæ

antecedit demeritum; *secundam*, quæ illud sequitur: unde liquet, eum respicere ad circumstantias particulares et personales. Idem colligitur ex Damasc., qui antecedentem vocat voluntatem bonitatis, et cujus Deus ipse causa sit; consequentem autem voluntatem justitiæ, quæ ex nostra causa ac vitio ortum ducat.

3ª. et 4ª. Divisio est in *conditionatam* et *absolutam, efficacem* et *inefficacem*. Observandum autem:

1°. Quod voluntas *absoluta* sit, quæ a nulla conditione pendet: *conditionata*, quæ pendet ab aliqua conditione: *efficax*, quæ semper impletur, seu effectum, quem intendit, obtinet: *inefficax*, quæ non semper impletur, seu illo effectu frustratur: quæ omnes rursus sunt membra dividentia voluntatis beneplaciti.

2°. Non dari in Deo *conditionatam* voluntatem, si conditio *a solo Deo* dependeat, nec tamen sit unquam ponenda, ostenditur iisdem argumentis, sicut Deus futura mere conditionata non cognoscit in decretis subjective absolutis et objective conditionatis. Si vero conditio, sub qua res futura dicitur, pendeat non a Deo solo, sed ab ipso simul et *a creatura* libere agente, sive ponenda sit hæc conditio sive non, conditionatam hanc voluntatem dari in Deo tenendum est; quia hujusce voluntatis plura exempla in Scripturis manifeste exstant, uti illud est L. 3. Reg. c. 9. v. 4. *Si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis et in æquitate, et feceris omnia quæ præcepi tibi, ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum*; et Psal. 105. 23. *Dixit, ut disperderet eos; si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram, ne disperderet eos:* alibi autem tacite conditio involvitur, uti dictum est sæpius de eversione *Ninive* prænuntiata, nisi incolæ pœnitentiam agerent, et de voluntate divina *salvandi omnes*, siquidem illi gratiæ divinæ sint cooperaturi.

3°. In iis, quæ Deus operatur sine creaturæ liberæ cooperatione, voluntas Dei semper impletur. Ad hanc classem pertinent, quæ dicuntur Esth. 13. 9. *Domine Deus Rex omnipotens! in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel*; ubi sermo est de vita Judæorum salvanda et tuenda contra facinus Amani. Item quæ dixit Joseph ad fratres suos: *Nolite timere! num Dei possumus resistere voluntati?* quia loquebatur de eventu malevolentiæ fraternæ, quem Deus procuraverat optimum. Similia habentur 2. Paralip. 20. 6., Jobi 9. 13. et alibi, quod ex contextu facile intelligi potest. Idem etiam affirmari debet de voluntate Dei absoluta et efficaci circa liberas creaturarum actiones, quin tamen per id negetur dogma catholicum de libertate creata. Ratio *primi* habetur ex Scriptura, quæ Dei voluntatem impleri universim enuntiat, ut videre est Isa. 4. 10., Psal. 113. 3., ad Rom. 9. 19.; item ex communi Patrum consensu, præcipue S. Aug., qui in Enchir. c. 98. inquit: *Quis enim tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* et L. de corr. et gr. c. 14. n. 43.: *Volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium: sic enim velle seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult.* Et infra (n. 45): *Sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam voluntatem.* Ratio

*secundi* est, quia voluntas Dei absoluta et efficax dirigitur a scientia media, cujus ope superius ostendimus libertatis humanæ concordiam cum efficacia gratiæ et certitudine decretorum Dei.

*Dixi*: voluntas Dei absoluta et efficax; quia non omnis voluntas, conditionata scilicet, circa liberas creaturarum actiones, semper impletur, h. e. sortitur effectum quem per se intendit; quamvis alio sensu dici possit, et hanc quoad aliquem modum impleri semper, quatenus qui peccando se subtrahunt ordini voluntatis divinæ miserentis et remunerantis, subjiciantur ordini voluntatis punientis et vindicantis. Exceptio patet ex pluribus Scripturæ testimoniis, qualia sunt Prov. 1. 24. *Vocavi et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* Ezech. 24. 13. *Mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis.* Matth. 23. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Act. 7. 51. *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Item ex SS. PP., inter quos S. Aug. L. de Catech. rud. c. 26. n. 52. ait: *Deus vult homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et non resistant misericordiæ Creatoris sui.* Et Tract. 12. in Joan. n. 12. *Quantum in medico est, sanare venit ægrotum: ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Venit Salvator ad mundum: quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? salvari non vis ab ipso: ex te judicaberis.*

171. *Observa I.* Objectum voluntatis ac amoris divini *primarium* est Deus, *secundarium* sunt creaturæ. Amor, quo Deus maxime bonum creatum prosequitur est vel *simplicis complacentiæ*, quo illud amat ut possibile, quin ullum applicet medium ad illius existentiam: vel *simplicis desiderii*, quo Deus desiderat existere bonum creatum, quin ejus existentiam per media efficacia intendat: vel *efficacis volitionis*, qua decernit existentiam boni creati: vel *gaudii*, quo specialiter sibi complacet de bono creato, prius efficaciter volito, ut existente. Certum, quod Deus *seipsum* amet necessario, utpote summum bonum clare visum: quodque *creaturas* in aliqua temporis differentia existentes amet amore efficacis volitionis, quia tribuendo existentiam, illis bene vult, dando esse et conservando; amore tamen *libero*, quia sibi sufficientissimus, nec essentialiter absolute cum illis connectitur, nec ad eas producendas aut conservandas necessitatur: certum, quod *ut existentes* amet amore gaudii, quo, supposita earum productione, non potest non sibi in iis complacere, Gen. 1. 31., Sap. 11. 25.: certum denique, quod objectum *formale* primarium universale ac simpliciter ultimum sit bonitas divina, Prov. 16. 4., ita ut ipsa bonitas creata, aut si quæ alia pro formali objecto secundario admittitur, referatur ad bonitatem increatam tanquam finem sive cui, sive qui.

172. *Observa II.* Deus necessario etiam amat creaturas *possibiles* amore *simplicis complacentiæ*: non enim potest Deus comprehensive et adæquate amare suas perfectiones, v. g. omnipotentiam, quin simul sibi complaceat in ejus terminis essentialiter connexis. Habent autem creaturæ possibiles sufficientem bonitatem ad terminandam simplicem complacentiam voluntatis divinæ, cum possint esse objectum desiderii simplicis, ut patet in possibilitate gloriæ et actuum bonorum creaturæ liberorum. Quod vero *aliquid*

*creatum* possit esse ratio amandi et volendi secundaria et proxima divinæ voluntatis, patet ex Incarnatione propter salutem nostram, ex gloria propter merita, ex fidelitate, misericordia, justitia et aliis virtutibus moralibus, in quibus bonitas creata propter seipsam proxime amari debet.

## ARTICULUS II.

### AN IN DEO DETUR VOLUNTAS LIBERA?

173. *Nota.* Certum est, Deum esse liberum a coactione, et non esse liberum a necessitate seu determinatione naturali ad unum in suis operationibus *ad intra;* quia hæ, quibus scilicet producuntur Personæ divinæ, Filius et Spiritus sanctus, tam sunt necessariæ, quam est ipse Deus. Certum, neque Deum esse liberum in agendo *ad extra* ad ullum peccatum vel malum; cum constet Deum essentialiter esse impeccabilem. Sola igitur difficultas est de libertate a necessitate, seu de indifferentia activa et electiva circa creaturas et opera bona Deo extrinseca. Inter eos qui hanc Deo perfectionem negarunt, referuntur a S. Thom. L. 2. cont. Gent. c. 23. n. 9. Philosophi quidam, docentes, Deum producere res ex necessitate naturæ, et quidquid vult, velle necessitate absoluta : a Thom. Waldensi L. 1. doctrinalis fid. c. 10. recensentur *Petrus Abailardus* et *Joan. Wicleffus,* qui docuerint, Deum non posse facere, nisi ea quæ facit; his adduntur a Bellarm. L. 3. de lib. arb. c. 15. *Lutherus,* qui in Assert. a. 36. dicat veram esse Wicleffi sententiam, quæ habet omnia ex necessitate absoluta evenire; *Bucerus,* qui in L. de Concord. c. de lib. arb. tradat, Deum necessario agere quidquid agit, nec posse aliter facere; *Calvinus,* qui L. 1. Inst. c. 16. §. 3. doceat, Deum agere quidquid potest agere, nec posse cessare ab eo quod agit, aut aliud facere posse; et L. 2. c. 8. §. 5. impossibile appellet, quod neque fuit unquam, et ne imposterum sit, Dei ordinatione et decreto impeditur : a Steph. Dechamps L. 3. de hæres. Jans. Disp. 2. c. 15. *Jansenius,* qui L. 6. de gr. Christi c. 11. contendat, Deum omni spoliandum libertate, si ad hujus essentiam pertineat potestas agendi vel non agendi. Quorum omnium doctrina tum ab iis, qui eam retulerunt, tum ab aliis Theologis cummuni suffragio erroris damnatur.

174. *Dico.* In Deo datur circa opera *ad extra* non mala, voluntas libera libertate indifferentiæ.

*Prob. I.* Ex Scriptura, quæ 1°. dicit, agere Deum ex consilio et propria electione; ad Ephes. 1. 11. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ;* et v. 4. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* 1. ad Cor. 1. 27. *Quæ stulta sunt, elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma elegit Deus* etc. 2. ad Thess. 2. 13. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper, quod elegerit vos primitias in salutem.* Jam vero consilium et electio locum non habet circa bonum, quod absolute necessarium sit eligere, sed quod possibile est eligere vel non eligere.

2°. Objectum a Deo volitum non aliter determinat, nisi per volitionem divinam; Psal. 134. 6. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Ad Rom. 9. 18. *Cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat.* 1. ad Cor. 12. 11. *Hæc autem*

*operatur unus et idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Joan. 5. 21. *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat : sic et Filius, quos vult, vivificat.* Et 3. 8. *Spiritus, ubi vult, spirat.* Sed ubi objectum volitum determinatur tantum per volitionem, indicatur indifferentia volendi et non volendi, ut patet ex eodem modo loquendi relato ad homines, cujus exempla habentur Eccli. 15. 17. *Ad quod volueris, porrige manum tuam*; 3. Reg. 3. *Postula quod vis, ut dem tibi*; Joan. 15. 7. *Quodcumque volueris, pete*; 1. ad Cor. 7. 36. *Quod vult, faciat, cui vult, nubat.* Ex quibus libertatem in homine demonstramus vel intelligimus.

3°. Eadem plura enuntiat de Deo sub conditione, *si velit*; Eccli. 39. 8. *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* Dan. 3. 17. *Deus noster potest nos de manibus tuis, o Rex! liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, Rex! quia deos tuos non colimus.* Sap. 12. 18. *Subest enim tibi, cum volueris, posse.* Jacob. 4. 15. monemur, dum dicunt aliqui hodie aut crastino die ibimus, mercabimur etc. *Pro eo, ut dicatis : si Dominus voluerit ; et si vixerimus, faciemus hoc.* Sed illa conditio adjecta significat potestatis indifferentiam, ut velit et non velit; tum quia ex simili enuntiatione de homine Eccli. 15. 16. *Si volueris mandata servare, conservabunt te,* probatur ejus libertas circa mandatorum observationem : tum quia illæ propositiones : Deus, si voluerit, mentietur; Filius divinus, si voluerit, faciet quod non viderit Patrem facientem, sunt *blasphemæ* non alio ex capite, quam quod illa conditio denotet indifferentem possibilitatem volendi et non volendi mendacium vel opus a Patre non profectum. Unde *Catholico* non conveniet respondere : Deum quidem alia posse, si velit, sed non posse velle; præsertim quia hæc evasio a *Wicleffo* olim jam excogitata, sed a Th. Waldensi et Bellarm. locis supra citat. ut erronea fuit rejecta, quemadmodum et similis ludificatio *Jansenii* circa libertatem hominis potentis dissentire gratiæ, si velit, reprobatur ab omnibus.

*Prob. II.* Ex Traditione : Justin. Quæst. Christian. ad Gent. q. 3. n. 2. *Si Deus,* inquit, *facit, quia est; coacte facit, quæ facit : sin facit, quia vult; sponte facit : sponte enim faciens facit quantum vult, et qualia vult, et quando vult.* Idem, vel Auctor QQ. ad Orthod. q. 114. asserit, *actionis divinæ potentiam non naturali necessitate, sed proprio consilio constare.* Hilar. L. de Synod. n. 44. sic de Deo scribit : *Extra corporalis naturæ necessitatem liber manens, quod vult, et cum vult, et ubi vult, præstat ex sese.* Nyssen. L. de fat. : *Omnipotens neque naturæ necessitate, neque legis præscripto operatur, sed sunt illi omnia contingentia etiam necessaria.* Ambros. L. 2. de fide c. 6. n. 48. : *Hæc operatur unus et idem Spiritus sanctus, dividens singulis prout vult, id est, pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* Aug. L. 22. de Civ. c. 30. n. 3. *Deus ipse numquid quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* Et in Enchir. c. 95. : *Tunc in clarissima sapientiæ luce videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, et non velit, nihil autem velit, quod non possit.* Epiphan. Hæres. 70. n. 7. : *Deus potens est, ut, quod vult, faciat : verum facit illa, quæ divinitati congruunt.* Et hær. 23. n. 5. : *Deus Pater hominem et cætera omnia pro sua voluntate procreavit.* Damasc. L. de duab. Christi volunt. n. 28. : *Divina natura voluntate prædita arbitrioque est libero.*

Bern. L. de gr. et lib. arb. c. 4. n. 9. : *Libertas a necessitate æque et indifferenter Deo universæque tam malæ quam bonæ rationali convenit creaturæ.* His adde S. Basil. hom. 1. in Hexam. n. 7. Hier. in Comm. ad ep. ad Philem. c. 1. v. 14. et alios apud Petav. L. 5. de Deo c. 4.

*Conf.* 1°. Quamvis *Abailardus* non inficiaretur in homine liberum arbitrium, sed illud plane etiam sine adjuvante gratia bene velle et agere posse assereret, tamen inter errores, quos S. Bernard. ep. 188. detulit ad Episc. et Cardinales Rom. Curiæ, tanquam ab eo Introductione ad Theologiam propositos, recte refertur ille : *Quod limites præscriberet omnipotentiæ divinæ, asserendo Deum facere plura non posse, quam fecerit, aut aliquando facturus sit;* tum quia *Abailardus* ipse L. 3. Introd., ubi hanc doctrinam statuit, fatetur, *opinionem hanc paucos aut nullos habere assectatores, et plurium dictis Sanctorum, et aliquantulum a ratione dissentire videri :* tum quia idem, Apologia sive Confessione fidei, ubi errores sibi objectos vel inficiando eos a se scriptos, vel eosdem revocando diluit, eumdem revocat his verbis : *Deum ea solummodo posse facere credo quæ ipsum facere convenit : et quod multa facere potest, quæ nunquam faciet.*

*Conf.* 2°. *Wicleffus* errorem de absoluta rerum omnium evenientium necessitate fundat in his : *Deus nihil potest producere, nisi quod producit; Deus mundum amplificare vel imminuere non potest, nec animas nisi ad certum et fixum numerum creare;* ut patet ex ejus Trialogo L. 1. c. 11. et 13., et ex Waldensi L. cit. c. 21. Lutherus Articulum 36., quo liberum arbitrium hominis rem vocat de solo titulo, in hujus assertione similiter fundat in necessitate omnium, quæ a Deo proveniat. Ergo videntur et Concilium Constantiense et Leo X. illud fundamentum feriisse, dum damnarunt illos Articulos. De *Calvino* vide Nic. Romæum Spectacul. 2., De *Jansenio* P. Dechamps. l. c.

*Prob. III.* Ex Ratione 1°. Quodcumque gaudet intelligentia et *ratione*, gaudet etiam libertate seu libera agendi voluntate; Deus ratione præditus est et intelligentia, imo summa ipsa ratio est et sapientia; ergo. 2°. Esse *liberum*, quia est esse sui juris et dominum suarum operationum, est singularis perfectio, ut patet in angelo et homine, qui ob eamdem præferuntur creaturis cæteris; et est perfectio simpliciter simplex; ergo Deo tribuenda est. 3°. Si Deus non foret liber *ad extra;* ergo ad agendum extra se necessitaretur vel ab alio, vel a se ipso : non 1um. quia Deus est independens et superior quolibet alio : non 2um. quia ipse sibi sufficit, neque ullo extra se ente indiget, adeoque nec ulla Dei perfectio id exigere potest : præsertim cum Deus æque necessario profunderet ex se creaturas, ac producit Filium et Spiritum sanctum; et cum ageret toto naturæ impetu et conatu, pro infinita et æterna sua virtute et potentia, effectus quoque infinitos ac æternos proferret ; ergo.

*Conf.* 1°. In homine datur libertas indifferentiæ tum exercitii tum specificationis ; ergo, cum agere et non agere conveniat Deo, qui ex non producente mundum ab æterno, factus est producens mundum in tempore, et præterea jam hoc jam illud bonum, v. g. nunc misericordiam, nunc justitiam vel in eodem vel in diversis hominibus exerceat ; hæc potestas libera est participatio naturæ seu perfectionis divinæ ; adeoque ista non minus, quam alia Deo est tribuenda.

*Conf.* 2°. Si Deus non ageret ad extra libere, sed ex necessitate ; ergo

sequeretur, in eo nullam esse *liberalitatem*, quæ a libero animo nomen sortita est; nec Deum *orandum* nec *timendum* esse; cum frustra oretur ut res bene fiat, et frustra timeatur ne res male eveniat, ubi res omnis ac eventus proficiscitur ab ente per se semper atque tam antecedenter quam consequenter determinato; nullum in hoc universo effectum esse *contingentem*; quia ubi prima causa et ex necessitate, et quantum potest, agit, nulla causa secunda ei potest resistere; adeoque causa secunda tanta necessitate movetur, quanta movet prima, atque ita unum ex alio necessitate absoluta sequitur.

175. *Obj. I.* Ex libertate indifferentiæ sequitur in Deo *imperfectio*; quia sicut essentia in se indifferens, ut existat vel non existat, involvit imperfectionem, ita et essentia existens, sed ex modo tendendi indifferens ut agat vel non agat, etiam includit imperfectionem, cum utraque sit æqualiter indifferens ad esse et nihilum; ergo. *Conf.* 1°. Libertas, quæ est in Deo ad intra agente, est perfectissima : sed hæc est libertas tantum *a coactione*, non a necessitate; ergo sola libertas a coactione est perfectissima, libertas autem a necessitate minus perfecta, quæ proinde Deo tribui non potest. 2°. Libertas *contrarietatis* ad bonum et malum morale repugnat in Deo, quia contrariatur ejus sanctitati; ergo cum libertas indifferentiæ etiam contrarietur ejus immutabilitati, in Deo repugnabit.

R. *N. Ant. et parit. Disparitas* est, quia in essentia indifferente ad existendum, esse et non esse afficit ipsam essentiam, et est intrinsecum : in existente vero essentia indifferente ad agendum vel non agendum, esse et non esse afficit effectum, et spectat tantum ad extrinsecum; unde nulla imperfectio in essentiam redundat, quemadmodum hoc ex causis etiam creatis liberis, præ necessaria præstantioribus, ab omnibus agnoscitur.

*Ad Conf.* 1am. R. *D. M.* Libertas, quæ est in Deo ad intra agente, est perfectissima in sua agendi linea *C.* in omni agendi linea *N.* Omnis actio divina est perfectissima, quia est perfectionis infinitæ; pro ratione tamen *termini* actio Dei est varia : cum in verum repræsentative, in bonum affective et prosecutive, in malum aversative vel permissive tendat. Sicut vero ex eo, quod tendentia Dei prosecutiva et affectiva in bonum sit perfectissima, male colligeretur eamdem tendentiam debere ferri in malum, aut, siquidem diversa sit, esse minus perfectam : sic et male infert objectio contra libertatem indifferentiæ. Præterea ratio cur in agente Deo ad intra libertas sit tantum a coactione, inde petitur, quod terminus productionis hic sit identificatus, necessarius et infinitæ bonitatis, adeoque hæc libertas termino sit proportionata et unice possibilis.

*Ad Conf.* 2am. R. *N. supp. Cons.* Nam immutabilitas stat in repugnantia, ne quid Deo accedat, quod ante non inerat, aut ne in locum ejus quod inerat, substituatur aliud quod non inerat; adeoque consequitur jam statum absolutum et determinationem : e contra libertas indifferentiæ, cum dicatur potentia agendi ex propria electione ac vi flectendi se ad nutum, præcedit statum absolutum et determinationem; unde secundum idem sibi non opponuntur, atque hinc nec contrariantur.

*Inst.* 1. Deus nunquam fuit indifferens ad volendum v. g. producere mundum; tum quia non potest assignari ulla pars etiam virtualis *in æternitate*, pro qua Deus potuerit non habere volitionem producendi mundum;

tum quia volitionem hanc habet ab et pro tota æternitate ; ergo non fuit liber.

R. *D. A.* Nunquam fuit indifferentia suspensionis, et quasi indiguerit aliquo tempore ad deliberandum *C.* indifferentia electionis, quæ excludit determinationem aliunde provenientem, et includit potentiam ad oppositam partem propriæ electionis ac determinationis *N.*

*Ad prob.* 1am. R. Quamvis Deus volitionem hujusmodi non potuerit non habere pro ulla parte virtuali *æternitatis,* correspondente scilicet instanti temporis sive veri sive imaginarii, seorsim sumpta ab aliis; cum non possit ulla assignari, antequam non fuerit alia, et hinc antequam non extiterit hæc volitio : tamen potuit eam non habere pro tota æternitate, seu pro omnibus æternitatis partibus virtualibus collective sumptis; comparatione cujus ante quamlibet partem determinatam divina voluntas fuit indifferens et simul duratione cum hac indifferentia concepit actualem volitionem. Nam quod in creata volitione est primum instans temporis, in divina est *æternitatis :* non quatenus coexistit instantibus temporis veri vel imaginarii, sed quatenus ante quodlibet determinatum præintelligitur æternitas; et in eodem ordine rationis præcedit libertas Dei quasi in actu primo, deinde vero libera volitio decernitur, quam necessario consequitur immutabilis constantia.

*Ad prob.* 2am. *D. ill.* Ergo ab et pro tota æternitate volitionem hanc non potest non habere impotentia consequente liberam determinationem *C.* impotentia antecedente *N.*

*Inst.* 2. Deus saltem ob decretum *immutabile* producendi res eas, quæ jam in tempore sunt aut erunt, ab æterno habitum, non potest non producere eas res; ergo de facto non est liber, aut saltem Dei libertas est minor libertate creata.

R. 1°. *D. A.* similiter : res eas non potest non producere impotentia consequente *C.* antecedente *N.* R. 2°. *N.* 1am. *p. Cons.* Quia sicut actuale exercitium libertatis in creaturis adhuc libera actio dicitur, sic et volitio divina etiamnum libera est : quatenus in tempore adhuc respicit tale objectum, quod potuisset non respicere nec amplecti, si noluisset ab æterno res eas creare.

*Ad* 2am. *p. Cons.* R. *N.* Quamvis enim voluntas creata non solum sit indifferens, ut semel eligat vel non eligat, sed etiam ut priorem volitionem retractet vel ab ea desistat, quod postremum Deo ob immutabilitatem non competit : tamen libertas creata ideo non est major; tum quia variabilitas hæc non est perfectio libertatis, sed potius imperfectio, cum sit infirmitas et inconstantia proveniens vel ex imperfectione cognitionis, vel ex mutatione passionum, vel ex naturali inclinatione percurrendi plura bona, et transeundi ad alia objecta, quæ simul omnia attingi nequeunt : tum quia Deus unico suo actu simul et semel omnia decernit, quæ voluntas creata per actus suos diversos et variatos decernit; imo ob infinitatem objectorum possibilium nequidem decernere potest.

*Inst.* 3. Si Deus potuisset habere decretum non producendi mundum, caruisset *perfectione infinita;* quia caruisset decreto producendi mundum, quod de facto habet, et est infinitæ perfectionis : sed sequela est absurda et impossibilis, cum alias Deus non foret omniperfectus; ergo.

R. *prob. D.* Caruisset decreto quoad entitatem actus, secundum quam etiam est infinitæ perfectionis *N.* quoad terminationem actus aut terminum,

secundum quem non est perfectionis infinitæ *C.* Duo hic falsa videntur in argumento supponi : 1$^{um}$. decreta Dei eorumque, pro varietate terminorum, tendentias varias esse entitative distinctas; cum tamen nonnisi sit unicus voluntatis actus vel potius unica Dei entitas simplicissima tendens in diversos terminos, v. g. mundum nostrum producendum, et mundum alium non producendum : unde constat eamdem entitatem decreti mansuram, si Deus decrevisset mundum non producere, sicut nunc est entitas decreti, quæ nostrum mundum decrevit producere. 2$^{um}$. omissionem decreti de mundo producendo, aut potius decretum non producendi mundum non esse perfectionis infinitæ; cum tamen ratio perfectionis infinitæ habeatur utrobique, et sit volitio divina seu Deus ipse volens producere, sive omittens aut nolens producere; ac Deus præterea per ejusmodi omissionem possit ostendere infinitam suam sufficientiam, dominium, libertatem, et in particularibus omittendis ordinatam sine aliquo superfluo universi dispositionem, sicut per productionem rerum attributa manifestat : unde sequitur, Deum non cariturum *perfectione infinita*, si careret decreto mundi producendi, sicut nunc perfectione illa non caret, quamvis careat decreto alterum mundum producendi.

176. *Obj. II.* Natura quo est perfectior, eo majorem habet inclinationem se *ad extra* communicandi; adeoque natura perfectissima, qualis est divina, habet maximam inclinationem se communicandi : sed ubi est maxima inclinatio ad se communicandum, non potest esse libertas indifferentiæ; tum quia alias Deus posset velle quid naturali suæ inclinationi contrarium : tum quia hæc inclinatio posset frustrari, et æternum carere eo bono ad quod inclinatur : quæ plane absurda sunt; ergo.

R. *D. M.* Natura quo est perfectior, eo habet majorem, et natura perfectissima habet maximam inclinationem ad extra se communicandi, intelligendo per id aptitudinem et potentiam *C.* intelligendo exigentiam et necessitatem *subd.* absolutam *N.* hypotheticam et ex supposito quod natura rationalis velit *C.* Posse aliquid *ad extra* communicare est perfectio naturæ communicantis, eaque tanto major, quanto melius id est, quod communicatur; quia natura communicans hujusmodi bonum continere debet in eo genere causæ, in quo communicare potest : actu communicare supponit quidem hanc perfectionem, ex eaque provenit, ac præterea bonum est illi, cui quid communicatur; non tamen in se perfectionem formalem semper dicit : ut patet in patre per generationem se communicante filio creato. Præter hanc vero aptitudinem et actualem communicationem sui ad extra, potest adhuc considerari quædam propensio naturalis, quæ tribuitur bono ad sui diffusionem seu communicationem *ad extra* : atque hæc in creatis quidem provenit ex limitatione naturæ ac indigentia; in divinis vero ex perfectionis abundantia et infinita quadam excellentia : sed sicut hæc in creatis quibusdam, scilicet inanimatis, est absoluta et necessaria, in aliis nempe angelis et hominibus subordinata libertati et quasi conditionata; sic propensio Dei ad extra se communicandi ad alterutram referri potest. Docet autem S. Thom. 1. q. 19. a. 3. in 0. *Cum bonitas Dei sit perfecta, et esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat, sequitur quod alia a se eum velle non sit necessarium absolute;* et in resp. ad 3. : *Dicendum quod*

*non est naturale Deo velle aliquid aliorum..... neque tamen innaturale aut contra naturam, sed est voluntarium.* Ex his autem patet quod quantumcumque infinite illa inclinatio crescat, nunquam sit libertati contraria.

*Inst.* 1. Deus necessario se ipsum amat amore perfectissimo : sed hic amor Deo vult omne bonum tum *intrinsecum* seu perfectiones ejus infinitas, tum *extrinsecum* seu perfectionum divinarum manifestationem, gloriam Nominis et cultum a creaturis; ut patet ab exemplo hominis seipsum amantis, et hinc bona tam extrinseca quam intrinseca sibi volentis; item hominis amantis Deum, et ex hoc amore eidem gloriam Nominisque cultum necessario deferentis.

R. *N. min.* Amor Dei erga seipsum foret perfectissimus, etiamsi non vellet sibi ulla bona extrinseca; cum Deus sibi sit sufficientissimum ac totale bonum et independens a creaturis. Hinc disparitas patet ad exemplum *primum,* ex eo quod homo bonis extrinsecis ad suam perfectionem egeat, aut iis saltem magis perficiatur : ad *secundum* vero, quia hæc bona debentur Deo a creatura ex supposito quod existat, adeo ut neque Deus huic juri suo et debito creaturæ cedere, nec omittere possit efficacem volitionem, ut sibi honor et gloria tribuatur : ab hac autem suppositione Deus, pro supremo dominio ac libertate, postponere potest extrinsecam gloriam et laudem, omittendo prorsus creaturæ productionem, et potius sibi complacere in summo dominio ac sufficientia, quacum sola non minus gloriosus ac felix permanet, quam cum creaturarum gloria et honore.

*Inst.* 2. Deus necessario vult suas virtutes et honestates intrinsecas, cujusmodi sunt summa liberalitas, misericordia, justitia etc. : sed omnes istæ Deo non convenirent, nisi creaturas produceret; ergo creaturas *necessario* vult producere : præsertim cum actus harum virtutum sint perfectiones simpliciter simplices; ac præterea actus secundus circa perfectissimam honestatem objectorum sit melior, quam actus primus solus, sive potentia sine actu secundo.

R. *D. M.* Deus necessario vult suas virtutes intrinsecas et honestates quoad vim et potentiam *C.* quoad exercitium et actus *subd.* sumendo exercitium et actum entitative et secundum id quod habet in Deo *C.* sumendo denominative et secundum id quod habet in termino *N.* In sensu *reali* tum vis tum actus cujuslibet divinæ virtutis est ipsa Dei substantia; adeoque etiam actus ultimus liberalitatis, misericordiæ etc. existit semper, et existeret, sive creaturæ sint, sive non sint nec essent : in sensu *formali,* ubi quacumque ratione distinguimus actum a virtutis substantia, actus quoad entitatem constituitur ex volitione Dei necessaria quoad denominationem per respectum ad terminos, ut infra dicetur.

*Ad* 1$^{um}$ R. Si sermo sit de actu denominative sumpto, *N. Ass.*; quia ejusmodi actus non est melior ipse, quam non ipse; atque hinc a quibusdam illi actus dicuntur perfectiones *contingentes,* non quidem tales quæ imperfectionem involvant, quatenus non solum possunt esse vel non esse, sed etiam Deo non semper insunt, vel desinunt inesse : sed imperfectionis expertes, quatenus sic possunt esse vel non esse, ut vel nunquam sint, vel si sunt, ab æterno et pro æterno insint; quamvis debeant dici perfectiones extensivæ tantum et secundum quid, utpote incompossibiles cum alia æquali.

*Ad* 2$^{um}$ R. *D.* In creatis *C.* in divinis *N. Ass. et Supp.* Ratio negationis

1ae est, quia assertum hoc locum duntaxat habet in potentia realiter ab actu distincta, limitate perfecta, indigente aut capaci augmenti perfectionis, quod ad divina non pertinet. Ratio 2ae est, quia in Deo actus primus non est sine actu secundo, sive in sensu *reali*, ubi utrumque est identificatum, sive in *formali*, ubi alteruter actus secundus ab æterno habetur.

QUÆRES : *In quonam consistat Libertas Dei?*

177. *Nota.* Supponuntur hic duo : 1um est, actum Dei liberum constitui non posse per aliquid Deo extrinsecum : 2um neque eumdem adæquate Deo esse intrinsecum, ita ut nequidem in obliquo et terminative aliquid extrinseci dicat. Cum enim hic idea Dei ejusque perfectiones, simplicitas nempe, necessitas ac immutabilitas in essendo illæsæ servandæ sint, prius illud stare non potest: quia vero præterea actuum liberorum contingentia et defectibilitas ex libertatis notione asserenda est, neque posterius simpliciter sustineri potest. In libertatis natura quatuor spectari possunt : *indifferentia,* quæ est potestas agendi nec ex se nec aliunde determinata; et in hac indifferentia libertatis essentia antecedenter ad exercitium consistit : *determinatio*, quæ est exercitium libertatis, seu actio libera hujus indifferentiæ : *subjectum* libertatis, quod est illud, in quo residet indifferentia illa : *terminus* libertatis, sive illud, quod immediate a libertatis subjecto producitur.

178. *Resp.* Libertas Dei consistit in entitate volitionis divinæ pro nutu suo respicientis et connotantis objectum contingens : adeoque *subjectum* hujus libertatis est unicus, simplex, necessarius et immutabilis actus divinæ voluntatis; *terminus* est aliquid extra Deum; *exercitium* est activus respectus, habitudo vel relatio illius ad hunc.

*Prob.* Hic modus libertatem divinam explicandi habet omnes conditiones ad mysterium hoc secundum ideam Dei, naturam libertatis et compositionem oppositorum prædicatorum exponendi.

Nam 1°. cum idea Dei stet in ente a se, *hoc est,* necessario ac perfectissimo, et in quo proinde nulla est potentia, quæ non sit essentialiter reducta in actum, necesse est, ut quidquid realiter Deum afficit, sine ulla læsione summæ simplicitatis sit actus necessario existens et vera perfectio : hæc vero omnia reperiuntur in nostra explicatione : quia dum pro *subjecto* libertatis statuimus ipsam volitionem divinam, declaramus potentiam, nempe voluntatem esse reductam essentialiter ad actum; quia volitio hæc entitative est actus divinus necessarius et immutabilis, spectatur ratio entis necessarii; quia volitio tanquam actus est voluntatis tanquam potentiæ complementum, volitio hæc vera intelligitur esse perfectio : quia demum hæc volitio realiter est ipsa voluntas et entitas divina, retinetur summa simplicitas, neque fit compositio.

2°. Quæ quatuor in natura libertatis monuimus spectanda, hic præsto sunt. Nam quæ adhuc desiderari potest, *indifferentia* vel huc non pertinet, ubi de libertate in actu secundo seu actu libero loquimur; vel facile intelligi potest etiam de ipsa volitione, utpote quæ pro nutu suo ita respicit et connotat hoc vel illud objectum, ut possit non respicere, vel respicere aliud.

Præterea cum volitio divina necessario existat, intelligitur, quomodo *subjectum* libertatis ex se sit *necessarium* : quia tamen, licet Dei voluntas essentialiter redigatur ad actum volitionis, non adstringitur ad volendum hoc præ alio, et objectum etiam creatum de se potest poni vel non poni ; patet quomodo *subjectum* libertatis, ratione sui necessarium, sit *indifferens* ratione termini ; et terminus sit contingens ac mutabilis : quia denique exercitium libertatis divinæ nihil est nisi relatio activa indistincta a subjecto et termino, facile declaratur ejus necessitas respectu subjecti et ejusdem libertas ac contingentia respectu termini.

3°. Ex iisdem principiis componuntur prædicata, quæ in libertatis negotio difficultatem pariunt : quia enim libertatis constitutiva sunt communia cum omnibus respectivis, in recto tantum venit subjectum, in obliquo autem terminus : quia autem subjectum est volitio realiter cum Deo identificata ; sequitur nihil extrinsecum Deo accedere *subjective* et *in recto*, et illæsas servari omnes ejus perfectiones, simplicitatem scilicet, necessitatem, æternitatem, immutabilitatem etc. Quia demum terminus libertatis non est ipsa Dei volitio, ut in creata libertate accidit, sed est objectum extra Deum positum, et hoc solum est contingens, mutarique et tam esse quam non esse potest, sequitur qua ratione hujus contingentia et mutatio nihil officiat necessitati ac immutabilitati subjecti, atque hinc hæc prædicata in libertate Dei componantur.

*Conf.* ex S. Thoma, qui L. 1 cont. Gent. c. 82. n. 4. inquit : *Voluntas Dei uno et eodem actu vult se et alia, sed habitudo ejus ad se est necessaria et naturalis; habitudo autem ejus ad alia est secundum convenientiam quamdam, non quidem necessaria et naturalis, neque violenta aut innaturalis, sed voluntaria.* Et p. 1. q. 19. a. 3. ad 5. : *Voluntas divina, quæ ex se necessitatem non habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam;* ibid. ad 6. : *Sicut divinum esse in se est necessarium, ita et divinum velle et divinum scire : sed divinum scire habet necessariam habitudinem ad scita, non autem divinum velle ad volita.* Similia reperies Q. 23. de Ver. art. 1. ad 8. et art. 4. ad 2. 6. 7. et 13. alibique, in p. 1. q. 20.

179. *Nec dicas* 1°. Qui liber est, debet posse carere aliquo intrinseco : sed in nostra sententia, ubi terminus libertatis est extrinsecus, id nequit admitti ; ergo nec admitti potest hæc sententia. *Conf.* Qui liber est, debet posse carere hoc vel illo libertatis exercitio : sed hoc vel illud exercitium est quid intrinsecum, quia est vitalis actio et tendentia ; ergo.

R. *D. M.* Qui liber est ea libertate, cujus subjectum est potentia, eaque immanenter operans, debet posse carere aliquo intrinseco *C.* qui liber est ea libertate, cujus subjectum vel est potentia agens tantum ad extra, vel actus ipse immanens *N.* Qui liber est, debet posse carere termino libertatis : cum ergo terminus libertatis divinæ non sit volitio divina, sed objectum extra positum et voluntati volitionique divinæ extrinsecum ; dum eo carere potest, extrinseco tantum carere potest, sicut potentia immanenter non operativa et libera posset carere tantum extrinseco.

*Ad Conf.* R. *D. m.* Exercitium libertatis est quid intrinsecum, si consideretur ratione sui subjecti, fundamenti ac principii libertatis *C.* si consideretur ratione sui objecti, termini et effectus *N.* Exercitium libertatis, utpote mera

relatio, a subjecto et termino non distinguitur : et hinc respectu prioris et a priori participat rationem intrinseci, vitalis, necessarii et perfecti ; respectu posterioris autem et a posteriore rationem habet extrinseci, contingentis et imperfecti. Cæterum cum relationes prædicamentales soleant potius sequi conditionem termini, quam subjecti, ad earum imitationem exercitium libertatis divinæ potest simpliciter vocari quid extrinsecum, sicut dicitur liberum, contingens ac defectibile.

180. *Nec dicas* 2°. Si exercitium libertatis nihil reale inferret in actu libero, ergo Deus in illo priori rationis instanti, in quo concipitur intelligens creaturas, tantum haberet realitatis intrinsecæ, quantum habet in posteriore instanti, in quo concipitur eas velle : sed hoc imprimis est absurdum dicere : deinde sequeretur ex eo, quod Deus ex indifferente potuisset realiter fieri determinatus, et de facto possit velle aliquid de novo, quod ab æterno non voluerat, quin hoc ejus immutabilitatem læderet, cum mutatio secundum nostra principia teneret se tantum ex parte termini extrinseci, quod nemo admittit; ergo.

R. *T. M.* Quia, quamvis nullum hic sit discrimen ex parte entitatis, tamen est ex parte *modi*, cum cognitio aliter tendat in objectum, quam volitio. *N.* 1am. *p. min.* Absurdum hoc æstimatur, quia supponitur in libertatis divinæ exercitio nihil plane reale poni; quod falsum est, cum admittatur a nobis mutatio termini : vel quia æquiparatur libertas divina cum creata, quæ ex non volente fit volens, per volitionem distinctam in se physice receptam, quod hic locum habere nequit. 2am. *p. D.* Sequeretur, quod hæc possent fieri respective, et si præcise attendatur ad immutabilitatem *C.* absolute et quoad se, si spectentur etiam alia *N.* Ex nostra sententia sequitur, Deum physice non mutandum in propositis casibus, adeoque solam immutabilitatem Dei iisdem non obstare : quominus tamen hæc sequelæ argumenta obtineant, alia impediunt. Si enim Deus in aliquo instanti reali esset indeterminatus, daretur in eo *potentia* quædam sine actu; et si quid de novo vellet, quod antea noluerat, foret in eodem *inconstantia*, vel *ignorantia* aut *malignitas* : cum autem nihil istorum Deo tribui possit, et illos casus impossibiles asserere necesse est, quantumvis ab immutabilitate Dei non excludantur.

181. *Nec dicas* 3°. Si libertas Dei formaliter consisteret in connotatione volitionis Dei activæ ad objectum contingens, ergo sequeretur : 1°. Quod ideo Deus libere vult producere mundum, quia producit; et ideo producit mundum, quia vult; qui est circulus plane vitiosus. 2°. Quod non haberet denominationem Creatoris et Salvatoris. 3°. Quod tota libertas Dei videatur esse ad producendum vel non producendum, non autem ad volendum vel non volendum. 4°. Denique, quod nullum sit discrimen inter nostram et Aureoli sententiam ab omnibus repudiatam.

R. *Ad* 1. *D. Seq.* Ideo Deus libere vult producere mundum, quia producit; et ideo producit, quia vult; intelligendo per *primum* quod volitio sit principium immediate liberum agendi ad extra, et per *secundum* quod actio Dei sit cum plenissima potestate non agendi ad extra, atque sic ut ex utroque ostendatur nihil reale supperaddi subjecto et termino libertatis per exerci-

tium liberum ; sicut in similibus propositionibus de nostra voluntate, quibus dicitur voluntas se determinare ad volendum, quia vult, et velle, quia placet ipsi, vel illa se determinat ad volendum, excluditur intermedium reale, et exprimitur dominium quoddam et modus potestativus *C.* ita ut per illa intelligatur, vel quod volitio Dei non sit activa, vel quod actio sit necessaria et non libera, vel quod liberum exercitium debeat aliquid reale superaddere subjecto et termino. *N.* Hinc vero patet, nullum hic esse circulum vitiosum, sicut nec in illis propositionibus quispiam eum asserit : Existit actio causæ efficientis, quia causa efficiens operatur; et causa efficiens operatur, quia existit ejus actio.

*Ad* 2. *N. Seq.* Quia quamvis pariformiter, ratione recti, denominatio Creatoris ac Salvatoris possit dici esse ab æterno, et ratione termini denominatio volentis esse in tempore; simpliciter tamen loquendo hujusmodi denominationes usurpantur diversimode, cujus usus hanc regulam statuit S. Thomas p. 1. q. 13. a. 7. ad 3. *Dicendum quod operatio intellectus et voluntatis est in operante, ideo nomina, quæ significant relationes consequentes actionem intellectus et voluntatis, dicuntur de Deo ab æterno : quæ vero consequuntur actiones procedentes, secundum modum intelligendi, ad exteriores effectus, dicuntur de Deo ex tempore, ut* Salvator, Creator *et hujusmodi.* Secundum hanc itaque regulam denominatio libere volentis simpliciter tribuitur Deo ab æterno ; cujus hæc etiam ratio quasi a priori assignari potest, quod Deus ut *libere volens* non reduplicet in recto objectum aut ejus existentiam vel actualem positionem, quæ in tempore contingit, sed volitionem Dei, quæ ab æterno est, et sic aliquid æternum : cum e contra Deus *ut salvans* vel *creans,* quia in recto reduplicat salutem vel positionem in tempore existentem, quæ vel supponit vel formaliter dicit objectum, in recto nihil æternum sed temporaneum reduplicet.

*Ad* 3. *N. Seq.* Licet enim libertas ad producendum in tempore, formaliter sit libertas ad volendum efficaciter ab æterno, cum ipsa productio oriatur ut a principio immediato a divina voluntate, quæ ex se est summa actualitas in actu secundo per modum volitionis; tamen inter efficaciter velle ab æterno et producere in tempore id discriminis statui potest, quod in *primo* objectum sit physice futurum, attingatur ut sit, et productio ipsa se teneat ex parte obliqui : in *secundo* autem objectum exercite est actu existens, attingitur respectu quo fit, et actualis productio ingreditur ut forma ad denominationem producentis.

*Ad* 4. *N. Seq.* Quia *ex dictis* constat, Deum juxta nos vere et proprie actum interiorem voluntatis habere non minus, quam habet actum interiorem cognitionis; cum tamen id neget Aureolus, et solum concedat metaphorice actum voluntatis in Deo, in quantum scilicet ita affligit, punit, benefacit eo modo, quo puniret is qui odio habet, aut benefaceret qui amat.

182. *Nec dicas.* 4°. Pro priori ad omnem actionem ad extra debet intelligi Deus determinatus ad agendum ; cum intelligibile non sit, aliquam causam se determinare ad agendum immediate ac formaliter per actionem externam; ergo pro priori ad omnem actionem Deus intelligitur efficaciter volens mundum adeoque decretum Dei liberum. *Conf.* Exercitium libertatis nunquam fit sine aliqua mutatione vel positiva vel negativa ; quæ cum

juxta nos non teneat se ex parte subjecti, saltem debet esse ex parte *termini*: sed Deus in multis exercet suam libertatem, ubi nulla plane fit mutatio termini; uti exempla patent in actibus Dei conditionatis et inefficacibus, in electione hujus potius quam illius finis aut medii, ac in actu positivo quo Deus vult aliquam negationem, vel in libera omissione; ergo.

R. *N. A.* Quod dicitur non intelligibile, superius ostensum est possibile, et est admittendum ab omnibus, qui *Cajetani* sententiam, velle Dei liberum in aliquo contingente intrinseco statuentis, rejiciunt. Præterea magnæ perfectionis in agente est, atque hinc Deo non negandum, quod possit se determinare ad aliquid agendum ad extra, quin se determinet ad intra: agens enim quod nequit extra se aliquid producere, quin seipsum intrinsece determinet, hoc ipso est imperfectum et potentiale, utpote quod prius debet seipsum actuare et perficere, quam actualitatem et perfectionem aliis communicet.

*Ad Conf.* R. *D. M.* Nunquam fit sine aliqua in termino mutatione vel physica vel morali *C.* necessario physica *N.* Sequitur autem ad libertatis divinæ exercitium mutatio saltem *moralis* objecti; cum enim Deus inefficaciter vult salutem omnium, aut videt Antichristum salutem consecuturum, si taliter vocetur, illa salus a statu pure possibili transit ad statum futuri sub conditione: similiter quod a Deo assumitur ut medium vel finis, post illam ordinationem vel actus divini connotationem ad illud, moraliter jam alio modo se habet, quam ante illam vel sine illa, propterea quod jam illud ad aliud conducat, aut alia ad illud referantur. Item quoties Deus vult aliquam negationem actu, circa eam fit mutatio *moralis*, quatenus forma ei opposita incipit esse impossibilis; pura etiam omissio idem præstare posset, siquidem illa locum haberet in Deo, nec repugnaret summæ perfectioni divinæ providentiæ, quæ ab æterno omnia habet digesta et ordinata, sicque circa res non futuras negative se non habet. Cum enim ex omissione mera possint in humanis varia jura tolli, atque hinc mutatio moralis fieri, idem fieret in præsenti casu: unde patet falsum illud esse quorumdam assertum, quod omnis mutatio moralis fundetur in aliquo novo physico.

---

# CAPUT II.

## DE PROVIDENTIA DEI GENERATIM.

### ARTICULUS I.

#### AN DETUR IN DEO PROVIDENTIA NATURALIS?

183. *Nota.* Providentia est ratio ordinis rerum in finem per media vel naturalia vel supernaturalia, prout est finis; et dicitur Providentia vel naturalis vel supernaturalis: item generalis vel specialis. Præter *atheos*, qui cum Deum negarent, omnem quoque inficiabantur rerum naturalium providentiam, hoc attributo Deum spoliare conati sunt tum *gentiles* nonnulli

Philosophi, tum inter Christianos *hæretici* Marcionitæ ac Priscillianistæ, qui vel fato ac necessitati ex sideribus aut aliunde provenienti omnia subjecerunt, vel casui ac fortunæ pleraque attribuerunt, vel certe res viles aut minutas Deo curæ non esse somniarunt.

184. *Dico I.* Res humanæ non subjacent fato.

*Prob.* Fati necessitas vel est inevitabilis ipsi Deo, vel independens a Deo, vel ab eo dependens : sed nulli ex his possunt subjacere res humanæ ; tum quia *universim* loquendo per quamcumque earum funditus evertitur libertas humana, qua sublata, ut S. Aug. ep. 243 .(al. 246. n. 2.) inquit, *noveris omnes leges atque omnia instituta disciplinæ, laudes, vituperationes, exhortationes, terrores, præmia, supplicia, cæteraque omnia, quibus humanum genus administratur et regitur, penitus labefactari, nihilque in eis omnino justitiæ remanere* : tum quia *speciatim* ex *primo* sequitur, Deum nec esse omnipotentem nec liberum; ex *secundo,* Deum vel non existere, vel non esse Creatorem ac Dominum; ex *tertio*, siquidem influxus causæ primæ necessitans intelligatur, Deum vel esse legislatorem insipientem vel vindicem iniquum.

*Conf.* ex iis, quibus refutatur fatalis necessitas *Genethliacorum* ex sideribus deducta. Desumuntur autem partim ex auctoritate Scripturæ, Jerem. 10. 2., Concilii Brachar. I. Cap. 9. et 10. Patrum, Chrysost. Orat 2ª. de Providentia (opp. t. 2. p. 758. seqq.) Aug. L. 5. de Civ. Dei fere per totum, Leon. I. ep. 93. (al. 15.) Euseb. L. 6. de Præp. Evang. c. 6. et seq., Boet. L. 4. pros. 6. de Consol.; partim ex ratione, qua ostenditur nullum esse cœlorum influxum saltem per se et directum in animas humanas ac voluntates, aut eumdem libertati maxime inimicum.

185. *Dico II.* Res humanæ non eveniunt casu fortuito, sed a Deo moderatore diriguntur.

*Prob.* 1ª. *p.* Ut aliquid respectu causæ, per intellectum et voluntatem operantis, dicatur fortuitum et casuale, non sufficit quod hoc sit contra vel præter illius voluntatem, sed requiritur etiam, ut sit præter scientiam vel opinionem operantis; sed nihil præter Dei scientiam accidit, cum Deus quæcumque certo cognoscat : quin nec aliquid est præter Dei voluntatem, ut declarat S. Aug. L. 3. de Trin. c. 4. his verbis : *Nihil fit visibiliter et sensibiliter, quod non de interiore invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur , secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica*; et ut ostendit ratio creaturarum in fieri, esse et conservari a Deo dependentium; ergo.

*Conf.* ex pluribus prædictionibus et prophetiis in S. Scriptura multo ante consignatis et eventu confirmatis, quæ demonstrant res illas non sciente tantum sed et dirigente Deo, minime autem casu aut fortuna, contigisse.

*Prob.* 2ª. *p.* Sap. 8. 1. dicitur : *Attingit a fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter*. Job. 34. 13. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est.* Psal. 148. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum : quæ faciunt verbum ejus.* Prov. 16. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed a Deo temperantur.* Matth. 10. 29. *Nonne duo passeres asse veneunt et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro ?*

*vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Quid autem magis casuale videri potest, quam tempestatis varietas, eventus sortium, passeris lapsus, aut capillus defluus? Idipsum ostendit cædes hominis facta a lignatore præter ejus intentionem, Exod. 21. 13. tamen Deo tributa; electio Saulis in regem, dum quæreret asinas perditas, et Josephi venditi ac incarcerati exaltatio, quæ Dei tamen consilio ac dispensatione facta constat.

*Conf.* Agens perfectissimum, quod res omnes producit, eas etiam ad fines suos ordinat; quia quod perfecte agit, propter finem agere oportet: sed Deus et est agens perfectissimum, et omnia producit; ergo.

186. *Dico III.* Deus rerum omnium et singularum, etiam vilissimarum, habet curam et providentiam.

*Prob. I.* Ex Scriptura generatim: Eccles. 5. 5. *Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam, nec dicas coram angelo: non est providentia.* Sap. 6. 8. *Æqualiter cura est illi de omnibus.* c. 12. 13. *Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus.* Actor. 17. 25. *Ipse dat omnibus vitam et inspirationem et omnia: fecitque ex uno omne genus hominum habitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum.* 1. Petr. 5. 7. *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Speciatim quoad res viliores: Psal. 146. 8. *Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam: qui producit in montibus fœnum, et herbam servituti hominum: qui dat jumentis escam et pullis corvorum invocantibus eum.* Matth. 6. 26... *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et pater vester cœlestis pascit illa. Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Si autem fœnum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei?* Utrique classi adde dicta de malis sive naturæ ac pœnis, sive culpæ ac peccatis: Amos 3. 6. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Psal. 33. 17. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Psal. 32. 10. *Dissipat consilia gentium, reprobat cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.* Ad Rom. 9. 22. 23. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ;* qua ratione, *vitiorum nostrorum non est auctor Deus; sed tamen ordinator est,* ut S. Aug. L. imp. de Gen. ad lit. c. 5. n. 25. scribit, et hinc providentiam Dei etiam circa mala asserit.

*Prob. II.* Ex Patribus, qui ex professo hanc controversiam tum contra *Philosophos* tum contra *hæreticos* tractarunt; Tertul. L. 2. cont. Marcion., Lactant. L. de Ira Dei, Chrysost. libris 3. de Provid., Ambros. L. 1. officiorum, Aug. L. 5. de Civ. Dei, Salvianus Libris de gubernatione Dei, Nemesius de natura hominis et Philosophia, Theodoretus Sermonibus decem de Provid. et L. 6. de Græcor. affectionibus, etc. Patrum rationes sunt:

1ª Ex intimo naturæ sensu, qui facit, ut patrato crimine Deum timeamus vindicem, et in angustiis auxilium ejus subito invocemus; Tertul. in Apolog. c. 17., Cypr. L. de idol. vanit. n. 9. Nemes. L. de nat. hom. c. 44.

2ª Ex rerum creatarum indigentia; Athenag. L. de resurr. mort. n. 5. Cyril. Alex. L. 9. in Joan. (opp. t. 4. p. 793. D.), Aug. L. 4. de Genes. ad lit. c. 12. n. 22. Prosper Carm. de Provid. v. 154. seqq.

3ª Ex parte Dei depromitur; et quidem 1. ex ipso nomine ac conceptu divinitatis; TERTULL. L. 2. cont. Marc. c. 24., LACTANT. L. de ira c. 4. et 9. 2. ex singulis Dei perfectionibus, Dei scientia, omnipotentia, bonitate et justitia; SALVIAN. L. 2. de gubern., AMBROS. L. 2. de offic. c. 13., GREG. L. 24. mor. c. 11. (al. 2°. n. 46.), FULGENT. L. de fid. ad Petrum, c. 3. 3. ex providentiæ cum Dei perfectionibus convenientia.

Sed neque dedecere Deum minimorum providentiam, quod aliqui objiciebant, probant PATRES ex triplici capite; nempe, quia ex rebus vilibus nihil vilitatis contrahit, minima etiam creavit, et in his æque ac magnis mirabilis est. 1ᵘᵐ ostendit NEMES. ibid. sic scribens: *Aut ob superbiam Deus imperium et gubernationem rerum singularum despicit (quod dictu absurdissimum est) aut, sicut ipsi loquuntur, quod inquinationem devitet. Quod si radii solares vim habent attrahendi humorem omnem, negant inquinari solem, ejusque radios, cum cœno lucem inferunt, sed integros et ab omni sorde puros manere dicunt: quomodo Deum rebus humanis profanari existimant?* Hoc argumentum a comparatione solis ductum etiam ANAST. SYNAITA L. 2. de rectis fid. dogm. urget. 2ᵘᵐ CYRILL. Alex. L. 1. 5. Thes. (opp. t. 5. p. 151. A.) *Superbiæ certe vitium Deo injicere conamini, cum dicatis, non esse decens, ut minimarum rerum creator sit. Ipse autem omnium creator est etiam minimorum, et omnibus providet.* 3ᵘᵐ Aug. L. 11. de Civ. c. 22. *Deus ita artifex est magnus in magnis, ut minor non sit in parvis: quæ parva sunt, non sua granditate, quæ nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt.* V. PETAVIUM, de Deo L. 8. c. 2. 3 et 4.

187. *Obj. I.* Providentia est 1°. virtus composita, cum pertineat ad intellectum et voluntatem; 2°. pars prudentiæ; 3°. est temporalis, utpote res temporales respiciens: sed nec quid *compositum* potest esse in Deo tanquam ente simplicissimo; neque *prudentia,* utpote quæ dicit inquisitionem mediorum et consultationem; neque quid *temporale,* cum omne, quod in Deo est, æternum sit; ergo.

R. *Ad* 1ᵃᵐ. *p. D. M.* Providentia est virtus composita compositione mera rationis *C.* compositione reali *N.* Intellectus et voluntas in Deo sunt idem; ideoque compositio, ex respectu ad intellectum et voluntatem resultans, simplicitatem nec in providentia nec in Deo tollit.

*Ad* 2ᵃᵐ. *p. D. M.* Est pars prudentiæ, prout hæc importat perfectionem, et ordinationem rerum ad finem *C.* prout imperfectionem in subjectis creatis dicit, cujusmodi sunt consultatio, inquisitio mediorum, sollicitudo et labor in exequendo *N.*

*Ad* 3ᵃᵐ. *p. D. M.* Providentia est temporalis secundum executionem *C.* secundum ordinationem *N.* Deus enim ab æterno cuncta sapienter ordinavit, quæ in tempore exequitur.

*Inst.* 1. Juxta S. AUG. in Enchir. c. 17. *Melius est quædam nescire, quam scire:* sed quod melius est, Deo est tribuendum; ergo et quorumdam nescientia Deo tribui debet, et consequenter eorum providentia negari. *Conf.* Nec entia necessaria nec libera indigent Dei gubernatione; quia illa sunt determinata ad unum, hæc vero sibi ipsis ac voluntati propriæ sunt relicta; ergo providentiæ divinæ non subduntur.

R. *D. M.* Quædam nescire melius est creaturis *C.* Deo est melius et per

se *N*. In quantum per cognitionem rerum vilium impedimur a consideratione meliorum, cum non possimus multa simul intelligere; aut in quantum cogitatio malorum pervertit subinde voluntatem nostram in malum; eatenus respectu hominum melius est vilia et mala nescire: sed cum Deus uno intuitu omnia videat, nec ejus voluntas flecti ad malum possit, hoc dictum in Deo locum non habet.

*Ad Conf.* R. *N. A.* Cum enim nec causæ necessariæ ex natura, nec liberæ ex voluntate ita agant, ut inde excludatur Dei concursus et causalitas; etiam ejus providentia abesse non potest: præsertim quod, sicut Deus omnes effectus ordinavit ab æterno, sic etiam exequatur in tempore.

*Inst.* 2. Apostolus 1. ad Cor. 9. ait: *Numquid de bobus cura est Deo?* et D. Thom. p. 1. q. 23. a. 7. in θ. *Licet Deus sciat numerum omnium individuorum, non tamen numerus vel boum vel culicum vel aliquorum hujusmodi est per se præordinatus a Deo*; ergo de rebus vilioribus saltem non datur providentia.

R. *D. A.* et explico textum Apostoli: Deo non est cura præcipua de bobus, aut specialis, qualis de hominibus *C.* nulla, aut absolute Deo cura non est de bobus *N.* S. Paulus hic loci declarat, licitum sibi fuisse, accipere a Corinthiis victum et alimoniam, tanquam justum laboris sui in prædicando et ministrando debitumque stipendium; idque probat exemplo *vinitoris* et *pastoris*, qui de vineæ fructu bibunt et de lacte gregis manducant: in cujus confirmationem adducit præceptum Deuter. 25. datum: *Non alligabis os bovi trituranti*; atque hujus sensum præcipuum negat esse de jumentis, sed vult intelligi de ministris, qui laborant et triturant in area Domini; quia homines longe magis et specialius curat Deus, quam boves.

Explico etiam textum S. Thomæ: Numerus rerum hujusmodi non est præordinatus per se seu propter se et principaliter *C.* simpliciter non est præordinatus, et nequidem minus principaliter propter aliud *N.* S. Doctor se ipsum exponit tum hic tum q. 5. de Verit. art. 3. *Sciendum, quod aliquid provideri dicitur dupliciter, uno modo propter se, et alio modo propter alia: sicut in domo propter se providentur ea, in quibus essentialiter consistit bonum domus, sicut filii, possessiones et hujusmodi; alia vero providentur ad horum utilitatem, ut vasa, animalia et hujusmodi; et similiter in universo illa propter se providentur, in quibus essentialiter consistit perfectio universi; et hæc perpetuitatem habent, sicut et universum perpetuum est. Quæ vero perpetua non sunt, non providentur nisi propter alium; et ideo substantiæ spirituales et corpora cœlestia, quæ sunt perpetua et secundum speciem et secundum individuum, sunt propter se et in specie et in individuo provisa: sed corruptibilia perpetuitatem non possunt habere nisi in specie; unde species ipsæ sunt provisæ propter se, sed individua eorum non sunt provisa, nisi propter perpetuum esse speciei conservandum.*

*Inst.* 3. Juxta S. Thom. l. c. art. 2. æqualis est ambitus causalitatis et providentiæ: sed peccata non pertinent ad sphæram causalitatis divinæ; ergo nec ad providentiam.

*Conf.* Axioma est a Nemesio, Theodoreto ac Damasceno usurpatum: quæ sunt in nobis, non esse a providentia; ergo liberæ etiam actiones subtrahuntur divinæ providentiæ.

R. *D. M.* æqualis est ambitus causalitatis et providentiæ, hoc sensu, quod

quæcumque causantur ab agente, per ejus etiam providentiam ordinentur *C.* quod quæcumque per providentiam ordinantur etiam ab eodem causentur, nisi forsan causalitas sumatur pro permissione *N.* 1um duntaxat ibid. et in corpore articuli et in resp. ad 2. docuit S. Doctor, minime autem 2um, sed potius cum S. Aug. sensit, qui L. imp. de Genes. ad lit. c. 5. n. 25. ait: *Quædam et facit Deus et ordinat: quædam vero tantum ordinat.*

*Ad Conf.* R. *D. A.* Axioma est: quæ sunt in nobis, non esse a providentia; quatenus actiones nobis liberæ nec sunt totaliter a divina providentia, seu ab ea sola, nec ab ea necessitatem capiunt *C.* quatenus providentiæ plane subtrahuntur, nec ab ea saltem ordinantur *N.* Exceptionem priorem addit Damasc. L. 2. de fid. c. 29. scribens: *Ea, quæ in nobis sunt, non providentiæ solum sunt, sed et liberæ potestatis nostræ ac arbitrii;* alteram ad alium Damasceni locum ex Dial. cont. Manich. desumptum adjungit S. Th. L. 3. cont. Gent. c. 90. n. 6. inquiens: *ut intelligantur ea, quæ sunt in nobis, divinæ determinationi non esse subjecta, quasi ab ea necessitatem accipientia.* Alterutram expositionem insinuant Nemes. L. de nat. hom. c. 40. et Theodoret. L. 5. de Provid.

188. *Obj. II.* Si qua Deo foret providentia, ea esset omniperfecta: sed quæ in mundo est providentia: non est omniperfecta, nam 1°. non est *sapiens,* cum sinat mundum tantis ac tam variis concuti motibus: 2°. non est *bona,* cum non excludat mala et defectus tum naturæ tum libertatis: 3°. non est *justa,* cum patiatur justos affligi, impios lætari et fortuna florere; ergo.

R. *N. min. Quoad* 1um, sapientiam Dei probant hi ipsi motus et perturbationes, ex quorum effectibus mirabilia ejus consilia sæpe nobis manifestantur; si vero nobis non pateant, non ideo negare fas est; cum altitudo sit divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, incomprehensibilia judicia et investigabiles viæ ejus.

*Quoad* 2um, quare mala Deus patiatur esse, cum bonus sit, respondet Prosper in Carm. de Provid. v. 121-141. quia, quod uni malum, alteri bonum est; unde cum Deus tanquam Provisor universalis respiciat ad bonum totius, ne hoc impediatur, permittit defectum aliquem in particularibus. Cæterum quam apte in universo mala bonis permixta sint, explicant Patres exemplis picturæ, musicæ, orationis, ubi sunt contraposita; corporis, ubi sunt recessus ac eminentiæ, magnitudines et parvitates; terræ, ubi montes et valles etc. Speciatim vero Deus *peccata* permittit, ne libertas hominis destruatur, sine qua meritum bonorum operum non eluceret; et ut potentiam suam ac bonitatem Deus demonstret, dum bene de malo facit, ut S. Aug. L. 11. de Civ. c. 18. et in Enchir. c. 11. ostendit.

*Quoad* 3um, justitiam Dei in his vindicant Ambros. Offic. L. 1. c. 12., Aug. de civit. Dei L. 1. c. 8., Greg. M. moral. L. 14. c. 23. 24. (al. 51. 52). Theodoret. et alii, apud Petav. de Deo L. 8. c. 5. rationes plures istius permissionis proferentes. Sufficere interim possunt: ut justi a levibus quibusdam noxis purgentur, tentationibus exerceantur, proficiant et probentur: ut iidem patientiæ, humilitatis aliarumque virtutum materiam habeant, et admoneantur præsentia contemnere, vitam meliorem expectare: ut impiorum, si quæ bona fecerint, merita præmiis temporalibus compensentur: ut his

bonis, quasi illecebris, eosdem ad æternam felicitatem Deus alliciat, aut tanquam mediis instruat, quibus salutem suam mercari queant.

*Inst.* Providentia divina vel est generalis, vel particularis : non 1$^{um}$. quia sic non esset providentia singulorum : non 2$^{um}$. quia si in singulis spectatur bonum privatum concordare cum bono totius, sufficit providentia generalis; si autem non concordat cum bono totius, providentia particularis est inefficax. *Conf.* Sicut Regi magis convenit, rerum inferiorum curam committere ministris, quam id negotium per se gerere; sic et Deo id convenit; imo hanc providentiam videtur Deus commisisse angelis, quorum legationes in Scriptura leguntur, et nomen est Spirituum administratoriorum; ergo providentia non in Deo sed in angelis residet.

R. Providentia divina generalis æque ac particularis est tam quoad subjecta quam quoad fines subjectorum; quia omnium in genere et singulorum in specie curam gerit, atque ad fines proprios ordinat : si tamen finis et bonum particulare stare nequeant cum bono communi, ita præfert bonum commune, ut simul amet particulare, et vel non nisi permissive se habeat ad ejus malum, vel solum voluntate consequente malum velit.

*Ad Conf.* R. *quoad* 1$^{um}$. *N. A.* Non enim dominii et potestatis argumentum est, quod Reges per constitutos a se Vicarios remotas regant provincias, et munia exerceant, sed impotentiæ potius ac limitationis testimonium; cum nec ubique præsto esse, nec omnia simul saltem præstare queant : e contra Deus, qui est omnipotens, sapientissimus et immensus, propria potestate disponit et agit omnia. *Quoad* 2$^{um}$. *D. A.* Videtur hanc provinciam providentiæ commisisse angelis quoad ordinationem *N.* quoad executionem *Subd.* vel ex necessitate aut virium defectu, vel illis solis rem perficiendam cedendo *N.* ad ostendendam dominationis suæ magnificentiam et eum ac in angelis, sicut in reliquis omnibus creaturis, omnia simul agendo *C.*

## ARTICULUS II.

### AN IN DEO DETUR PROVIDENTIA SUPERNATURALIS?

189. *Nota I.* Cum providentia supernaturalis dicatur a fine ac mediis, quæ naturam superant; finis autem supernaturalis hominis sit æterna salus seu beatitudo, et media huic fini proportionata sint gratiæ ac dona supernaturalia : hinc quæstio ad statum naturæ lapsæ restricta profertur his verbis : An Deus habeat voluntatem salvandi omnes homines, eamque *seriam*, h. e. talem, qua non tantum exoptet ac intendat omnium salutem, sed et ad hanc consequendam præparaverit omnibus ac singulis media divinæ gratiæ sufficientia? Non autem quæritur de voluntate absoluta et *efficaci* ac consequente; cum certum sit, multos non salvari : nec de voluntate externa et metaphorica seu *signi*; cum aliunde certum sit Deum prohibere omnibus malum, ac præcipere tum bonum tum consecutionem æternæ salutis : nec de voluntate antecedente *simplicis complacentiæ*; cum hic affectus respiciat duntaxat salutem possibilem, et quamvis in Deo sit necessarius, tamen concipitur ut sterilis et otiosus, cum vi illius præcise nullum medium applicetur ad obtinendum objectum volitum: nec de voluntate *simplicis desiderii*; quia quatenus hæc quidem activa est mediorum, sed nec efficacium, nec

etiam relative sufficientium, ab adversariis admittitur; sed de voluntate antecedente et conditionata, vera et propria beneplaciti, seria et activa mediorum relative etiam sufficientium.

190. *Nota II.* Præter eos, qui recte et catholice de hac quæstione sentiunt, tres classes Auctorum distinguere oportet.

1ª. Est Hæreticorum, qui voluntatem in Deo salvandi homines quidem admittunt, sed adjunctis simul erroribus; uti *Origenistæ,* quos quidam compellarunt *Misericordes,* eo quod dicerent vel ipsos damnatos, vel omnes vel plures certe sub diem judicii esse salvandos, ut L. 21. de Civ. c. 17. seq. S. Aug. refert. *Pelagiani* vero et *Semipelagiani* errabant : *Primo,* quod affirmarent Deum velle *indiscrete,* et indifferenter seu æqualiter omnes homines salvos fieri, ita ut peculiari affectu non magis velit salutem prædestinatorum, quam reproborum ; constat ex ep. Prosperi ad Aug. n. 4. et ex Fulgent L. de Incarn. et Grat. (al. ep. 17.) c. 29. *Secundo,* quod ita docerent, Deum omnes velle salvos fieri, si ipsi velint, ut hanc hominum voluntatem salutis, non divinæ gratiæ auxilio, sed solis *naturæ* viribus adscriberent; constat ex ep. Hilarii ad Aug. n. 2. et ex Aug. L. 4. adv. Julian. c. 8. n. 42. *Tertio,* quod idem dicerent de salute infantium dependenter ab eorum voluntate *conditionate* futura, quam nempe habituri a Deo prævidebantur, si ad pleniorem ætatem pervenissent ; constat ex ep. cit. Prosperi n. 5. et ex ep. 105. (al. 194. c. 8. n. 35. seq.) S. Aug. ad Sixtum. *Quarto,* quod statuerint Deum ita homines, si ipsi velint, velle salvos, ut una ex parte non possit eos salvare, nisi homines propriis viribus salutem peterent, quærerent et pulsarent : ex altera autem parte debeat eos salvare, si prævideat bene operaturos; quandoquidem opera *naturalia* respective ad gratiam, et opera ex gratia facta respective ad salutem ponebantur tanquam certa lex, mensura ac regula, qua Deus infallibiliter moveretur ad gratiam vel salutem tribuendam; constat rursus ex Aug. ep. 105. (al. 194. c. 2. 3.) ad Sixtum, et Prospero in Carm. de Ingratis L. 2. c. 10.

2ª. Rursus est Hæreticorum, voluntatem divinam salvandi omnes negantium. Ad hanc referuntur imprimis *Prædestinatiani,* quorum iste inter alios error erat, Deum non velle salvare, nisi solos electos : Calvinus passim, toto opere de æterna Dei prædestinatione, docet Deum nolle omnes salvos fieri , sed solos electos ; cum vero non satis sibi constaret, jamque illam voluntatem, qua Deus non vult salvare omnes, diceret priorem prævisione peccati originalis, jam vero ista prævisione posteriorem; ortæ sunt inter *Calvinianos* sectæ binæ, quarum una diceret jam, ante lapsum primi hominis prævisum, a Deo aliquos ad salutem, alios ad interitum destinatos; unde *Antelapsarii* dicebantur : altera vero *Postlapsariorum* dicta doceret duplicem hanc destinationem post lapsum prævisum evenisse ; quæ quidem pars maxime per *Dordracenam Synodum* confirmata, nunc inter Calvinianos plerosque invaluit. Demum Jansenius L. 10. de grat. Christi c. 2. sic ait : *Non potest statui voluntas generalis, qua Deus omnes homines in damnatione primi peccati positos velit salvos fieri, et ex qua voluntate generali remedia et auxilia sufficientia sint omnibus præparata.* Huic declarationi jam L. 3. c. 20. præmiserat illorum Apostoli verborum: *Deus vult omnes homines salvos fieri* etc., diversas Augustini expositiones; illam vero, quæ hæc verba de generali voluntate Dei, quan-

tum in ipso est, salvandi omnes homines explicat, rejicit *tanquam quæ neque veris gratiæ defensoribus unquam placuit, sed graviter improbata est, neque verbis Apostolicis congruat, sed ab errantibus introducta, et pertinaciter defensa fuit.*

Jansenii doctrina L. 3. c. 17. 20. 21. hæc est: 1°. admittit in Deo voluntatem *antecedentem* salvandi omnes homines, sed hos secundum se considerando, et abstrahendo ab illorum peccato, seu ante illorum lapsum prævisum. 2°. Eamdem voluntatem statuit *actuosam*, utpote ex qua primorum hominum gratia sufficiens, aliaque media procurandæ saluti necessaria profluxerint. 3°. Considerando autem homines cum peccato et post eorum lapsum, antecedentem voluntatem statuit in sola præcisione mentis, et nuda quadam *velleitate* nihil omnino operante, et quam etiam Deus habeat erga angelos et homines damnatos. 4°. Hanc tamen voluntatem illusoriam, otiosam, ac penitus sterilem esse negat; tum quia paratus est etiamnum conferre omnibus, quam ante peccatum homini conferebat, gratiam, si voluntatem ejus usui sufficientem reperiret: tum quia tribuit quidquid creaturæ rationali a se conditæ ad audiendam sequendamque vocem suam necessarium fuit. Ex quo constat errorem Jansenii in eo versari, quod auxilia gratiæ, quæ Deus ex voluntate antecedente reprobis dat, vel dare paratus est, non sint *relative* sufficientia, nec voluntati vires vere sufficientes præstent, ut oppositam actualem concupiscentiam hic et nunc prementem superare possint.

3ª. Est Theologorum, qui, quamvis gratias *relative* sufficientes omnibus, etiam prædestinatis, concedi doceant, tamen in modo loquendi circa voluntatem Dei salvandi omnes, discrepant a sententia communi. Huc spectant: 1°. Qui nullam aliam admittunt omnium salvandorum in Deo voluntatem, quam *signi*; cum enim solam illam voluntatem dicant beneplaciti, quæ efficax est et finem consequitur, multi autem non salventur: respectu reproborum voluntatem beneplaciti, seu simpliciter talem in Deo negant. 2°. Qui voluntatem hanc negant esse in Deo *actualiter* et *formaliter*, licet concedant adesse virtualiter et eminenter; quia hic actus: *Volo omnes salvos fieri*, secundum propriam formam non reperitur: in Deo tamen realiter est fons bonitatis ac misericordiæ, vi cujus media generalia contulit, et humano generi proposuit, quibus ad salutem perduci queat. 3°. Qui voluntatem hanc explicant per solum amorem *complacentiæ* circa salutem omnium non solum ut possibilem, sed et ut futuram, nempe conditionate; simul tamen adjungunt huic complacentiæ simplici actum in Deo alium, vi cujus ad extra operatur, quæ ad salutem conducunt. 4°. Qui antecedentem, veram ac seriam *beneplaciti* voluntatem admittunt; sed eam sic explicant, ut non versetur circa salutem ipsam, sed tantum circa salutem antecedentia, auxilia nempe gratiæ vere sufficientia.

191. *Dico I.* Deus voluntate antecedente, vera et propria, sincera ac seria vult salvos fieri non tantum *prædestinatos*, sed etiam alios quosdam. Est *de fide*, et definitum tum in Conciliis Arelatensi, Moguntino, Carisiaco, Tullensi et Valentino contra Prædestinatianos; tum ex condemnatione propositionis quintæ Jansenii.

*Probatur I. ex* Scriptura. Joan. 6. 39. dicitur: *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo,... ut omnis,*

*qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam.* Joan. 17. 12. subjungitur : *Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis,* scilicet Judas. Ex his sic arguitur : Vera et sincera in Deo voluntas fuit salvandi eos, quos Pater Filio tradidit, ut salvi forent : sed inter eos, quos Filio Pater tradidit, fuit aliquis non prædestinatus, nempe Judas ; ergo vera et sincera in Deo voluntas fuit salvandi aliquem non prædestinatum; ergo non solos prædestinatos Deus vult salvos fieri. Huic argumento suffragantur Chrysost. in Joann. hom. 45. n. 2. Theophyl. in c. 6. Joann. v. 37. et in c. 17. v. 12. Cyril. Alexandr. in. Joann. c. 6. v. 37. qui, cum dicant Judam fuisse Christo datum, et tamen fuisse filium perditionis, falsitatis damnant Jansenistarum versionem Montensem, qua loco vocabuli *nisi* substituerunt τὸ *sed;* ut sensus fiat : nemo ex iis, quos dedisti mihi, periit, sed tantum filius perditionis.

*Conf.* 1. ad Thess. 3. 9. dicitur : *Non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per D. N. J. C., qui mortuus est pro nobis;* quibus verbis manifeste ostendit Paulus voluntatem veram et sinceram Dei salvandi omnes Thessalonicenses : sed nullum est fundamentum dicendi, omnes Thessalonicenses fuisse prædestinatos; ergo.

*Prob. II. ex* Ratione. Deus vult sincere salutem omnium illorum, quos adoptat in filios, et regni sui hæredes constituit; quia ex terminis implicat aliquem constituere regni cœlestis hæredem, et non velle sincere ejus salutem : sed *de fide* est, quod Deus præter prædestinatos etiam alios adoptet in filios, et regni sui hæredes constituat; quia in re ipsa aliqui reprobi justificantur, ut patet ex Trid. Sess. 6. Can. 17. dicente : *Si quis justificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, anathema sit;* quod autem, qui justificantur, fiant filii Dei adoptivi, et hæredes cœlestis regni constituantur, liquet ex eod. Sess. ead. ubi c. 4. dicitur, quod justificatio *sit translatio in statum gratiæ adoptionis filiorum Dei;* et c. 7., quod in justificatione *homo ex injusto fiat justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ;* ergo Deus vult sincere salutem etiam aliorum præter prædestinatos. *Conf.* ex morte Christi pro salute etiam aliorum quam prædestinatorum.

192. *Dico II.* Deus eadem voluntate vult omnes homines, *nullo excepto,* salvos fieri. Hæc assertio, si non est de fide, ut tamen argumenta referenda cuilibet facile persuadebunt, est saltem *fidei proxima,* atque ita certa, ut præter publicam atque expressam Ecclesiæ declarationem nihil desit, quominus fidei certitudinem habeat.

*Prob. I. ex* Scriptura. 1. ad Tim. 2. 1... ait Apost. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus : pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, Homo Christus Jesus, qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.* Loquitur autem : 1°. de voluntate vera et *propria,* cum nihil sit, quod eam metaphorice ac improprie pro voluntate meri signi jubeat accipi : 2°. de voluntate *sincera, seria* et *actuosa;* cum ex ea destinatus sit

Christus mediator hominum, qui et seipsum dedit redemptionem pro omnibus : 3°. de voluntate *antecedente* ; cum aliunde certum sit, hanc voluntatem non esse absolutam et efficacem , quæ in omnibus impleatur : 4°. de voluntate respiciente *hominem lapsum*; cum de redemptione loquatur , quæ illi uni necessaria est et hoc præsupponit. Deinde constat voluntatem hanc Dei ad *omnes* et *singulos* homines extendi. Sicut enim hic monet, *orandum* esse pro omnibus, nullo excepto ; et sicut dicit, tum *Deum* unum esse omnium et singulorum, tum Christum esse *Mediatorem* Deum inter ac omnes homines, et Redemptorem etiam omnium, nemine excepto ; sic dum asserit, Deum velle omnes homines salvos fieri, intelligi debet neminem excepisse, præsertim cum ideo orandum dicat pro omnibus, quia Deus omnes vult salvos fieri ; et ideo asserat id velle, quia unus omnium Deus est, et Christus Mediator ac Redemptor omnium.

*Conf.* 1. Iis testimoniis, quæ ostendunt Deum nolle aliquem perire; Ezech. 36. 11. *Vivo ego, dicit Dominus ; nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua, et vivat.* Matth. 18. 14. *Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.* 2. Petr. 3. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.*

*Conf.* 2. Iis, quæ significant bonitatem Dei in omnes; Genes. 22. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes generationes.* Joan. 1. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Matth. 18. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* Ad Ephes. 4. 6. *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.*

*Conf.* 3. Illis, quæ demonstrant Christum esse Salvatorem et Redemptorem omnium; Joan. 4. 42. *Ipsi audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi.* Matth. 18. 11. *Venit Filius hominis salvare quod perierat.* Ad Rom. 8. 32. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* 2. ad Cor. 5. 14. *Quoniam si unus mortuus est pro omnibus, ergo omnes mortui sunt ; et pro omnibus mortuus est Christus.* 1. Joan. 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris ; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

*Prob. II. ex* Traditione. Et quidem 1°. ex *Conciliis,* inter quæ Arelatense (Labb. t. 4. p. 1043. B.) probavit hanc damnationem erroris sexti : *Anathema illi qui dixerit quod Christus non pro omnibus mortuus sit , nec omnes homines salvos esse velit.* Carisiacum autem cap. 3. sic inquit (Labb. t. 8. p. 157. A.) : *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Conf.* tum ex Conc. Trid., quod Sess. 6. c. 2. et 3. docet, Christum pro omnibus et singulis mortuum; tum ex symbolis Nicæno et Athanasiano, quorum illud *propter nos homines, et propter nostram salutem descendisse;* hoc vero *propter nostram salutem passum* esse Christum proponunt; quæ locutio et universalis est, et non tantum credentes ac profitentes, sed alios comprehendit.

2°. Ex *Patribus.* Græcos nobis sponte, non tamen sine maxima in eos irreverentia, Jansenius concedit, dum inquit : *Nulli imperfectius de gratia, quam Græci, sunt locuti.* Ex Latinis sufficere potest Aug., et qui illius aut coævi, aut sectatores præcipui fuerunt. Sic autem L. de sp. et lit. c. 33. n. 58. inquit : *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem*

*veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt; verum seipsos fraudant magno et summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.* Et lib. de Catech. rud. c. 26. n. 52. *A quo interitu, hoc est pœnis sempiternis Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit unigenitum Filium suum.* Enarrat. in Psalm. 95. num 15. : *Judicabit orbem terrarum in æquitate : non partem, quia non partem emit : totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* His adde L. 20. de Civ. c. 6., L. 6. cont. Julian. c. 4. n. 8., L. 2. op. imperf. n. 175. ubi Christum pro omnibus, etiam parvulis, mortuum esse docet. Ex coævis S. Ambros. L. de parad. c. 8., S. Hieron. Comment. in c. 1. ep. ad Ephes., S. Prosp. in Resp. ad 2am object. Vincent. et alii. V. Petavium de Deo, L. 10. c. 4. n. 3 et seqq.

*Conf.* ex unanimi veterum et recentiorum Scholasticorum, paucis quibusdam exceptis, consensu, quem Grandin, in Comment. hist. de Prædest. et reprob. c. 11. auctores plerosque omnes a seculo duodecimo usque ad superius percurrens, in observationibus c. *ult.* adjectis, ostendit.

*Prob.* 3. *ex* Ratione. Ex parte *Dei* quidem, 1a. desumitur ab ejus providentia. Nam vi hujus debet res quaslibet ad fines proprios per media idonea dirigere et perducere : sed hominis finis est salus æterna, et media ad eam idonea sunt gratiæ auxilia sufficientia ; ergo et salutem intendere, et auxilia sufficientia dare debet, ac consequenter serio, quantum est ex se, velle omnes fieri salvos. 2a. Ducitur ab amore Dei. Deus res quaslibet a se factas amore singulis proportionato prosequitur ; ergo cum homines etiam præ creaturis reliquis amet, et ad hunc amorem maxime pertineat voluntas eos salvandi; hæc omnino asserenda est.

Ex parte *hominis* rursus duplex ratio. 1a. petitur ex firmitate spei christianæ. Nam juxta 1. Petr. 1. 3., et Trident. Sess. 6. 13. omnes prorsus homines *firmissimam salutis spem* in Dei auxilio collocare debent : sed nisi Deus omnes, etiam non prædestinatos, salvos fieri vellet, spes illa non nisi fluctuans et incerta esse posset, minime autem firmissima; cum nullus sit certus, num ad prædestinatorum numerum pertineat; ergo. 2a. Sumitur ex necessitate charitatis divinæ. Ad hanc enim accendit amor Dei in homines, et mors Christi pro nostra salute tolerata : sed hæc incentiva amoris eripiuntur, nisi Deus intelligatur sic dilexisse mundum seu homines omnes et singulos, ut eos salvos vellet, iisque suum Unigenitum daret ; ergo.

*Conf.* Ubi Deus signis et argumentis externis testatur se aliquid velle, ibi ejus voluntatem veram et sinceram habet; nisi forte alio signo ipsemet contrarium doceat : sed Deus, signis et argumentis externis, testatur se velle salutem omnium; quia ad eam omnes invitat, ad illam sectandam præceptis, promissis et minis incitat, et se fecisse omnia declarat quæ requiruntur ac sufficiunt ad eam obtinendam; nec alio signo ullo contrarium manifestavit; ergo.

193. *Obj. I.* Ad Rom. 9. Paulus quatuor proponit : 1°. quod Deus Jacob dilexerit, et Esau odio habuerit, antequam nati essent et quidquam boni vel

mali fecerint: 2°. quod Deus cujus vult misereatur, et quem vult induret: 3°. quod hunc faciat vas in honorem, alium vero faciat vas in contumeliam: 4°. quod non sit currentis neque volentis, sed miserentis Dei. Sed cum his, sive per ea intelligatur prædestinatio ad gloriam, sive vocatio ad gratiam fidei, nequit conciliari voluntas Dei salvandi omnes; ergo.

R. *D. min.* Cum his nequit conciliari voluntas Dei salvandi omnes, sive per ea intelligatur prædestinatio ad gloriam sive vocatio ad fidei gratiam, siquidem sumantur secundum scopum et sensum Apostoli *N.* si ita non sumantur *C.* Scopum epistolæ ad Rom. exponit S. Aug. L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 2. sic scribens: *Intentionem Apostoli, quæ per totam epistolam viget, tenebo quam consulam. Hæc est autem, ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quod datæ sibi legi servivissent et ex hoc Evangelicam gratiam tanquam debitam meritis suis percepissent, quia legi serviebant: unde nolebant eamdem dari gentilibus, tanquam indignis, nisi judaica sacrificia susciperent.* Hic vero scopus ostendit, nec hic sermonem esse de prædestinatione ad *gloriam,* nec de vocatione ad *gratiam* simpliciter talem ac de distributione auxilii sufficientis, quod uni detur, alteri negetur; sed de vocatione ad gratiam *fidei,* et de distributione doni *majoris* ac potioris: hancque vocationem et distributionem omnino esse gratuitam.

Itaque advertendum est, temporibus Apostolorum tres præcipuos errores fuisse disseminatos: *primus* erat, Christum fuisse Judæis datum ob illorum merita per legis observantiam: *secundus,* posteritatem Abrahæ, cui facta est repromissio, computandam esse secundum propagationem et filiationem carnis: *tertius,* igitur solos Judæos ad fidem et gratiam Evangelii esse admittendos. Hos errores S. Paulus eversurus tres propositiones in epistola ad Rom. opponit: *prima* est, Christum non esse datum ob ullorum merita, sed ex gratuita Dei misericordia et bonitate: *secunda,* Abrahæ posteritatem, cui promissio Christi facta est, esse sumendam secundum propagationem spiritus; adeoque in filios Abrahæ computandos, qui spiritum et fidem Abrahæ imitantur, fidem Christi suscipiunt et ad veritatem Evangelii veniunt, sive secundum carnem filii Abrahæ sint, sive non sint: *tertia,* igitur prædicandum Evangelium tum Judæis tum gentilibus, et nullos esse excludendos.

Porro *prop.* 1am. Apostolus probat imprimis ex hoc, quod tam *Judæi* qui legem habebant, quam *Gentiles* qui sine lege vivebant, erant, ante Christi adventum, peccatis pleni et sine meritis bonorum operum; quod argumentum cap. 1. 2. et 3. tractat: deinde ex eo quod ipsemet Abraham, cui facta de Christo repromissio, non per operum merita sed per *fidem* fuerit justificatus; et hoc in c. 4. exponit: postea per c. 5. et 6. exinde, quia omnes sive Judæi sive gentiles in Adam sunt mortui, et solus Christus omnium sive Judæorum sive gentilium est redemptor et vivificator: demum, quia lex Judæis data non habebat vim purgandi homines a peccatis et vivificandi, quam solam habet gratia, et qua gratia adveniente lex est exinanita; ut in c. 7. et 8. exponit: postremo, quia cum multi essent filii Abrahæ secundum carnem, non attentis eorum operibus, alios computavit intra semen repromissionis, scilicet *Isaac* et *Jacob,* alios exclusit, nempe *Ismael* et *Esau;* quod c. 9. ostendit.

2am. *Prop.* iisdem argumentis probatam, ex instituto incipit ostendere in cit. c. 9. et 10.; et quidem 1°. ex exemplis *Ismaelis* et *Esau,* qui quamvis

secundum carnem essent filii Abrahæ, tamen in ejus semine non computantur sicut *Isaac* et *Jacob*: 2°. ex testimoniis Oseæ ac Isaiæ, quæ docent vocatos non ex Judæis solum sed et ex gentibus : 3°. ex eo quod sicut justitia non est ex *lege* sed ex *fide*, quæ omnibus proponitur, sic filiatio Abrahæ, cui facta de Christo promissio, ex omnibus, et hinc non ex solis Judæis, sed etiam ex gentilibus sit accipienda : 4°. quia salus obvenit mundo ex Dei gratia, non ex operibus, alioqui gratia non esset gratia: Deum autem non solum Judæis dare gratiam sed etiam gentilibus probat quoque testimoniis Scripturarum.

Ex his vero evidenter sequitur 3ª. *propositio*, nempe Evangelium omnibus indistincte, tam gentilibus quam Judæis, esse prædicandum. Unde cum pateat scopum potius oppositum esse conclusioni objectionis, nunc ad sensum objectionum exponendum transimus.

Et quidem *Ad* 1ªm. R. *odium* non sumi stricte et absolute, sed minus stricte et comparative nempe pro minori dilectione, quo sensu accipitur Deut. 21. 15., Matth. 10. 37. et Luc. 14. 26. et in hac significatione secundum sensum historicum Deus *Jacob* dilexit, quatenus ejus posteritati dedit terram lacte et melle fluentem; *Esau* autem odio habuit, quatenus Idumæis ejus posteris dedit terram sterilem, et ut Malach. 1. 3. inquit : *Posuit montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti.* Secundum sensum mysticum autem, quatenus gratuito Jacobi posteris majora gratiæ dona concessit quam Esau filiis.

*Ad* 2ªm. R. Deus gratuito miseretur cujus vult, quia nemini suam gratiam debet: neminem tamen nisi præsupposita peccati malitia excœcat et obdurat, et quidem non positive et impertiendo malitiam, sed permissive tantum et non largiendo gratiam, non quidem nullam, sed efficacem aut majorem.

*Ad* 3ªm. R. Similiter Deus alium facit gratuito *vas in honorem* per vocationem ad fidem : alium relinquendo suæ malitiæ ac obdurationi et sic permissive tantum facit *vas in contumeliam*; unde et dicitur ibidem sustinere vasa hujusmodi in multa patientia : quod tamen in iisdem addatur ostendere iram suam, potentiam ac virtutem, id tantum intentione secundaria contingit, secundum quam, prævisa voluntatis in malo contumacia, deinceps utitur in bonum, id est in manifestationem suæ justitiæ et utilitatem electorum.

*Ad* 4ªm. R. Non esse *currentis* ac *volentis*, sed *miserentis Dei*; tum quia nemo propriis suis viribus et sine gratia currit aut vult : tum quia quantumvis per proprias vires currat ac velit, nihil prodest ad coronam comprehendendam : unde solius Dei per gratiam miserentis est, quæ et gratis datur, et præcipuas partes habet in opere ac cursu salutari.

*Inst.* 1. Deus imprimis non vult exaudire peccatores, ut patet ex 2. Mach. 9. de *Antiocho*, et Joan. 9. ex *cæci nati* sermone : deinde prohibet sæpius, ne fiat oratio pro peccatoribus, quemadmodum Jerem. 7. Prophetæ, et 1. Reg. 16. Samueli prohibuit, ac 1. Joan. 5. 16. Scriptura ait : *est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*; ergo Deus non vult omnes homines salvos fieri.

R. *Quoad* 1ªm. *D.* Deus non audit peccatores impœnitentes, de quibus paræmia cæci nati apud Joannem loquentis intelligi debet *C.* non audit pœnitentes *Subd.* ficte duntaxat nec sincere pœnitentes, ad quos Antiochus memoratus pertinebat *C.* vere ac sincere pœnitentes *N.*

*Quoad* 2um. *D.* Prohibet ne fiat oratio pro iis, qui in peccato obstinati vivunt aut finaliter impœnitentes sunt *T.* pro aliis *N.* Sicut Deus juste negat auxilia abundantiora obstinatis et impœnitentibus, tum quod alias gratias repudiarunt, tum quod ex propria malitia repudiaturi ulterius dandas prævidentur; sic et juste potest prohibere ne sancti orent pro impetrando illis gratiæ auxilio: sicut tamen in *primo* casu non carent penitus omni auxilio etiam sufficienti peccatores ejusmodi, sic nec in *secundo* intelligi potest Deus nolens sufficientes gratias dare. Dixi autem, *Transeat;* tum quia Joannes non prohibet orationem, sed duntaxat eamdem, utpote ex hominum malitia futuram inutilem, non imperat aut suadet: tum quia prohibitio Dei in prioribus est ex supposito prævisæ obstinationis et finalis impœnitentiæ; adeoque non pertinet ad voluntatem antecedentem, sed consequentem.

*Inst.* 2. Omnis voluntas Dei vera et sincera semper impletur, et nihil ei resistit, ut ex Genes. 50. 19, Psal. 113. 3, Esth. 13. 9, Isa. 46. 10, Dan. 4. 32, ad Rom. 9. 19, constat: sed soli electi et prædestinati, non autem omnes prorsus homines salvantur; ergo nec Deus vere ac sincere vult omnes homines salvari.

R. *D. M.* omnis voluntas Dei semper impletur sub aliqua ratione *C.* sub omni ratione *Subd.* si est voluntas absoluta et consequens *C.* si conditionata est et antecedens *N.* Quatenus Deus de iis qui faciunt quod non vult, facit ipse quod vult; aut quatenus qui recedere videntur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabuntur in ipsam secundum alium; eatenus juxta Aug. et D. Thom. dici potest voluntas Dei semper impleri: quod autem voluntas conditionata alio sensu semper impleatur, nec ex Scriptura habetur, ubi potius legitur ex supra dictis contrarium; nec ad hoc, ut efficax dicatur, requiritur ut fiat quod intenditur; sed ut adhibita conditione fiat quod volumus, et ea sublata non fiat.

194. *Obj. II.* Præcipuum dogmatis nostri præsidium petitur ex illa Pauli sententia: *Deus vult omnes homines salvos fieri:* sed hæc nec debet ad omnes et singulos trahi; ergo. *Prob. min.* SS. Patres damnant et redarguunt hanc extensionem; nam Aug. ep. 107. (al. 217. c. 6. n. 19), asserit eos, qui Apostoli verba de omnibus generatim hominibus exponunt, *non intelligere omnino qua locutione sit dictum quod omnes homines vult Deus salvos fieri; cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis.* Idem repetit ipse L. 4. cont. Julian c. 8. n. 42., seqq. Prosp. in ep. ad Ruffin. c. 13. Fulgent. in L. de Incarn. (al. ep. 17). c. 29. Ergo ejus sententia trahi non potest ad omnes et singulos.

R. *N. min. Ad prob.* 1am. *p. D. A.* Patres damnant hanc extensionem in sensu Pelagianorum et Semipelagianorum, seu cum eorum erroribus conjunctam *C.* in sensu orthodoxorum, et ab eorum erroribus puram *N.* Confutat autem hic loci Aug. errorem 3um., Prosper et Fulg. errorem 1um., ut ex contextu patet. Cæterum ab iisdem admitti generalem salvandi omnes voluntatem liquet tum ex eorum sententiis, tum ex illa Aug. notatione, quam L. 1. Retract. c. 16. adjungit: *Quod dixi, illud lumen pura eorum corda pascit, qui Deo credunt et se ad ejus præcepta servanda convertunt, quod omnes homines possunt, si velint: non existiment novi hæretici Pelagiani*

*secundum eos esse dictum. Verum est enim omnino, omnes hoc posse, si velint: sed præparatur voluntas a Domino, et tantum augetur munere charitatis, ut possint.* Quibus verbis aperte fatetur, *omnes* homines salvari posse, si velint, modo illud velle tribuatur voluntati præparatæ a Deo per gratiam, non autem relictæ propriis viribus.

*Inst.* 1. SS. Patres explicant hanc sententiam de voluntate Dei salvandi tantum *prædestinatos*. Hinc enim triplicem expositionem affert Aug. 1°. quidem, ut sit locutio causalis, quatenus Deus vult omnes salvos fieri, quia nos facit velle, ut L. de corr. et gr. c. 14. et L. 22. de Civ. c. 1. habet: 2°. ut sit distributio accommoda negativa, quatenus nullus salvatur, nisi quem vult Deus salvare; et hoc in ep. 107. (al. 217. n. 19). Enchir. c. 103., L. de prædest. c. 8. n. 14. refert: 3°. ut sit distributio accommoda affirmativa pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum; ita rursus in Enchir. c. 103. et in L. de corr. et gr. c. 14. exponit; cui accedunt S. Prosper Carm. de ingr. c. 16. Fulgent. L. de Incarn. (al. ep. 17.) c. 3., Patres Africani exules in epist. Synodica c. 14. n. 15. Ergo non debet voluntas Dei ad omnes trahi.

R. *D. A.* Patres explicant hanc sententiam de voluntate Dei salvandi tantum prædestinatos, ubi loquuntur de voluntate Dei absoluta, efficaci et consequente *C.* ubi loquuntur de voluntate Dei conditionata, inefficaci ac antecedente *N.* Unde etiam *D. Cons.* Ergo voluntas Dei absoluta et consequens non debet trahi ad omnes *C.* voluntas Dei conditionata et antecedens *N.* Loqui in his interpretationibus Aug. de voluntate absoluta et efficaci, satis colligi potest ex uno textu L. de correp. et gr. c. 14., utpote in quo tres illas expositiones adducit; sic autem ibidem loquitur: *Dictum est, omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur prædestinati.... Non est itaque dubitandum voluntati Dei humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult facit.* Idem constat ex contextu de reliquis Patribus; nam Prosper loquitur de voluntate, *quæ ipsa suum consummat opus*: Fulg. rationem hanc addit; *quia Deus noster omnia, quæcumque voluit fecit*: Patres Africani autem similem his verbis; *semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur, quia potestas ejus nullatenus vincitur.* Quamvis vero sub hac distinctione expositionem Augustini admittamus, eamque textui Paulino per aliquam accommodationem aptari posse demus; tamen paraphrasis ista obvia ac naturalis non est, ut ex dictis patet; nec etiam talis Augustino est habita, quod colligitur tum ex hoc, quia expositionem de prædestinatis adhibuit sub hac formula, *potest intelligi*, a qua tamen abstinet in L. de Sp. et lit., L. de Catech. rud. et L. 1. Retr. alibique, ubi textus secundum sensum suum proprium ab eo ad omnes extenditur: tum quod priorem tantum usurpet in certamine contra *Pelagianos* ad eorum objectiones ex eorum principiis diluendas; posteriorem autem, cum ipse quæstionem de hac materia ex propria sententia instituit ac definit.

*Inst.* 2. Si posset aut deberet hæc sententia extendi ad *omnes*; ergo debuisset esse aliqua ratio urgens, cur SS. Patres præcipue in pugna contra *Pelagianos* et *Semipelagianos* non protulerint illam explicationem de voluntate generali, sed restrinxerint ad prædestinatos: talis autem nulla assignari potest; ergo.

R. *N. min. Ratio* cur contra *Pelagianos* non protulerint sensum textus universalem est, quia illi admiserant voluntatem in Deo salvandi omnes, cui tamen dogmati adjungebant errores alios : unde Patribus non illam probandi, sed hos expugnandi necessitas erat. *Ratio* vero restringendi voluntatem ad *prædestinatos* Patribus contra hæreticos agentibus fuit, quia, cum hi dicerent voluntatem salvandi omnes esse *indiscretam* et prorsus *æqualem,* quod autem hi præ illis salvarentur, in humanam duntaxat voluntatem solis naturæ viribus agentem esse referendum, sequebatur, aut Deum nullo modo habere specialem quamdam et efficacem voluntatem circa salutem hominum, aut siquidem hanc Deus ex parte sua haberet eamdem, tamen ab hominibus frustrari posse. PATRES *primo* errori apposuerunt divinum propositum, quo electi peculiari quadam et efficaci voluntate ad salutem sunt prædestinati; *secundo* autem omnipotentiam Dei, cui, ut AUG. L. de correp. et gr. c. 14. ait, *volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium.* Contra hæc cum objicerent hæretici textum Apostoli, reponebant imprimis perperam ex eo colligi Deum non aliter velle salvos fieri prædestinatos quam reprobos; quo evertebatur error *primus :* deinde dicebant eum exponi posse de voluntate efficaci circa prædestinatos; quo admisso urgebant maxime ab exemplo parvulorum falsitatem erroris *secundi*, salutem duntaxat in hominum voluntatem referentis.

*Inst.* 3. ECCLESIA LUGDUNENSIS, unaque cum ea PRUDENTIUS TRECENSIS, LUPUS FERRARIENSIS, RATRAMNUS CORBEIENSIS aliique, sub seculum nonum, 1°. in L. de tenenda veritate Scripturæ reprobavit Canonem tertium Conc. Carisiaci sup. relatum : 2°. ibidem approbavit dogma Goteschalci, voluntatem salvandi ad solos electos restringentis : 3°. in L. de tribus epistolis vel tres allatas AUGUSTINI expositiones circa voluntatem salvandi omnes tantum admisit, et nostram penitus rejecit; vel illas ut probabiliores defendit, nostram autem tantum ut *pia quadam ratione a veritate non abhorrentem* toleravit; ergo.

R. *Quoad* 1$^{um}$. *N. Ass.* Ecclesia Lugdunensis non reprobat doctrinam canonis tertii Carisiaci de voluntate generali circa omnium salutem; sed id unum improbat, quod in eo statuta sit interpretatio textus Apostolici pro salute omnium tanquam unica et unice vera ; expositio autem SS. Patrum de voluntate efficaci, ad aliquos duntaxat extensa fuerit, rejecta et exclusa : in quo tamen errabat errore facti.

*Quoad* 2$^{um}$. *D.* Laudat dogma *Goteschalci,* voluntatem salvandi ad solos electos restringentis, quem tamen sive errore facti sive vere putabat non excludere hanc voluntatem generalem pro salute omnium *C.* quem putabat excludere hanc voluntatem *N.*

*Quoad* 3$^{um}$. *N.* 1$^{um}$. *Ass.* Ecclesiam Lugdunensem in neutro libro nobis repugnare manifeste constat. Nam in L. de tenend. ver. Script. c. 12. ait, eum qui docet, ex Apostoli sensu, Deum velle solos electos salvos fieri, et alterum qui asserit, ex ejusdem mente, Deum velle omnes generaliter fieri salvos, *fideliter et unanimiter concordare;* quia prior Apostolum explicat de voluntate efficaci et consequente, quin excludat generalem et antecedentem, quam Ecclesia hæc vocat *voluntatem bonitatis creatoris :* alter autem explicat de voluntate antecedente et generali erga omnes, non excludendo voluntatem consequentem et absolutam pro solis electis. In L. de trib. epist. autem c. 12. asserit sententiam quæ statuit voluntatem generalem salutis

omnium, *fideliter posse recipi atque a SS. Patribus fuisse probatam* : c. 24. addit eamdem *esse honorandam* : c. 28. ait, *certissimum esse, Deum velle omnes etiam reprobos salvos fieri, ita tamen ut eos omnino non salvet* ; aut, ut c. 13. docet, recipi posse hoc dogma, *si hanc voluntatem bonitatis erga salutem hominum non credatur, humana obsistente voluntate, Deum implere non posse, sed obsistente humana iniquitate implere nolle.*

Unde 2um. *Ass. D.* Expositiones Aug. admisit ut probabiliores, sumendo voluntatem Dei secundum frequentiorem in Scriptura usum *C.* sumendo secundum absolutam dogmatis veritatem *N.* Quia in Scripturis voluntas divina simpliciter enuntiata sæpius describitur tanquam efficacissima; hinc *Ecclesia Lugdunensis* per voluntatem simpliciter et sine addito expressam hic intellexit voluntatem consequentem, adeoque ad solos electos extendi contendebat; non tamen aliam in Deo voluntatem etiam antecedentem negabat, ut ex allatis manifestum est.

*Inst.* 4. Voluntas generalis salvandi omnes, hoc ipso quod sit antecedens, juxta S. Thomam est *primo* tantum *velleitas,* ut patet ex p. 1. q. 19. a. 6. ad 1. *Secundo* est iners et otiosa, quia ut in 1um. dist. 47. q. 1. a. 2. ait: *operatio non correspondet voluntati Dei antecedenti, sed consequenti ; et voluntas antecedens non habet effectum, nisi consequens adjungatur. Tertio* habet pro objecto rem mere imaginariam et fictitiam; quia juxta eumdem locis mox cit. natura hominis, in se considerata et præcisa a circumstantiis, tantum sub voluntatem Dei antecedentem cadit; ergo.

R. *Quoad* 1um. *D. A.* Voluntas generalis salvandi omnes, seu antecedens, juxta S. Thomam est tantum velleitas, quantum illa spectatur secundum se ac in seipsa est *N.* quantum comparatur ad voluntatem absolutam et consequentem *C.* Voluntatem antecedentem quoad se, non esse in Deo suspensionem actus aut quamdam imperfectionem vel signum duntaxat volitionis, sed veram ac propriam *beneplaciti* voluntatem, ipse S. Doctor de verit. q. 23. a. 3., in 1um. dist. 47. q. 1. a. 2., in ep. 1. ad Tim. c. 2. alibique declarat : dicit tamen *velleitatem,* voluntatem secundum quid, imperfectam et minus integram, comparative ad voluntatem consequentem; quia hæc est voluntas absoluta, voluntas simpliciter talis, quæ ex omni parte perficitur et integritatem etiam finis obtinet. Ubi tamen notandum, quod quamvis voluntas *antecedens* possit vocari inefficax respectu finis, nempe salutis æternæ, utpote quam non semper obtinet et efficit; tamen sit efficax respectu mediorum seu auxiliorum sufficientium ad finem hunc obtinendum : unde patet quod ex hoc capite recte vocari possit vera voluntas.

*Quoad* 2um. *N. Ass.* Ratio patet ex proxime notatis et confirmatur ex S. Thom., qui in 1um. dist. 46. q. 1. a. 1. Sic ait : *Hujus quippe voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis, et promoventia in finem omnibus communiter proposita, tam naturalia quam gratuita.* Hinc *text. D.* operatio effectus principalis, nempe collatio auxilii efficacis ex parte Dei et assecutio salutis ex parte hominis, non respondet voluntati antecedenti, sed consequenti *C.* operatio effectus minus principalis, nempe ordinatio ad finem salutis et collatio auxilii sufficientis *N.*

*Quoad* 3um. *N. Ant.* Aliud enim est, rem esse imaginariam et mere fictitiam, aliud rem consideratam in se, abstrahendo a circumstantiis; prius Deo convenire nequit; posterius eidem tribuit D. Thomas pluribus in locis, ex quibus

sufficiat commentarium in 1. ad Timoth. c. 2., ubi inquit : *In Deo salus omnium hominum in se considerata habet rationem ut sit volibilis... et sic ejus voluntas est antecedens; sed si consideretur bonum justitiæ, et quod peccata puniantur, sic non vult; et hæc est voluntas consequens.*

195. *Obj. III.* In Deo non potest admitti voluntas conditionata, inefficax, et fundata in mentis abstractione; 1um, quidem, quia videtur indignum Deo voluntatem dependere a conditione, quam ponere vel non ponere ex Deo pendet: 2um, quia repugnat cum idea entis summe perfecti et summe potentis: 3um, quia nec ex parte intellectus, nec ex parte voluntatis divinæ locum habet abstractio: sed voluntas generalis salvandi omnes, conditionata et inefficax et fundata in mentis abstractione dicitur; ergo.

R. *Ad arg. Quoad* 1um. *D. M.* In Deo nequit admitti voluntas conditionata, cujus conditio unice dependeat a Deo *T.* cujus conditio dependeat simul a creatura *N.*

*Quoad* 2um. *D. M.* Nequit in Deo admitti voluntas inefficax, quæ talis sit vel ex impotentia vel ex mutatione consilii *C.* quæ talis sit ex non posita a creaturis conditione, a qua Deus vel secundum leges ordinarias providentiæ vel ad libertatem creatam tuendam libere voluit dependere effectum voluntatis *N. Primum* repugnaret ideæ entis summe perfecti ac potentis; *secundum* nequaquam, præsertim si attendatur ad alias rationes supra expositas, secundum quas Dei voluntas semper impleri recte dicitur.

*Quoad* 3um. Rursus *D. M.* In Deo nequit admitti voluntas, quæ fundatur in abstractione formali, seu quæ se teneat ex parte intellectus divini, inferretque in eo limitationem et imperfectionem *C.* quæ fundatur in mentis abstractione objectiva, seu quæ se teneat duntaxat ex parte objecti cogniti, et sic in eodem varios status et conceptus objectivos supponit, secundum quos cognosci possit *N.* Sicut autem ex posteriori capite, juxta Theologos omnes, sine ulla in Deum redundante imperfectione statuitur scientia visionis et simplicis intelligentiæ, sic et statui potest voluntas antecedens et consequens. Atque huc referendum est illud, quod dixit S. Thom. p. 1. q. 19. a. 6. ad 1. *Hæc distinctio non petitur ex parte voluntatis divinæ, in qua nihil prius vel posterius, sed ex parte volitorum.* Et in 1um. dist. 46. a. 1. *Hoc* (quod voluntas in Deo sit duplex) *contingit non ex aliqua diversitate voluntatis divinæ, sed propter diversas conditiones voliti.*

*Inst.* 1. Voluntas illa generalis salvandi omnes non est *seria*; ergo. *Prob. Ant.* 1°. Deus non potest serio velle id, quod præscit non esse futurum: sed præscit non esse futuram reproborum salutem; ergo. 2°. Si Deus serio vellet omnium salutem, deberet omnibus dare auxilia, quæ per scientiam mediam prævidet efficacia; quia sicut si medicus haberet medium efficax, quod sciret certissime esse sanitatem allaturum, et simul aliud, quod sciret certissime nihil profuturum, et omisso primo applicaret secundum, non posset dici serio velle sanitatem ægri, sic idem in casu nostro dicendum est: sed Deus auxilia ejusmodi non dat; ergo. 3°. Qui vult aliquem effectum conditionate seu sub conditione, quam vel solus vel saltem cum alio facile implere potest et non implet, non censetur serio velle talem effectum: sed Deus sic vult salutem reproborum sub conditione finalis perseverantiæ,

quam ille solus vel saltem cum reprobo facile implere potest per auxilium speciale, et tamen non implet; ergo.

R. *N. A.* Observa hic discrimen esse inter voluntatem *absolutam* et *seriam*; prior enim vult objectum suum omni modo et sine ulla limitatione, adeoque non tenetur duntaxat ad media præstanda, quæ sufficiunt ad illum finem assequendum aut objectum ponendum, sed et ad ea, quibus certo ac infallibiliter obtineatur finis seu ponatur objectum : posterior autem habetur etiam, si velit finem vel objectum certo quodam modo et sub aliqua conditione, ut patet tum in pluribus volitionibus humanis, tum ex eo quod, posita conditione vel modo, sequatur ipse effectus et finis; adeoque obligatur quidem ad ponenda media, quæ ad ipsam spectant, sufficientia, quibus potest et poni conditio et obtineri finis, non autem ad ea, quibus absolute ac infallibiliter obtineatur. His suppositis

*Ad prob.* 1am. *N.* vel *D. M.* Deus non potest serio velle, quod præscit non esse futurum ex defectu se tenente ex parte sui *C.* ex defectu se tenente ex parte alterius *subd.* non potest serio velle voluntate absoluta et consequente *C.* voluntate conditionata et antecedente *N.*

*Ad prob.* 2am. Rursus *N.* vel *D. M.* Si Deus serio vellet voluntate absoluta omnium salutem, deberet dare media quæ per scientiam mediam prævidet efficacia *C.* si serio velit voluntate solum conditionata *N.* Eadem responsio tenet in paritate allata, si quidem medicina non prævideatur nil profutura ob inefficaciam ex ipsa medicinæ *natura* provenientem, sed ex ægri *voluntate* medicinam hanc applicare nolentis. Præterea *disparitas* est, quod sanitas non detur ægro per modum præmii, atque hinc medicus non debeat attendere libertatem ejusdem, et vel ex contractu cum ægro aut republica, vel ex charitate teneatur ad medicinam absolute profuturam : e contra cum Deus saltem adultis det salutem per modum præmii, debet attendere ad meritum et libertatem ; ac præterea ex nullo titulo tenetur ad danda specialia et efficacia auxilia, sed duntaxat ad ordinaria et sufficientia.

*Ad prob.* 3am. R. *quoad* 1um. *memb. N. min.* quia perseverantia finalis ex alibi dicendis vel formaliter habetur vel saltem dependet a cooperatione libera, quæ poni debet a creatura : *Quoad* 2um. *memb. D. M.* Non censetur serio velle omni modo et sine ulla limitatione effectum, qui eumdem sub conditione vult, quam cum alio facile implere potest et tamen non implet *C.* non censetur serio velle certo quodam modo et sub certa limitatione *N.* Alii *subd.* qui eumdem effectum vult sub conditione, quam cum alio facile et æque connaturaliter implere potest, nec tamen implet *T.* quam non potest æque connaturaliter implere *N.* Deus juxta hoc nec ut conservator naturæ nec ut auctor libertatis potest æque connaturaliter reprobis dare auxilia specialia, quia ut talis ea dat secundum opportunitatem temporis et aliarum circumstantiarum seu cursum causarum secundarum, cui connaturalia sunt auxilia ordinaria non autem specialia : unde licet hæc reprobis nolit dare, vult tamen illos serio salvos fieri per auxilia ordinaria seu connaturaliter dabilia.

*Inst.* 2. Licet Deus habeat voluntatem antecedentem et conditionatam puniendi omnes homines, si in peccato decederent, tamen per hoc non dicitur serio velle omnes homines punire; ergo, licet habeat voluntatem antecedentem et conditionatam salvandi omnes homines, tamen vel per hoc non

debet dici serio velle omnium salutem, vel saltem non recte dicitur habere specialem et majorem affectum homines salvandi, quam damnandi; præsertim cum alias etiam dici posset serio velle salutem dæmonum et damnatorum.

R. *Tr. Supp. Ant.* Quia voluntas puniendi homines proprie non est antecedens, cum necessario præsupponat culpam non minus ac ipsa pœna; et *N. Cons. Disparitas* est, quia Deus salutem hominum ita vult conditionate, ut etiam *conditionem* seu opera bona fieri desideret, et ad ea det auxilia: e contra punitionem sic vult, ut ejus conditionem seu opera mala nullo modo desideret, sed potius illa prohibeat, et per comminationem pœnarum homines ab illis deterreat. Ad id quod additum est de *dæmonibus* ac *damnatis*, discrimen est, quod Deus tantum habeat affectum aliquem complacentiæ circa salutem dæmonum, et damnatorum ut possibilem, non autem voluntatem beneplaciti actuosam; unde nec circa eorum salutem aliquid operatur, utpote cujus illi incapaces sunt tanquam in termino constituti et obfirmati in malo, et quæ non jam amplius rationem habet boni appetibilis, quia non est consentanea divinæ justitiæ: contraria omnia reperiuntur in salute viatorum et voluntate tum ad illam tendente tum media sufficientia providente.

## ARTICULUS III.

### AN EADEM PROVIDENTIA SUPERNATURALIS PERTINEAT AD INFANTES SINE BAPTISMO MORIENTES?

196. Movetur controversia præsertim de infantibus illis, quibus, sive in utero materno vi solius naturæ morientibus, sive in lucem editis, nulla humana diligentia baptismus applicari posse videtur. Circa hanc non minus varia est tum errantium tum opinantium classis. 1ª. Est eorum qui negant dari in Deo voluntatem etiam *antecedentem* salvandi hos parvulos; sive quod universim voluntatem illam generalem cum hæreticis inficientur; sive quod hanc restringant ad adultos; sive quod eam quidem concedant circa salutem in se spectatam, non autem ut consideratam in circumstantiis divinorum attributorum, vi quorum nempe contendunt Deum velle salutem quibusdam infantibus ad misericordiæ suæ ostensionem, aliis eam nolle ad justitiam suam manifestandam. 2ª. Eorum qui voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes parvulos hac tantum ratione admittunt, quatenus Deus paravit et in Ecclesia posuit baptismum seu medium salutis pro parvulis; quin tamen serio voluerit applicari baptismum, aut sufficienter de mediis providerit quibus applicari queat baptismus. 3ª. Eorum qui etiam hanc in Deo voluntatem applicationis et sufficientem provisionem statuunt, eam tamen dicunt dependere a *causis naturalibus* et *necessariis*; quatenus Deus serio vult applicari baptismum, nisi vel ubi non obstat cursus naturalis causarum secundarum, propter quem vel infans prius moritur, vel alii impediuntur quominus succurrant. 4ª. Denique est eorum qui eamdem voluntatem dicunt dependere a voluntate aliena seu *causis liberis*. Volunt hi etiam, positis rebus ut nunc sunt, et supposito causarum naturalium cursu divinitus constituto, nullum ex parvulis, qui pereunt, esse qui non potuerit ad baptismum pervenire, nisi obstitisset, vel si posita fuisset aliqua actio causarum liberarum. Porro inter eosdem nonnullum est discrimen; aliqui enim pro

*causis liberis,* a quarum voluntate parvulorum salus dependeat, assignant duntaxat parentes, eosque omnes quibus proxime cura parvulorum commissa est; alii etiam adultos alios quoscumque : similiter quidam pro actione quæ ponenda vel omittenda est, designant orationem vel carentiam orationis pro parvulis; alii opus quodcumque supernaturale vel etiam rectum usum libertatis, aut quamcumque culpam moralem, etiam negligentiæ vel imprudentiæ.

197. *Dico I.* Deus voluntate vera antecedente vult salutem etiam infantium omnium.

*Prob.* Deus vult omnes homines salvos fieri : sed in hac voluntate includuntur etiam parvuli; tum quia nulla est ratio excludendi parvulos ab illa propositione universali : tum quia ex sententia S. Aug. in illa omnino includuntur, qui L. 4. cont. Julian. c. 8. n. 42. ait : *Numquid* (parvuli) *homines non sunt, ut non pertineant ad id quod dictum est, vult omnes homines salvos fieri?* ergo. *Conf.* Deus vult eos fieri salvos pro quibus Christus est mortuus : sed Christus etiam pro parvulis omnibus est mortuus; ut patet, si invertatur argumentum S. Pauli, quod proponit 2. ad Cor. 5. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt :* tum ex testimonio S. Aug. qui L. 1. de remiss. pecc. c. 18. n. 23. inquit : *Sine ista ergo regeneratione salvos in æternum posse parvulos fieri, quis audeat affirmare? tanquam non pro eis mortuus sit Christus*; ergo.

198. *Nec dicas* 1°. Apostolus non præcise dicit : *vult omnes homines salvos fieri;* sed continuo adjungit : *et ad agnitionem veritatis venire*; ergo sicut postremum non extenditur ad omnes infantes, cum multi moriantur ante rationis usum; ita nec prius extendendum est. 2°. S. Aug. in ep. 107. (al. 217. n. 19.) sic ait: *Multi salvi non fiunt, non quia ipsi, sed quia Deus non vult; quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis.* 3°. S. Prosp. in resp. ad 4. object. Vincent. ait: *Insanum omnino et contra rationem est dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri* : sed si Deus haberet voluntatem salvandi parvulos antecedentem, et tamen postea non salvaret, Dei voluntate consequenti hoc eveniret; ergo.

*Ad* 1$^{um}$. R. D. Ad parvulos non extenditur *secundum,* si per agnitionem veritatis intelligatur regnum Dei *N.* Si intelligatur fides *subd.* si intelligatur fides habitualis *N.* actualis *C.* S. Aug. sæpe ait, *credere habitu,* esse venire in veritatis agnitionem, unde cum Deus intendat parvulis baptismum, ubi habitus supernaturales infunduntur, et vitam æternam, quæ stat in visione Dei, hoc ipso vult eos venire ad agnitionem veritatis. Deinde *N. Cons.* Quia quamvis *secundum* non extendatur ad parvulos, qui accepto baptismo moriuntur ante usum rationis; tamen, quia isti salvantur, omnino ad eos extenditur *primum*; ergo similiter ad alios, qui moriuntur ante baptismum, extendi potest. Præterea *disparitas* est, quia parvuli sunt capaces consequendæ salutis etiam ante usum rationis per regenerationis Sacramentum; non autem hac ætate capaces sunt veniendi ad agnitionem veritatis actualem : unde patet, quod juxta diversitatem capacitatis subjectorum proportionate accipi debeat Apostoli sententia.

*Ad* 2$^{um}$. R. *C.* 1$^{am}$. *p. A.* Cum enim parvuli non sint capaces volendi aut

nolendi, non quia ipsi nolunt, salvi non fiunt. 2am. *p. D.* Multi parvulorum salvi non fiunt, quia Deus non vult voluntate antecedente *N.* quia non vult voluntate consequente *C.*

*Ad* 3um. *D. M.* Insanum est dicere, Dei voluntatem absolutam et consequentem non fieri ex voluntate Dei *C.* voluntatem conditionatam et antecedentem *subd.* non fieri ex voluntate Dei, quæ ipsa non ponat conditionem a qua prior dependebat *C.* non fieri ex voluntate Dei, quæ tantum sequitur ad conditionem aliunde non positam a qua prior dependebat *N.*

199. *Dico II.* Deus etiam antecedente voluntate vult infantibus omnibus applicari baptismum, seu de mediis proxime vel remote sufficientibus providit, queis infantibus queat applicari baptismus.

*Prob.* Qui serio vult finem, necessario etiam, quantum est *ex se*, debet velle medium absolute necessarium ad finem consequendum; quia seria voluntas hic sumitur pro sincera et actuosa, non autem pro inerti et otiosa, quæ est mera velleitas: sed Deus serio vult salutem parvulorum, et ad hunc finem consequendum applicatio baptismi est medium absolute necessarium, quia hic supponitur Deum non aliter velle parvulorum salutem quam per baptismum; ergo.

*Conf.* Juxta S. Prosp. L. 2. de voc. Gent. c. 12. Christus est salvator omnium hominum, qui dat omnibus, unde salvari possint, et in resp. ad 1am. obj. Vincent. Deus præcipit omnibus Christi passionem applicari; ergo cum parvuli per solum baptismum salvari possint et iis passio Christi applicari, Deus vult etiam ut applicetur baptismus.

200. *Nec dicas* 1°. Mercator projiciens merces ob timorem naufragii, nullum medium adhibet ad illas servandas, et tamen serio ac ardenter desiderat conservationem; ergo seria intentio salutis parvulorum in Deo potest etiam stare sine provisione mediorum sufficientium, queis baptismus applicetur. 2°. Seria voluntas Dei salvandi parvulos satis defenditur, si ostendatur mors parvuli spiritualis esse mere permissa a Deo eique involuntaria: sed dum dicitur a Deo baptismum in Ecclesia esse pro omnibus institutum, applicationem tamen impediri v. g. a causis naturalibus, quas Deus ob fines altiores non vult invertere, illud ostenditur; ergo. 3°. Potest eadem voluntas seria recte salvari per sufficientiam *Adamo* datam ad perseverantiam in justitia originali; ergo non requiritur ut de facto Deus omnibus parvulis provideat de his mediis.

*Ad* 1um. R. *N. Cons. Disparitas* est, quia mercatori supponitur nullum adesse medium ad servandas merces; ergo sinceræ voluntati ejus non obstat quod nullum adhibeat: constat autem Deo præsto esse media sufficientia. Hinc etiam *invertitur argumentum*: si mercator haberet medium ad merces servandas sufficiens, nec tamen adhiberet, mercium conservationem serio velle negaretur; ergo Deus non censendus est serio velle salutem, si medium sufficiens, quod habet, non præbet.

*Ad* 2um. R. *N. M.* Sicut enim ratio voluntarii positivi circa aliquod objectum immediatum non salvatur per id, quod non sit involuntarium aut non prohibeatur; sic nec ratio seriæ voluntatis circa objectum mediatum seu finem salvatur per hoc, quod mediorum sufficientia non sit involuntaria,

aut non prohibeatur; præsertim si ista sufficientia non possit nisi ab intendente finem provenire, ut hic accidit.

*Ad* 3um. R. *N. A.* Voluntas enim salvandi omnes in Deo est, etiam supposito peccato originali et post amissam justitiam originalem; ergo intentio seria salutis etiam in statu posteriore sufficientiam mediorum requirit. Præterea si hoc sufficeret pro parvulis, satis etiam foret pro adultis; et hinc in statu naturæ lapsæ ad peccatum sufficeret illa libertas, quæ fuit in Adamo: quod tamen in *propositionibus Baianis* est damnatum.

201. *Dico III.* Voluntas Dei salvandi parvulos et iis applicandi baptismum, minus recte dicitur dependere tantum a causis naturalibus et necessariis.

*Prob.* Nequit dici in Deo seria esse voluntas salvandi parvulos et iis applicandi baptismum, si simul dicatur stare per ipsum Deum, quominus parvuli salventur iisque applicetur baptismus : sed hoc simul asseritur, cum dicitur ea voluntas tantum dependere a *causis naturalibus* et *necessariis;* tum quia unice a Deo dependet sic vel aliter disponere causas; unde Aug. L. de don. persev. c. 12. n. 31. ait : *Aut res humanas in parvulis non divina providentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur..... quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in cœlis est?* tum quia, si Deus hic unice attenderet causas naturales, v. g. terræ motum, quo infantes et adulti pereunt, quasi diceret : volo his infantibus salutem et applicationem baptismi, nisi tamen obstet terræ motus; ego tamen volo fieri terræ motum : quod ipsum est, ac si diceret: volo, si non volo oppositum; ergo.

*Conf.* Non diceretur satis provisum esse *adultis,* si obstaret ordo causarum naturalium, quominus illis possit dari gratia sufficiens, aut quominus hæc daret vires relative sufficientes ad superandam concupiscentiam hic et nunc prementem; ergo nec sufficienter provisum foret *infantibus,* si obstaret idem ordo quominus possit applicari baptismus; ergo sicut voluntas salutis circa adultos non dicitur dependere tantum a causis naturalibus, sic nec voluntas salvandi parvulos.

202. *Nec dicas* 1°. Deus ex seria voluntate salvandi omnes parvulos non tenetur nisi ad implendum munus *provisoris generalis* : sed provisor generalis non tenetur dare sufficientiam cuilibet particulari, sed potest permittere defectum in aliquo particulari ne impediatur bonum totius; ut docet S. Th. p. 1. q. 22. a. 2. ad 2.; ergo. 2°. Provisor generalis urbis non tenetur nisi ad providendum annonam, ex qua cives possint assumere, nisi ipsis occurrat aliquod impedimentum; et in hoc casu non tenetur cavere particulare impedimentum hujus vel illius civis : imo illius affectui sincero alendi omnes non præjudicat quod aliquem propter ejus scelera damnet ad pereundum fame; ergo idem pariter dici potest de voluntate Dei salvandi omnes. 3°. Si intentioni seriæ salvandi omnes obstaret quod ita disposuerit cursum causarum secundarum, ut nulla humana diligentia vel proxime vel remote possit baptismus applicari; ergo Deus vi illius intentionis se obligasset ad patranda miracula : hoc asseritur sine fundamento; ergo.

R. *Ad* 1um. *D. M.* Non tenetur nisi ad implendum munus provisoris generalis qualiscumque *N.* provisoris generalis serio salutem cujuslibet etiam in

particulari intendentis et hunc finem bono totius præferentis *C*. Deus autem imprimis non est provisor generalis *qualiscumque* in ordine ad parvulorum salutem, sed talis ut sincere velit distincte ac individualiter quemlibet salvari, perinde ac si vellet illum solum : deinde salus hominis particularis non est subordinata bono hujus universi, sicut bonum *naturale* cujuscumque creaturæ particularis; sed etiam commune bonum hujus universi utpote *naturale* saluti hominis tanquam *supernaturali* subordinatur : unde patet quare in providentia naturali possit permitti defectus creaturæ particularis, non vero in providentia supernaturali defectus aliquis ex bono causarum naturalium obtinendo resultans.

*Ad* 2um. R. *Quoad* 1am. *p. Disparitas* est, quia provisor generalis urbis nec tam sincero affectu alimentationem cujuslibet in particulari curat, nec in ipsius uno arbitrio stat quod quilibet civis pervenire possit ad alimenta capienda. *Quoad* 2am. *p.* R. Vel illa provisoris voluntas alendi cives est antecedens ad delictum illius hominis, vel est consequens. Si *primum*, civis in libertate non committendi delictum habet sufficientiam ad capiendam alimoniam : si *secundum*, voluntas provisoris ad illum non extenditur distincte ac individualiter. Cæterum (præterquam quod argumentum hoc nimium pro sententia hic contraria assumat, et retorqueri etiam possit translatum ad adultos) ex allato exemplo potius confirmatur nostra assertio. Finge enim cives aliquos esse in carcere sub provisoris potestate, ita ut nemo, nisi ipse provisor per suos ministros, possit ad eos deferre alimenta : hoc supposito, si provisor ex certa scientia ministros aliis negotiis, quamvis prævalentibus, ita distrahat, ut ipsis non sit facultas deferendi alimenta ad illos cives; certe intelligetur quod is non habeat seriam voluntatem illos alendi, sed ad summum simplicem displicentiam de illorum penuria. Similiter parvuli peccato originali velut capti, sunt sub potestate solius Dei, ita ut nemo, nisi ipse Deus vel per seipsum vel mediantibus causis naturalibus, queat illis conferre opportunitatem suscipiendi baptismi : itaque si et Deus ita ad alios fines dirigat causas naturales, ut istæ non permittant applicationem baptismi, v. g. quia inducunt mortem parvuli in utero materno independenter ab ulla alia libertate, recte etiam dicetur Deum serio non velle remedium et salutem parvuli.

*Ad* 3um. R. 1°. *N. M.* tum quia Deus ab æterno prævidens bonum usum voluntatis alienæ potuit causas naturales ita ordinare, ut nullum miraculum sit necessarium : tum quia, ubi opus esset aliquam violentiam inferre causis naturalibus, non diceretur *proprie* miraculum; quia esset debitum communi providentiæ supernaturali.

R. 2°. *N. min.* tum ex data modo posteriore ratione: tum ex exemplo *adulti* per vires gratiæ facientis quod in se est, cui etiam extraordinarie vel per miraculum providendum a Deo de notitia ad finem necessaria, communius censent Theologi.

203. *Dico IV.* Probabiliter dici potest quod Deus parvulis serio intendat salutem et applicationem baptismi, dependenter a *causis liberis* seu voluntate aliena, maxime parentum eorumque, ad quos pertinet parvulorum cura, ut præsertim per orationem illorum saluti consulant.

*Prob.* 1a. *p.* 1°. ex prioribus assertis alias sententias rejicientibus : 2°. quia

ex supposito quod parvulis nequeat conferri sufficientia in voluntate propria, inde magis commendetur abundantia, universalitas et suavitas misericordiæ divinæ: 3°. quia id est conforme providentiæ divinæ alias nobis manifestatæ; cum Deus ab initio gratiam nobis conferendam commiserit voluntati unius hominis, per cujus prævaricationem omnes mortui sumus; et nunc etiam mandarit unicuique de proximo suo; ac omnis dispensatio mysteriorum Dei, quoad externa, etiam pro adultis pendeat a voluntate hominum, qui libere annuntiant Evangelium, aliaque administrant, et juvant vel e contra impediunt.

*Prob.* 2ª. *p.* S. Prosp. vel quicumque auctor, a Gelasio in opusc. cont. Pelagian. tanquam Magister Ecclesiæ sapientissimus laudatus, L. 2. de voc. Gent., postquam c. 20. contra voluntatem Dei salvandi omnes proposuisset sibi objectionem ab exemplo infantium sine baptismo morientium deductam, eamdem c. 23. dissolvit his verbis: *Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus, qua utique, si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. Omnium namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiæ, sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest : et consequens est illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto vel pravo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credunt. Et cum ipsi nec præsentis vitæ desiderium habuerint nec futuræ; quam ipsorum factum est nasci, tam ipsorum efficitur non renasci. Sicut autem circa majores , præter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio.* Ex his, præter apertam et sæpius repetitam confirmationem partis prioris, manifeste asseritur pars altera; quia agitur 1°. de infantibus etiam necdum natis, qui proprie dicuntur *paucorum dierum homines,* cum jam homo dicatur infans intra uterum maternum animatus : 2°. de baptismo infantium, qui ex aliena confessione *credunt* et aliorum facto renascuntur : 3°. de bono usu sive gratiæ generalis, sive vocationis specialis ex parte parentum præstando, quem utilitas infantium excipiet.

*Conf.* S. Aug. in Enchir. c. 46. ait: *Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe divina sententia* (Exod. 34. 7.) *Reddam peccata patrum in filios, tenet eos utique, antequam per regenerationem ad testamentum novum incipiant pertinere.* Ergo ex mente S. Doctoris probabile est parvulos ita obligari parentum peccatis, ut ipsorum ratione moriantur antequam perveniant ad remedium salutis vel baptismum; tum quia in hujus probationem adducit illam Exodi sententiam: tum quia in fine, ubi explicat quare dicamur concepti *in peccatis,* subjungit : *In illo uno, quod in omnes homines pertransiit, atque tam magnum est ut in eo mutaretur et converteretur in necessitatem mortis natura humana, reperiuntur plura peccata; et alia parentum, quæ, etsi non ita possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia et misericordia divina subveniat.* Ergo parentibus potest dici data sufficientia saltem negativa ad filiorum

baptismum, quatenus si non peccassent parentes, opportunitatem habuissent applicandi parvulis baptismum : atque hinc facilius a nobis potest dari ratio, cur juste subinde Deus infligat punitiones integris communitatibus, quibus contingit etiam parvulos extingui in utero, qualis illa fuit Num. 31. et 1. Reg. 15. Amalecitarum et aliarum gentium.

*Prob.* 3ª. *p.* Quia Scriptura frequenter nos hortatur ad orandum etiam pro aliorum salute, hujusque orationis utilitatem commendat, ut 1. ad Tim. 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri etc.* Item in ep. Jac. 5. 16. *Orate pro invicem, ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua.* Vid. hic Corn. a Lap. et alios.

*Conf.* tum ex probabilissima Theologorum sententia, quam illustrat Suar. Tom. 2. de Relig. L. 1. c. 27. statuente, quod oratio etiam facta pro alieno bono spirituali sit infallibilis illius impetratio, dummodo aliquas conditiones habeat ex parte orantis, et hanc unam ex illius, pro quo oratur, ne scilicet ipse resistat vel ponat impedimentum : tum ex Scripturæ historiæque Ecclesiasticæ exemplis, quibus comprobatur vel ipsam parvulorum nativitatem vel vitam eorum ad remedium salutis obtinendum precibus parentum vel aliorum esse impetratam.

Dixi 1°. *a voluntate maxime parentum;* quia sicut magistratibus mandatur a Deo cura tum infantium tum mediorum ad eorum salutem, et viris Apostolicis ac prædicatoribus Evangelicis inspiratur desiderium annuntiandi et applicandi remedium peccati originalis, imo omnibus fidelibus divinitus immittitur excitatio ad orandum universaliter pro omnibus; ita ab eorum voluntate dependere parvulorum salutem prudenter credimus, cum humanitus loquendo videantur plurimi parvulorum fuisse perituri, si illi aut mandato aut inspirationi divinæ non obsecundassent. 2°. *Ut præsertim per orationem illis consulant;* quia ex modo dictis positiva sufficientia potest etiam dependere ab aliis actibus virtutis, imo et a bono libertatis usu; negativa vero a defectu quocumque morali, ut supra ex Augustino colligere licet.

204. *Nec dicas* 1°. S. Prosp. in operibus, quæ sine controversia illi tribuuntur, videtur contrarius. Nam 1°. in Resp. ad obj. 1ªm. Vincent. dicit, eos, qui baptizati non sunt, in aliquo sensu esse redemptionis alienos, nec ad redemptionem pertinere, nisi ea tantum ratione, quoniam Deus pro una generali causa totius generis humani mortuus præcepit omnibus ejus passionem applicari. 2°. in Carm. de ingrat. c. 29. ait : *Nec meritis istud poteris aptare parentum ; cum videas multos sanctis genitoribus ortos nullo salvari studio potuisse suorum;* ergo. *Conf.* Idem in Lib. 2. de *voc. gent.* c. 22. quærens, quare Deus non provideat remedium quod possit infantibus in utero morientibus applicari, recurrit ad inscrutabilia Dei judicia; et c. 24. id fieri statuit vel in peccati originalis pœnam, vel ad ostendendam gratiæ baptismalis gratuitatem; ergo.

R. *N. Ass. Ad* 1um. *D.* Et his vocibus declarat parvulos non pertinere ad redemptionem in actu secundo et quoad efficaciam *C.* non pertinere ad redemptionem in actu primo et quoad sufficientiam *N.* subjungit enim : *Redem-*

*ptionis proprietas haud dubie penes illos est, de quibus princeps hujus mundi missus est foras*; ubi τὸ *proprietas* locutionem ad sensum explicatum limitare debet, ut propositio hæretica de morte Christi prædestinatis duntaxat impensa devitetur.

*Ad* 2um. *D.* Quod salventur parvuli, nequit tribui parentum meritis naturalibus *C.* supernaturalibus *subd.* quatenus nec hæc merita sunt mediata et ultima ratio discretionis, nec necessaria et unica mensura electionis *C.* quatenus nequidem immediata et per modum conditionis libere assumpta ratio existimari queant *N.* S. Doctor hic agit contra *Semipelagianos,* qui causam discretionis prædestinati a non prædestinato principaliter, imo unice repetebant a libero hominis arbitrio; ideoque cum ostendisset, exemplo parvulorum, quod imprimis ex eorum conatu ac opere non dependeat, ut unus præ altero baptizetur; postea declarat nec id meritis parentum naturalibus aut cuicumque etiam studio supernaturali esse tribuendum, sed soli voluntati divinæ, quæ ita congruenter ac efficaciter res ordinat, ut hic et non ille baptizetur: quod quidem intentum suum aperte explicat in fine illius testimonii L. 2. de voc. gent.

*Ad Conf.* R. Merito S. Prosper recurrit ad inscrutabilia judicia Dei pro ratione, cur Deus non providerit remedium congruum et efficax parvulis in utero morituris; cum hoc multis aliis providerit, et peccatum originale sit omnibus commune. Quamvis enim immediata ratio hujus discriminis detur quod illorum parentes non sint cooperati sufficientiæ in favorem parvulorum concessæ, redit nihilominus difficultas, cur illis parentibus Deus dederit sufficientiam incongruam et inefficacem; aliis autem, forte impiis et sceleratis, contulerit congruam et efficacem in filiorum favorem, vel aliter efficaciter disposuerit, ut baptizarentur. Circa hanc vero difficultatem non alius exitus patet nisi recurrendo ad inscrutabilia Dei judicia; unde et S. Aug. L. de don. persev. c. 9. n. 21. ait: *Ex duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; et ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* Simili ratione intelligendum est, quod ex c. 24. de punitione peccati originalis est additum; quia peccatum originale non est ratio negandi simpliciter sufficientiam, sed tantum negandi sufficientiam congruam, ex mente S. Aug. docentis Deum interdum adultis etiam negare gratiam congruam in pœnam peccati originalis.

205. *Nec dicas* 2°. S. Aug. aperte contrariatur. Nam 1°. in L. de don. persev. c. 12. n. 31. inquit: *Plerumque festinantibus parentibus et paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur.* 2°. Idem L. de nat. et gr. c. 8. ait: *Parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Christi baptismum subveniri, morte præventum idcirco talem fuisse, id est sine lavacro regenerationis exiisse, quia esse aliud non potuit.* Ergo non est tribuendum parentum negligentiæ, quod parvulus sine baptismo moriatur; sed quibusdam parvulis applicare baptismum est impossibile.

R. *N. Ass. Ad* 1um. *D.* Non datur baptismus Deo nolente voluntate antecedente *N.* voluntate consequente non usum collatæ sufficientiæ *C.* Res patet

in exemplo peccatoris adulti, qui in pœnam non boni usus libertatis incidit in amentiam perpetuam. Nec obstat quod festinent parentes et parati sint ministri; quia juxta nos Deus potentiam proximam conferendi baptismum non alligavit præcise huic festinationi, sed bono usui præhabitæ libertatis, quem nos absolute determinare non possumus. Præterea S. Aug. hac sententia non intendit probare quod nullo modo hic casus tribuendus sit parentum negligentiæ : quia paulo ante hæc dixerat : *Neque parentum negligentiæ sic tribuendum est, quod parvuli sine baptismo moriantur, ut ibi nihil agant superna judicia*; ergo supponit negligentiæ parentum aliquid tribuendum, ita tamen ut et tribuatur agere judiciis Dei ; hæc vero plurimum agunt in nostra etiam sententia, nempe per illam discretionem principalem et ultimatam.

*Ad* 2$^{um}$. *D.* Esse aliud non potuit impotentia remota et antecedente *N.* impotentia proxima et consequente non usum sufficientiæ collatæ parentibus vel aliis in favorem parvuli *C.* Nempe Deus ab æterno decrevit dare genitori vel alteri personæ inspirationem vel libertatem ad aliquid exequendum vel omittendum, ea tamen lege, ut bonum usum illius libertatis sequeretur *infallibiliter* talis dispositio causarum naturalium, ut per eas non staret quin parvulo applicetur baptismus : secus autem foret, si non bene uteretur illa libertate. Hoc supposito illa libertas est potentia *antecedens* ut causæ naturales sic vel aliter occurrant, et est potentia remota applicandi parvulo baptismum : at vero semel supposito non bono usu illius libertatis, talis est causarum naturalium dispositio, ut quæcumque diligentia adhibeatur a parentibus aut ministris, non possit applicari baptismus; solus Deus per miraculum, ad quod non tenetur, dare potest opportunitatem applicandi baptismum.

206. *Nec dicas* 3°. In hac sententia interdum confertur baptismus ex parentum meritis, et negatur ex eorum demeritis : sed hoc nequit conciliari cum doctrina S. Aug., cujus præcipuum argumentum pro existentia peccati orginalis contra *Pelagianos,* et pro prima gratia ex Dei misericordia non vero ex meritis proveniente contra *Semipelagianos* infirmaretur; ergo.

R. 1°. *D.* 1$^{am}$. *p. M.* In hac sententia parvulis confertur baptismus ex parentum meritis naturalibus *N.* ex meritis gratiæ et supernaturalibus, iisque duntaxat de congruo, quia pura creatura communius dicitur, in hac providentia non mereri aliquid alteri de condigno *Tr.*; tum quia ad hoc ut dicatur sufficientiam *remotam,* pro baptismo parvulis morientibus conferendo, dependere a voluntate aliena, non requiritur ut qui baptizantur, pervenerint ad baptismum mediante hujusmodi sufficientia *remota;* cum Deus potuerit ipsis providere potentiam *proximam* independenter ab illa : tum quia sufficientia *remota* potest esse pure negativa, et naturalis libertas vitandi peccatum vel aliud quodcumque, physice causans abortum vel impediens baptismi potentiam; quo casu baptismus nec ex meritis, nec ex impetratione confertur.

R. 2°. *N. min.* De 1$^{a}$. *p.* liquet ex modo dictis; de 2$^{a}$. autem, nempe quod parvulo subinde negetur baptismus ob parentum demerita, ex Script. et S. Aug. constat; ubi tamen parvulus formaliter damnatur propter peccatum originale, occasionaliter autem duntaxat ob parentis demeritum, sicut

adultus, cui ob peccatum veniale negata est gratia congrua, ob illud non formaliter sed occasionaliter solum damnatur.

*Ad prob. N. utr. p.* S. Aug. contra *Pelagianos* sic probat peccatum originale : parvulus, qui consequenter non potuit baptizari, excluditur a regno cœlorum ; ergo propter peccatum : sed non propter peccatum personale ; ergo propter originale. Hoc vero argumentum intactum relinquit nostram sententiam, qua occasionaliter tantum dicimus excludi parvulos a regno cœlorum ob parentum peccata. *Semipelagianos* ita aggreditur : nullis præcedentibus meritis arbitrii naturalis vel demeritis in parvulis, huic datur, alteri negatur gratia baptismi ; ergo Deus per gratiam discernit prædestinatum a non prædestinato : sed hoc iterum non tangit assertum, quod enuntiat sufficientiam applicandi baptismum a parentum bono vel malo usu libertatis dependere, multo minus vero illud de actibus parentum vel aliorum per gratiam elicitis.

207. *Nec dicas* 4°. Quamvis voluntas Dei salvandi omnes æque extendatur ad parvulos ac ad adultos, nihilominus Deus *adultis* dat sufficientiam *positivam* et *supernaturalem* ; non autem ita agit in favorem omnium parvulorum ; ergo non obstante illa voluntate universali, potest etiam intervenire hoc discrimen, quod adultis conferat media salutis cuilibet intrinseca, parvulis vero præcise providerit de medio extrinseco scilicet baptismo, quin vel in voluntate aliena posuerit ejus applicabilitatem. *Conf.* 1. Gratiæ sufficientis collatio, etiam in *gentilibus*, non dependet ab usu bono vel malo libertatis ; quia alias se viribus propriis saltem negative disponere possent ad gratiam ; ergo nec applicabilitas seu sufficientia ad applicandum baptismum ab eo dependere potest. *Conf.* 2. Ex nostra sententia sequeretur, quod parentes et alii tenerentur sub gravi culpa ad exquisitam diligentiam pro parvulorum salute ; maxime autem ad fundendas orationes, ut illi ad baptismum perveniant : horum autem *primum* pandit ostium infinitis scrupulis ; et *secundum* nec fideles exercent, nec monentur ab Ecclesia ; ergo.

R. *N. Cons.* Ex voluntate salvandi omnes recte probatur sufficientia, sed solum aliqua, sive ea sit *positiva* aut *negativa*, sive *proxima* aut *remota*, quia, quacumque ex his concurrente, salus ponitur in voluntate creaturæ, ita ut per Deum non stet quominus creatura salutem non consequatur : unde sequitur 1°. si ne quidem in voluntate aliena daretur sufficientia pro parvulis et potentia applicandi illis baptismum, nec in Deo dari voluntatem seriam circa eorum salutem : 2°. autem, non requiri eamdem sufficientiam pro parvulis, quæ convenit adultis. Cæterum quod *adultis* detur sufficientia *positiva* et *supernaturalis*, probatur partim ex auctoritate, partim ex possibilitate orandi et observandi præcepta supernaturalia : contrarium de *parvulis* patet tum ex eo quod hi non sint capaces recipiendi gratiam actualem in seipsis : tum quod sufficientia pro his posita sit in opportunitate conferendi baptismum, quæ nihil in se continet supernaturale, supposita aliunde baptismi institutione. Hinc vero intelligi potest qua ratione quælibet libertas naturalis possit dici sufficientia ad salutem parvuli ; nempe quatenus illius usus vel negative vel positive efficit, ut infans superstes in vita servetur, aqua et cætera requisita adsint, vel alio quocumque modo opportunitas applicandi baptismum fiat.

*Ad Conf.* 1am. R. *N. Cons. Disparitas* est 1°. quia gratia sufficiens reipsa datur omnibus adultis etiam *gentilibus,* ut patet ex prop. 5a. ab Alex. VIII. damnata; ergo ejus collatio non dependet a conditione aliqua, sed confertur absolute : e contra opportunitas baptismi parvulis applicandi reipsa non datur omnibus ; ergo ejus collatio recte dicitur dependere ab aliqua conditione : hæc vero non tenet se ex parte solius Dei; quia in eo est voluntas salvandi omnes : neque ex parte causarum naturalium, ut nuper probatum est : nec ex parte ipsorum infantum, ut per se patet; ergo ex parte causarum liberarum, maxime *parentum,* ut in responsione dictum est. 2°. Quia gratia sufficiens est donum in se ac vere supernaturale ; ergo supra ordinem naturæ et cujuscumque meriti vel dispositionis naturalis : e contra sufficientia ad baptismum applicandum nihil in se est supernaturale, ut dictum est proxime.

*Ad Conf.* 2am. R. *N. Seq.* Quamvis enim certum sit nostram prædestinationem posse dependere ab usu divinæ inspirationis ad faciendum aliquod leve bonum, vel ad vitandum peccatum veniale; item licet probabilissimum sit omnes, per se loquendo et præscindendo a circumstantia particularis necessitatis, teneri ad orandum pro proximis in communi, eamque orationem, abstrahendo etiam a nostra sententia, habere satis certum effectum pro salute aliorum : tamen ex primo non sequitur, nos sub gravi culpa teneri ad *exquisitam diligentiam*; nec secundum debet ab Ecclesia proponi fidelibus; ergo idem ex simili dicendum est de sequelis ex nostra sententia deductis. Accedit 1°. quod Deus ita velit nostræ et parvulorum saluti consulere, ut neminem conjiciat in anxietates et scrupulos; quæ ratio Theologis familiaris est ad excusandum fideles, quando timor mali vel peccati secuturi est circa personam vel actionem indeterminatam : 2°. quod, dum pii parentes orant pro felici partu, implicite orant ut parvuli ad baptismum perveniant : idem fideles omnes petunt in oratione Dominica per illa verba : *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*; uti a Suar. Tom. 2. de Rel. L. 3. c. 8. explicatur : 3°. quod sententia hæc nostra non sit certa, neque sufficientiam ad actum singularem aut modum orationis certum determinet; adeoque exigi non possit ut ab Ecclesia fidelibus proponatur.

## ARTICULUS IV.

### AN ET QUALIS IN PROVIDENTIA DEI SUPERNATURALI DETUR PRÆDEFINITIO ACTUUM BONORUM CREATORUM ?

208. *Nota. Prædefinitio* est decretum seu voluntas, qua Deus antecedenter ad creaturæ liberæ determinationem absolute prævisam, ab æterno positive, absolute et efficaciter decrevit, ut ab eadem creatura aliquis actus bonus fiat in tempore. Differt a *Prædestinatione,* quod hæc sive mediate sive immediate intendat gloriam, illa autem præcise ac pure intendat actum bonum, abstrahendo nempe an gloria absolute sequatur, necne. Dividitur in *formalem,* quæ etiam intentio finis vocatur, et est voluntas Dei efficax, qua actus bonus ipse in se directe et immediate intenditur : et in *virtualem,* quæ et electio

mediorum dicitur, et est voluntas, qua directe et immediate tantum intenditur medium aliquod cum actu bono infallibiliter connexum, v. g. gratia efficax; quia voluntas medium hujusmodi intendendo, hoc ipso actum illum virtualiter vult, licet formaliter eum non intendat, sed solam simplicem complacentiam ejusdem includat vel supponat. Controvertitur hic de *formali*. Potest autem tripliciter concipi; 1°. independenter a scientia media, quatenus prædefinitio hæc vel immediate infert actum ipsum, vel physicam ejus prædeterminationem: 2°. dependenter quidem, objective et in operando, non autem subjective et in existendo a scientia media, quatenus scilicet ante scientiam mediam concipiatur Deus prædefinire actum bonum, illum tamen nolit exequi nisi per medium, quod postea per scientiam mediam viderit esse efficax: 3°. potest concipi tam subjective quam objective dependere a scientia media, quatenus prædefinitio non tantum sequatur hanc scientiam, sed etiam ab ea reguletur, et exequatur actum bonum per auxilium de se indifferens, quod prævisum est futurum efficax; uti patet *in hoc decreto*: Quia video per scientiam mediam Petrum consensurum auxilio A, volo consensum, et dabo ei auxilium A, ut consentiat.

209. *Dico*. Videtur probabilius, actus bonos prædicto modo *tertio* esse formaliter prædefinitos.

*Prob*. Juxta Scripturam et Patres Deus 1°. Promittit opera nostra bona, ut patet ex Ezech. 11. ac 36. v. 27. *Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini*; in quem locum S. Aug. L. de Præd. Sanct. c. 11. n. 22. ait: *Locum ipsum scripturæ attendite, et videbitis illa Deum promittere facturum se ut faciant, quæ jubet ut fiant*. 2°. Eadem dat et præparat, ut patet ex ep. ad Ephes. 2. 10. *Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*; in quæ verba S. Aug. L. eod. c. 10. n. 19. inquit: *Quod ait Apostolus... Creati in Christo Jesu in operibus bonis, gratia est: quod autem sequitur, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, prædestinatio est*; et Fulgent. L. 1. ad Monim. c. 9. *Sicut præparata est per prædestinationem voluntas a Domino, qua bonum velimus: sic etiam opera bona præparavit Deus, ut in illis ambulemus*; et D. Thomas in eamdem epistolam ac locum Apostoli scribit: *Dicitur autem Deus nobis aliqua præparare, in quantum disposuit se nobis daturum*. 3°. Ad eadem nos elegit et adducit, ut patet ex ep. ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*, et ad Rom. 2. 4. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*; in quorum 1um. S. Aug. L. cit. c. 18. n. 36. ait: *Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus: ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans ut tales per gratiam ejus essemus*; et in 2um. Idem L. 3. cont. Julian. c. 4. n. 14. respondet: *Quantumlibet præbeat patientiam, nisi ipse dederit, quis agit pœnitentiam? an oblitus es, quod idem ipse Doctor ait: ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis*. Ergo cum Deus non tantum promittit, præparat et dat gratias, sed etiam ipsa *opera bona*, imo concedit gratias, ut opera eveniant; etiam directe et immediate intendit opera, et consequenter formaliter prædefinit.

*Conf*. Hæc sententia non lædit libertatem, nihil continet Deo inconveniens,

melius explicat, quomodo nihil fiat, quod Deus fieri non velit, vel sinendo, si malum est, vel si bonum, ipse faciendo, ut Aug. in Enchir. c. 95. loquitur; quomodo etiam ipsa Dei voluntas invicta sit, nec ipsi resistat humanum ullum arbitrium, ut Scriptura et Aug. sæpius asserunt; quomodo prima et maxime radicalis discretio salvandi a non salvando sit a gratuito et efficaci Dei beneplacito; quomodo gratia efficax non tantum in actu secundo, sed et in primo differat a sufficiente, et proinde sit moraliter major in ratione beneficii, et prædestinatis maxime conferatur ut efficax.

210. *Obj. I.* S. Chrys. hom. 2. in epist. ad Heb. ait: *Deus sua voluntate non antecedit voluntates nostras, ne nostrum lædatur arbitrium*: et Damascen. L. 2. de fid. c. 30. *Scire oportet, Deum omnia præscire, sed non omnia prædefinire: præscit enim ea, quæ in nostra potestate ac arbitrio sunt, at ea non prædefinivit; neque enim vitium admitti vult, neque rursus virtuti vim infert;* ergo damnant prædefinitiones.

*Conf.* Principia actus creaturæ liberi illa tantum esse possunt, quæ importantur in hypothesi objectiva scientiæ mediæ: sed in hac nec importatur, nec importari potest prædefinitio formalis; quia nec potest importari ex parte *conditionis*, v. g. sic: si dedero auxilium cum prædefinitione consensus, erit consensus; cum alias conditionalis foret necessaria: nec ex parte *conditionati*, nempe ita: si dedero auxilium, erit consensus, me prædefiniente; cum ex hac parte solum sit objectum scientiæ mediæ, et alias collatio auxilii, quæ est purificatio conditionis, foret causa prædefinitionis, uti conditio dicitur causa conditionati, quamvis prædefinitio potius sit causa collationis auxilii; ergo.

R. *D. Cons.* Damnant prædefinitiones indiscriminatim sumptas tam ad malum, quam ad bonum *C.* tantum ad bonum *Subd.* absolute antecedentes, neque penitus a scientia media dependentes *C.* consequentes scientiam mediam, et in existendo ac operando ab ea pendentes *N.*

*Ad Conf.* R. 1°. *N.* 2am. *p. min.* Juxta plures enim Deus in illo statu videt suam prædefinitionem ex parte *conditionati*; quia scientia media, utpote comprehensiva omnium, attingit etiam quæ de facto concurrunt ad suum objectum, quamvis non sint necessaria ex parte potentiæ proximæ, ex quo solvitur probatio *prima*. *Secunda* autem non tenet; quia secundum hanc responsionem prædefinitio tantum attingitur ex parte *conditionati*, non autem ut conditionatum; ideoque conditio in eam influere non debet.

R. 2°. *D. M.* Principia actus liberi creaturæ proxima et immediata, seu ad ordinem executionis creatæ præcise spectantia, tantum possunt esse illa quæ importantur etc. *C.* principia remota et mediata, seu ad ordinem intentionis tantum spectantia *N.* Ratio indifferentiæ est, quod principia posteriora in actum creaturæ non influant per se et immediate, sed solum mediante actu primo libertatis creatæ, quem immediate causant. Hinc vero patet 1°. quod in statu absoluto poni possint, licet non attingantur in conditionato; quia, cum nullum ex principiis actus primi intrinsecis excludant, libertatem minime lædunt: 2°. quod necessarium non sit ut ponantur etiam in statu conditionato; tum quia ad scientiam mediam per se loquendo spectat unice videre conditionem et conditionatum: tum quia ad veritatem

conditionalis propositionis non requiritur quodcumque, purificata conditione, conditionato convenit.

*Inst.* 1. Deus salva libertate creata pro statu conditionato nequit formaliter prædefinire consensum sub conditione, si homo haberet auxilium A: Item, post scientiam mediam consensus, nequit Deus prædeterminare consensum; ergo pariter salva libertate creata pro statu absoluto, vel post scientiam mediam Deus nequit formaliter prædefinire.

R. *N. Cons. Disparitas* est, quia prædefinitio in *primo,* cum scientiam mediam de consensu sub conditione futuro non supponere possit, deberet regulari per scientiam necessariam de consensu futuro ex vi et efficacia alicujus decreti vel auxilii intrinsece et per se connexi cum consensu et a voluntate inimpedibilis, adeoque idem præstaret, quod prædeterminatio in *secundo;* nempe ut consensus sit antecedenter necessarius et immutetur indifferentia potentiæ proximæ: neutrum est in nostra prædefinitione formali, quæ regulatur a scientia media et fertur in consensum per medium indifferens et ex se conjungibile cum omissione consensus.

*Inst.* 2. Prædefinitio infert necessitatem antecedentem; tum quia est causa actus prædefiniti: tum quia eumdem antecedit et necessario infert: tum quia impediri et frustrari nequit; ergo.

R. *N. A. Ad prob.* 1am. *D.* Prædefinitio est causa proxima et immediata actus *N.* remota et mediata *subd.* caque per se talis et requisita *N.* per accidens tantum talis et non requisita absolute *C.* Sicut enim actus malus creaturæ fit sine prædefinitione, sic et actus bonus potest poni, dummodo Deus det auxilium supernaturale et concursum indifferentem; adeoque prædefinitio non requiritur saltem ex parte actus et creaturæ. An vero ex parte Dei ac providentiæ non requiratur, disputant inter se Theologi.

*Ad prob.* 2am. *D.* Prædefinitio physice antecedit actum *C.* logice *subd.* subsistendi consequentia *C.* prioritate rationis objectiva *N.* Sicut ex eo quod Deus sciat actum futurum, sic etiam ex eo quod Deus velit actum, utrinque sequitur quod actus erit: prius tamen ratione est, actum esse futurum posita certa conditione, quam prævidere Deum, et consequenter prædefinire; quia, si voluntas creata hunc actum non vellet, Deus neque prævideret, neque prædefiniret. Hoc ipso autem prædefinitio nec antecedit nec necessario infert actum absolute et simpliciter, sed tantum antecedit secundum quid, et necessario consequenter infert.

*Ad prob.* 3am. *D.* Prædefinitio nequit impediri directe, seu, ex supposito quod sit, carere suo effectu *C.* nequit impediri indirecte, seu fieri, ut nunquam fuerit *N.* Eodem modo explicatur *frustratio,* nisi frustrari prædefinitionem sumatur pro eo quod, ea jam posita, careat suo effectu; tum enim frustrari nequit, et actus non poterit non poni, sed tamen solum ex suppositione simpliciter consequente, seu alicujus, quod supponit liberam voluntatis determinationem.

*Inst.* 3. Quod alterum supponit ut positum, illud nulla ratione impedire potest: sed potentia proxima ad actum supponit prædefinitionem actus positam; ergo. *Conf.* Nulla datur nunc potentia impediendi præteritum, quia factum infectum fieri nequit: sed prædefinitio est quid præteritum; quia jam fuit ab æterno; ergo.

R. *D. M.* Quod alterum supponit ut positum, nulla ratione illud impedire

potest, si illud alterum saltem logice non dependeat ab hoc *C.* si ab hoc dependeat *subd.* non potest impedire consequenter *C.* antecedenter *N.*

*Ad Conf.* R. *D. M.* Nulla datur nunc potentia impediendi præteritum stricte dictum, absolutum et independens a præsenti *C.* præteritum minus stricte dictum, respectivum et dependens ab aliquo præsenti *subd.* non datur potentia illud impediendi directe et consequenter *C.* indirecte et antecedenter *N.* Idem respondetur de prædefinitione, quod alibi de præscientia est expositum : neutra tamen proprie dicitur præterita, cum semper existat, licet detur ab æterno.

*Inst.* 4. Etsi voluntas, prout existens in statu conditionato, possit impedire prædefinitionem, non tamen id potest voluntas ut existens in statu absoluto; quia prædefinitio causalitate antecedit potentiam proximam creatæ voluntatis absolute existentem : sed hoc ipso actus prædefinitus solum ut conditionate, non autem ut absolute existens est liber; ergo.

R. *N. M. et prob. D.* Prædefinitio causalitate antecedit potentiam proximam creatæ voluntatis absolute existentem, tanquam principium per se requisitum et independens a consensu libero absoluto *N.* tanquam principium per accidens duntaxat requisitum et indirecte saltem dependens a consensu libero absolute futuro *C.* Dependentia prædefinitionis ab actu prædefinito seu consensu absolute futuro sic ostenditur : Prædefinitio dependet a scientia media, tanquam a *regula* dirigente; hæc a consensu conditionate futuro, tanquam ab *objecto;* hic a consensu purificata conditione absolute futuro, tanquam a *conditione* sine qua non ; quia nisi purificata conditione esset consensus absolute futurus, ante purificatam conditionem non esset conditionate futurus; ergo prædefinitio indirecte non tantum a consensu conditionate futuro, sed etiam absolute futuro dependet.

*Inst.* 5. Si voluntas ut absolute existens posset *indirecte* impedire prædefinitionem, inter hanc et actum prædefinitum aut saltem voluntatem daretur mutua naturæ prioritas; quia prædefinitio est natura prior quam actus prædefinitus, aut voluntas in actu primo posita ut absolute existens ; cum illi conferat auxilium per scientiam mediam efficax prævisum; vicissim vero voluntas illa esset prior natura quam prædefinitio, cum impediens natura prius sit quam impeditum; ergo. *Conf.* Voluntas creata, ut in statu absoluto existens, nequit impedire scientiam mediam, adeoque nec prædefinitionem, quæ ideo impediri potest, quia supponitur posse impediri hanc scientiam. Nam id voluntas creata absolute existens nec *indirecte* impedire potest, quod eodem modo daretur, sive creata voluntas absolute existeret, sive non existeret : sed scientia media de consensu aut dissensu condionate futuro eodem modo daretur, sive voluntas creata absolute existeret vel non; cum hæc scientia detur de actibus liberis hominum, qui nunquam sunt extituri ; ergo.

R. *D. M.* Si voluntas ut absolute existens posset prædefinitionem indirecte impedire quasi a priori et per modum objecti, daretur etc. *C.* si solum possit impedire a posteriori et per modum conditionis *subd.* daretur mutua naturæ prioritas propria et in eodem genere *N.* impropria et in diverso *Tr.* Hanc autem prioritatem non repugnare, constat in exemplo finis et medii, productionis quoad primum et secundum esse.

*Ad Conf.* R. *D. M.* Id voluntas absolute existens nec indirecte impedire potest, quod daretur, sive voluntas absolute existeret sive non existeret tam

simpliciter quam purificata conditione *C.* quod daretur, sive voluntas simpliciter tantum existeret vel non existeret, non autem daretur nisi purificata conditione voluntas absolute existeret *N.* Verum quidem est quod scientia media possit dari de iis quæ simpliciter non existent in statu absoluto, unde etiam sequitur *absolute existentia* non esse objectum hujus scientiæ : non tamen datur de iis, quæ, purificata conditione sub qua possibili conditionate futura prævidentur, non existerent absolute; cum alias nulla connexio inter conditionem et conditionatum foret, et sic objectum scientiæ mediæ falleret : unde sequitur absolute existentia esse conditionem, sine qua non haberetur vera ac infallibilis scientia media.

211. *Obj. II.* Volitio absoluta ut consensus fiat, et voluntas indifferens ut consensus fiat vel non fiat, nequeunt stare simul; quia per hanc illa retractatur ; sed *prædefinitio* est voluntas talis absoluta, et decretum indifferens applicativum omnipotentiæ est voluntas illa indifferens; ergo. *Conf.* 1. Velle efficaciter consensum est nolle efficaciter carentiam consensus : sed nolle efficaciter carentiam consensus non componitur cum applicatione indifferente ut sequatur consensus vel ejus carentia; ergo. *Conf.* 2. Admissa prædefinitione, decretum applicativum omnipotentiæ esset Deo immediate liberum, quia immediate oriretur a voluntate Dei per se indifferente, et non esset Deo immediate liberum, quia esset actus efficaciter imperatus a prædefinitione : sed implicat decretum Deo immediate liberum et non liberum; ergo.

R. *N. Ass.* Non magis repugnat prædefinitio et decretum indifferens applicativum omnipotentiæ, quam volitio antecedens et inefficax salvandi omnes, ac volitio consequens et efficax aliquos non salvandi, sed propter eorum peccata damnandi; quia cum prædefinitio intendat consensum ab aliena libertate libere ponendum, decretum indifferens omnipotentiæ applicativum supponere debet, tanquam objective antecedens.

*Ad prob. D. M.* Voluntas absoluta ut consensus fiat, non potest stare cum voluntate indifferente ut consensus fiat vel non fiat consequenter *C.* ut fiat vel non fiat antecedenter *N.* Voluntas exhibendi concursum indifferentem importat volitionem conditionatam concurrendi in actu *secundo* ad dissensum; sed sicut dissensus, posita prædefinitione consensus, est tantum possibilis potentia antecedente, sic et illa volitio est antecedens : hæc autem non pugnat cum volitione consequente contraria, cum habeat diversum objectum.

*Ad Conf.* 1am. *D. M.* Nolle efficaciter carentiam consensus, antecedenter ac independenter a libertate humana et proinde a voluntate Dei exhibendi concursum indifferentem, nequit componi etc. *C.* nolle consequenter ac dependenter a libertate humana et voluntate Dei indifferente *N.*

*Ad Conf.* 2am. R. *prob. D.* Decretum applicativum omnipotentiæ, supposita prædefinitione, oritur immediate a voluntate Dei indifferente quoad applicationem omnipotentiæ, seu exhibitionem parati concursus *N.* indifferente quoad ipsam omnipotentiam seu auxilium et concursum indifferenter paratum *C.* Respectu postremi decretum applicativum præcipue dicitur indifferens, unde sive sit actus imperatus a prædefinitione, sive ipsa prædefinitio consensus, nec hominis nec Dei libertatem minuit; præsertim, cum hæc applicatio *per accidens* fiat a prædefinitione.

*Inst.* 1. Volitionem esse efficacem est esse effectivam sive immediate per se ipsam effectum exequendo, sive immediate imperando executionem per potentiam aliam : sed prædefinitio est voluntas efficax, et volitio sic efficax nec cum indifferente omnipotentia nec cum libertate humana componitur; ergo. *Conf.* 1. Qui efficaciter vult cum alio influere determinate in actum, nequit esse indifferens ad influendum cum alio in eumdem actum aut in actum contrarium : sed Deus vi prædefinitionis efficaciter vult cum homine influere determinate in actum ; ergo. *Conf.* 2. Omne decretum Dei efficax, intentivum actus creati, est simul immediate executivum ejusdem: sed decretum immediate executivum actus destruit libertatem humanam, ut a nobis asseritur contra decreta prædeterminantia ; ergo. *Maj. prob.* Deus non potest ullum actum creaturæ intendere, quin vi hujus decreti actus procedat a creatura simul et sua omnipotentia : sed decretum, vi cujus actus ab his causis immediate procedit, est immediate executivum ; ergo.

R. *D. M.* Volitionem rei immediate liberæ et independentem ab aliena libertate esse efficacem est esse effectivam etc. *C.* Volitionem rei mediate tantum liberæ et dependentem a libertate aliena, qualis est prædefinitio divina actus creati boni *N.* Prædefinitio nec est effectiva immediate, per se ipsam exequendo effectum, nec effectiva mediate imperando executionem ; sed tantum imperando volitionem præparativam executionis.

*Ad Conf.* 1am. R. *D. M.* Qui efficaciter vult cum alio influere determinate in actum sibi immediate liberum, nequit etc. *C.* sibi mediate duntaxat liberum *subd.* nequit esse indifferens indifferentia se tenente ex parte intentionis propriæ *C.* tenente se ex parte executionis alienæ *N.* Posito, quod Deus ex directione scientiæ efficaciter velit dare homini totum actum *primum* libertatis, ut actum eliciat, non manet amplius indifferens spectato ordine suæ intentionis; secundum ordinem vero executionis *creatæ* manet ejus omnipotentia indifferenter applicata ad influendum vel non influendum cum homine in actum, prout ipse se determinaverit. *Item,* quod eadem in actu secundo in actum bonum influat, non provenit immediate et executive ab ipsa prædefinitione, sed a libertate hominis, influxum omnipotentiæ libere determinante.

*Ad Conf.* 2am. R. *D. M.* Decretum Dei est immediate executivum, si sit intentivum actus creati soli Deo non autem creaturæ liberi, quale est decretum physice prædeterminans, ut nobis videtur *C.* si sit intentivum actus creati Deo quidem mediate sed soli creaturæ immediate liberi, quale est prædefinitio per scientiam mediam regulata *N.* Hæc enim eo modo actum creatum liberum exequitur, quo exequi intendit : intendit autem illum exequi non per se immediate, sed mediate, per omnia scilicet creatæ libertatis constitutiva, quorum unum est divina omnipotentia indifferenter applicata.

*Inst.* 2. Prædefinitio formalis actus boni est absoluta volitio actus ut finis: sed absoluta volitio actus *ut finis* est prior volitione mediorum ; ergo prædefinitio formalis est prior quam volitio mediorum, seu auxiliorum per scientiam mediam prævisorum; ergo hæc prædefinitio prior erit scientia media et ab illa non regulatur.

R. *D. M.* Prædefinitio formalis actus boni est simpliciter absoluta volitio actus ut finis *N.* est absoluta et simul conditionata volitio actus ut finis *C.* Dupliciter potest actus bonus prædefiniri : 1°. per modum puræ intentionis et simpliciter absolute, quod fit si Deus, postquam etiam vidit media quibus voluntas est consensura, absolute decernat talem actum, nihil cogitando de mediis, ad quorum electionem postmodum progrediatur ex vi hujus intentionis : hæc prædefinitio, quamvis sequatur scientiam mediam, tamen ab ea non pendet et regulatur, consequenter non est in hominis potestate, et cum absoluta sit, inducit necessitatem. 2°. Potest prædefiniri per modum intentionis mixtæ, ut nempe actus ille sit quidem absolute et efficaciter, sed per hæc media, sive si hæc media illum actum producant et ponantur ; quod fit si Deus decernat talem actum simul et media, per quæ vidit hunc actum libere futurum : atque hæc sicut a scientia media pendet ac regulatur, sic et cum libertate humana componitur, et a nobis hic asseritur. Præterea non sequitur aliqua prioritas existentiæ aut independentiæ ab alia voluntate, sed tantum *motivi;* nam qui eligit media propter finem, habet se sicut qui amat objectum propter motivum : hic autem dicitur etiam prius aliquo modo amare motivum, non quod aliquod rationis signum sit in quo intelligatur amare motivum sine objecto, sed quod motivum sit ratio amandi objectum, et sic intelligatur tantum *prioritas rationis a quo.* Hoc vero etiam magis tenet, ubi quis vult finem et media simul, vel finem per hoc medium et non aliter.

*Inst.* 3. Vi prædefinitionis formalis Deus dat auxilium efficax qua efficax, ita ut, si hoc auxilium non prævideretur efficax, aliud daret : sed per hoc ostenditur Deum intendere prius actum ut finem, et postea modo seligere auxilium quod investigaverit fore efficax ; ergo. *Conf.* Si Deus per prædefinitionem non intenderet prius actum bonum, intenderet eum in auxilio tanquam in causa : sed sic foret prædefinitio tantum *virtualis,* non autem formalis ; ergo.

R. *D. M.* Vi prædefinitionis formalis Deus dat auxilium efficax qua efficax secundum quid *C.* qua simpliciter efficax *N.* Auxilium efficax dicitur dari qua *simpliciter* efficax, quando datur ex intentione actus, ita ut, si videretur esse inefficax, ex omnibus possibilibus auxiliis seligeretur aliud efficax, seu daretur semper aliud, usque dum aliquod esset efficax ; ex hac autem sic dantis comparatione, intelligitur actum intendi seorsim a mediis, non autem cum medio aut per medium certum, adeoque nec dependenter a scientia media : unde in nostro systemate locum non habet, præsertim cum per auxilium ejusmodi tolli libertatem humanam necesse foret. Dicitur autem dari qua efficax *secundum quid,* quando datur ex intentione actus, ita ut, si videretur esse inefficax, daretur aliud ex certis, v. g. decem, certæ speciei vel qualitatis auxiliis, quod per scientiam mediam Deus jam prævidet futurum efficax ; in qua explicandi methodo retinetur dependentia a scientia media et intentio finis per hoc vel illud determinatum medium.

*Ad Conf.* R. *Tr. M. N. min.* Nam prædefinitio *virtualis* vel dicit solam complacentiam circa actum, non vero absolutam et efficacem intentionem actus, vel virtualem duntaxat, non autem formalem volitionem ; quamvis autem Deus actum intendat in auxilio tanquam in causa, tamen imprimis

non habet simplicem complacentiam de actu : deinde nec habet duntaxat virtualem volitionem actus; cum per hoc auxilium explicite et formaliter velit actum. Atque hæc de actibus salutaribus maxime prædestinatorum dicta sunt.

---

# CAPUT III.

## DE PROVIDENTIA DEI CIRCA ELECTOS.

### ARTICULUS I.

#### AN VERA EX PARTE DEI DETUR PRÆDESTINATIO?

212. *Nota.* Prædestinatio *adæquate* sumpta definiri potest : præscientia et decretum, quo Deus ab æterno efficaciter statuit, hominibus aliquibus providere de largiendis gratiis in hac vita, et de assecutione regni cœlorum in altera. Hanc dari negarunt tum ii, qui inficiati sunt Dei providentiam; tum *Pelagiani* et *Semipelagiani,* qui inde libertatem nostram perire, hominesque vel in socordiam vel desperationem induci rebantur. *Ambrosius Catharinus* insignis ex Ord. Præd. Theologus duplicem salvandorum statuit ordinem; 1$^{um}$. eximie sanctorum, Deiparæ nimirum, Apostolorum aliorumque virtutibus et miraculis celebrium; et hos prædestinatos vocat : 2$^{um}$. eorum qui minoris quidem meriti et perfectionis sunt, sed tamen regni cœlorum fiunt participes; et hos negat dicendos prædestinatos : præterea in prædestinationis vocabulo particulam *præ* vult importare prioritatem dignitatis et meritorum excellentiam, non autem temporis. Ob hæc censuerunt Theologi plures, negatam a *Catharino* esse prædestinationem, tum quantum illa significat decretum æternum, tum quantum significat prædilectionem et electionem; adeo ut non soli prædestinati salutem æternam consequantur, sed etiam alii, quos quidem Deus præscivit, non tamen singulariter ordinavit ad merita et præmium æternum : alii vero negant hanc esse genuinam *Catharini* doctrinam, voluntque ab eo duplicem duntaxat prædestinationis modum assertum : unum quidem *ante* prævisa merita per infallibilia et specialiter provisa gratiæ auxilia, et sub hoc primum illum ordinem contineri; alterum *post* prævisa merita ex auxilio quidem gratiæ sed generali et omnibus communi.

213. *Dico I.* Datur vera prædestinatio, eaque non dignitatis tantum, sed et temporis præeminentiam denotans.

*Prob.* 1$^{a}$. *p.* Luc. 12. 32. Christus inquit: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et Matth. 20. 23. *Sedere ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo,* Apost. ad Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, hos et vocavit,*

etc. S. Aug. L. de don. persev. c. 21. n. 56. ait : *Nimiæ contentionis est prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare.* S. Prosp. in resp. ad 1am. object. Gal. *Prædestinationem Dei nullus Catholicus Christianus negat.* S. Fulgent. L. de Incarn. et gr. (al. ep. 17.) c. ult. n. 67. *Deus, qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua et donum illuminationis ad credendum, et donum perseverantiæ ad proficiendum atque permanendum, et donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit.* etc.

*Prob.* 2a. *p.* Matth. 25. 34. dicitur : *Possidete regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi.* Ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti. Prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ.* S. Aug. L. de don. pers. c. 17. n. 41. *Ista sua dona quibuscumque Deus donat, procul dubio se donaturum esse præscivit, et in sua præscientia præparavit.* S. Fulg. L. de fid. c. 35. n. 76. *Firmissime tene et nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo* etc.

*Conf. utr. p.* Prædestinatio est propositum voluntatis divinæ creaturam rationalem ad æternam vitam eligentis : sed hoc reipsa datur, cum *de fide* sit multos reipsa a Deo in hanc vitam assumi : præterea etiam illud est æternum; tum quia est actus divinus, tum quia Deus nihil operatur in tempore quod ab æterno non præordinaverit faciendum; ergo.

214. *Dico II.* Datur singularis Dei providentia et dilectio circa prædestinatos omnes.

*Prob.* Sap. 4. 10. dicitur. *Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est : raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus* etc. Ibid. 10. 17. *Deus reddidit justis mercedem laborum suorum, et deduxit illos in via mirabili.* Matth. 24. 22. *Propter electos breviabuntur dies illi.* Joan. 17. 9. *Ego pro eis rogo : non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Ad Rom. 8. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit* etc. S. Aug. L. de Corr. et gr. c. 7. n. 13. inquit : *Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod et procuratur eis audiendum Evangelium, et cum audiunt, credunt; et in fide quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; et si quando exorbitant correpti emendantur.* etc. Unde falsa apparet doctrina illa de *duplici ordine,* quomodocumque explicata; eo quod in posteriori ordine non haberetur ulla ex parte prædilectio : non enim ex parte *finis;* cum Deus æqualiter vitam æternam omnibus vellet et intenderet : nec ex parte *mediorum;* quia non nisi generalia et omnibus communia salutis assequendæ media concederet hujusmodi salvandis : neque alia ex parte quid assignari potest.

215. *Dico III.* Soli prædestinati consequuntur vitam æternam.

*Prob.* Matth. 22. narrata parabola de *invitatis ad nuptias,* inter quos plures ob negligentiam vel injurias servis illatas vita et fortunis multati sunt, alius autem ob defectum vestis nuptialis missus in tenebras exteriores, Christus applicationis more subjungit hæc verba : *multi enim sunt vocati,*

*pauci vero electi*; ergo electi soli gloriam consequuntur, non electi reprobantur. Item Matth. 24. ubi de aliis *assumendis*, aliis *relinquendis* loquitur; illos vocat *electos*, neque inter hos ac reprobos statuendi medios quosdam locum vel suspicionem relinquit : Denique Matth. 25. rursus duplicem tantum salvandorum scilicet ac damnandorum ordinem statuit, et illis quidem dicendum ait : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*; ergo prædestinatos duntaxat salvandos manifestum est: unde S. Fulgent. L. de fid. c. 35. inquit : *Firmissime tene et nullatenus dubites... neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad regnum cœlorum, nec quemquam eorum quos Deus non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari* : et S. Aug. postquam prædestinationis definitionem L. de don. pers. c. 14. n. 35. dederat, concludit (ib. c. 17. n. 47) tam necessariam esse prædestinationem, quam est necessaria scientia : *hæc*, ait, *Dei dona, si nulla est prædestinatio quam defendimus, non præsciuntur a Deo: præsciuntur autem; hæc est igitur prædestinatio quam defendimus.*

Accedit, quod nullus effectus aliquando eveniat, nisi cum Deus ab æterno voluntate sua præparaverit; et nulla res suum finem consequatur, nisi per divinam providentiam illi accommodatam; ergo multo minus eveniet cuidam salus, aut finis supernaturalis obtinebitur sine prædestinatione, quæ est accommodata præparatio et providentia.

216. *Obj. cont.* 1um. Matth. 25. dicuntur tantum prædestinati *a constitutione mundi*; ergo non ab æterno. *Conf.* 1. Vocatio, justificatio et glorificatio, licet sint actus divini, sunt tamen in tempore; ergo et prædestinatio; præsertim cum Apostolus hæc ad Rom. c. 8. conjungat. — 2. Prædestinatio est pars providentiæ : sed providentia non est æterna sed temporalis; quia est posterior creatione, cum juxta Nemesium L. de nat. hom. c. 42. rebus jam creatis consulat; ergo.

R. *N. Cons.* Textus Apostoli ad Ephes. ostendit prædestinationem etiam ante mundi constitutionem esse, et interpretatio S. Aug. Tr. 105. n. 7. in Joan. ipsa objectionis verba exponit per hæc : *ante mundum et ante omnia tempora.*

*Ad Conf.* 1am. R. *N. Cons. Disparitas* est, quia præscientia, prædestinatio, propositum, electio et cætera hujusmodi sunt actiones *immanentes*, et dicuntur relative ad intellectum ac voluntatem divinam : vocatio autem, justificatio et glorificatio sunt actiones *transeuntes*, et dicuntur connotative ad effectum in tempore productum.

*Ad Conf.* 2am. R *D. m.* Providentia in arte, seu ratio agendorum præconcepta et propositum agendorum, non est æterna *N.* providentia in usu et exercitio, seu ipsa executio non est æterna *C.* Ad postremam autem videtur respexisse Nemesius.

217. *Obj. cont.* 2um. Sap. 6. dicitur de Deo : *Æqualiter est ei cura de omnibus*; ergo non datur singularis providentia et dilectio Dei circa prædestinatos; præsertim quia sicut Deus nequit dici quædam scire aut velle magis quam alia, sic neque dici debet quosdam magis diligere quam alios. *Conf.* 1. Juxta ep. 1. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri*; ergo nec quoad salutem hominum datur Deo dilectio unius præ altero. 2°. Dionys. L. de div.

nom. c. 4. §. 1. ait: *quemadmodum sol ille noster non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso quod est, illuminat universa quæ quoquomodo lucis ejus sunt capacia: sic ipsum Bonum... ipsamet substantia sua, rebus omnibus, pro cujusque captu, totius bonitatis suæ radios affundit;* ergo.

R. *D. A.* Deo æqualiter effective est cura de omnibus, h. e. æquale bonum sive naturæ sive gratiæ vult et procurat omnibus *N.* æqualiter affective, quantum præcise attinet actum intellectus et voluntatis, qui in Deo est unicus *C.* S. Thomas p. 1. q. 20. a. 3. ad 1. ait: *Dicitur Deo æqualiter esse cura de omnibus, non quod æqualia bona sua cura omnibus dispenset, sed quia ex æquali sapientia et bonitate omnia administrat.* Cæterum distinctio amoris divini constat ex S. Aug., qui Tr. 110. n. 6. in Joan. inquit: *cum eorum quæ fecit* (Deus) *nihil oderit, quis digne possit eloqui, quantum diligat membra Unigeniti sui; et quanto amplius ipsum Unigenitum, in quo condita sunt omnia visibilia et invisibilia, quæ in suis generibus ordinata ordinatissime diligit.*

*Ad prob. Disparitas* est ex D. Thom. ibid. ad 3.; quia intelligere et velle significant solum actus, nec in significatione sua includunt objecta, quorum diversitate possit dici Deus magis vel minus scire aut velle: amor autem Dei duplici modo sumi potest, scilicet vel ex parte *ipsius actus* voluntatis; et sic Deus non magis amat quædam aliis, quia omnia amat uno et simplici voluntatis actu: vel ex parte *boni,* quod quis amato vult; et sic Deus magis amat prædestinatos.

*Ad Conf.* 1am. R. *D. A.* Deus antecedenter vult omnes salvos fieri *C.* vult consequenter *N.* Dilectio autem ista major sicut prædestinatio, ad voluntatem Dei consequentem pertinet.

*Ad Conf.* 2am. R. *D. A.* Sicut sol lumen, ita Deus suam bonitatem communicat in providentia generali et communi *C.* in speciali *N.* Ita S. Thom. p. 1. q. 23. a. 4. ad 1.

218. *Obj. cont.* 3um. Ad hoc ut quis actu salutem consequatur, prædestinatio *proprie* dicta non est necessaria; cum alias qui non sunt prædestinati non haberent ex parte Dei omnia necessaria ad salutem, nec possent salvari; ergo imprimis possunt salvari non prædestinati. Deinde reipsa neminem salvari nisi prædestinatum, neque est expresse revelatum, neque etiam colligitur ex effectibus; cum potius multi videantur salvari cum sola communi et ordinaria providentia gratiæ; ergo. *Conf.* 1. Angeli sancti translati sunt ad vitam æternam sine prædestinatione; ergo et homines non prædestinati salvantur. *Conf.* 2. Matth. 22. habetur: *Erunt novissimi primi, et primi novissimi,* h. e. postremum locum tenebunt qui primum electi sunt; ergo duplex salvandorum ordo datur; unus eorum qui vocati sunt et non electi, alter eorum qui vocati simul et electi sunt.

R. 1°. *Ad* 1um. *D. A.* Prædestinatio proprie talis non est necessaria per se absolute ac simpliciter *C.* non est necessaria ex parte Dei ad convenientem vel perfectum operandi ac intendendi modum *N.*

R. 2°. *Tr.* totum, quia assertio nostra non est de possibili nec de providentia alia, sed de facto et providentia præsenti.

*Quoad.* 2um. R. 1°. Quamvis non sit expresse revelatum, et hinc non dica-

tur esse *de fide*; colligitur tamen ex revelatis, multumque in sacra Scriptura et traditione insinuatur.

R. 2°. *N.* 2am. *p.*; quia ex modo providentiæ Dei erga prædestinatos exposito hic actus satis probabiliter colligitur.

*Ad Conf.* 1am. *T. A. N. Cons.* Qui primum admittunt, fundamentum desumunt ex S. Aug., qui L. de Corr. et gr. c. 11. *angelos* dicit solum indigere adjutorio sine quo non, hominem autem adjutorio quo; de quibus vid. *Tr. de gratia*: nullum autem plane fundamentum est pro alia parte.

*Ad Conf.* 2am. R. *N. Cons.* Nomine *primorum* non intelliguntur vocati simul et electi, nec nomine *novissimorum* vocati tantum sed non electi: sed si sub parabola vineæ et operariorum proponatur Ecclesia, primis Judæi, novissimis gentiles correspondent, ex quibus hi Apostolica prædicatione invitati ad Ecclesiam accesserunt, illis tardantibus vel renuentibus: si autem admittatur figuratum hic esse regnum cœlorum alterius vitæ, *primi* et *novissimi* intelligi cum Estio possunt respectu hominum et Dei, ita ut sensus sit: multi qui judicio hominum videntur primi, quales habentur divites, nobiles, et gloria seculari insignes, erunt novissimi judicio Dei: e contrario multi qui hominum judicio novissimi videntur, ut pauperes, humiles et persecutionem propter justitiam patientes, primi erunt judicio Dei.

## ARTICULUS II.

### AN ET QUOMODO PRÆDESTINATIO SIT CERTA?

219. *Dico I.* Prædestinatio *secundum se* est certa, et immutabilis; non imponit tamen prædestinatis necessitatem. Est cont. *Pelagianos* et *Semipelag.* etc.

*Prob.* 1a. *p.* Joan. 10. 27. dicit Christus: *Oves meæ vocem meam audiunt... et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non capiet eas quisquam de manu mea.* Unde qui non perseverant, non sunt ex numero prædestinatorum, ut 1. Joan. 2. 19. dicitur: *Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* S. Aug. L. de Corr. et gr. c. 7. n. 14. ait de prædestinatis: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* S. Fulg. L. 1. ad Monim. c. 12., ubi affert illud ad Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos glorificavit,* notat, ab Apostolo usurpatam vocem *glorificavit,* ut significaret prædestinatos certo esse glorificandos, ita scribens: *Quæcumque Deus præscivit, jam facta dicimus, quia de faciendis dubitare non debemus.*

*Conf. ratione.* Nec decretum Dei potest impediri, cum sit omnipotens: nec præscientia falli, cum sit infinite perfecta; ergo quod Deus decrevit ac præscivit, certissimum est. Sed Deus decrevit ut prædestinati sint beati, illudque futurum præscivit; ergo istud est certissimum, et hinc prædestinatio etiam est certissima; quia hanc esse certam quoad se nihil aliud est quam objectum ejus esse certum.

*Prob.* 2a. *p.* Apostolus ad Rom. 11. 29. ait: *Sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei*; et 2. ad Tim. 2. 19. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt ejus:* S. Prosp. in resp. ad

St. Albert's College Library

object. 12am. Vincent. inquit : *Prædestinatio etsi apud nos, dum in præsentis vitæ periculis versamur, incerta est; apud illum tamen qui fecit quæ futura sunt, incommutabilis permanet* : tum quia prædestinatio nec est mutabilis respectu *Dei*, quem supra in decretis suis absolutis et efficacibus ostendimus omnino immutabilem : nec respectu *hominum* electorum, cum hi, supposito Dei decreto, infallibiliter gloriam consequantur.

*Prob.* 3a. *p.* Quia imprimis duo hæc *de fide* certa sunt, nempe hominem esse ac manere liberum, et Deum aliquos ad gloriam prædestinare : deinde quia necessitas nec imponitur ratione præscientiæ, tanquam consequentis vel speculativæ; nec ratione decreti, utpote scientiam mediam saltem supponentis; nec ratione mediorum, scilicet gratiarum ex natura sua cum effectu minime conjunctarum.

220. *Dico II.* Prædestinatio non est certa *quoad nos* ; seu nemo sine peculiari revelatione potest esse certus de sua prædestinatione.

*Prob.* contra *Calvin.* etc. Scriptura 1°. istam incertitudinem expresse declarat, Eccle. 9. 1. *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta*; et 1. ad Cor. 10. 12. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* 2°. eamdem supponit, quia ad timorem hortatur Psal. 2. 11. *Servite Domino in timore*; ad Rom. 11. 20. *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time*: et ad Philip. 2. 12. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* 3°. eam proponit in exemplo prædestinati, nempe S. Pauli, qui 1. ad Cor. 4. 4. ait : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*; et 9. 27. *Corpus meum in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* C. Trid. Sess. 6. cap. 12. ait : *Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum*; quæ verba ex L. de Corr. et gr. c. 13. n. 40. S. Aug. desumpta sunt : et ibid. Can. 16. sic definit : *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.* S. Hier. in c. 26. v. 15. Ezech. ait : *Omnes infirmo et imbecillo statu fluctuantique vestigio in isto seculo commoramur, et nunquam est nostra certa, securaque victoria.*

*Conf.* Certitudo illa vel foret prædestinationis *in se* cognitæ, vel cognitæ *per aliud* : non prius, cum nemo penetret ad prædestinationem in se, quæ, sicut omnia *Dei judicia, incomprehensibilis* dicenda est : non posterius, quia id vel per fidem vel per scientiam pateret : non autem per *fidem*, quia in cit. Trid. Can. 15. sic statuitur : *Si quis dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum; anathema sit* : neque per *scientiam*, cum nullum detur medium sive a priori sive a posteriori, quod prædestinatum in certam notitiam suæ prædestinationis deducat. Accedit quod decebat hominibus talem futuræ felicitatis spem præcipi, quæ simul anxietatem et timorem incuteret; ut *cum metu et tremore* salutem propriam operarentur, et gratiæ dona non parvi penderent superbiendo, sed extimescendo custodirent.

221. *Obj. cont.* 1um. 2. Petri 1. 10. dicitur. *Satagite, ut per bona opera*

*certam vestram vocationem et electionem faciatis*; ergo prædestinatio *de se* non est certa. *Conf.* 1. Paulus 1. ad Cor. 9. supr. cit. timebat, ne, cum aliis prædicasset, ipse reprobus efficeretur; 2. Christus, Joan. 17. 12. ait : *Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*; ergo potest prædestinatio carere effectu, imo de facto caruit in Juda; atque hinc non est certa. 3. Possibile est prædestinatum peccare lethaliter, et in peccato mori; et Deus potest non prædestinare quem prædestinavit; ergo.

R. *N. Cons.* Quia verba Petri vel intelligenda sunt primario de electione absoluta ad *fidem* et *gratiam*, secundario autem et consequenter de electione ad gloriam sed conditionata ; ita ut sensus sit : Satagite, Christiani, ut electionem vestram ad gratiam et fidem per bona opera stabiliatis, ne excidatis ab ea, sed in ea perseveretis; sic enim certam facietis electionem vestram ad gloriam; cum hoc ipso quod sitis facti fideles et justi, destinati sitis ad gloriam, non quidem absolute sed conditionate, si in gratia accepta ad finem usque persistatis : vel intelligenda sunt de *electione* Dei *ad gloriam* in se quidem certissima, incerta autem nobis et aliis; ita ut jubeat Petrus satagere et bona operari, ut ipsis operantibus certa et comperta sit electio ad gloriam, ut exponunt Beda, Lyranus, Hugo et alii.

*Ad Conf.* 1am. R. *D. A.* Timebat, quod ignoraret an esset prædestinatus *C.* quod non crederet certam esse apud Deum prædestinationis sententiam *N.*

*Ad Conf.* 2am. *N. Supp. Cons.* Judas enim non erat ex prædestinatis seu iis, quos tanquam suos et electos Pater Filio dederat, juxta illud Joan. *Non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.*

*Ad Conf.* 3am. R. *D. A.* In sensu diviso et antecedenter *C.* in sensu composito et consequenter, vel posito quod sit prædestinatus *N.*

*Inst.* 1. Apoc 3. 11. dicit Angelus : *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam;* in quem locum S. Aug. L. de Corr. et gr. c. 23. n. 39. ait, *quod alius non est accepturus, nisi iste perdiderit;* ergo potest acquiri et perdi corona, quæ est prædestinationis effectus; ergo prædestinatio non est certa et immutabilis.

R. *D. Cons.* Potest acquiri et perdi corona, eamdem sumendo pro gratia sanctificante vel virtute, ut hic accipitur pro fideli obedientia et constantia in bono, secundum contextum *C.* eamdem sumendo pro gloria cœlesti *subd.* in quantum præcise corona hæc nostra est ex merito *C.* in quantum ex prædestinatione *N.* S. Thom. p. 1. q. 23. a. 6. ad 1. ait : *Dicendum, quod corona dicitur alicujus esse dupliciter : uno modo ex prædestinatione divina, et sic nullus coronam suam amittit : alio modo ex merito gratiæ (quod enim meremur, quodam modo nostrum est) et sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale subsequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantum loco ejus subrogatur* etc.

*Inst.* 2. Prædestinatio re idem est ac *liber vitæ*, in quo scripti sunt electi : sed ab hoc libro deleri possunt qui sunt inscripti : Ps. 68. 29. *Deleantur ex libro viventium, et cum justis non scribantur;* Exod. 32. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti;* ad Rom. 9. 2. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis;* ergo. *Conf.* Prædestinationem esse mutabilem probat vulgatissimum Aug. proloquium : *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris;* item sententia Ambr. dicentis : *Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris mutare*

*delictum*; denique Ecclesiæ oratio precantis : *ut liber vitæ prædestinatorum nomina adscripta retineat*; ergo.

R. *C. M.* si intelligatur de *libro vitæ* respectu gloriæ et quidem absolute; potest enim sumi etiam respectu gratiæ, imo vitæ temporalis, et hoc sensu *N. min.*

*Ad prob.* R. In *primo* textu, ubi Propheta non exponit votum, sed quid persecutoribus suis, nisi resipiscant, futurum sit prænuntiat, intelligitur liber vitæ ad *gratiam,* non autem ad gloriam saltem absolute; ut sensus sit : Persecutores, qui sub conditione seu per gratiam ordinati erant ad gloriam, excident a gratia, et sic delebuntur de libro ad gratiam, et consequenter non referentur in numerum salvandorum. In *secundo* textu sermo est de libro vitæ *temporalis*; quia Moyses in gratiam et salutem populi Israelitici paratus erat devovere vitam suam propriam, ut in simili occasione expressit Numer. 11. 15. dicens : *Obsecro, ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis.* Si vero intelligatur etiam liber vitæ ad *gloriam,* Moyses sic loquebatur petendo rem, quam noverat impossibilem, vel ex quadam animi confidentia, et tanquam securus de divina misericordia, ut explicat Aug. q. 147. in Exodum; vel ex nimio compassionis affectu, ut Hier. ep. 12. (al. 128. n. 4.) exponit; vel ex quodam amoris erga populum excessu, ut vult Abulensis cum aliis. In *tertio* textu vel idem excessus amoris intelligitur, vel Apostolus non optat sui damnationem, sed esse maledictum, seu omnibus hominum execrationibus onerari, dum salvum faceret populum suum.

*Ad Conf.* R. *N. A.* Auctoritates allatæ omnes non pertinent ad electionem jam factam et voluntatem Dei consequentem ac absolutam, quasi hæc etiamnum dependeret ab aliquo, quod incertum sit, et proin et ipsa sit incerta et mutabilis; sed ad electionem quasi faciendam seu voluntatem Dei antecedentem et conditionatam : quatenus ostendunt electionem non fieri ex meritis, atque ideo laborandum iis qui eligendi sunt, neque eorum electionem certam esse pro priori quam prævideantur laboraturi.

*Inst.* 3. Si prædestinatio est certa et immutabilis, hominis meritum et salus erit necessaria, tum quia causam certam et infallibilem sequitur effectus necessarius; tum quia prædestinatio includit efficacia et infallibilia salutis consequendæ media; tum quia supposita prædestinatione (uti de facto semper potest ac debet supponi) non potest quis damnari, adeoque libertatem non habet, ut damnetur.

R. *D. Ass.* Si prædestinatio est certa et immutabilis ex decreto Dei absoluto et antecedente libertatis humanæ vel meritorum prævisionem *C.* si ex decreto supponente ac consequente hanc prævisionem *subd.* merita et salus erunt necessaria necessitate consequente vel consequentiæ *C.* necessitate antecedente vel consequentis *N.*

*Ad prob.* 1am. R. Similiter. *Ad* 2am. *D.* Prædestinatio includit media infallibilia infallibilitate absoluta et intrinseca *N.* extrinseca et orta ex infallibili Dei scientia liberum nostrum futurum consensum præsupponente *C. Ad* 3am. *D.* Supposita prædestinatione non potest quis damnari impotentia antecedente *N.* impotentia consequente *C.* vel *subd.* in quantum spectatur objectum hujus potestatis *C.* in quantum præcise attenditur subjectum et persona *N.* Cum dicitur prædestinatum posse damnari, sic quidem intelligi nequit quod detur potestas conjungendi prædestinationem cum damna-

tione; quia *hæc simultas* repugnat : recte tamen asseritur quod persona, etiamsi supponatur prædestinata, adhuc vere retineat potestatem peccandi, et in peccato perseverandi si voluerit, quamvis hæc potestas nunquam sit reducenda in actum prædestinationi contrarium; tum quia illa suppositio non immutat proprium modum agendi hujus potentiæ : tum quia non est simpliciter antecedens, cum non fiat nisi ex præscientia, quod voluntas sit libere operatura, si hoc vel illo modo moveatur.

*Inst.* 4. Si prædestinatio est fixa et certa, ergo valet illa consecutio *Semipelagianorum* : ex utraque parte superfluus est labor, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere ; item dilemma illud, quo S. Aug. L. de don. persev. c. 15. quemdam turbatum ita fuisse scribit, ut relicto monasterio ad seculum redierit : vel sum prædestinatus, vel non : si sum ; quidquid egero, salvabor : si non ; damnabor, quidquid rursus egero. *Conf.* Ex S. Aug. Deo volenti salvum facere nullum resistere potest humanum arbitrium : Item cum voluerit, necesse erit hominem salvari etc.

R. *N. utr. Seq.* Nam prædestinatio fundatur in præscientia meritorum gratiæ; unde non patitur aliam difficultatem, quam quæ ex ipsa Dei præscientia solet objici : ex hac autem necessitatem nullam libertati noxiam oriri supra declaratum fuit. Porro falsitas *Pelagianæ* consecutionis et *Calviniani* dilemmatis patet tum ex falso supposito quod in eo est, quasi homo vi solius prædestinationis et sine meritis perventurus sit ad salutem ; cum tamen ideo aliquis prædestinatus supponatur, quod prævidetur futurus de salute sollicitus, et opera bona positurus : tum ex utroque argumento ad res humanas, ordinarias, temporales ac civiles translato; v. g. Deus præscivit et decrevit, te hoc anno in vivis futurum, agrum tuum fertilem futurum etc. vel non ? si præscivit et decrevit, hæc erunt, sive comedas, sive non, sive seras sive non : si secus; frustra iterum agis omnia.

*Ad Conf.* R. Liquet ex allatis alibi responsionibus, hæc a S. Aug. dicta duntaxat esse ad declarandum quod Deus sit auctor salutis nostræ, habeatque infinitos modos sic vocandi, ut vocatus infallibiliter Deo consentiat; non autem quod voluntatem nostram cogat, aut illi inferat necessitatem.

222. *Obj. cont.* 2um. Scriptura fidelibus et electis tribuit notitiam prædestinationis certam ; 1. Joan. 5. 13. *Hæc scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Ad Ephes. 1. 13. *In quo credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* 1. ad Thess. 1. 4. *Scientes, Fratres dilecti, a Deo electionem vestram.* Ergo prædestinatio etiam certa est quoad nos.

R. *N. A. Ad prob.* explico textus sub distinctione. Et quidem *Ad* 1um. *D.* Qui credit, habet vitam æternam inchoatam et in spe *C.* perfectam et in re *subd.* habet, seu scit absolute se habere vitam *N.* scit conditionate *C.* Sicut S. Paulus ad Rom. 8. 24. dicit : *Spe salvi facti sumus,* sic et hic Joannes in *spe* dicit vitam æternam adesse credentibus : in *re* autem vitam æternam habendam sciri duntaxat conditionate, imprimis ipse *textus* probat, qui sic exponitur : ut sciatis vitam vos habere æternam, in quantum viva fide creditis, vel si in eadem fide perseveretis : deinde etiam *contextus;* tum quia hoc eodem capite, dum hortatur ad perseverantiam et eam necessariam

docet, eo ipso ostendit certam non esse : tum quia in seq. epist. v. 8. monet credentes sibi cavere, ne decidant a fide et gratia. *Ad* 2um. R. Nihil inde sequi, tum quia potest haberi spiritus promissionis et pignus hæreditatis, quin tamen hoc a possidente sciatur, præsertim cum textus non faciat mentionem ejusmodi scientiæ : tum quia, licet habeantur signa et indicia vocationis et electionis ab electis, tamen vel ipso Calvino L. 3. Inst. c. 24. §. 7. fatente, similia signa non raro apparent in aliis. *Ad* 3um. *D.* Scientes electionem vestram, quæ est ad gratiam Fidei et Evangelii *C.* quæ est ad gloriam *subd.* scientes scientia proprie tali sive per fidem sive per certam demonstrationem aut evidentiam *N.* scientia minus propria, quæ vel habeatur ex conjecturis, vel indicet spem duntaxat et fiduciam *C.* Vid. Corn. a Lap.

*Inst.* S. Paulus certitudinem de sua salute sæpius declarat : ad Rom. 8. 16. *Ipse autem Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Et v. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli.... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.* Tim. 4. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ;* ergo. *Conf.* Possumus esse certi, quod assiduis orationibus et piis operibus simus assecuturi nostram salutem ; quia Christus Marc. 11. 24. ait : *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis :* sed potest quis certo scire se orare ; ergo.

R. 1°. *Tr. A. N. Cons.* Tum quia Paulus, siquidem hoc scivit, id speciali revelatione didicit, adeoque sub exceptione continetur, quam in assertionis nostræ explicatione adjecimus : tum quia hoc non detrahit ejus testimoniis ex 1. ep. ad Cor. allatis ; hanc enim ante epistolas tum ad Romanos, tum 2. ad Tim. scriptam esse consentiunt omnes, quantumvis in annis assignandis discrepent.

R. 2°. *Ad text.* 1um. *D.* Ipse Spiritus reddit spiritui nostro testimonium quoad se, seu quantum ad effectum *C.* quoad nos, seu quantum ad cognitionem *subd.* quantum ad cognitionem conjecturalem aut conditionate tantum certam *C.* perfectam et convincentem aut absolute certam *N.* Equidem Spiritus S. inhabitans non datur nisi amicis Dei ac justis, atque hinc ejus præsentia probat justos esse filios Dei , redditque verax testimonium *quoad se* et *effectum* : sicut tamen ejus inhabitatio et præsentia non cognoscitur nisi solis conjecturis, sic et testimonium reddit, quantum ad nos, cognitionem duntaxat probabilem et conjecturalem. Præterea cum verbis allatis mox addatur : *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur;* concedi potest certitudo, sed sub ista conditione, quin tamen inde absolute certi fiamus ; cum ipsæ passiones hujus temporis non sint ex se condignæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, neque etiam nobis certo innotescat, num eædem a nobis, prout oportet ad salutem, subeantur.

*Ad text.* 2um. *D.* Paulus se dicit certum, nomine certitudinis indicando securitatem , aut firmum veritati præstitum assensum *N.* indicando firmum animi propositum aut spem, persuasionem vel confidentiam *C.* Postremæ parti favet vox hic usurpata πέπεισμαι, *persuasus sum,* et S. Hier. in ep. 15. (al. 121.) ad Algasiam c. 9. legit, *confido;* præsertim cum eadem ibid. 15. 14. ab Apostolo adhibita alium sensum non habeat.

*Ad text.* 3um. *D.* Asserit sibi repositam esse coronam justitiæ, prodendo hinc certitudinem fidei et revelationis divinæ *N.* certam opinionem et confiden-

tiam ex memoria vitæ bene actæ, et testimonio suæ conscientiæ manantem *C*. Sicut non dixerat ex revelatione, sed ex fiducia bonæ conscientiæ, se bene certasse, cursum consummasse, et fidem servasse, sic nec illud his innixum aliter asserit.

*Ad Conf.* R. *D. min.* Potest quis certo scire se orare et bene agere, prout oportet ad salutem *N.* secus *C*. Testante Apost. ad Rom. 8. 26. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Idem est dicendum de operibus, quæ an perfecte et in gratia fiant, ignoramus.

223. *Observa I.* Hactenus dicta de eo, quod ordinarie fit, et de certitudine fidei seu perfecta, omnemque hæsitationem excludente, esse intelligenda. Nam imprimis certam fuisse salutem ex speciali vel privata Dei revelatione *B. Virgini, Latroni* felici, *S. Stephano,* quibusdam Martyribus et Confessoribus, *Moysi* item, *Paulo* ac *Eliæ,* sive ipsæ sacræ Litteræ, sive historia Ecclesiastica, sive communior Theologorum sententia docent. Deinde vero et certitudinem seu *minus perfectam* et cum sollicitudine ac timore quodam ob nonnulla etiam ex parte nostri ponenda conjunctam de prædestinatione dari minime inficiamur : quin et *signa* haberi posse, ex quibus illa *valde probabiliter* cognoscatur, cum SS. Patribus æque ac Theologis asserimus. Ejusmodi autem sunt, quæ octo Beatitudinibus Matth. 5. relatis continentur : quibus additur ardens studium audiendi, legendi, docendi verbum Dei; frequens de Deo cogitatio, terrenarum rerum contemptus, cœlestium amor; cultus Deiparæ specialis, Sacramentorum frequentia, orationis studium; vera humilitas, patiendi pro Christo desiderium ac in perferendo patientia, amor insignis erga Deum et proximum; sollicitudo in minimis, placandi Dei studium, mentis puritas, bene agendi in eo vitæ genere quod eligitur constantia, gratiarum usus et propositum perseverandi usque ad finem; de quibus vide S. Bern. Serm. 2. oct. Pasch. et alios.

224. *Observa II.* Prædestinatorum numerum *ita certum esse, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis,* docet S. Aug. L. de Corr. et Gr. c. 13. n. 39. Hunc numerum soli Deo innotescere ostendit Ecclesiæ auctoritas ita precantis : *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus.* Porro quantus determinate futurus sit, definiri non potest. Absolute magnum esse declarant illa Apoc. 7. 9. verba : *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, stantes ante thronum* etc.; comparate ad reprobos tamen fore exiguum, satis aperte docuit Christus Matth. 22. 14., Luc. 13. 24. et alibi : subscribunt Patres, præsertim Greg. M. hom. 19. n. 5. in Evang. dicens : *Ad fidem plures veniunt, et ad cœleste regnum pauci perducuntur;* et Chrys. or. 40. ad Antioch. (al. hom. 24. in act. apost. n. 4.) *Quot putatis esse in civitate nostra, qui salvi fiant?..... non possunt in tot millibus inveniri centum, qui salventur, quin et de his dubito :* Confirmat *ratio* ex partium enumeratione; quia *ante* Christum natum totus fere mundus fuit infidelis, *post* Christum adhuc pars mundi major jacet in infidelitate : inter Christianos multi sunt *hæretici* et *schismatici :* inter fideles *improbi* multi. Sunt

tamen, qui e Christianis plures salvari conjiciunt, siquidem parvuli una cum adultis numerentur : sed nec hoc definiri certo potest.

## ARTICULUS III.

### AN EX PARTE PRÆDESTINATI DETUR CAUSA PRÆDESTINATIONIS AD GLORIAM?

225. *Nota.* Prædestinatio *ad gratiam* an et quomodo sit gratuita, abunde constat ex Tract. de *Grat.* et *Merito.* Itaque hic duntaxat quæstio est : an prædestinatio *ad gloriam* fiat ex prævisis meritis? In hoc autem non agitur 1°. de gloria præcise, ut est hæreditas et competit parvulis, sed ut est *corona* et competit adultis, quibus æterna salus, non solum ut hæreditas, sed etiam ut præmium meritorum supernaturalium confertur : 2°. nec de prædestinatione in ordine executionis, sed *intentionis* spectata : neque 3°. de intentione gloriæ conditionata et inefficaci, cum hæc concedatur ab omnibus esse prior meritis et prorsus gratuita ; sed de intentione *absoluta* et *efficaci* : nec 4°. de meritis tantum conditionate futuris, sed de prævisis meritis *absolute* futuris : nec quomodo possit a Deo prædestinatio fieri ad gloriam, sed quomodo fiat in præsenti providentia.

Porro in hac controversia, quæ inter Catholicos tantum agitatur, triplex est sententia; 1ª. eorum qui prædestinationem hanc statuunt esse mere gratuitam, et antecedere prævisionem meritorum: 2ª. eorum qui æstimant absolutam prædestinationem ad gloriam fieri ex vel præsupposita meritorum gratiæ absolute futurorum prævisione: 3ª. media est eorum qui vel nullum agnoscunt ordinem prioritatis et posterioritatis, etiam secundum rationem, inter prædestinationem ad gloriam et gratiam, et ad utrumque hoc objectum simul fieri contendunt prædestinationem; vel distinguunt duplicem salvandorum ordinem, unum scilicet insigniorum, quorum prædestinatio præcedat meritorum prævisionem, alterum reliquorum electorum, quorum prædestinatio non fiat nisi ex prævisis meritis; vel volunt, prædestinationem quidem esse posteriorem alicui merito supernaturali, et sic non penitus gratuitam, non tamen esse posteriorem omnibus meritis, sed aliqua eorum maxime perseverantiam præcedere.

226. *Dico.* Datur ex parte nostri causa prædestinationis ad gloriam; *seu* in præsenti providentia efficax et absoluta ad gloriam ut coronam prædestinatio hominum, a Deo est post prævisa gratiæ merita absolute futura. *Ratio* est; quia hæc sententia videtur conformior Scripturis, SS. Patribus et Rationi.

*Prob. ex* Scriptura. *I.* Matth. 25. 34. Christus dicit se in die judicii electos sic allocuturum : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere* etc. Ex his sic arguitur : Regnum cœlorum præparare propter opera misericordiæ, est decernere gloriam ex meritis, seu ad eam prædestinare post prævisa merita : sed verba laudata manifeste exprimunt, Deum præparasse gloriam hominibus propter eorum opera misericordiæ, ut ex particula causali *enim* liquet ; ergo.

*Respondent* quidam his verbis significari duntaxat actualem executionem et causam, cur actu conferatur gloria, non autem cur his potius quam illis gloria sit parata ; alii per præparationem volunt intelligi decretum execu-

tionis tantum seu voluntatem actualiter conferendi gloriam in tempore, non autem decretum intentionis, seu voluntatem efficacem ut quis simpliciter perveniat ad gloriam.

Sed *contra* 1um. est 1°. quod Christus ibid. v. 41. ad reprobos dicturus legatur : *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus : esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* etc.; ubi cum infernus reprobis non tantum tribuatur, sed et paratus sit, æque ac diabolo et angelis ejus, quos reprobi male agendo imitati sunt, non potest dici, illis tantum actu conferri ob demerita, et ex sola Dei voluntate præparatus esse infernus : unde paritas pro priori sententia pugnat. 2°. Quod S. Chrys. hom. 80. n. 2. in Matth. textum sic exponat : *Possidete hæreditate quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quæ vobis a principio debebantur; nam antequam nati sitis, quia sciebam vos hujusmodi futuros, hæc a me præparata fuere;* et Hier. in Matth. loc. cit. hæc verba observet esse accipienda secundum præscientiam, adeoque iis rationem præparationis contineri, dicens: *Hoc juxta præscientiam Dei accipiendum, apud quem futura jam facta sunt.* 3°. Quod Christus in sua sententia judiciali referens merita et demerita velit afferre rationem *æquitatis* sententiæ pronuntiatæ; si autem hæc referrentur ad solam collationem, non autem ad præparationem gloriæ vel pœnæ, ratio ista non sufficeret; unde cum Apostolus 2. ad Tim. 4. 8. dixit : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa justus Judex;* non tantum in collatione, sed et in destinatione justitiam expressit; cum coronam repositam hic idem sit ac præparatam, ut ex 1. ad Cor. 3. 9. constat.

*Contra* 2um. est 1°. quod illa distinctio inter decretum intentivum et executivum non habeat locum in prædestinatione sive ad gratiam sive ad pœnam, adeoque nec in prædeterminatione ad gloriam, cum S. Aug. de præd. Sanct. c. 10. n. 19. dicat : *Inter gratiam porro et prædestinationem hoc tantum interest quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia vero jam ipsa donatio ;* neque destinatio ignis æterni, qui dicitur *paratus diabolo et angelis ejus,* possit accipi secundum diversitatem decretorum aut habere diversam causam pro hujusmodi decretis forsan permissis. 2°. Quod gloria hic sumatur, prout adultis confertur ut *corona justitiæ :* sed sic nequit decerni ac intendi nisi suppositis meritis ; cum natura mercedis et coronæ æque necessaria supponat merita, ac supplicium demerita, non tantum in ordine executionis, sed et in ordine intentionis. 3°. Quod ad ostendendam sententiæ æquitatem, et specialem electorum præ reprobis laudem ac gloriam declarandam, male supponatur absolute et efficaciter fuisse antecedenter intentam electis gloriam; cum principalis causa tum præparatæ tum collatæ gloriæ, et cui reliquæ prædestinationis causæ quodammodo famulantur, non staret in justitia Judicis et meritis Beatorum, sed in arbitraria tantum electione prædestinantis. Adde plures *parabolas,* operariorum in vinea Matth. 20., currentium in stadio 1. ad Cor. 9., servorum vigilantium Luc. 12., talenta impendentium Matth. 25., et virginum cum lampadibus accensis occurrentium *ibid.;* quibus declarabat Christus, quod sicut paterfamilias denarium, agonotheta bravium, dominus favorem et promotionem, et sponsus nuptias absolute et efficaciter non decreverint, antequam opus

diurnum, victoriam, vigilias, fœnerationem et occursum perfecta viderint: sic de Deo similiter sit cogitandum, quantum attinet ad nostræ negotium salutis et gloriæ.

*II.* S. Paulus ad Rom. 8. 29. ait: *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* In hoc textu manifeste dicitur præscientia præcedere prædestinationem: sed hic sermo est de præscientia visionis seu *meritorum absolute futurorum,* et prædestinatione ad gloriam; ergo.

*Min.* ostenditur 1°. ex SS. Patribus. S. Ambr. L. 5. de Fid. c. 6. n. 83. ait: *Quos præscivit, hos et prædestinavit; quia non ante prædestinavit, quam præscivit: sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* S. Hier. in eadem verba: *Quos,* ait, *præscivit conformes futuros in vita, voluit ut fierent conformes in gloria;* 2°. ex contextu et intentione Apostoli. Nam v. 17. ejusdem capitis incipit hortari fideles ad patientiam, a qua velut a conditione pendere ait nostram gloriam: *Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur;* deinde a v. 18. usque ad v. 28. ostendit tribulationes leves esse, si comparentur cum gloria, cujus spe fideles debeant animari ad eas fortiter et constanter ferendas; maxime cum, ut v. 28. addit, tribulationes non noceant perseverantibus in dilectione, sed potius operentur in bonum ad gloriam consequendam: *Scimus autem,* inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti;* id est, secundum antecedentem eos salvandi voluntatem, transeuntem de conditionata in absolutam, posita prævisione de ipsarum perseverantia in dilectione Dei: tum exposita v. 29. prædestinationis serie, prout ab æterno fuit objective, et secundum quam Deus prius præscivit nos fore conformes, postea decrevit decreto absoluto; demum ordinem ejusdem in tempore describit v. 30.: *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Tandem ex his v. 31. et seqq. concludit, non esse timendas tribulationes, nihilque eos separare debere a charitate Dei. 3°. Agi hic de prædestinatione *ad gloriam,* ipsi Adversarii volunt.

*III.* Scriptura divinam gloriæ dandæ volitionem proponit ut mere conditionatam, suspensam ac incertam ante meritorum prævisionem; ad Rom. 8. 17. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi..... si tamen compatimur ut et conglorificemur;* et 11. 22. *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin et tu excideris: sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur.* 2. Petr. 1. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Sed si prævisionem meritorum præcederet prædestinatio ad gloriam, sive absoluta et efficax gloriæ intentio ac præparatio, volitio dandæ gloriæ non posset proponi ut mere conditionata, suspensa et incerta ante meritorum prævisionem; ergo.

*Prob. ex* Patribus. *I.* ex Græcis: S. Iren. L. 4. c. 76. (al. 39. n. 4.) ait: *Deus omnia præsciens utrisque aptas præparavit habitationes; eis quidem, qui inquirunt lumen incorruptibilitatis, et ad id recurrunt, donans hoc quod concupiscunt, lumen: aliis vero id contemnentibus et avertentibus se ab eo, et id fugientibus, et quasi semetipsos excæcantibus, congruentes lumini adversantibus præpara-*

*vit tenebras, et his qui fugiunt ei esse subjecti, convenienter subdidit pœnam.* ORIG. in c. 1. ad Rom. n. 3. *Evidenter ostendens quod eos, quos præscivit Deus tales futuros, ut Christo se in passionibus conformarent, ipsos etiam conformes ac similes imaginis ejus prædestinavit et gloriæ. Præcedit ergo præscientia Dei, per quam noscuntur qui in se labores ac virtutes habituri sint, et ita prædestinatio sequitur.* S. CHRYS. hom. 2. in c. 1. ad Ephes. v. 11. et hom. 66. (al. 65. n. 3.) in Matth. ubi explicans verba Christi: *Sedere ad dextram vel sinistram* etc. ait: *Non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre meo. Quibusnam paratum est? Iis qui ab operibus possunt conspicui evadere.* S. EPIPH. L. adv. hæres. hær. 69., CLEM. Alex. L. 6. Strom. (p. 547. C. et 548.) CYRIL. Alex. L. 3. in Ev. Joan. (opp. t. 4. p. 275. D.) et L. 26. Thesaur., GREG. Naz. or. 37. n. 13., NYSSEN. L. de Infant. (opp. t. 3. p. 322. seqq.) THEODORET., THEOPHYL. et alii in c. 8. et 9. ad Rom.

*II.* ex Latinis: S. HILAR. in Ps. 64. n. 5. commentans ait: *Non res indiscreti judicii est electio, sed ex meriti delectu facta discretio est.* AMBROS. de Fide L. 5. c. 6. n. 83. *Ad Patrem referens addidit* (Christus): *quibus paratum est; ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis; quia Deus personarum acceptor non est. Unde et Apostolus ait: quos præscivit et prædestinavit.... quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* S. HIER. in ep. 150. (al. 120.) ad Hedib. c. 10. scribit: *Vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam, quæ vocavit, hoc est, nos non..... salvat irrationabiliter et absque judicii veritate, sed causis præcedentibus, quia alii non susceperunt Filium Dei, alii autem recipere sua sponte voluerunt.... ex quo ostenditur, non gentes eligi, sed hominum voluntates.* S. PROSP. in resp. 2. 3. 12. et 15. ad capit. Gallor. et L. 2. de voc. Gent. c. 34. et 36. S. FULG. L. 1. ad Monim. c. 24. *Prædestinavit illos ad supplicium, quos a se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros; et prædestinavit ad regnum, quos præscivit ad se misericordiæ prævenientis auxilio redituros, et in se misericordiæ subsequentis auxilio esse mansuros;* etc.

*Prob. ex* RATIONE. *I.* Deus eo modo prædestinat ad gloriam ab æterno, quo modo eam confert in tempore, ut S. Th. Lect. 6. in c. 8. ep. ad Rom. docet: sed confert gloriam ob merita ut facta; ergo propter eadem ut prævisa prædestinat ad gloriam.

*Maj. Prob.* 1°. Ex comparatione tum prædestinationis *ad pœnam,* quæ, quia in tempore non infligitur nisi ob demerita, etiam non nisi ob eadem ab æterno decernitur; tum prædestinationis *ad gratiam,* quæ dicitur gratuita et antecedit prævisa merita, quia gratia in tempore sine merito datur. 2°. Ex ratione præmii et mercedis, cujus ratione gloria datur: ratio enim præmii et mercedis non potest supponere efficacem voluntatem, qua decernatur ante prævisum laborem, cum hoc sit discrimen inter *mercedem* et id quod tantum est *finis,* nec rationem præmii habet, quod hoc efficaciter possit decerni, antequam discernantur media: quod quidem discrimen maxime est admittendum, ubi merces datur secundum mensuram meritorum, uti de gloria ex ep. ad Rom. 2. 6. constat. 3°. Ex diversitate *voluntatis divinæ,* quæ sequeretur; vel quia prædestinationis voluntas esset contraria voluntati collationis, cum illa esset independens a meritis, hæc vero dependens: vel quia voluntas, ab æterno prædestinans, non esset eadem quæ est conferens

gloriam in tempore, cum hæc gloriam respiceret ut præmium, hæc vero ut finem tantum.

*II.* Sententia admittens prædestinationem ad gloriam ex meritis magis concordat cum reliquis dogmatibus. 1um. Est de voluntate Dei salvandi omnes : hæc enim ex parte saltem conditionata est. 2um. Est de promissionibus vitæ æternæ obtinendæ, et comminationibus ab ea excidendi : quæ rursus conditionate dependent ex observatione mandatorum. 3um. Est de meritis Christi. Nam Deus non decrevit gloriam nisi propter merita Christi ut nobis efficaciter applicata, juxta illud ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*; et Act. 4. 12. *Non est in alio aliquo salus, nec aliud sub cœlo nomen in quo oporteat nos salvos fieri* : sed efficax applicatio meritorum Christi esse non potest sine propriis nostris meritis, quæ sunt eorum fructus, vel sine aliquo æquivalente in parvulis, nempe collatione baptismi ; ergo. 4um. Est de divisione voluntatis divinæ in antecedentem et consequentem. Electio enim efficax ad gloriam est actus divinæ voluntatis consequentis, ut admittitur ab Adversariis, et inde etiam patet quod, cum voluntas salvandi omnes sit antecedens, intelligi nequeat quomodo eadem voluntate antecedente aliqui tantum sint efficaciter electi ad salutem, et non alii : sed voluntas consequens non est absque præscientia meritorum, imo ex illa oritur ; ergo. Accedit, quod hæc sententia sit suavitati, bonitati et æquitati divinæ convenientior ; modo orandi, prædicandi et laborandi Ecclesiæ ac persuasioni fidelium conformior, ad spem salutis excitandam, ad curam bonorum operum et vigilantiam in salutis negotio promovendam, ad zelum animarum accendendum accommodatior.

*III.* Sententia statuens prædestinationem ad gloriam ante prævisionem meritorum multis subjacet incommodis. 1um. Est, quod voluntas illa antecedens efficax sit inutilis ; tum quia, si ponatur sola voluntas consequens efficax, hæc sufficit ad salvandos electos : tum quia voluntatem consequentem plurimi Auctores putant satis fuisse ad angelos prædestinandos ad gloriam : tum quia sola consequens voluntas respectu reprobationis admittitur : tum denique quia vi voluntatis antecedentis gloria non confertur, sed alia adhuc volitio addi debet, ut gloria tanquam merces conferatur. 2um. Est, quia non ita facile, commode ac plane concordat cum reliquis dogmatibus nuper recensitis. 3um. Est, quod careat prærogativis nostræ sententiæ nuper assertis, ac potius urgeatur difficultatibus oppositis.

*Nam* 1°. Quamvis commendetur in hac sententia *bonitas* et *misericordia* erga prædestinatos, ea tamen deficit erga reliquos multo plures non prædestinatos, et nullus est *justitiæ* aut *æquitati* locus præsertim ob reprobationem negativam. 2°. Asperius aliquid, nec cum Ecclesiæ sensu ac fidelium persuasione congruum, esse in hac sententia, constat ex pluribus cautelis, quas ipsi sententiæ patroni præscribunt observandas in publica ad populum expositione hujus doctrinæ. 3°. Officere demum hanc sententiam sollicitudini bonorum operum ac animarum zelo, colligitur ex difficultate respondendi ad illud *dilemma* : vel sum inclusus eorum numero, quos Deus antecedenter efficaciterque elegit ad gloriam, vel non sum ? Si *primum*, salvabor infallibiliter : si *secundum*, infallibiliter damnabor : neque est cur sollicitus sim de bonis operibus ; tum quia ante eorum prævisionem jam decreta mihi est glo-

ria : tum quia et perseverantia et ipsa bona opera ante omnis meriti prævisionem prædefinita sunt ; quæ cum frustrari nequeant, non opus est, ut me ipsum provocem, sed Deus efficaciter urgebit ad opera præstanda. V. Petavium de Deo L. 9. c. 3. 16. L. 10. c. 2. et seqq.

227. *Obj. I.* Prædestinatio illa est antecedens et gratuita, ex qua profluunt omnia Dei beneficia et gratiæ dona, tanquam meriti omnis principia in electos : sed talis est prædestinatio ad gloriam, juxta Scripturas ; ergo. *Min. Prob.* ex variis testimoniis : Joan. 10. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me ; et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Hic oves seu prædestinati ideo audire vocem pastoris dicuntur, quia sunt ex ovibus seu prædestinatis. Act. 13. 48. *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam ;* ubi præordinatio assignatur ut causa fidei. Ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti ;* non ait : quia futuri eramus sancti. Ad Rom. 8. 28. *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti ;* ibi causa cur operentur in bonum, datur voluntas efficax gloriæ.

*Ad* 1$^{um}$. *text.* R. Licet is cum S. Aug. Tr. 48. in Joan. n. 6. sumatur de prædestinatis absolute ad gloriam, tamen intelligi non debet de prædestinatione *absoluta antecedente ;* tum quia accipi potest de consequente ad prævisionem meritorum, ita ut sensus sit : vos non creditis, quia non vultis mihi tanquam pastori subjici, et voluntarie obdurati ad vocem meam, ideoque ob malitiam perseverantem extra ovile meum positi, damnandi et reprobandi ; alii autem, qui me tanquam pastorem cognoscunt, et vocem meam audiunt, oves meæ sunt ; et his ob perseverantiam obedientiæ vitam æternam decerno, quam infallibiliter consequentur ; tum quia priora verba non sunt reddenda causaliter, *q. d.* vos non creditis, quia non estis prædestinati, sed reprobi ; cum hæc causa non sit propria nec adæquata. Non *propria ;* siquidem Judæi non ideo erant infideles et peccabant, quia Deus eos reprobaverat : sed quia ipsi erant infideles et peccabant, a Deo sunt reprobati. Non *adæquata :* tum quia multi ex Judæis erant prædestinati, qui tamen non tunc, sed postea, prædicante Petro, in Christum credebant : tum quia nonnulli tunc credebant in Christum, qui non erant prædestinati, ut de *Juda* certum est.

*Ad* 2$^{um}$. *text.* R. Inde non probari prædestinationem ad gloriam esse ante merita et causam bonorum operum. Nam 1. per *vitam æternam* hic potest intelligi Fides, ut Joan. 37. 3. accipitur ; et sic textus non est ad rem. 2. *Præordinationis* nomine non debet accipi electio Dei, sed significari potest aptitudo et dispositio hominum ad fidem per voluntatem bonam et pium salutis affectum ex gratia elicitum ; pro qua explicatione facit tum vox τεταγμένοι, quæ non significat præordinatos, sed ordinatos, dispositos et in censum adscriptos : tum oppositio, quam hic versus indicat cum 46. ; ubi mala dispositio Judæorum et resistentia pro causa affertur, cur, illis relictis, Apostoli converterent prædicationem ad gentes : ex quo objectio plane evanescit. 3. Admissa etiam acceptione de prædestinatione ad gloriam, sensus testimonii hic est : illi crediderunt in tempore, quos Deus ab æterno prævidens credituros præordinavit ad vitam æternam ; hinc vero apparet opera

bona potius causam prædestinationis, quam prædestinationem causam operum esse.

*Ad* 3um. *text.* R. Non agi hic de electione et prædestinatione ad gloriam seu sanctitatem alterius vitæ et consummatam, sed ad gratiam fidei et justitiam seu sanctitatem hujus vitæ et inchoatam : hinc subjungitur. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum..... in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum;* quæ omnia ad justificationem pertinent.

*Ad* 4um. *text.* R. Nec ex eo prædestinationem gratuitam ad gloriam probari, ostenditur 1°., quia Patres *Græci*, præsertim Orig., Chrys., Theodor. et Theophyl. nomine *propositi* accipiunt voluntatem humanam, uti vox πρόθεσις Act. 11. 23., ad Tim. 3. 18. et alibi usurpatur, ita ut sensus sit : omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum voluntatem suam, auxilio gratiæ prævenientis bonam a Deo prævisam, vocantur ab eodem. 2°. quia, licet Patres *Latini* communius intelligant propositum seu decretum Dei, scopo tamen Apostoli conformius est, si accipiatur pro voluntate dandi gratiam, seu pro gratuita vocatione ad fidem et sanctitatem, unde hic sensus emergit : omnia in bonum cooperantur diligentibus, seu in dilectione manentibus; iis scilicet, qui vocati sunt *sancti*, h. e., ad fidem et sanctitatem; *secundum propositum*, id est, vel secundum gratuitam voluntatem Dei primam gratiam et vocationem sine ullo hominum merito intendentis; vel secundum desiderium salvandi omnes, ex quo factum est ut Deus vocaret, et vocationi consentientes justificaret, et justificatos ac perseverantes glorificaret. 3°. quia admissa etiam propositi usurpatione pro voluntate divina efficaci dandi gloriam, ea tamen poterit esse consequens prævisionem operum, et hic sensus fieri : qui secundum propositum, ab æterno ob merita prævisa conceptum, in tempore exequendum, vocati sunt sancti.

*Inst.* 1. Ea rursus prædestinatio gratuita est, et merita antecedit, ex cujus efficaci intentione Deus ab electis mala et pericula propellit, eosque confirmat in bono : sed talis in Scriptura asseritur prædestinatio ad gloriam; ergo. *Min. prob.* ex Sap. 4. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* v. 14. *Placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Matth. 24. 22. *Nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos abbreviabuntur dies illi.* Luc 12. 32. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit* (εὐδόκησεν, quod merum beneplacitum sonat) *Patri vestro dare vobis regnum.*

*Ad* 1um. *et* 2um. *text.* R. Ex utroque apparere quidem, quod Deus ex amore erga justum eripiat eumdem ex periculis et transferat ad sortem beatam; non tamen constat amorem hunc esse *mere gratuitum*, et ante meritorum prævisionem conceptum, quin contrarium potius colligitur; tum quia v. 10. dicitur : *Placens Deo factus est dilectus, et translatus est*, quasi diceret : cum placeret, seu quia Deo placuit justus, et v. 13. *Consummatus in brevi explevit tempora multa;* quibus merita dilectionem præcessisse significantur : tum quia ex interpretatione Ambrosii cp. 38. n. 7. justus hic proponitur sub figura *Henoch*, qui propter merita ad feliciorem statum raptus fuit.

*Ad* 3um. *text.* R. Neque hunc arguere prædestinationem gratuitam ad glo-

riam; tum quia, si intelligatur in sensu litterali de *salute temporali* et vitæ conservatione Judæorum, in excidio Hierosolymitano propter electos præstanda, per calamitatis hujus contractionem, nihil certe pertinet ad gratuitam prædestinationem ad gloriam : tum quia, si intelligatur de *salute æterna* et perseverantia finali, non potest esse sermo de electis efficaciter et antecedenter ad omnem prævisionem futuri prædestinatis; cum alias falsa evaderet illa propositio, quod non fieret salva omnis caro, nisi dies illi fuissent breviati. Itaque sensus duntaxat iste restat : Deus in gratiam *fidelium*, qui more Scripturæ alibi sæpius usitato hic electi vocantur, dies illos, sive obsidionis Hierosolymitanæ sive persecutionis Antichristi, contraxit et abbreviavit, ne forte eorum fides et constantia in sanctitate deficeret in tanta calamitate; ex quo pro prædestinatione gratuita nihil argui potest, cum nulla sit inter hæc duo necessaria connexio.

*Ad* 4$^{um}$. *text*. R. Vel per *regnum* hic intelligitur aut fides, aut Evangelium, aut sanctitas, aut aliud ejusmodi, pro quo alibi in Scriptura hæc vox non raro usurpatur; et tunc ex isto loco nihil concluditur : vel nomine regni intelligitur gloria æterna : et vox *complacuit* significat quidem voluntatem puri beneplaciti dandi gloriam, non tamen absolutam et efficacem; sed conditionatam et inefficacem, et a purificanda meritorum conditione dependentem. Id colligitur 1°. quia sive *pusilli gregis* nomine sumantur Apostoli, sive alii discipuli et auditores Christi, absoluta voluntas in Juda et aliis foret frustrata : 2°. quia Christus pusillum hunc gregem continuo monet terrenorum contemptum, eleemosynam, patientiam, vigilantiam, aliaque perfectionis opera, quibus conditio illa, sub qua gloriam proposuerat, purificaretur : 3°. quia ad fiduciam, quam ibi Christus excitabat, in electis erigendam, sufficiebat testificatio affectus conferendæ æternæ salutis; ut nempe Christus a majore ad minus concluderet, quod Deus non sit negaturus necessaria ad victum et vestitum, qui paratus sit etiam dare regnum cœlorum.

*Inst*. 2. In prædestinatione ad gloriam nulla ratio habetur voluntatis aut operum humanorum; ergo est mere gratuita. *Ant. prob. primo*, quia electio humana excluditur, ut patet ex Joan. 15. 16. *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. Secundo*, quia salus, et hinc etiam juxta D. Thomam prædestinatio, non fit ex operibus, ut habetur ad Titum 3. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*; et 2. ad Tim. 1. 9. *Vocavit nos Deus vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum. Tertio*, quia prædestinatio dicitur sors, juxta illud ad Ephes. 1. *Sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus*; et ad Coloss. 1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum*; quod autem sorte obtingit, meritis non acquiritur. *Quarto*, quia alias discretio pertineret ad homines, et sic gloriari possent, contra doctrinam Pauli 1. ad Cor. 4. *Quis te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

R. *Ad prob*. 1$^{am}$. *D*. Electio humana excluditur a ratione principii et subjecti prædestinantis *C*. a ratione causæ moralis prædestinationis *Subd*. prædestinationis ad gloriam *N*. ad gratiam primam, aut eam quæ gratis data dicitur *C*. Textus non agit de electione ad gratiam; tum quia *Judas*,

qui erat unus ex iis quos hic alloquebatur Christus, non erat prædestinatus: tum quia paulo infra dicitur hæc electio esse causa cur mundus Apostolos oderit, quod electioni ad gloriam utpote ignotæ non congruit. Itaque sermo est vel de electione ad *Apostolatum,* ut textus litteraliter sumptus indicat; vel de electione ad *fidem* aut primam gratiam, ut S. Aug. et D. Thom. contra *Semipelagianos* usurpant.

*Ad prob.* 2am. *D.* Salus inchoata, h. e., fides et sanctitas prima non fit ex operibus *C.* salus consummata seu gloria non fit nec prædestinatur ex operibus *Subd.* naturalibus *C.* per gratiam elicitis ac supernaturalibus *N.* Textus *primus* ostendit principium, unde sit Redemptio generis humani et virtus baptismi, ut ex eo integre recitato liquet : *Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus S.* etc.; *secundus* vocationis initium et motivum : in utroque autem excluduntur duntaxat opera mere naturalia.

*Ad prob.* 3am. *D.* Prædestinatio ad gratiam dicitur sors *C.* ad gloriam *Subd.* quatenus per sortem intelligitur hæreditaria portio *C.* quatenus intelligitur lucrum sine merito *N.* Loquitur autem textus *primus* de prædestinatione ad gratiam; *secundus* de ea ad gloriam, accipiendo sortem pro hæreditatis parte.

*Ad prob.* 4am. R. *D.* 1am. *p.* Discretio formalis pertineret ad homines *C.* causalis *Subd.* quatenus hæc refertur præcise ad gloriam *C.* ad gratiam *N.* Textum pertinere ad gratiam primam et initium fidei, ex Aug. L. de Præd. Sanct. c. 4. et L. 2. ad Bonifac. c. 7. n. 15. jam alibi dictum est. Quamvis autem ad discretionem formalem concurrat homo, et ejus merita supernaturalia moraliter moveant ad prædestinationem gloriæ, primas tamen in ea habet bonitas Dei, qui, dando gratiam, unde discernamur impertit : quare 2a. *pars* vel absolute negatur; vel qui gloriatur, non eum in se ipso, sed in Domino gloriari oportet.

*Inst.* 3. Prædestinatio ad gloriam multis titulis in Scriptura declaratur mere gratuita; nam *primo*, ipsa gloria vocatur gratia ad Rom. 6. 23. *Gratia Dei vita æterna. Secundo,* prædestinationis ratio unice sumitur a voluntate Dei; Ps. 17. 20. *Salvum me fecit, quoniam voluit me*; item ex plurimis locis, ubi electio dicitur fieri secundum *consilium voluntatis* et *beneplacitum Dei. Tertio,* omnes prædestinationis effectus sunt gratuiti; de gratia et fide quidem constat *art. pr.*; de justificatione etiam patet ex ep. ad Rom. 3. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem;* de salute et gloria autem ex Ps. 55. 8. *Pro nihilo salvos facies illos.* Ergo et ipsa prædestinatio est mere gratuita.

R. *Ad prob.* 1am. *D.* Gloria est gratia formaliter et in seipsa *N.* metonymice et in operibus *C.* Vitam æternam reddi tanquam bonis operibus debitam, de fide est, adeoque gloria nequit dici formaliter et in se *gratia*; quia tamen hæc bona opera per gratiam Dei sunt meritoria, ideo interprete Aug. L. de Corr. et Gr. c. 13. n. 41. gloria nomine gratiæ ab Apostolo donari potuit.

*Ad prob.* 2am. *D.* Ratio prædestinationis ultima et præsupposita unice sumitur a voluntate Dei *C.* proxima et hic controversa *N.* vel *Subd.* Sumitur unice a voluntate Dei per hoc excludendo tum opera naturalia, tum merita

quæcumque prædestinationis ad primam gratiam *C.* excludendo opera supernaturalia et motivum seu meritum gloriæ *N.* Bonitas Dei in omnium sententia assignatur pro causa motiva : similiter gratiæ efficacia et discretionis radix, atque hinc prædestinationis ratio ultima a Deo repetenda ; sed de his sermo non est, dum de omnimoda prædestinationis gratuitate agitur. Psalmista loquitur duntaxat de salute *temporali* et liberatione ex angustiis ; ejusdemque causam mox adjungit justitiam, innocentiam et obedientiam suam. Item propositum, consilium voluntatis et beneplacitum sæpius a Scriptura usurpatur pro eodem, et ad indicandum decretum liberale et gratuitum; sed tum pertinet ad prædestinationem sumptam vel adæquate vel inadæquate ad gratiam, opponiturque merito operum Pelagiano et Semipelagiano.

*Ad prob.* 3am. *N. A.* Gloriam enim in tempore non dari gratis, ut datur gratia, certum est de fide. Textus plane huc non spectat, cum ita exponendus sit : nullo modo salvabis eos.

*Inst.* 4. S. Paulus ad Rom. 9. 11. videtur ex professo probare gratuitam prædestinationem ad gloriam : *primo* quidem, exemplo gemellorum *Jacob* et *Esau,* quorum sors in divinis benedictionibus diversa, non ex operibus, sed antecedenter ad merita fuit determinata : *secundo,* quia electio aliquorum ad gloriam est pura misericordia, juxta illud Exodi : *Miserebor, cujus misereor;* et illud Apostoli : *Ergo cujus vult, miseretur*; quibus declaratur, omnem in salutis negotio successum prosperum esse effectum misericordiæ divinæ, non autem voluntatis aut contentionis humanæ : *tertio,* quia omnes homines sunt in manu Dei, sicut lutum *in manu figuli :* figulus autem luti habet potestatem ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam ; quo exemplo gratuita Dei electio ad gloriam ab iniquitate vindicatur, et querulorum objectio solvitur.

R. 1°. *N.* agi hic de prædestinatione ad gloriam, cum sermo sit de prædestinatione ad gratiam fidei ac justitiam. Neque his dictis officit, tum quod hic mentio fiat *propositi secundum electionem,* quæ vox ad Rom. 8. sumitur pro prædestinatione ad gloriam : tum quod prædestinati comparentur cum vasibus honoris et misericordiæ, ac præparatis ad gloriam. Nam *primum* multiplici ex capite esse falsum constat tum ex num. 227., tum ex num. 193. in *secundo* autem præterquam quod possit intelligi gloria Dei extrinseca seu clarificatio, illa comparatio non evincit agi de efficaciter electis ad gloriam ; justificatus enim hic dicitur vas in honorem ac misericordiæ, ac gratia Dei dirigitur et ordinatur in gloriam, quin debeat esse efficaciter ad gloriam electus, ut ex textibus *Oseæ* et *Isaiæ* versibus seqq. mox subjunctis manifestum est.

R. 2°. Admisso etiam sensu *allegorico* vel *accommodatitio* de prædestinatione ad gloriam, quem nonnulli Patrum usurpant, *N.* prædestinationem gratuitam, et quæ prævisionem meritorum antecedat asseri.

Vers. 11. 12. et 13. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali* ( *ut secundum electionem propositum Dei maneret*) *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : quia major serviet minori ; sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui,* excluduntur duntaxat opera jam facta et actu posita, non autem quælibet opera prævisa, ita ut sensus sit : cum gemelli Rebeccæ filii in rerum natura nondum existerent, ac proinde neque bonum quidpiam neque malum fecissent (ut homines et ipsam Dei electio-

nem et ejus certitudinem cognoscerent) non ex operibus jam factis, sed a Deo præcognitis, qui juxta ep. ad Rom. 4. 17. et Isa. 49. 1. vocare dicitur ea quæ cognoscit, dictum et prænunciatum est quod, sive in sensu historico sive in sensu figurativo, *Jacob* ob merita prævisa sit electus, *Esau* ob demerita prævisa sit reprobatus. Quod autem non debeant excludi etiam opera prævisa, colligitur partim ex eo quod videatur hic figurari reprobatio *positiva*, cum majorem servire minori non dicat quid mere negativum, sed positivum quid, duram scilicet servitutem; partim ex eo, quod adversarii etiam a negativa reprobatione non excludant omne demeritum; cum admittant peccatum originale esse causam reprobationis negativæ.

Vers. 14. 15. *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? absit! Moysi enim dicit : miserebor, cujus misereor, et misericordiam præstabo cujus miserebor.* Sive hic dicatur Paulus velle occurrere tacitæ objectioni, sive probare quod nostrum non sit quærere occultas causas et soli Deo cognitas, cur *Jacob* dilexerit, et *Esau* rejecerit; sicut Deus Moysi non permisit quærere, cur aliquos ob adoratum vitulum occiderit, alios non; *sensus testimonii* est : miserebor in tempore per gratiæ et gloriæ collationem, cujus ab æterno misertus sum per prædestinationem, opera gratiæ misericorditer datæ prævisa subsequentem.

Vers. 16. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* His verbis ad historiam *Jacobi* et *Esau* Genes. 27. expositam alludentibus, non excluditur humanæ voluntatis cum gratia divina cooperatio, ut vult Calvinus; nec meriti ratio in prædestinatione, ut Adversarii contendunt, sed Apostolus unice intendit in salutis negotio primas partes esse tribuendas divinæ gratiæ, utpote sine qua præcurrente et adjuvante boni omnino nihil operari nec mereri quidpiam valemus : itaque misericordia etiam in nostro systemate primum locum obtinet.

Vers. 17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.* Particulam *ut* indicare hic duntaxat eventum, vel causam non nisi secundariam ac consequentem ad prævisionem contumaciæ *Pharaonis,* asserunt Catholici contra Calvinum omnes; unde ex negata hic mere arbitraria reprobatione argumentum fieri potest pro mere gratuita prædestinatione neganda. Hinc etiam patet, quomodo exponendus sit hic vers. 18. : *Ergo cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat,* scilicet permissive; ut alibi est expositum.

Vers. 19. 20. *Dicis itaque mihi : Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit? O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic? an non potestatem habet figulus luti ex eadem massa facere aliud vas quidem in honorem, aliud vero in contumeliam?* Comparatio *figuli* ad hoc inducitur, ut doceat Paulus, neminem debere obganire Deo, et rationem ab eo sui decreti exigere, sicut nec figmentum respondet *figulo* : cur me fecisti sic, quanquam factum sit in contumeliam. Vis argumenti hujus a minori ad majus instituti stat in triplici collatione. 1°. enim comparatur figulus, id est, homo infirmissimus cum Deo potentissimo : si ergo figulus potest, multo magis potest Deus. 2°. confertur lutum cum homine : si ergo figulus ex eadem massa, in qua nulla est differentia, facere vas possit aliud in honorem, aliud in contumeliam; quanto magis potest Deus ex hominibus, in quibus tanta est voluntatum et meritorum differentia,

alios prædestinare, alios reprobare. 3°. componitur verbum faciendi cum verbo sustinendi; si ergo figulus potest facere vas in contumeliam; quanto magis Deus potest homines jam factos per se malos, non facere, sed sustinere. Cæterum non explicandam hanc comparationem esse de prædestinatione gratuita et reprobatione negativa, ostenditur tum ex eo quod, hac data expositione, non tollantur sed augeantur difficultates, quas sibi objecerat Apostolus : tum ex eo quod vas in honorem fiat Deo non agente solo, sed ipso etiam homine faciente, ut ait Paulus 2. ad Tim. 2. 20. *In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum*; denique ex eo quod, vi comparationis, Deus non minus arbitrarie reprobaret, ac gratuito prædestinat, atque utrumque positive faceret.

Vers. 22. et 23. *Quod si Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Aposiopesis hic est, et supplendum : Quis respondebit Deo, aut eum accusabit, si volens ostendere iram sustineat etc.; qua sententia respondetur objectioni v. 19. propositæ, quasi Deus injuste queratur de induratis, eosque puniat, cum tamen ipse homines induret. *Sensus* enim *solutionis* hic est : Indurati ipsi positive se fecerunt et aptaverunt vasa iræ; Deus ergo eos non fecit tales; sed sustinuit et patienter permisit eos peccare, differens diu supplicium, unde eos indurasse dicitur. Ne autem ex patienti hac peccatorum ad resipiscentiam exspectatorum toleratione Deus insimuletur aut impotentiæ, aut malignitatis in homines, causa hujus patientiæ duplex affertur; 1ª. ut ex severitate pœnæ in impœnitentes cognoscatur Dei potentia : 2ª. ut ex misericordia in pœnitentes palam fiat bonitas Dei et liberalitas in sanctos et electos, quibus non præparavit pœnam sed gloriam. Cæterum si etiam illi, quibus Deus præparavit gloriam, non annumerentur iis, quorum resipiscentiam Deus exspectavit, inde tamen præparatio gratuita non evincitur; tum quia præparatio ad gloriam fit per gratiam ad bona opera : tum quia nec absoluta et efficax nec antecedens meritum præparatio ad gloriam hic asseritur; sicut absoluta et efficax aptatio ad interitum præcedens demeritum hic non statuitur.

228. *Obj. II.* Probationes ex Patribus desumptæ nihil faciunt pro sententia nostra. Nam de Patribus, qui scripserunt ante exortam hæresin *Pelagianorum,* minus sollicitos nos esse debere monuit S. Aug. L. de præd. Sanct. c. 14. n. 27. scribens : *Quid opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur.* Suadet etiam *ratio* : propterea quod iidem breviter tantum ac transeunter, quid sentirent attigerunt, et disputarunt contra alios Ecclesiæ hostes, aut populum ad virtutis studium adhortabantur; ut ibid. Aug. exponit.

R. *N. Ass. Ad prob. Quæro* num controversia nostra sit eadem cum illa, de qua sententia S. Aug profertur, an vero sit diversa ab ea? si 1um. ergo quæstio versatur circa dogma fidei, ita ut una pars dicenda sit hæretica,

quod oppido falsum est : item sententia, quam hic Aug. tuetur, est approbata ab Ecclesia, ac præsertim a Cœlestino I. in ep. ad Gallos, adeoque debet esse conformis priorum Patrum elogiis; cum Pontifex ille ac Conc. Araus. doctrinam Augustini laudent tanquam acceptam ab Ecclesiæ Patribus. Si 2um. ergo illa Augustini gnome non pertinet ad rem præsentem. Præterea S. Doctor non rejicit hic absolute auctoritatem priorum Patrum tanquam rem quæ nullius momenti sit, aut nihil habenda; cum ipse tum *ibid.* tum in LL. contra Julianum studeat auctoritatem sibi vindicare; sed ex supposito duntaxat, si nempe Patrum sententia non congruat cum aperta veritate aut sacris Scripturis, vel ea ex professo et suscepta accuratiore SS. Litterarum explanatione non fuerit proposita, quorum nihil asseri potest de Patribus superius laudatis.

*Inst.* 1. Patres nobis faventes possunt commode exponi. Dum enim dicunt, prædestinationem fieri secundum *præscientiam meritorum,* vel loquuntur de prædestinatione ad gloriam secundum ordinem executionis, non autem secundum intentionis ordinem; vel de præscientia efficaci et practica seu ipsa prædestinatione, ut in simili causa S. Aug. L. de don. persev. c. 19. hanc vocem apud Patres explicat; vel dicunt usum gratiæ et merita nostra esse causam prædestinationis nostræ, sed finalem, non efficientem seu meritoriam, ut hic docet S. Thom. q. 23. a 5. *Conf.* Iidem Patres nobis etiam contrariantur; nam Chrys. seu Auctor oper. imperf. in Matth. hom. 54. ait: *Quos ante constitutionem mundi suos cognoscit esse, tantis eos laboribus onerat, et tamdiu laborare facit, donec digni efficiantur regno cœlesti*; Cyril. Alex. autem L. 10. in Joan. c. 15. (opp. t. 4. p. 892.) *Ego elegi vos, non vos me: ego me notum vobis ignorantibus feci humilitate clementiaque commotus* etc.

R. *N. Ass.* In cujus refutationem sufficiat adduxisse testimonium S. Prosperi, qui in ep. ad S. Aug. n. 8. de controversia præsenti ita ex proprio sensu scribit prope finem : *Illud qualiter diluatur, quæsumus, patienter insipientiam nostram ferendo, demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus pene omnium par invenitur et una sententia, qua propositum et prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, et sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate et actione, præsciverit.* Præterea *primam* expositionem minus commodam esse, constat ex dictis num. 226. Idem patet de *secunda,* quæ quamvis locum habeat in Patrum scriptis, ubi de *gratia* loquuntur, tamen eorum dictis de gloria nullatenus congruere possunt. *Tertia* denique refellitur ex eadem testimoniorum claritate; neque illi favet S. Thomæ auctoritas, qui loc. cit. ad 1. dicit, usum gratiæ præscitum, esse rationem collationis gratiæ tantum secundum rationem causæ finalis; statuens sub diversa ratione merita posse dici causam tum finalem tum meritoriam, negatque solum dari causam meritoriam respectu prædestinationis adæquate sumptæ.

*Ad Conf.* R. neutrum testimonium obstare nostræ sententiæ. Non 1um. quia vult quidem per labores obtineri cœleste regnum ab iis, quos ante mundi constitutionem Deus cognoscit esse suos; sed num eos cognoscat suos ante meritorum prævisionem, necne, hic non explicat; alibi autem Chrys. mentem suam pro nobis luculenter aperit. Non 2um. quia hic non agi de

electione ad gloriam, sed ad *Apostolatum* vel *gratiam*, supra est demonstratum.

*Inst.* 2. Patres, qui post S. Aug. floruerunt, apertissime tradunt prædestinationem gratuitam : S. Prosper ad excerptum Genuens. 6um. *Absit talis impietas, ut quemquam putemus meritis suis erui de potestate tenebrarum, et in regnum Dei Filii debita, non gratuita adoptione transferri.* In resp. ad object. 11. Vincent. inquit : *Ad prædestinationem nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam justitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.* Et L. 1. de voc. Gent. c. 17. : *Sunt, qui longam agentes in flagitiis ætatem, Sacramento Baptismatis in ipso vitæ fine renovantur, et sine ullo suffragio bonorum operum in regni cœlestis consortium transferuntur.* S. Fulg. L. de Fide ad Petrum c. 3. n. 40. ait : *Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinavit ad regnum.* Et L. 1. ad Monim. c. 13. *Quos prædestinavit ad gloriam, prædestinavit ad justitiam : quos autem prædestinavit ad pœnam, non prædestinavit ad culpam.* Greg. M. L. 1. Dial. c. 8. *Ipsa,* inquit, *perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis Deus ante secula disposuit donare.* S. Bern. in Cantica Serm. 78. n. 3. *Intuere nunc mecum in hoc tam magnifico opere nostræ salutis tria esse quædam, quæ sibi vindicat auctor Deus, prævenitque in illis omnes auxiliatores et cooperatores suos, prædestinationem, creationem, inspirationem*; ergo.

R. *N. Ass.* Quoad textus S. Prosperi R. *Ad* 1um. hic asseri gratuitatem prædestinationis ad gratiam, et negari meritum operibus naturæ. *Ad* 2um. prædestinatio ad gloriam merito etiam indebitæ gratiæ largitati tribuitur in sua scilicet radice ac origine; certum tamen est gloriam in se esse debitum justitiæ præmium. *Ad* 3um. unum id hic docetur, quod nonnulli post vitam scelerate transactam in fine convertantur, et Deo miserente expungant crimina ardore contritionis et baptismi efficacia, licet non diuturnitate pœnitentiæ : hoc autem prædestinationem gratuitam non probat.

Quoad textus S. Fulg. R. *Ad* 1um. sermonem hic fieri de collatione gloriæ, quam sine meritis non dari certum est, ac proinde excludi tantum merita naturæ non gratiæ. *Ad* 2um. asseri quidem hic societatem, quæ est inter utramque prædestinationem ad gloriam præ illa ad justitiam. Textus S. Greg. nihil continet, quod gratuitatem prædestinationis insinuet. In textu autem S. Bern. excluditur cooperatio tum angelorum tum hominum ad nostram salutem ab æterno prævisa. Cæterum agi hic de prædestinatione ad gratiam vel saltem adæquate sumpta, præter plura in ipso contextu, satis indicat una inscriptio, quæ sic legitur ; *Quod sponsa, id est, Ecclesia electorum prædestinata est a Deo ante secula, et præventa ab eo, ut quæreret eam et converteretur.* Præterea ordinem in hoc negotio S. Doctor his verbis describit : *Plane quam ab æterno præscivit, quam elegit, quam dilexit, quam condidit* etc. Unde præcedere meritorum præscientiam constat.

*Inst.* 3. S. Thomas pluribus in locis nobis est contrarius. Nam *primo,* Lect. 3. in c. 9. ep. ad Rom. ait : *Non potest esse quod merita consequentia gratiam sint ratio miserendi aut prædestinandi, sed sola Dei voluntas.* Quibus similia in comment. ad c. 3. ep. ad Ephes. et q. 9. de verit. a. 2. habet. *Secundo,* in *Summa* part. 1. q. 23. a. 4. docet prædestinationem aliquorum in salutem

æternam præsupponere, secundum rationem, quod Deus velit ipsorum salutem, eligendo et diligendo; in *resp.* ad 2. autem dicit electionem divinam non requirere aliquod bonum præexistens, ut in humanis accidit. *Tertio*, ead. q. a. 5. tum in *corpore* articuli tum in *resp.* ad 4. non aliam prædestinationis rationem admittit, quam voluntatem divinam.

R. *N. Ass.* præsertim cum aperte nobis faveat. Nam Lect. 6. in c. 3. ep. ad Rom. ait: *Dicunt quidam, quod præscientia meritorum bonorum et malorum est ratio prædestinationis* etc. *Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis: sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno divinitus præparatum.* Distinguit hic prædestinationem adæquatam ab inadæquata, quæ tantum est ad gloriam, et hanc ex prævisis meritis fieri, ait, rationabiliter dici posse. Item Lect. 1. in c. 1. ep. ad Ephes., in 1um. dist. 41. a. 3. ad 5., et p. 1. q. 23. a 5. in 0. distinguit inter causam voluntatis divinæ et voliti a Deo; et quamvis neget dari rationem vel motivum creatum respectu voluntatis divinæ prædestinantis, concedit tamen merita dici posse causam et rationem gloriæ scilicet prædestinatæ seu in prædestinatione. Itaque in *primo,* loquitur de prædestinatione inadæquate sumpta ad gratiam: in *secundo,* sumit prædestinationem adæquatam, et prout ad gratiam simul est: in *tertio,* eadem est prædestinationis, nempe adæquatæ, acceptio: alii tamen volunt agi hic de prædestinatione non absolute sed *comparative,* unius scilicet præ alio; tum quia alias sequeretur, etiam positivam reprobationem haberi ab una Dei voluntate sine ullis ex parte reprobi demeritis: tum quia in dicti confirmationem adducitur textus ille Aug.: *Quare hunc trahat, et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.*

229. *Obj. III.* Qui ordinate ac sapienter vult, prius attendit finem quam media; quia a voluntate finis movetur ad electionem mediorum: sed Deus omnino ordinate ac sapienter vult, ergo prius vult gloriam, quæ est finis, quam gratias et merita, quæ sunt media. *Conf.* Qui decernit media ad finem certo et efficaciter conducentia, debet habere efficacem finis intentionem; sicut qui decernit media sufficientia, debet habere intentionem saltem inefficacem: sed Deus electis suis decernit media ad finem seu gloriam certo et efficaciter conducentia; ergo.

R. *D. M.* Qui ordinate vult, prius finem intendit, siquidem velit finem sub unica ratione finis *T.* si finem velit sub ratione præmii et mercedis *subd.* prius vult finem conditionate et inefficaciter *C.* absolute et efficaciter *N.* Gloria intenditur, non præcise ut finis, sed ut præmium et merces; quod vero sic intenditur, non intenditur absolute sed conditionate, nempe si is, cui gloria intenditur, laborare velit ad eam obtinendam; unde et inefficax intentio appellatur.

*Ad Conf.* R. 1°. *N. M.* Quia multi etiam reprobi media efficacia ad bonos actus recipiunt, ut *Judas* longe pluribus et efficacioribus gratiis donatus fuit, quam multi prædestinati.

*Ad prob. Disparitas* est 1°. quia mediorum *sufficientia* est ex ipsa mediorum natura, adeoque qui media vult, debet saltem habere intentionem finis inefficacem: mediorum autem ad gloriam *efficacia* non est ex ipsa eorum natura, sed saltem est dependens a libera creaturæ cooperatione, adeoque

qui hæc media vult; non potest intendere finem nisi dependenter a libera cooperatione creaturæ, et consequenter non habet intentionem absolutam et efficacem finis. 2°. Quia omnis electio mediorum supponit aliquam finis intentionem; ergo ex electione sufficientium mediorum recte infertur saltem inefficax intentio : e contra non omnis electio mediorum efficacium supponit determinate intentionem efficacem; quia nihil obstat, quominus etiam media efficacia eligantur, ex intentione finis inefficaci, maxime si illa intentio ex parte volentis sit seria, sincera et efficax, et tantum conditionata ex parte creaturæ; ergo ex electione mediorum efficacium non recte infertur intentio absolute efficax.

R. 2°. *D. M.* Qui decernit media ex natura sua absolute ac omnino independenter ad finem certe et efficaciter conducentia, habet efficacem finis intentionem *C.* qui decernit media conditionate tantum et dependenter a libera creaturæ cooperatione ad finem certo conducentia *N.* Hoc vero multo magis dicendum est, ubi finis est præmium, quod operationem et meritum prærequirit.

*Inst.* 1. Qui vult gratias, quas præscit efficaces fore, et maxime si eas velit *qua efficaces*, ille prævie intendit earum effectum, seu finem : sed Deus non tantum vult electis gratias quas efficaces fore præscit, sed etiam qua efficaces; et gloria est earum effectus seu finis; ergo. *Conf.* Deus vult gratias efficaces ex affectu speciali erga salutem prædestinatorum; ergo etiam vult illas qua efficaces salutis.

R. *D. min.* Deus electis vult gratias qua efficaces finis proximi, qui est opus salutare *C.* vult qua efficaces finis remoti, qui est gloria *N.*

*Ad Conf.* R. *D. A.* Deus vult gratias efficaces ex speciali affectu *transitive* tali, seu qui sit natura vel ratione prior, formaliter efficax; et directe feratur in salutem, inferatque electionem gratiarum efficacium pro his potius quam aliis *N.* ex speciali affectu *intransitive* tali, seu qui sit mere concomitans, et sistat intra limites complacentiæ simplicis circa salutem, et præterea formaliter sit inefficax, quamvis virtualiter etiam efficax salutis dici queat *C.* Distinctio patet ex *supra dictis* paritate cum prædefinitione; unde etiam constat quomodo intentio dandi totam seriem gratiarum, supposita generali voluntate salvandi omnes in charitate finaliter perseverantes, sit virtualiter efficax volitio prædestinatis dandi gloriam.

*Inst.* 2. Deus prius eligit ad fidem, quam eligat media ad fidem, ut colligitur ex S. Aug. L. de don. persev. c. 14. n. 35. ubi de Tyriis, qui si vidissent Christi opera, credidissent, ait : *Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum;* ergo voluntas finis efficax sicut hic, sic etiam in aliis, maxime in electione ad gloriam, est prior voluntate mediorum. *Conf.* Gloria non tantum habet rationem præmii, sed etiam *hæreditatis :* sed hæreditas efficaciter intenditur ante merita prævisa; ergo.

R. *N. Cons.* Tum quia ex particulari affirmato universale non sequitur : tum quia a prædestinatione ad fidem paritas fieri non potest ad eam, quæ est ad gloriam. Discrimen enim 1°. est in *finibus;* quia fides est finis absolutus, non pendens a meritis, sed omne meritum præcedens; gloriam autem est finis conditionatus a meritis dependens : absolute autem decerni finem absolutum non repugnat, ut absolute et ante conditionis absolute futuri prævisionem decerni finem conditionatum. 2°. est in *mediis;* quia media actus

fidei, quæ sunt gratiæ auxilia, sunt tantum media respectu Dei, fidem ut finem intendentis; sic autem debent vel solent esse posteriora in mente Dei, cum media ut media sequantur finem in intentione: sed media gloriæ, quæ sunt nostra merita, respectu Dei sunt tantum motiva, respectu autem nostri sunt media; unde quamvis comparate ad nostram intentionem sint posteriora, tamen comparate ad voluntatem Dei gloriam nobis intendentem sunt priora, cum motiva ut causæ morales prius semper supponantur in mente decernentis, quam id quod vi morali aut impetratoria eorum decernitur.

*Ad Conf.* R. *D. M.* Gloria habet rationem hæreditatis jure nativitatis *N.* jure adoptionis *C.* Jam vero ad hæreditatem jure adoptionis capessendam requiritur, ut filius Dei adoptivus per bona opera acquirat aditum ad hæreditatem, ut patet ex textu Apostoli: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

*Inst.* 3. Licet respectu nostri gloria se habeat ut præmium; tamen illam prius intendimus quam merita; ergo et idem dicendum de Deo. *Conf.* Quamvis *prædefinitio* ad actum bonum dependeat ab aliqua conditione, tamen ante prævisionem conditionati absolutam habetur prædefinitio, et hæc indivisibiliter tendit in media et actum bonum; ergo nec prædestinatio debet sequi prævisionem absolutam, sed indivisibiliter tendere potest in gloriam ut finem, et merita ut media.

R. *N. Cons. Disparitas* est, quia gloria respectu nostri est finis nobis proprius ac præfixus, præmium autem alienum seu ab alio nobis dandum, adeoque gloriam prius quam merita recte intendimus: sed respectu Dei gloria est finis alienus et præmium ab ipso Deo conferendum aliis, adeoque merita prius quam gloriam attendere debet; præsertim cum finem antecedenter non intendat, nisi inefficaciter et conditionate.

*Ad Conf.* R. *N. Cons. Disparitas* quoad 1$^{um}$. est, quia conditio illa, quæ est in *prædefinitione,* est mera conditio, nec habet rationem causæ moralis aut motivi vel impetrationis, adeoque nihil exigit ejus absolute futuri prævisionem: conditio autem in *prædestinatione,* nempe merita, rationem causæ moralis et motivi vel impetrationis dicit; quæ non movent, nisi prout in aliqua temporis differentia absolute existunt, aut extitura prævidentur. Quoad 2$^{um}$. *Disparitas* est, quod tendentia illa indivisibilis in *prædefinitione* nihil impediat quominus vel gratuita vel non gratuita dicatur; cum conditio, ex qua dependet prædefinitio, sit pura et mera conditio: e contra tendentia illa indivisibilis, ob contrariam rationem proxime expositam, impediret, ne prædestinatio sit gratuita; et tamen etiam faceret, juxta intentum suorum Patronorum, ut sit gratuita, eo quod merita et præmium indivisibiliter intenderentur.

*Inst.* 4. Prædestinatio ad gloriam non videtur aliud exigere, quam prædestinatio ad *gratiam*: sed hæc non requirit merita absolute prævisa; ergo nec illa. *Conf.* Eodem modo prædestinamur ad gloriam, quo prædestinamur ad perseverantiam finalem, utpote quæ proxime et necessario connexa est cum gloria: sed ad hanc prædestinamur gratuito seu ante prævisa merita; quia juxta Aug. et Trid. est magnum Dei donum, et juxta idem Can. 22. nisi ex speciali Dei auxilio non potest haberi; ergo.

R. *N. M. Disparitas* est 1°. quod gloria intenditur ut præmium, gratia

autem ut donum : 2°. quod gratia nempe prima est principium meriti; adeoque sub meritum non cadit, et gratis omnino dari debet : sed gloria est quasi effectus meritorum, adeoque sub meritum cadere potest ac debet.

*Ad Conf.* R. *D. m.* Ad perseverantiam finalem prædestinamur gratuito, hoc est, ante prævisa merita de condigno *C.* gratuito, hoc est, ante merita etiam de congruo *N.* Perseverantia finalis cadit sub meritum de congruo; quamvis vero perseverantia *passive* sumpta etiam detur non orantibus quibusdam et sine ullo merito etiam congruo præcedente, ut patet in parvulis post Baptismum statim morientibus, tamen et his datur gloria tantum ut hæreditas, non autem ut *corona*; et perseverantia *active* sumpta non datur nisi orantibus, ut docet S. Aug. L. de Don. pers. c. 16. n. 39. scribens: *Cum constet alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam : profecto qui ex seipso hanc se habere putat, non orat ut habeat.* Perseverantia autem manet adhuc simpliciter *donum*; quia merita congrua et impetrationis non important debitum, sed sola merita justitiæ et de condigno : manet etiamnum *magnum donum* ac speciale; tum quia singularis Dei benignitas et misericordia est, quod hominem ex hac vita rapiat tunc cum justus est : tum quia in multis offendimus quotidie et tam frequentes sunt prolapsiones nostræ ac negligentiæ, ut revera pro speciali Dei beneficio haberi debeat, quod, his non obstantibus, gratiam conferre dignetur. Neque officit quod perseverantia non cadat sub meritum *condignum,* ut gloria, de quo tamen merito controversia nostra est; quia gloria nihilominus dici potest decerni et dari ex meritis proprie talibus ac de condigno, cum opera meritoria perseverantiæ vere sortiantur nomen et essentiam meriti de condigno respectu gloriæ, licet ipsa gratia perseverantiæ detur duntaxat ob meritum congruum, ut patet ex aliis meritis de condigno, ad quæ gratia omnino gratis datur.

*Inst.* 5. Christus juxta S. Aug. L. de don. persev. c. 24. n. 67. est exemplar prædestinationis nostræ: sed illa fuit gratuita et ante merita prævisa; ergo. *Conf.* Si electio ad gloriam facta esset ex prævisis meritis, ergo mysterium prædestinationis non foret *incomprehensibile* : quærenti enim cur hic sit prædestinatus, ille reprobatus? facile respondetur, quia Deus prævidit illum habiturum merita, illum demerita : sed hoc est contra Apostolum, qui Rom. 11. ait : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* ergo.

R. *D. M.* Christus est exemplar prædestinationis nostræ ad gratiam, de qua etiam S. Aug. l. c. agit *C.* prædestinationis ad gloriam *subd.* est exemplar adæquatum et quoad omnia *N.* inadæquatum et quoad aliqua *C.* Similitudinem aliquam repræsentamus quoad eumdem terminum, nempe gloriam, et quoad modum consecutionis gloriæ accidentalis, quatenus compati oportet, ut conglorificemur ; non vero repræsentamus quoad prædestinationem; cum gloria illi debeatur ex naturæ unitæ societate : neque melius esset ea carere, nec ejus absentia aliunde quidpiam faceret ad finem Incarnationis.

*Ad Conf.* R. *N. M.* Licet enim *difficultates* nonnullæ emolliantur in nostra sententia, supersunt tamen multæ, quas mortalium nemo solvet unquam. Nempe cur ex *multis* efficacibus gratiæ auxiliis, quæ tali homini Deus conferre potest, cum quibus salvus fieret, ea tamen duntaxat conferat, quibus

non consentiet; alteri vero ea, quibus prævidetur consensurus, donet? cur e *duobus justis*, unum ex hac vita rapiat, dum justus est; alterum periculis tentationum obnoxium relinquat, quibus futurum est, ut tandem succumbat? cur e *duobus peccatoribus*, unum etiam sceleribus majoribus implicitum efficaciter convertat, alterum non adeo scelestum derelinquat? cur e duobus infantibus originali peccato æqualiter infectis, permittat unum baptizari antequam moriatur; alterum vero non? In his enim et similibus aliis exclamare cum Apostolo oportet: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!*

230. *Observa*. Pro sententia nostra melius intelligenda juvat ordo *signorum rationis*; quemadmodum in aliis etiam materiis theologicis aptam actuum divinorum, secundum nostrum concipiendi modum, seriem ac dispositionem statuere moris est, ut singula accuratius ac ordinate magis exponantur. Est autem hujusmodi: 1°. Videt Deus homines posse elevari ad finem supernaturalem, eumque posse consequi per quælibet gratiæ auxilia, si iis cooperari velint. 2°. Decernit homines creare, ad finem supernaturalem elevare et ordinare, media ad hunc finem dare idonea et sufficientia, prout opportunitates et circumstantiæ se offerent, nisi placuerit per specialem providentiam alicui vel plane singulares conferre gratias, vel abbreviare vitæ annos. 3°. Videt, quid in hoc vel illo ordine providentiæ, in his vel illis circumstantiis, cum hac vel illa gratia homo quilibet sit facturus; an consensurus vel dissensurus. 4°. Decernit naturas rerum suavissimo ordine disponere, et non mutare providentiæ suæ ordinem; huic quidem has, alteri vero illas gratias dare secundum opportunitatem circumstantiarum, nonnullis etiam gratias plane singulares secundum specialem providentiam. 5°. Videt cujuslibet opera omnia et singula in se et absolute, etiam finalia hujus merita, illius demerita. 6°. Decernit huic gloriam, illi pœnam æternam.

In hac serie apparet triplex *decretum Dei*, cui et triplex *scientia* prælucet: 1$^{um}$. est voluntas generalis et inefficax salvandi omnes in *secundo* signo; cui prælucet scientia simplicis intelligentiæ in *primo* signo: 2$^{um}$. est voluntas specialis salvandi aliquos, sed formaliter adhuc inefficax, licet virtualiter efficax dici possit, quatenus, supposita voluntate generali salvandi omnes in gratia finaliter perseverantes, et decreta in *quarto* signo tota usque ad viæ finem gratiarum efficacium serie vel gratia finali, Deus gloriam postmodum negare non potest, quamvis circa hanc in isto signo non habeat nisi simplicem de ea complacentiam; et huic in signo *tertio* prælucet scientia media: 3$^{um}$. est prædestinatio formalis seu voluntas specialis salvandi aliquos efficax et absoluta in *sexto* signo; cui in signo *quinto* prælucet scientia visionis. Qui prædestinationis actus secundum subjectum et causam meritoriam uberius declarare volunt, *secundo* et *tertio* signo in priori serie relato interserunt alia quædam: scilicet quod Deus permittat et consequenter prævideat peccatum Adami: quod decernat Incarnationem in ejus remedium, et intuitu meritorum Christi media ad salutem idonea conferre velit: quibus insertis reliqua ex ordine sequuntur.

QUÆRES: *Quænam fuerit sententia S. Augustini de prædestinatione ad gloriam?*

231. *Dico I.* S. AUGUSTINUS neque directe et ex professo, neque indirecte et propter connexionem doctrinæ, asseruit gratuitam prædestinationem inadæquate sumptam et præcise ad gloriam.

*Prob.* 1ª. *p. I.* Prædestinatio, quam asserit S. AUG., est dogma fidei; sic enim L. de Dono persev. c. 19. n. 48. loquitur: *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse*; et c. 23. n. 65. *Prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit*: Sed nec Adversarii dicunt, gratuitam prædestinationem præcise ad solam gloriam esse dogma fidei; ergo.

*II.* Prædestinatio quam defendit, illa est, de qua ipsi controversia fuit cum *Pelagianis* et *Semipelagianis*: sed controversia illi cum his non fuit de prædestinatione præcise ad gloriam; ergo. *Min.* liquet ex erroribus istorum circa prædestinationem.

Nam *Pelagiani* volebant: 1°. quamcumque gratiam dari secundum merita liberi arbitrii viribus præparata: 2°. Deum fore injustum personarum acceptorem, nisi omnes ex parte sui vellet salvos fieri, ita ut neminem præ altero diligeret, aut majori donaret beneficio, nisi hæc largiretur secundum merita naturalia.

*Semipelagiani* autem statuebant: 1°. fidem sic dari, ut tamen ad ejus initium sufficeret et requireretur liberum arbitrium ex propriis viribus operans: 2°. perseverantiam dependere a merito naturali, non tantum ex eo quod illa supponeret ante se fidem, cujus initium esset ex viribus naturæ; sed et quia ante gratiam quamlibet ac opus bonum, deberet ex nudo arbitrio libero aliquid præcedere, propter quod daretur gratia ad inchoandum et perficiendum opus bonum necessaria: 3°. hoc fidei initium et naturæ conatum absolute futurum seu absolute a Deo prævisum, esse causam, motivum et regulam dandi fidem ac perseverantiam; imo conditionate prævisum cum bonis operibus, quæ reipsa non erant futura, sed futura essent in infantibus, si diutius in vita fuissent, esse rationem ejusmodi infantes prædestinandi ad gloriam.

*III.* Prædestinatio a S. AUG. asserta debet convenire scopo, quem in suis scriptis sibi proposuerat: sed pro scopo sibi non proposuerat ostendere gratuitatem gloriæ; ergo.

*Min.* ostenditur percurrendo scripta S. Doctoris ab Adversariis speciatim notata. Et quidem in ENCHIR., ubi a c. 93. usque ad 104. nonnulla scribit quæ huc referri possunt: agit contra hæreticos; unde Nat. Alexander hanc de illo crisin duntaxat enuntiat: *In quo nonnulla contra Pelagianos luculentissima conscripsit S. Augustinus.* Scopus Libri de CORR. et GR. is erat, ut ostenderet, et Deum per gratiam nobis donare opera bona ac perseverantiam, et tamen recte corripi eos qui nec bene operantur, nec perseverant: quod patet tum ex causa et occasione scribendi hunc librum, tum ex ipsa scriptione, qua hæc capita probanda assumit. Librorum de *prædest. Sanct.* et *don. persev.* scopum ipse S. Doctor expressit L. de don.

persev. c. 24. n. 66. his verbis : *Sed quid plura? satis docuisse me existimo, vel potius plus quam satis, dona Dei esse, et incipere in Dominum credere, et usque in finem in Domino permanere.* Id confirmatur luculentissime ex analysi omnium capitum duplicis hujus libri, facta a P. Anton. Boucat, in Tr. 4. de voluntate Dei; qua ostendit S. Aug. maxime ac perpetuo illuc incubuisse, ut probaret prædestinationem ad *gratiam* esse mere gratuitam, et perseverantiam finalem esse donum ita speciale, ut non cadat sub meritum, nempe simpliciter dictum ac *de condigno*. Denique epistolæ utriusque scopus colligitur ex argumento illis præfixo, quod docet eas esse scriptas ad dandam instructionem adversus Pelagianorum argumenta vel hæresin.

*Prob.* 2ª. *p. I.* S. Aug. nequidem *indirecte* asseruit gratuitam prædestinationem præcise ad gloriam, si quidquid de prædestinatione ad gloriam scripsit, cum fundamento exponi possit vel de prædestinatione adæquate sumpta tam ad gratiam quam ad gloriam, vel de prædestinatione quæ excludat merita duntaxat naturalia; quia in *primo* casu posset quidem dici esse asserta prædestinatio ad gloriam gratuita in radice et principio, seu ratione gratiæ primæ ac consequentium efficacium et perseverantiæ finalis : in *secundo* autem gratuita respective ad merita scilicet naturæ; quin per hoc evincatur causa, cum non attingatur quæstionis nostræ status; sed utrumque fieri potest. Fundamentum enim pro *primo* habetur tum ex definitione prædestinationis, quam dedit L. de don. persev. c. 14. n. 35. *Præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*; tum ex æquipollentia usurpata sæpius a S. Doctore inter prædestinationem et discretionem aut liberationem a massa damnata seu perditionis, quam docet vocatione inchoari, perseverantia perfici, et gloria absolvi seu consummari. Pro *secundo* habetur imprimis ex causa excludendi merita, quam L. de Corr. et gr. c. 7. n. 13. sic exponit : *Quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto et electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ; non præcedentium meritorum suorum, quia gratia illis est omne meritum*; et L. de Don. persev. c. 20. n. 53. *Quid autem coegit loca Scripturarum, quibus prædestinatio commendata est, copiosius et enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod quid aliud est, quam gratiæ omnis negatio?* Deinde quia alibi declarat, in prædestinationis materia ad gloriam non excludi opera gratiæ; ut liquet ex L. de Gr. et lib. arb. c. 6. n. 15. ubi ait : *Cum dicunt Pelagiani,.... æternam vitam meritis nostris præcedentibus reddi, respondendum est eis : si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda illa sententia : quoniam vero merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant; prorsus rectissime respondet Apostolus, quis est, qui te discernit* etc. Item c. 8. n. 20. *Quomodo ergo non ex operibus?..... sed audi et intellige, non ex operibus dictum, tanquam tuis ex te ipso tibi existentibus, sed tanquam his in quibus te Deus finxit, id est, formavit et creavit.*

*II.* Si S. Doctor asseruisset gratuitam prædestinationem præcise ad gloriam *indirecte* et propter connexionem doctrinæ, id fecisset, vel quia dogma fidei contra *Pelagianos* et *Semipelagianos* propugnari non potest sine assertione gratuitæ hujus prædestinationis; vel quia talia principia ad convellendam hæresin posuit, quæ necessario inferrent gratuitatem prædestinationis ad

solam gloriam : sed 1um. esse falsum, abunde ostensum est priore articulo, et facile dabunt ipsi Adversarii, qui, si sapiunt, nostræ sententiæ Patronos non audent accusare hæreseos : 2um. etiam non esse verum, liquet ex argumento proxime superiori, ac uberius patescet ex solutione objectionum.

*III.* Licet S. Doctor nonnunquam asserat, gloriam conferri gratis ac sine meritis, tamen nemo inferet executionem gloriæ esse mere gratuitam in mente S. Doctoris; ergo etiam licet nonnunquam dicat prædestinari gloriam gratis, non inferendum est intentionem gloriæ mere gratuitam ab eo asseri.

232. *Nec dicas* 1°. S. Aug. L. de prædest. Sanct. c. 18. et 19. impugnat *Pelagium* docentem, *homines eligi a Deo, quia præsciebat, qui futuri essent sancti et immaculati per liberæ voluntatis arbitrium*; Unde sic arguitur : De illa electione erat controversia, quam admittebat *Pelagius*, et consequenter impugnabat Augustinus : sed *Pelagius* admittebat tantum electionem ad gloriam; quia gratiam omnem e medio tollebat, atque hinc nec electionem agnoscebat : consequenter eamdem Augustinus impugnabat ; ergo controversia erat de electione tantum ad gloriam. Atqui S. Doctor loco cit. n. 36. excludit omne meritum etiam gratiæ, dum ait : *Elegit nos ut essemus sancti, non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est, ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans ut tales per gratiam ejus essemus*; ergo.

R. 1°. *N. M.* Quia potius erat controversia de electione illa quam *Pelagius* negabat, et S. Aug. propugnabat; cum hic in omnibus suis scriptis gravissimis argumentis prædestinationem asseruerit.

R. 2°. *N. min.* Contrarium habetur ex L. cit. c. 18. n. 37. *Cernitis procul dubio, cernitis, quanta manifestatione Apostolici eloquii defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana, tanquam homo aliquid prior det, ut retribuatur ei. Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos sancti et immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinavilque, ut essemus*; ex quibus constat, negatam fuisse a *Pelagio* electionem in adoptionem filiorum Dei per gratiam, ab Aug. vero assertam. Confirmari id potest ex Tr. *de Grat.*, ubi systema illius Hæretici totum exponitur, et ab eodem gratiam illustrationis tandem admissam, sed duplici errore fœdatam probatur : ne quid dicamus de gratia habituali, ab eo etiam probabiliter sæpius assertam cum errore de meritis naturæ.

233. *Nec dicas* 2°. Idem disputat contra errores *Semipelagianorum* a SS. Hilario et Prospero propositos : sed hi referunt illos errasse, quod dicerent homines ob merita gratiæ ad gloriam prædestinari, ut patet ex verbis epistolæ Prosperi n. 3. *Hæc ipsorum definitio ac professio est,... præscisse ante mundi constitutionem Deum, et eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, et de hac vita bono fine excessuros esse præviderit* ; ergo. *Conf.* 1. *Semipelagiani* querebantur de doctrina S. Aug. ex eo quod statueret efficacem et absolutam ante omnia merita prævisa prædestinationem ad gloriam; et S. Prosper sciscitatur ex S. Aug., quomodo diluatur id, quod, relicta Patrum antiquorum doctrina de prædestinatione ex præscientia meritorum facta, ipse aliam viam inierit, præ-

destinationem referendo ad solam Dei voluntatem ac propositum; prout constat ex epist. Prosperi ad Aug.; ergo utrique censent, Augustinum statuisse prædestinationem etiam ante prævisionem meritorum gratiæ. *Conf.* 2°. S. Aug. L. de Dono persev. c. 9. 11. et 12. contra *Semipelagianos* docet, eodem modo prædestinari adultos, quo infantes prædestinantur: sed infantes prædestinantur ad gloriam solam, et quidem antecedenter ad omne meritum sive naturæ sive gratiæ; ergo.

R. *D. min.* Docebant illos errasse, quod dicerent homines prædestinari ob merita gratiæ tam absolute quam conditionate tantum prævisa *C.* ob merita gratiæ absolute prævisa *subd.* quatenus hæc merita subjiciebantur initio fidei aut conatui prævio naturali *C.* secus ac simpliciter *N.*

*Ad Conf.* 1am. R. *D. Cons.* Utrique id censuerunt vere, et assequendo mentem S. Doctoris *N.* non assequendo illam, sed errore quodam facti errando *T.* Probabilius videtur, querelas *Semipelagianorum* tantum spectasse prædestinationem ad gratiam fidei et perseverantiæ finalis, non autem ad gloriam solam; cum circa prius erraverint, neque posterius ab illo sejunxerint. S. Prosperum decipi potuisse, mirum esse nequit, cum S. Augustinus ipse fateatur L. de præd. Sanct. c. 3. n. 7. a se erratum fuisse in quæstione dogmatis circa gratiam et prædestinationem, ac L. de Grat. Chr. c. 47. asserat, hanc materiam esse obscuram, adeo ut qui in ea quidpiam defendit, e contrario aliud negare videatur, scilicet vel gratiam, vel liberum arbitrium. Et vero, si revera S. Prosper putavit, S. Augustinum circa prædestinationem præcise ad gloriam recessisse a placitis antiquorum, errore facti reipsa deceptus dici potest, cum ex hactenus dictis et mox dicendis pateat, S. Augustinum in hac materia contrarias partes non inivisse; unde factum est, ut S. Doctor propositæ a S. Prosp. quæstioni nihil responderit, et Patrum sententias L. de Don. persev. c. 19. duntaxat circa prædestinationem ad gratiam accipiat et exponat.

*Ad Conf.* 2am. R. *D. M.* Adulti et infantes prædestinantur eodem modo quoad aliqua *C.* quoad omnia *N.* Pares illi sunt quoad prædestinationem ad gloriam, 1°. in hoc, quod illa nullatenus innitatur in meritis eorum naturalibus, sed radicaliter ac primo in sola Dei misericordia seu gratia omnino gratuita; atque hoc est quod S. Doctor LL. cit. intendit ac perpetuo urget: 2°. in eo, quod utrique prædestinentur ex meritis Christi ipsis applicatis: dispares vero sunt in hoc, quod parvulis sine propriis ac personalibus operibus bonis conferatur gloria, non autem adultis: illis intendatur gloria ut hæreditas, his vero ut corona. Quin nec postremum hoc asseri necesse est, dicique potest, nec *infantes* prædestinari ad gloriam, nisi post absolute prævisa merita Christi illis per Baptismum vel olim per aliud remedium applicata, sicut nec gloriam consequuntur, nisi post applicationem hanc actu factam; unde eorum gloria saltem *corona* dici potest respectu applicatorum Christi meritorum.

234. *Nec dicas* 3°. Peculiare est S. Augustino, quod prædestinationem explicet per *separationem a massa* corrupta et exitio devota, genus humanum post Adæ lapsum repræsentante. De hac vero docet, 1°. separationem hanc non fieri sola prædestinatione gratiæ sanctificantis aut efficacis, sed ea quæ fit ad gloriam: 2°. ita eamdem fieri per prædestinationem ad gloriam,

ut quatenus hæc gloriam respicit, vere sit discretio et liberatio a massa perditionis : 3°. eamdem separationem fieri nullis omnino meritis, sed gratis et ex sola Dei misericordia; quæ constant ex ep. 105. (al. 194. n. 5.) et 106. (al. 186. c. 6. n. 18. seqq.) ex Enchir. c. 98. et 99., maxime vero ex L. de Corr. et Gr. c. 7. Ergo.

R. *Ad* 1$^{um}$. *D.* Separatio totalis consummata et perfecta non fit sola prædestinatione gratiæ efficacis aut sanctificantis *C.* nequidem partialis, inchoata et imperfecta *N.* Cum homines vocantur ad fidem, regenerantur, et ut Aug. ait, *bene pieque vivunt;* inchoatur discretio : cum discretos ad gloriam omnes inde incipere oporteat; adeoque etiam est partialis secretio : non tamen est perfecta, nisi perseverantia accedat finalis, ad quam consequitur gloria.

*Ad* 2$^{um}$. *D.* Separatio fit totalis, perfecta et consummata per prædestinationem ad gloriam *C.* fit per eamdem unice aut per eam antecedenter ad prædestinationem gratiarum ac perseverantiæ *N.* Permittimus hic S. Augustinum loqui etiam de gloria, cum hæc sit immediate conjuncta cum perseverantia, de qua ex professo plurimis in locis laudatis loquitur; quod vero electio ad gloriam sit prior, quam ad perseverantiam, adeo non docet ibidem, ut potius contrarium insinuare videatur L. de Corr. et Gr. c. 6. n. 10. ubi ait : *Quis in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono?* q. d. nisi propter perseverantiam prævisam, cujus scilicet fructus proximus et immediatus est gloria.

*Ad* 3$^{um}$. *D.* Separatio non fit ex ullis omnino meritis, sed gratis et ex sola misericordia, excludendo per hoc merita naturalia *C.* excludendo merita gratiæ *subd.* Separatio inchoata et prima vel etiam adæquate sumpta, quæ complectitur prædestinationem tam ad gratiam quam ad gloriam *C.* Separatio perfecta et consummata seu præcise ultimata, et quæ unice dicit prædestinationem ad gloriam *N.*

235. *Nec dicas* 4°. Principium S. Aug. est, quod prædestinatio ad gloriam sit causa, cur gratia fidei, justitia et perseverantia conferantur electis; ergo juxta eumdem hæc prædestinatio præcedit merita gratiæ. *Prob. Ant.* 1°. ex L. de Corr. et Gr. c. 7. n. 13. ubi ait : *Quicumque ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod et procuretur eis audiendum Evangelium; et cum audiunt, credunt; et in fide quæ per dilectionem operatur, perseverant; et si quando exorbitant, correpti emendantur.* 2°. ex L. de Don. pers. c. 9., ubi proponit 1. quæstionem, cur e duobus parvulis unus assumatur, alter relinquatur; 2. cur ex duobus impiis unus vocetur congrue, alter non; 3. cur ex duobus piis uni detur perseverantia, alteri non? et respondet in primis universim esse in his *inscrutabilia judicia Dei;* deinde singillatim de postremis, quod certissimum sit habendum, unum esse ex prædestinatis, alium non, neutra vero responsio foret apta in sententia nostra, ubi prædestinatio sequitur merita. 3°. ex eod. L. c. 14., ubi sic ait : *Tyrii relicti sunt et Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si illa mira Christi signa vidissent : sed quoniam, ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, est negatum... Nec illis profuit quod poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cujus inscrutabilia sunt judicia, et investigabiles viæ; nec istis obfuisset, quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret, et induratis cor lapideum*

*vellet auferre*. Ergo. *Conf*. S. Augustinus gratuitam prædestinationem commendans L. de Corr. et Gr. c. 14. n. 43. vim maxime facit in isto principio : *Deo volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium* ; ergo a sola voluntate Dei gratuita et ante prævisionem meritorum etiam gratiæ habetur prædestinatio ad gloriam.

*Ad prob*. 1am. R. 1°. In hoc textu declaratur tantum, quid electis a Deo fiat, non vero cur fiat; adeoque discretio non debet esse causa horum beneficiorum, sed potest esse effectus illorum, aut saltem concomitanter ad ea se habere. 2°. Si discretio sumatur *adæquate*, potest etiam dici causa, ita tamen ut singulæ partes discretionis singulis partibus effectuum correspondeant; nempe quatenus discretio inchoativa seu prædestinatio ad gratiam sit causa gratiæ conferendæ, discretio completiva seu prædestinatio ad gloriam sit causa conferendæ gloriæ : cum quo nihilominus stat, quod prædestinatio ad gloriam non fiat, nisi prædestinatione ad gratiam et meritis ex illa secuturis absolute prævisis.

*Ad prob*. 2am. R. *N. m. Prima* enim responsio admissa est a nobis supra, cum pertineat ad prædestinationem gratiæ vel baptismatis, vel vocationis, vel perseverantiæ, in quibus veneranda sunt judicia Dei, et altitudo sapientiæ ejus. *Secunda* etiam admittitur, sed quatenus ex perseverantia tanquam *a priori* colligitur prædestinatio ad gloriam; vel quatenus prædestinatio refertur tanquam causa proxima et immediata, ultra quam adhuc quæri aliam oporteat : cur nempe unus sit prædestinatus, alter non? et cui respondendum sit : quod prædestinatus sit propter merita, reprobatus propter demerita prævisa.

*Ad prob*. 3am. R. 1°. similiter hunc textum explicandum esse de causa immediata et proxima, sed ulterius adhuc ad peccati demeritum referenda.

R. 2°. ex hoc loco duntaxat colligi quod prius a Deo decernatur interior gratia, a qua prædestinationis exordium sumit Augustinus, quam decernantur externa signa, seu prædicatio et alia ad externam vocationem pertinentia : unde et ex scopo totius libri patet, non posse hinc inferri gloriam efficaciter decretam ante prævisa merita.

*Ad Conf*. R. 1°. Non agit hic de prædestinatione ad gloriam duntaxat, sed ad gratiam, ut liquet ex his immediate præcedentibus : *Cum autem homines per correptionem in viam salutis seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui quolibet plantante et irrigante dat incrementum Deus : cui volenti salvum facere nullum hominis resistit imperium*.

R. 2°. Quamvis Deo volenti salvare nullum resistere hic admittatur per modum principii, tamen id potest intelligi de Deo vel consequenter ad merita, vel antecedenter volente; si primo modo accipiatur, sensus est : postquam Deus decrevit ob prævisa merita salvare, nemo est qui resistat gratiæ efficaci : si secundo sensu sumatur, sensus est hic : Deo volenti efficaciter vocare resistit nemo; neuter vero sensus nobis obest.

236. *Nec dicas* 5°. S. Aug. plurima discrimina facit, ex quibus gratuita ad gloriam prædestinatio aperte colligitur ab eo asserta :

1um. Est, quod statuit inter angelos primumque Parentem, et inter filios Adami, ex L. de Corr. et Gr. c. 11. et 12. desumptum; quia apud priores

perseverantia active sumpta fuit *auxilium sine quo* non potest quis perseverare, et quocum posset non perseverare; perseverantia autem passive sumpta esset *merces meriti*: apud posteriores autem perseverantia in primo sensu sit *auxilium, quo* actu perseveratur, in secundo autem sensu sit *donum gratiæ*.

2um. Est, quod eod. L. c. 7. n. 14. statuit inter electionem Judæ ad effundendum Christi sanguinem, et electionem prædestinatorum ad gloriam; primam enim ait factam *per judicium*, h. e. post prævisam ab eo perversam voluntatem: secundam, *per misericordiam*, h. e. ante prævisa merita.

3um. Est, quod L. de Gr. et lib. arbit. c. 9. n. 21. insinuat inter mortem æternam et vitam æternam; cum enim prima ab Apostolo dicatur *stipendium peccati*, notat secundam non appellari *stipendium justitiæ*, sed *gratiam Dei; ut hinc intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro miseratione perducere.*

R. *Ad* 1um. *Auxilium* perseverantiæ in statu innocentiæ datum fuit sine speciali affectu et prædefinitione, uti nunc datur; *donum* autem perseverantiæ in priori statu dependebat ab aliquo opere sine conjunctione cum morte, ac eatenus fuerit merces meriti; in præsenti autem utpote stans in conjunctione mortis cum statu gratiæ pendet a solo Dei arbitrio, et in tantum singulariter *gratiæ donum* est.

*Ad* 2um. *N. prob.* Discrimen enim stat in eo proxime, quod Deus malitiam *Judæ* non fecerit, sed supposuerit, qua deinceps usus est in bonum; merita autem electorum per suam gratiam ipse faciat: unde isti per misericordiam, ille per judicium electus ab Aug. dicitur. Adeo vero hic non docetur electionem per misericordiam præcedere merita, ut potius ex paritate electionis utriusque facta contrarium jure optimo arguatur.

*Ad* 3um. *D.* Notat vitam æternam non appellari nec appellari posse stipendium justitiæ *N.* simpliciter non appellari hic, quamvis alibi in Scripturis appelletur *subd.* et hoc apposite contra hæreticos, atque ad excludenda merita naturæ *C.* ad excludenda gratiæ merita *N.* Patet responsio tum ex ipso contextu integro, qui sic orditur: *Cum posset dicere Apostolus et recte dicere, stipendium justitiæ vita æterna, maluit dicere: Gratia Dei vita æterna, ut hinc intelligeremus* etc; tum ex præcedentibus, ubi explicans Psalmistæ versum: *Qui coronat te in miseratione et misericordia*, ait, gloriam recte dici coronam, quia bonis operibus redditur; hanc vero coronam tribuit misericordiæ, quia Dei miseratione bona operamur, quibus corona redditur.

237. *Dico II.* S. Augustinus non obscure favet prædestinationi ad gloriam ex meritis gratiæ.

*Prob. 1.* Ex *natura* electionis ad gloriam, quam declarat tum absolute et secundum se, tum comparative et opposite ad prædestinationem ad gloriam. Nam. L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 6. sic ait, in c. 9. ep. ad Rom. commentans: *Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio: id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius; sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera quæ jam eligat ad regnum cœlorum. Nam nisi esset electio, non essent electi; nec recte diceretur: Quis accusabit adversus electos Dei? Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem jus-*

*tificatio ; nemo enim eligitur nisi jam distans ab illo qui rejicitur. Unde quod dictum est, Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem; non video, quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hic autem quod ait, Non ex operibus sed ex vocante dictum est ei, Quia major serviet minori; non electione meritorum, quæ post justificationem gratiæ proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.*

*II.* Ex *qualitatibus* et *adjunctis* quæ S. Doctor electioni ad gloriam attribuit. Nam L. 2. de Pecc. mer. c. 29. ait: *Dominus noster hanc suam medelam* (remissionem peccatorum) *nullis generis humani temporibus..... denegavit eis, quos per certissimam præscientiam et futuram beneficentiam secum regnaturos in vitam prædestinavit æternam.* Et serm. 7. (al. 100. c. 2. n. 3.) de Verb. Dom. dicit : *Quos voluit Deus, hos elegit : elegit autem, sicut dicit Apostolus, et secundum suam gratiam, et secundum illorum justitiam.* Postea Deum de septem millibus tempore Eliæ loquentem sic inducit : *Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes,* h. e. in me sperantes, *non de se, nec de Baal.* Et L. 1. de Civ. c. 8. n. 1. *Placuit quippe divinæ providentiæ præparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti; et mala impiis, quibus non excruciabuntur boni.*

*III.* Ex *modo probandi* et *consequendi* electionem. Nam 1°. quidem ut S. Aug. probet prædestinationem et gratiam esse gratuitam, L. de Don. pers. c. 12. n. 28. docet eam gratis dari, inquiens : *Dando enim quibusdam quod non merentur, profecto gratuitam et per hoc veram suam gratiam esse voluit;* unde sequitur ex S. Doctoris principiis, quod, cum gloria detur propter merita gratiæ, etiam prædestinatio ad gloriam sit ex meritis. 2°. Autem docet ex meritis gratiæ ponendis dependere, ut quis sit prædestinatus, dum ad illa verba : *Non est meum dare vobis ; aliis paratum est a Patre meo.* In Psal. 126. n. 5. sic commentatur : *Quid est, non est meum dare vobis ? non est meum dare superbis , hoc enim adhuc erant, sed si vultis accipere, nolite esse quod estis. Aliis paratum est, et vos alii estote, et vobis paratum est.*

238. *Nec dicas* 1°. Liber primus ad Simplicianum scriptus est ab Augustino adhucdum juniore, ante hæresin Pelagianam; et principium illud : Non est locus electioni unius præ alio in rebus omnino æqualibus, etiam a S. Doctore usurpatum est in expositione quarumdam propositionum ex ep. ad Rom. c. 60., ex quo libro multa retractavit in L. 1. Retract. c. 23 ; ergo.

*Ad* 1$^{um}$. R. 1°. Quod ipse S. Aug. L. 2. Retract. c. 1. testetur, libros ad Simplicianum a se scriptos, cum jam esset Episcopus : constat autem ex Possidio in ejus vita c. 31., eumdem tum fuisse quadragenario vel proximum vel majorem. Præterea etsi juvenis fuisset, non tamen id auctoritati detraheret : cum alios libros omnes, quos junior scripsit, contemptui exponerentur.

R. 2°. Quod S. Doctor L. 2. Retr. c. 1., ubi recenset libros ad Simplicianum, in L. 1. q. 2. plane nihil notet emendandum : quin in L. de prædest. Sanct. c. 4. n. 8. dicit solutionem ad illam quæstionem secundam esse datam *secundum veritatem divinarum Scripturarum*, eamque sibi *a Deo revelatam;* unde et Semipelagianos ad illum librum remittit. Quamvis vero hæc dicta eo maxime spectent, ut approbet suam doctrinam de *Gratia* in eo libro datam, non tamen apparet ratio, cur senior factus dicatur profecisse

plus in notitia prædestinationis ad gloriam, quam prædestinationis ad gratiam; cum tamen in senio ipsi potius de hac quam de illa prædestinatione cum hæreticis certandum fuerit.

*Ad* 2um. R. Quod in L. Retr. cap. cit. non fiat in emendatione mentio illius principii, et quamvis tum hic, tum L. de præd. Sanct. c. 3. plura corrigantur, quæ in illa expositione in ep. ad Rom. continentur; tamen Aug. deveniens ad libros ad Simplic. hos commendat.

239. *Nec dicas* 2°. S. Aug. in Libris posterioribus aperte docet dari electionem, quæ non supponat inæquales, sed faciat, ut patet ex L. 5. contr. Julian. c. 3. n. 13. ubi ait : *Nullum Deus elegit dignum, sed eligendo effecit dignum*; Similia habentur L. de præd. Sanct. c. 17. Unde imprimis patet retractatum esse illud principium : deinde distingui posse inter electionem antecedentem, quæ sit in ordine intentionis ac ab æterno, et inter consequentem, quæ sit in ordine executionis ac in tempore : demum de postrema seu temporali assumptione ad gloriam exponi posse locum ex Augustino allatum. *Conf.* In eod. S. Augustinus tribuit dilectioni Dei gratuitæ prædestinationem et ad gratiam et ad gloriam: quia, ut aperiat cur nulla sit apud Deum iniquitas, quando *cujus vult miseretur, et quem vult indurat*, ad communem massam perditionis recurrit, sicut in LL. contra *Pelagianos* scriptis.

R. *D. Ass.* Docet dari electionem ex natura sua gratuitam, seu habentem objectum quod aliter conferri non potest quam gratuito, qualis est prima gratia actualis, hanc, inquam, electionem docet non supponere, sed facere inæquales *C.* dari docet electionem habentem pro objecto aliquid, quod ex meritis confertur, uti est gloria æterna, quæ non supponat, sed faciat inæquales *N.*

Unde ad sequelas patet responsio. Nam 1am. *N.*; quia hoc principium non fuit assertum de electione ad gratiam sed ad gloriam, adeoque nec est retractatum. Similiter *N.* 2am., tum quia hæc divisio electionis non habet fundamentum in doctrina Augustini in asserto posita, tum quia electio proprie ac vi nominis sumitur pro decreto intentionis, non autem pro decreto executionis; cum et hoc decretum supponat electionem jam factam, hujusque exequendæ modum duntaxat decernat, et executionis ordo in rebus potius sit quam in voluntate et intellectu divino. Multo autem potius *N.* 3am; quia sicut Aug. hic non loquitur de temporali collatione gratiæ, sed de destinatione illius gratuita ab æterno, vel sola vel saltem conjuncta cum priore; sic nec loquitur aut saltem non loquitur tantum de assumptione temporali ad gloriam, sed de prædestinatione ad gloriam æterna et secundum intentionem.

*Ad Conf.* R. *N. Ass.* Dilectionem inter et electionem hic S. Doctor distinguit. *Dilectionem* enim ait oriri ex sola benignitate, posse eam esse erga unum et non erga alterum, quamvis illi de se sint æquales; per eamdem dari dona, ex quibus bona opera et merita nascantur : unde patet dilectionis nomine ab eo intelligi prædestinationem ad gratiam. *Electionem* autem negat priorem esse proposito aut haberi inter æquales; sed vult ante eam jam præsupponi opera : unde ejus nomine venire prædestinationem ad gloriam patet. Argumenta quibus probat non dari in Deo iniquitatem, non

contrariari nobis, patet tum ex *resp.* 1ª. hujus quæstionis, tum ex *artic. priore.*

240. *Dico III.* Etsi S. Aug. prædestinationi ex meritis prævisis foret reipsa contrarius, non ideo tamen sententiam priore articulo stabilitam deserere necessum foret.

*Prob. I.* In quæstione, quæ utrinque, salva ac illæsa fide, defendi potest, necesse non est amplecti sententiam S. Aug., præsertim si pro opposita parte etiam non desit auctoritas SS. Patrum; ut patet tum a *priori*, quia unius aut aliquorum etiam Patrum auctoritas non facit nisi argumentum probabile: tum *a posteriori*, quia hoc sibi semper licitum existimarunt sapientissimi theologi; et quidem in præsenti materia Petavius ac Maldonatus, licet faterentur S. Aug. stetisse pro prædestinatione ad gloriam gratuita, cum tamen hac in parte relinquendum censuerunt. Sed quæstio præsens in alterutram partem defendi salva Religione potest: et pro prædestinatione ad gloriam ex prævisis meritis stat præter Scripturam et Rationem auctoritas Patrum; ergo.

*II.* S. Aug. in similibus quæstionibus nec aliis Patribus concedit, nec sibi tribuendam esse cupit auctoritatem irrefragabilem; ergo sine læsione debitæ illi reverentiæ ab ejus partibus secedere licet. *Ant.* liquet ex epist. 111. (al. 148). ad Fortunatianum c. 4. n. 13. Item. ex L. de Dono persev. c. 21. n. 55. Recole etiam ab eodem dicta, de Trinit. L. 3. n. 2.

*III.* Cum Academia Lovaniensis die 7. Maii 1693. datis litteris ab Innoc. XII. hæc duo postulasset, 1um. ut censuras Lovaniensem et Duacenam cum earum justificatione tueri, et in iisdem traditam de gratia et prædestinatione doctrinam Majorum suorum continuare S. Sedis auctoritate liceret: 2um., ut ab eadem S. Sede declaretur, doctrinam de gratia *per se* efficaci et prædestinatione *ante* prævisa merita, nullis hactenus emanatis Apostolicis Decretis damnatam et enervatam esse; Pontifex his, in Brevi anno 1694. dato, recitatis responsionem hanc subjungit: *Qua in re vestram erga S. Petri Cathedram observantiam summopere laudamus. Verum quia, ut S. Cœlestinus ad Episcopos Galliæ rescripsit, profundiores difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere; nec arbitramur opportunum, ut in præsens habeatur exactior illa de divinis auxiliis tractatio, quæ a prædecessoribus nostris Clemente VIII. et Paulo V. instituta: quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi et dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid Apostolicæ Sedis scripta docuerunt.* Juxta hoc effatum opiniones de efficacia gratiæ et modo prædestinationis relinquuntur amicæ Catholicorum controversiæ, nec eas, quodcumque senserit S. Aug., contemnere vult Ecclesia, nec adstruere necesse habet.

241. *Nec dicas* 1º. S. Aug. a SS. PP. Hier., Prosp. et Fulg. non minus, quam a summis Pontificibus tum antiquis tum recentioribus maximopere laudatur: Ejus doctrina ab Innocentio *integra ratione consistere, a* Cœlestino *nunquam sinistræ suspicionis rumore conspersa esse,* a Joanne XXII. *veritatem in lucem publicam protraxisse* dicitur: Ejusdem *opuscula custodienda*

*et recipienda decernuntur* a concilio Rom. sub Gelasio, *omniaque, quæ* S. Doctor *de recta fide et condemnatione hæreticorum exposuit,* suscipiuntur a concilio Gener. V. Collat. 3. Ergo. *Conf.* FULGENT. L. 1. ad Mon. c. 30. scribit ex Libris AUG., cunctos posse intelligere, *quid debeant de prædestinatione Sanctorum impiorumque sentire.* HORMISDAS P. in ep. ad Possessorem similiter dicit cognosci posse *ex variis Libris B. Augustini maxime ad Prosperum et Hilarium, quid de libero arbitrio et gratia Dei Romana sequatur et asseveret Ecclesia.* Demum quæ Innoc. et Zosimus contra Pelagianos, Cœlestinus in ep. ad Gal. Episcopos, et Conc. Arausican. II. contra Semipelagianos definierunt, ex Scriptis et Libris AUG. excerpta sunt; ergo.

R. Nos neque laudibus in AUG. a SS. Patrum et Pontificum corona collatis vel minimum volumus detractum, quin et easdem, quantum in nobis est, cupimus accipi maxima cum emphasi et exaggeratione : neque sinistram illi suspicionem aliquam aut ejus doctrinæ aspergimus : neque opuscula illius minus custodienda, aut scripta ejus negligenda vel dicimus vel cogitamus. Observandum autem dicimus, *approbationem Ecclesiæ* per se conferre hæc quatuor duntaxat libris a se hac nota cohonestatis; 1°. quod expresse concedatur licentia legendi hos libros : 2°. quod judicet eos ad fidei morumque doctrinam esse utiles : 3°. quod ab iis omnem voluntariæ hæresis suspicionem abstergat : 4°. quod desumptum ex eo testimonium faciat probabile quoddam argumentum. Præterea vero notandum, non unum esse S. AUG., cui laudes illæ ac encomia tribuuntur, sed et alios Patres plures; quod maxime constat ex conciliis laudatis, ubi in eadem periodo ac simili orationis constructione nominantur Patres plerique tum *Græci* tum *Latini.*

*Ad Conf.* R. similiter. Ex allatis enim id duntaxat sequitur, quod fidei capita circa prædestinationem, gratiam ac liberum arbitrium, quæque *Pelagianos* ac *Semipelagianos* inter et Catholicos ex fide disceptabantur, a S. AUG. rite ac catholice fuerint asserta; imo quod is facem sanæ doctrinæ tum Pontificibus tum Conciliis in hac materia prætulerit.

242. *Nec dicas* 2°. BENEDICTUS XIII. in Brevi *Demissas preces,* an. 1725 dato, declarat catholicam doctrinam Thomisticam, maxime de prædestinatione gratuita et gratia intrinsece efficaci, in condemnatione *Baii, Jansenii* et *Quesnelli* nec indirecte esse attactam; pronuntiat eamdem esse sanam, imo saniorem et incorruptam; contradicentes describit tanquam calumniatores; denique easdem sententias dicit ex SS. AUG. ac THOMÆ esse haustas, verbo Dei, Pontificum et Conciliorum Decretis ac Patrum dictis esse consonas, et hactenus laudabiliter a Thomistis esse doctas; ergo.

R. Hac objectione non tangi eam, quam hic versamus, quæstionem; præterea vero pleraque etiam sunt alia, ac argumentum enuntiat. Nam 1°. Pontifex universum tantum et absolute declarat : *SS. Augustini et Thomæ inconcussa tutissimaque dogmata nullis prorsus Constitutionis* (*Unigenitus*) *censuris esse perstricta.* 2°. Huic Constitutioni refractarios, *Jansenistas* nempe et *Quesnellistas,* vocat calumniatores, qui dicant SS. AUGUSTINUM et THOMAM, nec non præfatas Thomistarum sententias per eam Bullam *directe* condemnatas; ad alios enim Thomistarum adversarios catholicos, sicut nec illud dicterium quasi ab illis profectum pertinet, sic nec impacta calumniæ nota

spectare potest. 3°. Districte quidem sub canonicis pœnis inhibet, *ne quis in posterum eo nomine calumnias struere, ac dissensiones serere audeat* : Thomisticam tamen de prædestinatione ac gratia doctrinam tantis commendationis titulis non extollit. 4°. Thomisticæ scholæ id solum tribuit, quod eas sententias laudabiliter docuerit, easque *ab ipsis SS. Doctoribus, Aug. et Thoma se hausisse, et verbo Dei, summorum Pontificum ac Conciliorum Decretis et Patrum dictis consonas esse, commendabili studio glorietur.* Quibus verbis scholasticæ disputationi etiamnum permittit, an ejusmodi sententiæ revera haustæ sint ex SS. Doctoribus illis, aut num verbo Dei, summorum Pontificum Conciliorumque Decretis, et Patrum dictis reipsa consonent.

## ARTICULUS IV.

### QUINAM SINT EFFECTUS PRÆDESTINATIONIS?

243. *Dico I.* Efficax vocatio et justificatio electorum, eorumque glorificatio sunt effectus prædestinationis *adæquate* sumptæ.

*Prob.* Ad Rom. 8. 30. Apost. ait : *Quos prædestinavit, hos et vocavit ; et quos vocavit, hos et justificavit ; quos autem justificavit, illos et glorificavit,* Et Fulg. L. 1. ad Mon. c. 11. *Omnia.... et vocationis nostræ initia, et justificationis augmenta, et glorificationis præmia in prædestinatione semper habuit Deus* etc.

*Conf.* Tum quia his tribus conveniunt omnes conditiones effectus prædestinationis : tum quia hæc tria constituunt perfectam et integram *liberationem* in sensu S. Augustini : cum per *gratiam* actualem et habitualem homo liberetur a servitute peccati, per gloriam autem ab omni miseria et corporis et animæ : tum quia ad hæc tria revocantur omnia dona supernaturalia, ad *vocationem* nempe auxilia gratiæ tam externa quam interna; ad *justificationem* habitus virtutum Theologarum ac supernaturalium, dona Spiritus S., gratiæ Sacramentales et perseverantia finalis; ad *glorificationem* principia ac dona gloriæ tum essentialis tum accidentalis, sive animam sive corpus respicientia.

Dixi 1°. *Efficax vocatio et justificatio* ; quia effectus prædestinationis non est ex 3ae conditionis defectu, gratia illa quæ effectu caret omni : si tamen aliquem saltem effectum habet, v. g. dispositionis ad conversionem, vel si habuit quidem effectum, sed qui postea per peccatum fuerit deletus, simpliciter adhuc effectus prædestinationis appellatur ; quia in *primo* casu vere ac per se, in *secundo* autem, quatenus reviviscens per subsequentem pœnitentiam, ad gloriam conducit. 2°. *Vocatio et justificatio electorum* ; quia reprobos, quibus eæ dantur, actu ad gloriam non perducunt. 3°. *Sunt effectus prædestinationis adæquate sumptæ* ; si enim prædestinatio sumatur inadæquate et præcise ad gloriam, sola gloria est ejus effectus; si sumatur præcise ad gratiam, hujus effectus tantum est vocatio et justificatio, cum decretum dandæ gratiæ vel prædefinitio formaliter efficacem gloriæ intentionem nec habeat nec præsupponat, et gloria modo decernatur absolute post prævisa merita, uti superius etiam dictum est. Hæc tamen minime impediunt, quominus singuli sint effectus prædestinationis sibi singillatim correspondentis, et sic etiam omnes prædestinationis adæquatæ ; quia ad postremam effectus prædestinationem salvandam, sufficit certo gloriam secuturam, quod etiam

ex scientia conditionata et decreto dandi gratiam absque efficaci gloriæ intentione cognosci haberique potest.

244. *Dico II.* Simili modo pleraque *bona naturalia* numerari possunt inter effectus prædestinationis.

*Prob.* Nativitas ex bonis parentibus, bona indoles et educatio, occasionum peccandi remotio, fraterna correctio, bona exempla, prædicatio Evangelii, vita longior vel mors præmatura, ubi est salutis occasio, commode reduci possunt ad dona gratiæ externa vel ad occasiones, quas Deus assumit ad providentiæ suæ finem suavius obtinendum; aliqui excipiunt nativitatem, et bonam indolem. Et quidem si nativitas sumatur velut pro ipsa rei substantia et hominis creatione, recte negatur esse prædestinationis effectus; cum ad eam præsupponatur, unde et S. Aug. ep. 105 (al. 194. c. 3. n. 8). ait : *Christus pro nullis, ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur.* Si tamen nativitas sumatur comparate ad accidentia seu *circumstantias,* v. g. ad tales parentes, tale tempus ac locum, talem indolem; neque hæc debet præsupponi ad prædestinationem, neque a Dei singulari dono ac meritis Christi excipitur, neque supernaturalitatem quoad finem et Dei ordinationem saltem excludit; sed potius confert aliquid ad gloriam consequendam, quatenus vel facilius vel connaturalius gratia effectum suum obtinet : quare et S. Aug. L. de Don. persev. c. 14. n. 35. ait: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant* etc.

245. *Dico III.* Mala quidem *physica* et *moralia pœnæ* effectus prædestinationis dici possunt, non item vero peccatum, nec peccati permissio.

*Prob.* 1ª. *et* 2ª. *p.* Hæc enim mala imprimis sunt a Deo, juxta Isa. 45. 7. *Ego Dominus creans malum* : deinde sunt ex meritis Christi; quia sunt Dei donum et signum specialis amoris divini, juxta illud ad Philip. 1. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini;* et Prov. 3. 12. *Quem enim diligit Dominus, corripit* : demum conferunt ad gloriam, juxta illud Act. 14. 21. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei;* et ad Rom. 8. 28. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti;* hic vero de afflictionibus agi certum est.

*Prob.* 3ª. *p.* Peccatum enim nec est a Deo, nec per Christi merita, nec confert ad gloriam consequendam.

*Prob.* 4ª. *p.* Permissio peccati non est gratia, sed potius gratiæ negatio, adeoque nec est ex meritis Christi, neque confert ad salutem obtinendam, sed ab ea removet : non proficiscitur ex antecedenti intentione Dei perducendi hominem ad gloriam. Cæterum quod S. Aug. L. 14. de Civ. c. 13. n. 2. dicat, *superbis esse utile cadere in apertum aliquod et manifestum peccatum, unde sibi displiceant;* item quod dixerat non nemo: *Pericram, nisi periissem;* inde quidem colligi potest peccatum ejusque permissionem præbere occasionem, qua Deus utatur ad bonum inde eliciendum : minime vero, illa tanquam Dei dona dari ex meritis Christi, aut conferre quidpiam ad salutem.

# CAPUT IV.

## DE PROVIDENTIA DEI CIRCA REPROBOS.

### ARTICULUS I.

#### AN ET POST QUOD PECCATUM PRÆVISUM FIAT REPROBATIO POSITIVA A GLORIA?

246. *Nota.* Oppositarum Veritati Catholicæ sententiarum

1ª. Præter Prædestinatianos antiquos complectitur maxime *Calvinum,* ejusque sectatores Antelapsarios docentes, Deum ex mero suo arbitrio, absque ulla ex parte hominis culpa, atque hinc ante prævisum quodcumque peccatum, aliquos exclusisse a gloria, et inferno destinasse; ac proin Deum his reprobis negare fidem et omnem gratiam, eosdem impellere ac necessitare ad peccandum, misereque decipere ac illudere.

2ª. Continet Postlapsarios, qui prius dogma emollierunt, quod reprobationem illam cum suis corollariis paulo aliter explicatis, assererent non fieri nisi consequenter ad prævisionem peccati originalis. Eamdem rationem indicaverat *Calvinus* in antidoto Conc. Trid. passim, item L. 3. et 5. de prædestin., ac L. 2. Instit. c. 5.; Jansenius vero nihil immutatum adoptavit. Nam L. 10. de Gr. Salv. per quinque priora capita, ubi primum exposuerat, prædestinationem ac reprobationem angelorum factam esse dependenter a prævisione meritorum ac demeritorum actualium ex eorum parte, idemque futurum fuisse, si status innocentiæ in Adæ posteris perseverasset; aliter rem habere post primi Parentis lapsum statuit.

Hic enim 1°. docet, Deum pro mero suo beneplacito et antecedenter ad omnem tum operis tum voluntatis prævisionem selegisse alios ex massa perditionis et liberandos decrevisse, alios vero reliquisse in eadem massa, et exinde liberare *positive* noluisse : 2°. hanc relictionem admittit esse positivam reprobationem, quantumvis Deus *proprie* non efformet novum decretum antecedens relictos illos damnandi; propterea quod isti propter originale peccatum jam obnoxii sint sententiæ damnationis : 3°. negat quidem Deum per se ipsum homines necessario adigere ad peccandum, vult tamen non electos necessario peccare, quatenus relicti sunt in necessitate peccandi contracta per originale peccatum, et auxilio vere sufficienti seu *gratia medicinali* destituti : unde 4°. pro *causa* reprobationis positivæ absolute consideratæ assignat peccatum originale; quia quamvis adulti, qui contractis peccatis actualibus moriuntur, etiam propter hæc damnantur : tota tamen concatenatio peccatorum et suppliciorum *radicaliter* et *mediate* in peccati originalis meritum referenda videtur.

3ª. Constituitur ex antiquatis Catholicorum quorumdam sententiis, qui quidem statuunt a Deo neminem addici pœnis æternis, nisi vel propter

peccatum originale non dimissum, vel propter peccata actualia; volunt tamen Deum, vel ante prævisum quodcumque peccatum, ex sola sua voluntate, aliquos *positive* excludere a gloria, tanquam a beneficio indebito, vel propter peccatum originale velle nonnullos exclusos a gloria, et hinc etiam iis vel remedium contra hoc peccatum, vel eo dato gratias efficaces negasse: utrique tamen negabant blasphemias, et errores a *Calvino* et *Jansenio* annexos.

247. *Dico I.* Deus ante prævisum quodcumque peccatum neminem *positive* reprobavit, nec etiam positive exclusit a gloria, velut a beneficio indebito.

*Prob.* 1ª. *p. I. ex* Scriptura. 1°. quidem Sap. 11. 25. dicitur de Deo: *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.* Ibid. 1. 13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Et Tobiæ c. 3. 21. *Non enim delectaris in perditionibus nostris*; ergo Deus ex se et non provocatus a creaturis decretum reprobationis non fecit. 2°. Sap. 12. 15. ita Sapiens Deum alloquitur: *Cum sis justus, juste omnia disponis: ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare exterum existimas a tua virtute: virtus enim tua justitiæ initium est*; ergo ante prævisam ullam culpam repugnat justæ Dei providentiæ, quempiam reprobari. 3°. Deus in tempore neminem excludit a gloria et damnat ad infernum nisi propter peccata, ut liquet ex sententia Christi Matth. 25. 41. dicentis: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* etc.; ergo et neminem ab æterno decrevit a gloria excludendum ac suppliciis æternis puniendum, nisi propter prævisa ejus peccata; quia, quo modo rem confert in tempore, eo modo prædestinat ab æterno.

*II. ex* Traditione. 1°. Conciliorum, inter quæ Araus. II. Can. 25. (Labb. t. 4. p. 1672.) sic ait: *Hoc etiam secundum Fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos vero ad malum divina potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Valentin. III. Can. 3. (Labb. t. 8. p. 136.): *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, et prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem perituroruin meritum malum præcedere justum Dei judicium.* Trid. Sess. 6. Can. 17.: *Si quis justificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.*

2°. Patrum, de quibus, præsertim ævo Apostolico proximis, Centuriatores Magdeburgenses ipsi Cent. 2. c. 4. sic scribunt: *De prædestinatione ita docuerunt, ut quantum ad utriusque hominis scilicet et diaboli lapsum attinet, negarint cum fatali necessitate contigisse, nec prædestinationem in eo Dei, sed præscientiam solam admiserunt.* Hinc, prætermissis S. Justino tum in Apolog. ad Antonin., tum in dial. cum Tryph., Cypriano ep. 52. ad Antonianum, et aliis alibi referendis, sufficiat laudasse S. Aug., qui dogma fidei probat imprimis ex Dei *providentia*, dum L. 19. de Civ. c. 13. n. 2. ait:

*Deus ergo naturarum omnium sapientissimus conditor et justissimus ordinator dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua..... eo pacto æquissimo, ut qui mortalis talibus bonis..... recte usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam et honorem in vita æterna..... qui autem perperam nec illa accipiat, et hæc amittat* : deinde ex Dei *justitia*, dum L. 3. cont. Jul. c. 18. n. 35. ait : *Bonus est Deus, justus est Deus; potest aliquos sine meritis liberare, quia bonus est : non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est;* quod ipsum L. 4. c. 8. n. 46. serm. 34. (al. 294. c. 6. n. 6.) de verb. Apost., ep. 106. (al. 186. c. 4.) alibique cont. *Pelagianos* urget, ex damnatione infantium non baptizatorum existentiam peccati originalis demonstrans : item ex duplici principio generali, quorum alterum L. 13. c. 15. de Civ. statuit his verbis : *Ad malum* (creaturæ) *prior est voluntas* (creaturæ); *ad bonum vero ejus prior est voluntas Creatoris ejus* : alterum vero L. 3. de lib. arb. c. 18. n. 51. ita profert : *Omnis pœna si justa est, peccati pœna est, et supplicium nominatur* etc.

*III. ex* Ratione. Tum quia reprobatio vel formaliter est *judicium*, ut plurimi ex præcipua hujus nominis significatione docent : vel saltem incipit a judicio, quo quis judicatur indignus æterna vita, et dignus supplicio æterno, adeoque notitiam delicti supponit : tum quia reprobatio est actus *justitiæ vindicativæ*, quæ nequit hominem prius deputare ad pœnam, quam præsciat culpam : tum quia, si illa etiam permittatur esse actus meræ potestatis et dominii in Deo, tamen ab ejus bonitate plurimum recedit, et consectaria illa horrenda alibi satis refutata necessario infert.

*Prob.* 2ª. *p.* iisdem argumentis; tum quia prima et præcipua pœna, in qua stat damnatio, est pœna damni seu *exclusio a gloria;* unde et parvuli sine remedio contra peccatum originale decedentes vere damnati dicuntur : tum quia nullum de facto est *medium* inter exclusionem a gloria et inter destinationem ad pœnam : tum quia illa exclusio a gloria non habet pro termino carentiam beneficii indebiti, sed privationem et pœnam; cum licet beatitudo non debeatur naturæ vel secundum se spectatæ vel corruptæ, debetur tamen naturæ ut elevatæ ad illum finem, vel ut reparatæ per mortem Christi, si peccatum non obstet, et Christo compassi fuerimus.

*Conf.* Hæc reprobatio repugnat regulis illis generalibus ex Scriptura ac Tridentino desumptis : *Perditio tua ex te; tantummodo in me auxilium* : et *Deus neminem deserit, nisi ab eo deseratur.* Hæc voluntas positiva excludendi reprobos a gloria non stat cum sincero affectu omnes homines salvandi. Hæc sententia, licet non dicat a Deo reprobis injici necessitatem infallibilem incurrendæ damnationis, et consequenter male agendi ac carendi mediis necessariis, ut profitetur Calvinus; tamen reipsa admittit quod verbis negat.

248. *Dico II.* Deus, post prævisum peccatum originale ut ab hominibus præcise contractum, non statim propter illud solum et in eodem rationis signo positive reprobavit aut absolute exclusit ullum a gloria.

*Prob. I.* Ezech. 18. 23. dicitur : *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat;* et 2. Petri 3. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* In his ac similibus locis Scriptura loquitur de homine considerato

consequenter ad peccatum originale : sed in iisdem clare excluditur omnis voluntas antecedens perditionis hominum ac damnationis ; ergo.

*Conf.* Deus post prævisum Adæ peccatum et originale omnibus proprium habuit voluntatem salvandi omnes; et Christus mori pro omnibus decrevit; ergo non statim post prævisum illud ac in eodem rationis signo potuit habere absolutum decretum damnandi vel excludendi quempiam a gloria.

*Prob. II.* Peccatum originale per gratiam baptismalem dimissum non est causa reprobationis aut exclusionis *positivæ* a gloria; ergo post prævisum peccatum originale, ut præcise contractum et propter illud solum, Deus neminem positive reprobat vel excludit.

*Ant. prob.* 1°. Juxta Apostolum ad Rom. 8. 1. *Nihil damnationis est in eis qui sunt in Christo Jesu;* et juxta Trid. Sess. 5. in decr. de pecc. orig. num. 5. *In renatis nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem* : sed multum damnationis in iis esset, si peccatum originale, licet dimissum, foret causa reprobationis; ergo. 2°. Florentina Synodus, in decr. ad Arm. (Labb. t. 13 .p. 535. E.) docet effectum baptismi esse remissionem omnis culpæ originalis et actualis, omnis quoque pœnæ pro ipsa culpa debitæ ; adeo ut, si baptizati moriantur, antequam aliquam culpam committant, statim ad regnum cœlorum et Dei visionem perveniant : Tridentina autem Sess. 6. c. 14. declarat, per baptismum tolli non tantum pœnam æternam sed et temporalem : sed hoc foret falsum, si originale peccatum foret causa reprobationis; tum quia, dimisso quantumvis hoc peccato, ob illud reprobationis antecedentis decretum non daretur facultas perveniendi ad Dei visionem : tum quia pœna peccati originalis gravissima remaneret in illa reprobatione; ergo. 3°. Trid. Sess. 6. c. 1. affirmat, causam finalem justificationis esse *vitam æternam*; eos qui justificantur adoptari in filios Dei, ac hæredes fieri vitæ æternæ, ungique et signari Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ : accipientes christianam justitiam, juberi eam, ceu primam stolam alteri ab Adamo acceptæ substitutam, conservare immaculatam; ut eam perferant ad tribunal Domini, et habeant vitam æternam : sed falsa hæc omnia et frustra forent dicta, si in justificatis originale peccatum nihilominus causa reprobationis foret ; ergo.

*Conf.* Sicut quod est causa reprobationis, est etiam causa pœnæ æternæ, sic e contrario quod non est causa pœnæ æternæ, non est causa reprobationis; cum eadem sit ratio reprobationis, quæ est condemnationis : sed peccatum originale, quod in hac vita remittitur, non est causa pœnæ æternæ ; quia remisso peccato, remittitur æterna pœna ei debita : semel autem remissa culpa nunquam amplius redit; cum dona Dei sint sine pœnitentia ; ergo.

249. *Dico III.* Deus *positive* reprobat, parvulos quidem non baptizatos propter peccatum originale, adultos autem propter peccatum vel originale vel actuale, vel utrumque usque ad mortem durans et perseverans, et sub hac conditione a Deo prævisum.

*Prob.* 1ª. *p.* Quia quidquid Deus in tempore exequitur, ab æterno decernit, et in mente Dei datur ; cum Deus nequeat velle aliquid de novo aut intelligere : sed Deus exequitur reprobationem positivam in tempore ; ut de

angelis reprobis ex 2. Petr. 2., de hominibus autem ex sententia Christi Matth. 25. constat; ergo datur jam ab æterno reprobatio *positiva*, seu Deus positive reprobat. Unde et Concilium Valentin. l. cit. ait : *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, et prædestinationem impiorum ad mortem* etc.

*Prob.* 2ª. *p.* Eadem ex parte hominis reprobi est causa suæ reprobationis, quæ est condemnationis : sed in his parvulis tota causa damnationis eorum est originale peccatum ad mortem usque perseverans, juxta illud Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;* ergo et illud solum, ut prævisum ad mortem perseveraturum, est causa reprobationis. Idem argumentum tenet de adultis cum solo peccato originali non remisso decendentibus : facile etiam applicari potest ad declarandum illud tanquam causam partialem reprobationis in adultis, qui originali non dimisso addiderunt peccata actualia.

Restat itaque dicendum de reprobis, quibus dimisso originali insunt actuale unum vel plura mortalia usque ad mortem perseverantia : de quibus

*Prob.* 3ª. *p.* Scriptura et Patres docent propter peccata actualia homines damnari, et propter eadem prævisa reprobari. Nam Matth. 25. 41. dicit Christus : *Discedite a me maledicti in ignem æternum, esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* etc. 1. ad Cor. 6. 9. Paulus ait : *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt.* Conc. Valent. l. c. definit, *in damnatione perituorum meritum malum præcedere justum Dei judicium.* Tertull. L. de præscript. c. 8. : *Judæi retro penes Deum fuerant; dehinc ejecti ob delicta, extra Deum esse cœperunt.* S. Fulg. L. 1. ad Mon. c. 24. : *Prædestinavit illos ad supplicium, quos a se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros.* Beda L. aliquot quæst. q. 13. *Non est in Dei dispositione, quomodo peccator peccet : sed tamen cum sciat eum peccaturum, mortem ei prædestinat ut verus judex.*

*Conf.* Ex dictis eadem est causa reprobationis positivæ, quæ est damnationis; sed adulti damnantur propter actualia peccata, eaque nonnisi expleta hac conditione, si in illis usque ad mortem perseveraverint, quæ fundatur in illo Luc. 13. *nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis*; ergo.

250. *Obj. cont.* 1um. S. Petrus 1. ep. 2. 8. de Christo ait : *Factus est in caput anguli et lapis offensionis et petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo et positi sunt :* sed postremis verbis ostenditur, illos ad incredulitatem a Deo esse prædestinatos, et consequenter ante prævisionem peccati omnis, ad exclusionem a regno gratiæ et gloriæ per Christum conferendæ; tum quia nec debet legi juxta Vulgatam, *in quo positi sunt,* nec relativum pertinet ad verbum, ita ut sensus sit : offendunt in verbo, quo positi sunt; sed juxta textum græcum debet legi : in quod positi sunt, et relativum pertinet ad totum præcedens complexum, quia est pronomen neutrum εἰς ὃ quod cum masculino λόγος non consentit : tum quia verbum τίθημι *pono*, frequentissime in Scripturis usurpatur pro *ordinare* ac *destinare*; ergo.

R. *N. min.* Quamvis enim Vulgatæ lectionem omittamus, cui præter nonnullos græcos Codices *Arabica* et *Syriaca* versio consentit, tamen sensus

Bezæ blasphemus inde non sequitur; tum quia infideles non possunt dici a se suaque malitia, non autem a Deo, positi esse in ordine non credentium et reproborum : tum quia verba εἰς ὃ, *in quod* vel *ad quod*, secundum Bedæ aliorumque expositionem, indicant ad credendum, seu ut credant Christo et Evangelio; ut sensus sit : Christus est petra scandali omnibus hominibus, maxime Judæis, qui positi, id est, creati et ordinati per legem et Prophetas sunt ad hoc, ut in Christum a lege et Prophetis præsignatum credant, nec tamen credunt, quia credere nolunt.

*Inst.* Deus reprobat homines vel ad ostendendam potentiam suam, vel ad ostendendam gratiam erga electos, ut patet ex epist. ad Rom. 9. 1um. quidem singillatim circa Pharaonem : *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam*; universim circa reprobos : *Si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam :* 2um. autem, dum ibidem liberum dicit Deo, sicut figulo, facere vas in honorem vel in contumeliam ex eadem massa, et postremum fieri, *ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ*. Sed uterque hic finis intendi potest ante prævisionem omnis peccati; ergo. *Conf.* Deus ante prævisionem omnis peccati, et in eo signo rationis quo electis vult gratias congruas, etiam vult damnatis gratiam tantum sufficientem et permissionem peccati : sed hoc ipso vel *formaliter* vult eos damnare, et reprobat, quia hoc debet velle propter aliquem finem, qui non est alius quam damnatio : vel *virtualiter* vult eos damnare, quia permissio peccati et gratia mere sufficiens infallibiliter connexa est cum damnatione; ergo.

R. *D. M.* Deus homines reprobat ad ostendendam potentiam vel gratiam erga electos ex se et tanquam ob finem primo et absolute intentum *N.* ex consequenti et tanquam ob finem secundo ac ex facta peccati suppositione intentum *C.*

*Ad Conf.* R. *N. m.* Habet quidem Deus gratiæ mere sufficientis et permissionis peccati fines optimos nobis incognitos, non tamen damnationis, utpote cum Dei voluntate repugnantis; adeoque in illis *formaliter* non vult damnare aut reprobare : præterea damnatio nec per se nec ex intentione Dei est conjuncta cum gratia sufficiente ac peccati permissione, sed per accidens solum et contra intentionem Dei; adeoque nec *virtualiter* vult Deus reprobare.

251. *Obj. cont.* 2um. S. Aug. ep. 105. (al. 194. c. 6. n. 22.) ait : *Si vasa sunt iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem, quæ illis debita redditur, sibi hoc imputent, quia ex ea massa facta sunt, quam propter unius peccatum, in quo omnes peccaverunt, merito Deus justeque damnavit.* Ergo propter originale et ante prævisa peccata alia multi reprobantur.

R. *N. Cons.*, et quod propter solum peccatum originale, ut præcise contractum, reprobatio positiva eveniat. Loquitur S. Doctor hic de adultis vel peccata actualia contrahentibus, vel in originali permanentibus, ut ex verbis immediate præcedentibus liquet : *Sed excusabunt se homines, qui nolunt recte et fideliter vivere, dicentes, quid nos fecimus, qui male vivimus, quandoquidem gratiam, unde bene viveremus, non accepimus? Non possunt veraciter dicere, nihil mali se facere, quia male vivunt : si enim nihil mali faciunt, bene vivunt : si autem male vivunt, de suo male vivunt, vel quod originale traxerunt, vel quod insuper addiderunt.* Præterea in verbis objectis dicitur duntaxat damnatio ac perditio peccato originali tanquam pœna deberi, ac

hominibus reddi, si sint *vasa iræ*, quæ perfecta sunt ad perditionem; an autem perficiantur ad perditionem ex solo Dei beneplacito, an ex propria malitia ,vel aliena culpa emundationem peccati originalis impediente? non decernitur.

*Inst.* Peccatum originale quantumvis remissum etiam quoad pœnam, tamen habetur causa *concupiscentiæ* in homine; ergo et derelictionis in massa damnata et reprobationis. *Conf.* Idem peccatum est fons et radix omnium peccatorum, et potest dici causa motiva, ob quam Deus juste non vult dare hominibus *auxilia congrua* ad non committenda peccata actualia, nec perseverandum in iis usque ad mortem; ergo originale peccatum recte dici potest propria causa, licet remota, reprobationis.

R. *N. Cons. Disparitas* est, quia quamvis *concupiscentia* in homine renato pœna non sit, sed mera pœnalitas, et quæ etiam in statu naturæ puræ haberet locum; tamen admitti potest aliquo sensu esse effectus originalis peccati; partim quia non fuisset futura in statu integritatis ad Adæ posteros transmissæ : partim quia nihil damnationis in se habet, et relinquitur duntaxat ad agonem : reprobatione autem admissa, multum damnationis adhuc reliquum esset in renatis, et relictio esset ad interitum.

*Ad Conf.* R. *T. A. N. Cons.* Sequitur enim ad summum, peccatum originale esse occasionem remotam aut conditionem, sine qua Deus non negaret homini *gratiam congruam*, nec homo actualiter peccaret. Præterea cum negatio auxilii congrui non sit causa peccati, consequenter nec est causa reprobationis, cujus propria causa est peccatum; adeoque nec peccatum originale remissum dici potest causa reprobationis, etiamsi fuerit causa negationis hujus auxilii.

252. *Obj. cont.* 3um. Reprobi ex frequenti Patrum et Doctorum usu vocantur *tantum* vel *simpliciter* præsciti; ergo circa hos non datur actus voluntatis divinæ et reprobatio positiva. *Conf.* 1. Concilium Carisiacum c. 1. (Labb. t. 8. p. 56.) definit unam tantum esse prædestinationem; *Hincmarus* Archiep. Rhemens. præterea etiam negavit impios a Deo prædestinatos pœnis; ergo utrique negarunt reprobationem dari. 2. Ex reprobatione positiva sequitur, tum reprobos non posse salvari, tum Deum esse causam perditionis eorumdem : sed utrumque est erroneum; ergo.

R. *D. A.* Vocantur *tantum* vel *simpliciter* præsciti, excludendo hac restrictione decretum justitiæ vindicativæ, et reprobationem positivam post prævisam in peccato finalem perseverantiam *N.* excludendo tantum prædestinationem sumptam in sensu communiori ac principali, nempe in partem bonam et pro electione ad gloriam *C.* Usus loquendi acceptus est a S. Aug., qui L. de Præd. SS. c. 10. n. 19. ait : *Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse : potest autem esse sine prædestinatione præscientia.*

*Ad Conf.* 1am. R. *D. Cons.* Negarunt dari reprobationem in sensu prædestinatiano et Gotteschalci *C.* in sensu nostro *N.* Capituli verba hæc sunt . *Deus bonus et justus elegit ex eadem massa perditionis, secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, et vitam illis prædestinavit æternam : cæteros autem, quos justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent prædestinavit; pœnam autem illis, quia justus est, prædestinavit æternam. Ac per hoc unam Dei*

*prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ.* Ex quibus patet, a Patribus admissam in Deo esse reprobationem positivam post prævisionem peccatorum, et oppositam fuisse unam prædestinationem duabus *Gotteschalcianis*, quarum una homines ad vitam, altera ad mortem utrinque necessario incurrendam prædestinatos hæreticus ille docebat; qui, quamvis postea non amplius duas sed unam, quam tamen geminam ex comparatione charitatis vocabat, statueret, nihilominus ab errore suo de reprobatione et demerita præcedente et necessitatem inferente non discessit. Licet vero *Hincmarus* prædestinationem geminam, sed in sensu Concilii posito, dici permitteret, et pœnas etiam impiis a Deo prædestinari doceret; nunquam tamen passus est dici, *impios* pœnis a Deo prædestinari, ne scilicet videretur cum *Gotteschalco* admittere quod Deus non alio consilio impios crearit, quam ut necessario impii fierent, et ex illa peccandi necessitate damnarentur, qui hæreticus sensus erat illorum verborum, queis Deus impios prædestinare ad pœnam dicebatur.

*Ad Conf.* 2am. R. *D. A.* Ex reprobatione positiva, quæ nonnisi post prævisum peccatum originale vel actuale cum morte conjunctum statuitur, sequitur reprobos non posse salvari etc. *N.* ex ea quæ ante illam prævisionem ponitur *C.* Non intervenire hic necessitatem absolutam et antecedentem, sed hypotheticam tantum ac consequentem, liquet ex alibi dictis. Patet item in nostro systemate causam perditionis refundi non posse in Deum.

## ARTICULUS II.

### AN ADMITTENDA SIT NEGATIVA REPROBATIO A GLORIA.

253. *Dico.* Non est admittenda reprobatio *negativa* a gloria, sive ea statuatur *ante* peccatum quodcumque, sive statim *post* originale peccatum prævisum.

*Prob.* 1a. *p. I.* Reprobatio *negativa* quoad rem et effectum nihil differt a positiva; sicut enim apud Romanos qui *præteriti* vocabantur ex eo quod, cum legerentur Senatores, a Censoribus eorum nomina non recitabantur, eamdem sortem habebant cum *rejectitiis* seu repulsis a dignitate senatoria; et sicut qui in testamento non vocantur hæredes aut legatarii, æque nihil participant ex defuncti bonis, ac qui sunt speciatim exclusi: sic qui reprobatus est *negative*, non plus spei adeundi regni cœlorum habere potest, quam positive reprobatus. Sed positiva reprobatio ante peccatum finale prævisum non est admittenda ex dictis; ergo nec negativa.

*II.* Ubi potest esse reprobatio *negativa*, ibi etiam positiva esse potest; tum quia ex negativa sequitur positiva: tum quia ratio non est cur Deus nequeat positive velle quod vult negative: sed ab adversariorum plurimis ante prævisionem demeritorum absolutam non admittenda statuitur reprobatio positiva; ergo nec admitti debet negativa.

*III. Negativa* reprobatio, cum sit antecedens ac infallibilis, æque parum ac positiva consonat cum sincera voluntate salvandi omnes; nec minus repugnat misericordiæ, bonitati, gratuitæ ordinationi divinæ ac redemptioni Christi; ergo,

*IV.* Nullum est fundamentum ponendi reprobationem *negativam,* nisi simul ponatur condemnatio ad æternum supplicium; tum quia ex dictis sicut prædestinatio fit tantum post prævisa merita, sic et reprobatio in eo tantum signo fit, ubi prævisa sunt omnia demerita : tum quia pœna sensus nunquam, saltem in adultis, separatur a pœna damni seu exclusione a gloria : tum quia Patres vel utramque reprobationem explicite conjungunt, vel si de reprobatione *negativa* solitarie loquuntur, eamdem prævisioni peccatorum actualium subjungunt. 1um. patet ex Fulg. L. 1. ad Mon. c. 24. *Deus prædestinavit illos ad supplicium, quos a se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros.* 2um. ex Prosp. resp. 3. ad Cap. Gal. *Quod hujusmodi in hæc prolapsi mala sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt, sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.* Similia habet resp. 7. et 12.

*Prob.* 2a. *p. I.* Apud patronos *hujus sententiæ* tria tanquam certa supponere licet; 1o. Prædestinationem et non prædestinationem seu negativam reprobationem fieri pro sola Dei voluntate et libero arbitrio, sine ullo respectu ad merita vel demerita creaturæ absolute futura : 2o. In eo rationis signo ac instanti, quo Deus aliquos prædestinat, et reliquos non prædestinat, penitus absolvi totum prædestinationis negotium, adeo ut post illud instans nulla amplius ullius prædestinatio fiat : 3o. Illos tantum consequi salutem, qui prædestinantur; omnes vero illos damnari, qui non prædestinantur.

Corollaria, quæ ex hypothesibus istis deducuntur, oppido falsa sunt et absurda. Eorum 1um. est, non esse in libertate hominis consequi salutem. Nemo enim salutem consequitur, nisi prædestinatus, ex 3a. hypothesi : sed esse prædestinatum vel non esse, non est in libertate hominis, cum juxta 2am. hypothesin prædestinatio vel non prædestinatio pendeat a sola Dei voluntate, nullatenus autem a meritis vel demeritis creaturæ; ergo. 2um. Coroll. est, negative reprobatos non posse salvari. Qui possunt salvari, debent posse prædestinari; sicut enim nemo actu salvatur, nisi actu prædestinatus, sic nec potest salvari nisi potens prædestinari : sed negative reprobati non possunt prædestinari; quia juxta hypothesin 2am. post gratuitæ prædestinationis aut negativæ reprobationis instans nulla amplius prædestinatio fit; ergo negative reprobati, hoc ipso tantum quod sint tales, non possunt salvari. 3um. Coroll. est, Deum esse primam causam nostræ perditionis. Qui non prædestinantur, infallibiliter damnantur secundum hypoth. 3am. sed Deus est prima, imo unica causa quod homines non prædestinentur secundum hypoth. 1am. ergo et prima est causa quod homines damnentur.

*II.* Supposita reprobatione *negativa* absoluta et antecedente peccati cujusque prævisionem, necesse videtur, ut Deus in executione hujus reprobationis neget auxilia efficacia, et det inefficacia eo consilio ut reprobi non salventur; quia sicut ex prædestinatione absoluta et antecedente sequuntur in tempore auxilia efficacia tanquam effectus et media, quibus prædestinatus certissime salvetur, sic ex reprobatione negativa sequi debet subtractio auxiliorum efficacium et largitio inefficacium tanquam effectus, utpote sine quibus reprobi non perirent, qui tamen certissime pereunt. Sed hoc foret insidiari hominum saluti, nec componi potest cum seria voluntate salvandi omnes, et repugnat attributis Dei pluribus; ergo,

*III.* Juxta S. Aug. *si massa illa,* ex qua Deus facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, *non esset ex Adam damnata sed ita media : ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur;* tunc, ut ait ep. 106. (al. 186. c. 6. n. 18.) *non frustra,* h. e. non sine fundamento, *videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam* : aut, ut ep. 157. (al. 190. c. 3. n. 9.) inquit : *Merito videretur injustum, quod fiunt vasa iræ ad perditionem :* sed juxta eos, quos hic oppugnamus, sententia S. Aug. non minus ac c. 9. ad Rom. agit de reprobatione *negativa* a gloria; et vasa in contumeliam non fiunt ex massa damnata sed media, cum reprobatio negativa admittatur etiam prævisionem peccati originalis antecedere; ergo reprobatio hæc merito nec frustra videtur injusta et iniquitas.

*Prob.* 3ª. *p.* Reprobatio *negativa* statuitur post prævisionem peccati originalis, ut peccatum originale possit dari pro causa ejus motiva : sed peccatum originale nequit dici causa moralis et motiva reprobationis negativæ; ergo.

*Min. prob.* 1°. Juxta patronos *hujus sententiæ* nullum peccatum præcedens fuit causa reprobationis negativæ in angelis; ergo nec originale erit motivum reprobationis hujus, si datur, in hominibus. 2°. Peccatum originale præcise ut contractum est commune tam iis qui dicuntur gratuito prædestinati, quam iis qui audiunt *negative* reprobati; ergo non potest dici verum motivum negativæ reprobationis; quia non movet Deum ut omnes non prædestinet, cum tamen verum motivum determinare debeat, ubicumque invenitur. 3°. In pluribus *negative* reprobatis peccatum originale prævisum est dimittendum ac dimissum : sed peccatum originale dimissum nequit esse motivum reprobationis negativæ, cum nequidem radix et remota causa esse possit reprobationis positivæ et exclusionis; ergo.

254. *Observa.* Ad intelligendam sententiam S. Aug. de reprobatione, quam Auctores prædestinationem gratuitam asserentes negativam volunt, ex ejus scriptis nonnulla annotare juvat. I. *Massa perditionis* est universitas hominum damnationem æternam meritorum, qui reipsa damnantur, sive dein propter originale, sive propter actuale, sive propter utrumque usque ad mortem perseverans damnentur. II. Hæc massa non est eadem cum *peccato originali;* sed hoc dicitur illius causa, quia propter peccatum originale in Adamo commissum et contractum ejus posteri tum omnes tum primo damnationem sunt meriti. III. Ab hac massa liberantur, sed temporaliter tantum et imperfecte, qui *justificantur* quidem, sed in justitia usque ad mortem non perseverant. Quamvis enim illi non mereantur amplius damnationem propter originale utpote jam dimissum, merentur tamen propter actuale peccatum; et hinc in massam perditionis relabi dicuntur; non quod in originale peccatum aut in illius peccati pœnam numero eamdem recidant, sed quod propter actuale peccatum mereantur damnationem, quæ illis alias propter originale, sed jam dimissum debebatur. Finaliter vero et perfecte liberantur, qui in justitia perseverant usque ad mortem, et glorificantur. IV. Nequidem temporaliter liberantur a massa perditionis, qui relinquuntur seu permanent in peccato originali : finaliter saltem non liberantur, qui in suscepta justitia non perseverant, et in actuali postea commisso relinquuntur seu permanent; utrinque autem æterna damnatione ob peccatum respective perseverans ad mortem usque afficiuntur. V. Causa *immediata* et proxima

tam liberationis quam non liberationis seu desertionis ac relictionis est tam prædestinatio quam non prædestinatio; quia liberatio et relictio sunt actio vel non actio Dei extra se in tempore operantis, quæ pro sua causa habent jam ab æterno et in mente Dei decretum seu voluntatis exercitium : *mediata* et remota utriusque causa est eadem, quæ est causa prædestinationis vel non prædestinationis. VI. Causa prædestinationis et non prædestinationis *comparate* sumptarum est mera Dei voluntas; quia sic vel sumitur pro ea divinæ providentiæ œconomia, qua Deus eligit vel non eligit eam auxiliorum ac rerum seriem, quam præscit profuturam; hoc vero satis constat pertinere ad altitudinem sapientiæ Dei et inscrutabilia ejus judicia viasque investigabiles : vel sumitur pro ea, qua alteri decernit vocationem congruam aut perseverantiam, alteri autem eam non decernit; et hoc constat pertinere ad distributionem gratiarum, quam Deus tanquam donorum suorum Dominus ac nullius debitor pro suo beneplacito facit. VII. Peccatum originale præcise ut contractum dici potest causa per se sufficiens non prædestinationis *absolute* sumptæ. Causa enim illa intelligitur esse talis, quæ sola sufficit, ut, si Deus negaret homini omne auxilium ad delendum peccatum salutemque consequendam, ac sineret eum in statu originalis peccati labe infecto mori, indeque afficeret æterna damnatione, id juste ipse facere, nullus autem juste de illo conqueri posset : sed peccatum originale est causa ejusmodi ; quia per illud etiam præcise ut contractum homo constituitur odibilis Deo, inimicus et filius iræ; atque hinc dignus, ut privetur divino auxilio, deseratur et damnetur; ergo. VIII. Peccatum illud non est causa non prædestinationis de facto movens et efficiens. Nam post peccatum illud prævisum ut contractum, Christus decretus est ut Salvator omnium, et Deus etiam habet voluntatem sinceram omnes salvandi; ergo istud demeritum peccati ob Christi mortem efficaciter movere non potest, et ob voluntatem salvandi omnes nequeunt negari auxilia sufficientia, vel dari ut inefficacia; multoque minus ex peccato originali ut præcise contracto damnatione homo affici potest. IX. Peccatum originale prævisum ut *perseverans* et cum morte conjungendum est sæpius causa per se et de facto movens non prædestinationis ad gloriam; quia de facto plures damnantur propter originale peccatum cum morte conjunctum vel solum, vel propter illud et actuale peccatum simul usque ad mortem perseverans ; ergo et propter illud prævisum non prædestinantur, sed reprobantur a gloria. Porro ex his principiis facile solvere licebit, quæ pro asserenda reprobatione negativa, post originale peccatum præcise ut contractum facta, objici solent.

### Quæres I. *An detur reprobatio a gratia, et quæ ejus causa?*

235. *Nota.* Reprobatio a gratia est subtractio gratiæ et permissio peccati, stans in aliquo actu Dei positivo. Prout hic accipitur in ordine ad gratiam tantum, non solum præscindit a damnatione vel reprobatione ad gloriam, quemadmodum id in acceptione prædestinationis ad gratiam respectu gloriæ fit; sed respectum etiam ad damnationem quasi excludit, quod non facit prædestinatio ad gratiam ratione gloriæ. Quamvis enim hæc, si sumatur ut prædefinitio, abstrahat an gloria absolute sequatur nec ne; tamen præsupponit in Deo voluntatem salvandi omnes, et formaliter intendit actum

bonum, qui per se est meritum gloriæ, adeoque non potest gloriam non respicere : e contra reprobationem a gratia *ex dictis* non potest in Deo antecedere voluntas damnandi, nec Deus reprobans ab uberiore gratia peccatum vult et intendit, sed simpliciter permittit.

256. R. *I.* Deus neminem reprobat a gratia sufficiente, multos ab efficaci.

*Ratio* 1ae. *p.* habetur ex voluntate Dei salvandi omnes ; quam supra non tantum respectu adultorum sed et infantium stabilivimus ; hæc enim voluntas, cum sterilis non sit et otiosa, sufficientiam ad salutem præparare ac offerre debet.

*Ratio* 2ae. *p.* est, tum quia plures gratiæ a Deo homini datæ carent effectu, cum tamen Deo non desint aliæ gratiæ habituræ effectum ; tum quia multi peccant, qui nequidem peccare possent, si Deus efficaciter vellet impedire ; adeoque permittit peccatum.

257. R. *II.* Ex parte hominis non datur causa præcedens subtractionis gratiæ *primæ efficacis* aut permissionis *peccati primi*.

*Prob.* Hujusmodi causa 1°. non est voluntatis humanæ resistentia sub conditione prævisa, quia propter merita vel demerita conditionata nihil a Deo fieri certum est contra *Semipelagianos*. Nec 2°. est abusus aut non usus gratiæ sufficientis præcedentis ; quia destinatio gratiæ sufficientis, qua abusurus vel non usurus homo prævidetur, jam *formaliter* aut *æquivalenter* est subtractio gratiæ efficacis, seu talis qua bene usurus homo prævidetur, si daretur ; ergo pro causa subtractionis gratiæ efficacis primæ non potest assignari abusus vel non usus gratiæ sufficientis præcedentis ; cum hujusmodi subtractio non esset gratiæ primæ sed secundæ efficacis. Nec 3°. est peccatum actuale præcedens ; quia ante subtractionem gratiæ efficacis primæ et permissionem primi peccati nequit præsupponi peccatum actuale aliud, quod ipsum sine permissione peccati et subtractione gratiæ efficacis non est factum. Nec 4°. est peccatum originale ; tum quia in angelis et protoparentibus peccatum hoc non præcesserat, et tamen fuit subtractio gratiæ efficacis ac permissio peccati : tum quia hoc peccatum commune est omnibus hominibus ; adeoque non potest esse causa movens, ut Deus subtrahat quibusdam tantum sufficientiam congruam ad Baptismum accipiendum, aut gratiam efficacem ad abstinendum a peccato ; cum alias debuisset Deum movere ad subtrahendam omnibus illam sufficientiam et gratiam.

Hinc ubi S. Aug. subtractionem gratiæ efficacis aliquando rejicit in peccatum originale, non assignat causam moventem, sed duntaxat sufficientem ; quod vel ex eo patet, quia S. Doctor per id contra *Pelagianos* contendit duntaxat ostendere, Deum iniquitatis ac injustitiæ in distributione gratiarum accusari non posse, cum omnes gratia indigni sint. Dixi, *non datur causa præcedens ;* eatenus enim *concomitans* admitti potest, quatenus homo per non usum aut abusum gratiæ facit, ne illa sit efficax et effectum sortiatur, quem potuisset habere, si homo gratiæ voluisset cooperari. Hoc enim sensu Aug. L. 2. de Pecc. mer. et remiss. c. 17. n. 26. inquit : *Hominum adjuvat voluntates* (gratia) *: qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est ; non in Deo.* Et L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 10. *Noluit ergo Esau et non cucurrit : sed*

*et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.*

258. R. *III.* Ex parte Dei datur quidem hujus subtractionis et permissionis causa, ea tamen non est ostensio justitiæ divinæ.

*Ratio* 1ae. *p.* est, quia hæc œconomia est effectus providentiæ divinæ et ab altissimis sapientiæ consiliis dirigitur : neutrum autem stare potest sine causa et fine actionis.

*Ratio* 2ae. *p.* est, quia voluntas ostendendi divinam justitiam vindicativam vel supponeret culpam tanquam pœnæ causam, quod *num. præced.* fieri non posse diximus; præsertim cum subtractio gratiæ primæ etiam contingat post peccatum originale dimissum : vel virtute vellet poni culpam, in quam postea vindictam stringeret; quod Deo tribui non potest. Porro quamvis nonnulli, nec sine fundamento, pro causa ex parte Dei soleant assignare voluntatem manifestandæ misericordiæ ac libertatis suæ erga electos, vel ostendendæ libertatis in hominibus aut fragilitatis naturæ humanæ; nos tamen juxta Apostoli et Augustini monitum judicare nolumus, neque in judiciorum Dei vias investigabiles ingredi audemus, quas non tantum agnoscimus in distributione gratiarum comparate ad diversa subjecta, sed et in destinatione aut subtractione gratiæ respectu ejusdem subjecti.

259. R. *IV.* Datur causa subtractionis subsequentium gratiarum et permissionis peccatorum posteriorum ; eaque ex parte *hominis* est peccatum præcedens, ex parte *Dei* manifestatio justitiæ.

*Ratio* 1ae. *p.* est, quia juxta principium a S. Aug. L. de Nat. et Gr. c. 26. datum, et a Concilio Trid. Sess. 6. c. 11. confirmatum : Deus semel justificatos *non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur*; ergo si deserit, prius ab hominibus desertus fuit; ergo datur aliqua causa subtractionis. Huc refertur a pluribus locus S. Augustini ex ep. 105. (al. 194.) ad Sixtum.

*Ratio.* 2ae. *p.* est, quia non usui, abusui aut resistentiæ gratiæ et aliis peccatis in Scriptura tribuitur, cur Deus neget gratiam vel auferat, dimittat hominem desideriis suis, tradat in passiones ac sensum reprobum, excæcet ac induret.

*Ratio* 3ae. *p.* est, quia juxta regulam a S. Aug. L. 3. de lib. arb. c. 5. n. 3. traditam, *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem.* Melius autem est, Deum in subtractione gratiæ et permissione peccati facere ultorem pro culpis nostris, quam pro solo beneplacito agentem, ubi hoc fieri potest; cum hac ratione facilius declaretur divina pietas, et quantum in Deo est, inclinata ad omnes salvandos voluntas ; ergo.

260. *Observa.* Voluntas negandi gratiam efficacem tria dicere potest : 1um., quod Deus directe velit ut illa gratia, quam dat, non sit efficax : 2um., quod licet Deus prævideat alias gratias habituras effectum, si darentur, non tamen velit eas dare; tum quia eas non debet : tum quia secundum providentiæ ordinem communem, quem immutare non vult, non se offert occasio illas tribuendi : 3um., quod Deus prævidens gratiam ordinario cursu

conferendam, ex propria voluntate et malitia hominis non sortituram effectum, hanc tantum dare velit, et reliquum defectum permittere. Ex his voluntati divinæ gratiam negandi nonnisi duplicem sensum postremum tribuimus, primum autem ab ea removemus. Porro eadem dicere etiam potest permissio peccati, utpote in qua duo includuntur : 1$^{um}$. est aliquid positivum, nempe concursus quem Deus vult dare homini ad efficiendum actum peccati, siquidem is peccare velit : 2$^{um}$. est negatio auxilii, quod Deus prævidet fore efficax ad impediendum peccatum, seu ad tenendum hominem ne peccet. Unde quoad *posterius* idem dicendum est, quod de gratiæ negatione proxime diximus : quoad *prius* autem nihil attinet hic dicere; cum hic sit effectus communis providentiæ, quam Deus ut prima causa et universalis gubernator quodammodo debet causis secundis.

QUÆRES II. *Quinam sint effectus reprobationis ?*

261. R. *I.* Peccatum nullum est effectus reprobationis.

*Ratio* est, quia effectus reprobationis debet esse a Deo intendente ac præparante : *peccatum* autem sic a Deo non est; ergo. Neque dici potest id intelligendum esse de peccato quod tantum est culpa, non autem de eo quod est prioris *pœna* : nam imprimis falsum est peccatum sequens esse pœnam prioris; cum subtractio auxilii efficacis et permissio peccati hanc pœnæ rationem habeat, non ipsum peccatum : deinde vero si admitteretur etiam in peccato aliquo relatio hæc seu denominatio pœnæ; tamen pœna ejusmodi realiter aut in particulari sumpta includeret rationem *culpæ,* quam Deus nec velle nec ordinare potest, ut sit : adeoque nec Deus causa illius, nec illa effectus reprobationis esse potest.

252. R. *II.* Nulla subtractio gratiæ aut permissio peccati est reprobationis effectus.

*Ratio* est, quia reprobatio *proprie talis* incipit a præscientia peccati finalis; ergo quidquid ex parte Dei antecedit hanc præscientiam, non potest esse effectus reprobationis; cum alias effectus suam causam præcederet : sed gratiæ efficacis subtractio et permissio peccati ut præcognitæ antecedunt hanc præscientiam; cum peccatum esse nequeat, nisi gratia efficax abesset et permitteretur peccatum ; ergo. Præterea *ex dictis* reprobationis effectus non est, nisi qui a Deo fit ex intentione jam deliberata hominem damnandi propter peccata : sed nec gratiæ subtractio nec peccati permissio ulla ex hac intentione procedit; quia hæc fundari debet in culpa hominis non utcumque spectata, sed ut jam desperata et finali ; ergo.

263. R. *III.* Nec perseverantia in peccato nec obduratio effectus sunt reprobationis.

*Ratio* est, quia si sumuntur ut *mala culpæ,* dicuntque pervicaciam voluntatis malæ adhærentis; continentur sub asserto *primo* : si vero sumantur ut mala pœnæ, dicuntque privationem gratiæ uberioris, et permissionem peccati, ad assertum *secundum* pertinent; utrobique autem a ratione proprii effectus ex reprobatione stricte tali provenientis excluduntur. Neque huic

obest, quod Aug. L. de dono pers. dicat : *Sicut prædestinationis effectus est gratiæ appositio, ita reprobationis æternæ quodammodo esse videtur obduratio* : nam præterquam quod particula *quodammodo* imminuat significandi rationem et dicti proprietatem alienet, vel ex ipsa etiam comparatione constat, non agi de reprobatione a gloria, cum nequidem prædestinatio hic in ordine ad gloriam accipiatur.

264. R. *IV*. Pœna tum *damni* tum *sensus* sola alterius vitæ est reprobationis effectus.

*Ratio dicti* est, quia utraque pœna est a Deo justo vindice, eaque intentione, ut peccator æternum luat, quemadmodum ex sententia Christi Matth. 25. patet. *Ratio exceptionis* constat tum ex præmissis, tum quia pœnæ hujus vitæ nunquam sunt pure vindicativæ; sed quantum est ex parte Dei, medicinales esse possunt, si homo velit converti. Quod mortem in statu peccati attinet, si ea, ut *regulariter* fit, accidat ex generalibus causis Deo permittente, effectus reprobationis non dicitur, cum ante illam mortem permissam et ut absolute futuram prævisam, non absolute prævidetur peccatum finale futurum, quod scilicet per ipsam mortem fit peccatum finale; consequenter nec ante intelligitur reprobatio seu sententia talem hominem damnandi. Si vero mors eveniat ex speciali ordinatione et causalitate Dei, qualis v. g. fuit in *Dathan* et *Abiron* a terra per miraculum hiante confectis, potest effectus reprobationis dici; quia hæc mors est velut traditio hominis adhuc viventis in manus tortoris atque æternæ damnationis initium, ante cujus prævisionem Deus jam decrevit hunc hominem propter sua peccata damnare, atque ad hoc illam mortem ordinavit.

## ARTICULUS III.

### AN PRÆDESTINATIANA HÆRESIS FICTA SIT ET COMMENTITIA, AN AUTEM VERA ET REALIS?

263. *Nota I*. Ut hæresis aliqua reipsa extitisse dicatur, duo requiruntur et sufficiunt; 1$^{um}$. ut dogma sit perversum et contra fidem : 2$^{um}$. ut extiterint aliqui dogmatis illius assertores; sive demum in factionem coaluerint, sive non. Quod ad dogma spectat, illius varia jam olim capita retulerunt Gennadius in appendice ad S. Aug. librum de hæres., Faustus Episc. Rejensis in epist. Conc. Arelatensis, Lucidus Presb. in libello ad Conc. Lugdunense delato, Auctor libri, quem Sirmondus, sub nomine Prædestinati edidit, et Hincmarus in ep. ad Nicol. I. Pontificem.

Primarium ex his, unde *Prædestinatiani* vocantur, est, singulos homines antecedenti, absoluto ac necessitante decreto a Deo prædestinari alios ad vitam seu salutem, alios ad mortem seu damnationem; cujus perversitas ex triplici prædicato decreti apparet, et ex data ab antiquis explicatione dogmatis alias ambigui colligitur. Quatuor inde alia capita deducunt : 1$^{um}$. Deo non inesse voluntatem salvandi omnes, sed eos tantum, qui reipsa ex prædestinatione illa salvantur; hinc nec creatos omnes, ut salventur, nec ea voluntate vocatos, ut vocantem sequantur : 2$^{um}$. Christum non fuisse mortuum pro omnibus, cum multi damnentur, sed duntaxat pro prædestinatis ad vitam :

3um. nullum esse in homine liberum arbitrium; cum nihil sit, nisi quod voluerit Deus, et tam gratia quam destinatio Dei ad malum invitos etiam trahat et compellat: 4um. Sacramenta in prædestinatis ad mortem otiosa esse et sterilia, nec iis conferre gratiam ac peccatorum remissionem; adeoque illos etiam post Baptismum legitime susceptum perire in Adam seu ob peccatum originale: quin et ipsos ad vitam prædestinatos non accipere fructum ipsum, sed tantum spem fructus sacramentalis in cœlo possidendi.

Horum dogmatum assertores secundum diversa tempora extitisse a Patribus, Historicis aut Theologis perhibentur: tum *primis quatuor seculis* et ante pugnam Augustini cum Pelagianis eorumque reliquiis susceptam; tum *seculo quinto,* sive Augustino adhuc vivente, sive eo jam mortuo et Prosperi ac Hilarii ætate, sive Arelatensis et Lugdunensis Concilii tempore et eo seculo jam inclinante: tum sub *noni seculi* medium, inter quos maxime *Gotteschalcus* memoratur: denique posterioribus seculis fuerunt præformatores Lutheranæ et Calvinianæ hæresis etiam quoad errores Prædestinationis, *Wicleffus* nempe et *Joannes Huss.*

266. *Dico I.* Prædestinatianam hæresin primis jam seculis enatam esse, non satis ostenditur; proximis ante Lutherum et Calvinum seculis extitisse, indubitatum est.

*Prob.* 1a. *p.* Tum quia Scriptores plerique omnes hæresin hanc ex libris S. Aug. male intellectis natam asserunt, et nemo eorum in assignando illius ortu ultra seculum quintum ascendit: tum quia Patres quidam, qui vel primarii dogmatis meminerunt, vel errores cum corollariis communes *Manichæis* et *Pelagianis* impugnant, non sufficiunt ad asserendam illis temporibus existentiam prædestinatianæ hæresis: ii enim Hæretici libertatem arbitrii alio ex capite, quam *prædestinationis,* negarunt.

*Prob.* 2a. *p.* *Wicleffus* et *Joan. Huss* asserueruut prædestinatos necessario in bono perseverare et salvari; præscitos autem necessario peccare et damnari: hoc autem ideo fieri, quia omnia necessario eveniunt: hanc porro necessitatem oriri a præscientia Dei et prædestinatione; uti patet ex eorum artic. damn.; ergo.

267. *Dico II.* An hæresis prædestinatiana extiterit *seculo* v. aut ix. inter auctores adhuc controvertitur.

*Exponitur.* Extitisse his seculis hæresin illam, asseruerunt recentiores seculi xv. et xvi. Scriptores Alphonsus de Castro, Didacus Alvarez, Baronius, Bellarminus, Binius, Spondanus, aliique omnes, qui illius hæresis meminerunt. Primus, qui ea ætate id negavit, fuit *Jacobus Usserius* calvinista, tum in historia Gotteschalci ac prædestinatianæ controversiæ an. 1631., tum in Britannicarum Ecclesiarum antiquitatibus an. 1639. editis. Hunc secutus est e Catholicis *Jansenius,* qui priore Usserii opere explicato, L. 8. de Pelag. hæres. pro fabula declaravit hæresin prædestinatianam. Duumviris his opposuit se Jac. Sirmondus S. J. qui, post alia præmissa demum an. 1647. in lucem dedit historiam prædestinatianam: ubi tres hujus hæresis epochas distinguit. In *prima* earum statuit, sectam illam an. 424. exordium sumpsisse apud Monachos *Adrumeti*; sed ab Augustino mox extinctam: emersisse tamen postea apud *Massilienses* in Gallia, ad cujus excisionem cum

S. Hilarius et Prosper per litteras primum Augustini opem implorassent, hoc autem non multo post mortuo, Romam profecti sollicitassent Cœlestinum I., ab eo Pontifice an. 430. esse damnatam. In *secundo* exponit eamdem hæresin in *Lucido Presb.* renatam, sed curante Fausto Rejensi circa an. 475. in Conc. Arelat. et Lugdun. rursus condemnatam; quæ condemnatio etiam in Conc. Araus. II. an 529. est renovata. In *tertia* statuit, errorem a *Gotteschalco* esse resuscitatum; sed et eumdem a Rabano Archiepiscopo Mogunt. in Synodo an. 848. habita, tum ab Hincmaro Rhemensi Archiep. in Synodo Carisiaca an. 849. damnatum.

Sirmondi refutandi et *Jansenii* defendendi partes suscepit *Gilbertus Mauguin,* Curiæ Monetariæ in Galliis Præses, emisso sub an. 1650. in lucem libro, quo fabulæ prædestinatianæ confutationem exhibet. Contra hunc vindicias pro *Sirmondo* jam mortuo dedit Ludov. Cellotius S. J., qui edita 1655. historia Gotteschalci Prædestinatiani, adjunctaque appendice miscellanea operum nondum editorum, omnem *Mauguini* dissertationem præcipue et confutationem excussit. Ab hoc tempore in plures partes discessum est. Alii mediam ingressi sunt viam, neque omnes illas epochas tanquam veras admittendo, neque omnes tamen velut falsas abjiciendo; quales fuerunt Card. Norisius, Natal. Alex., Honoratus Tournely, aliique plures; quorum vestigiis et nos insistemus.

268. *Observa.* Quod *Jansenistæ* plerique omnes (quorum contribulem *Mauguinum* esse non solum Cellotius pluribus in locis ostendit, sed et ipse satis vel in una præfatione declarat) prædestinatianam hæresin pro fabula venderent contendant, non tam in veritatis studio, quam erroris sui ab invidia liberandi causa faciunt non minus ac dum *Baianismum* et *Jansenismum* ipsum inter mera phantasmata referunt. Cum enim Faustus in Conc. Arelat. talia de prædestinatione, voluntate salvandi, Christi morte et libertate hominis dogmata damnanda proponat, *Lucidus* in Lugdunensi retractet, Rabanus et Hincmarus in *Gotteschalco* condemnent, quæ similia et eadem sunt cum suis erroribus; multum sane eorum interest, ut illa omnia tanquam commentitia rejiciant, aliisque persuadere conentur. Quamvis vero, qui e catholicis eadem in hac controversia sentiunt, facilitatis quidpiam pro systemate *prædestinationis gratuitæ* suo capere fortasse queant; nolim tamen, nec ausim illos maligna hujusmodi causa inductos dicere: præsertim cum ex ipsis systematis hujus patronis nuper laudaverim aliquos, qui nostræ opinionis duces et antesignani fuerunt.

## § VI.

### AN ÆTATE S. AUGUSTINI EMERSERIT HÆRESIS PRÆDESTINATIANA?

269. *Dico I.* Non videtur nata esse hæresis prædestinatiana in Monasterio Adrumetino.

*Prob.* Ut dicatur in *Monasterio Adrumetino* hæc hæresis nata, oportet vel hujus Monasterii Abbatem Valentinum, vel Felicem et Cresconium cum suis, vel Florum cum reliquis Monachis fuisse prædestinatianos: sed nulli eorum erant prædestinatiani. Non *Valentinus;* utpote cujus fides nec ab

accusatoribus, Hipponem profectis, erat in dubium vocata, nec aliunde suspecta, sed potius maxime probata; ut patet tum ex ejus litteris ad S. Augustinum ac Evodium, tum ex eorum ad illum responsoriis. Nec *Felix* et *Cresconius* cum suis; tum quia isti ex ep. ad Sixtum, quæ negat gratiam secundum merita nostra dari, adeo sunt commoti, ut ab Augustini doctrina abhorrerent: tum quia hi Florum accusabant, quasi liberum is negaret arbitrium: tum quia iidem a S. Aug. docendi et præmonendi erant contra Pelagii errores, ut ipse in ep. 47. (al. 215.) ad Valentinum testatur. Nec *Florus*; quia quamvis erat accusatus, ac si omnia sic tribueret gratiæ, ut etiam liberum negaret arbitrium, falso tamen et ex imperitia id in eum conjiciebatur; ergo.

*Conf.* 1. S. Aug. utrumque, quem ad *Adrumetinos* misit, librum ex eo potius fine scripsit, ut Pelagianam hæresin profligaret, ac semina Semipelagianæ ibi subnascentis elideret, quam ut hæresi Prædestinatianæ exortæ resisteret.

*Conf.* 2. S. Aug. in libro de *Hæresibus,* quem an. 428. ad Quodvultdeum scripsit, quamvis obscuriores etiam hæreses commemoret, nec minimam tamen *Prædestinatianæ* mentionem facit; quin prope libri finem Pelagianam omnium recentissimam compellat; ergo.

270. *Dico II.* Nec videtur eadem proxime ante aut post mortem S. Aug. erupisse in *Gallia.*

*Prob.* Quos S. Prosper sive in epistola ad Augustinum accusat, sive in epistola ad Rufinum describit, sive in suis Opusculis ad Capitula Gallorum et Vincentianas objectiones refutat, et quos demum S. Cœlestinus in suo ad Galliæ Episcopos Rescripto condemnat; hi omnes ab utroque ubique exhibentur tanquam hostes Augustino infensissimi, perpetuo eidem obloquentes, ac immania errorum portenta illi affingentes: sed hic character nequit congruere Prædestinatianis; omnino tamen Semipelagianis est proprius; ergo.

*Conf.* 1. Prosper et Hilarius opem Augustini implorantes in sua ad eum Epistola sic aiunt: *Evenit ex dispositione misericordiæ Dei, ut, cum quidam in Africa similia movissent, librum de correptione et gratia, plenum divinæ auctoritatis emitteres*: ergo idem error erat *Massiliensium,* qui *Adrumetinorum.* Sed hic non erat Prædestinatianus; ergo nec ille.

*Conf.* 2. S. Aug. *Massilienses* a Prospero et Hilario accusatos refutans scriptis de Prædest. Sanct. et Don. persev. libris, non assumpsit dogmata hæresi Prædestinatianæ, sed *Semipelagianæ* opposita probare; ut patet ex utriusque libri scopo.

*Conf.* 3. Cœlestinus in præfatione ad Capitula, quæ epistolæ ad Galliæ Episcopos subjungi solent, declarat a se proferri decreta seu Sedis Apostolicæ Episcoporum auctoritates contra eos, *qui Magistris nostris,* inter quos S. Augustinum haberi asserit, *obloquuntur*; de ea hæresi, quæ *inimicos gratiæ et nocentissimos liberi arbitrii defensores* complectitur; ex iis sententiis, *quas Africana Concilia sanxerunt et suas fecerunt Apostolici Antistites*: sed hæc omnia adjuncta rursus pertinent ad designandam Pelagii hæresin, non autem Prædestinatianam; ergo.

271. *Nec dicas cont.* 1um. 1°. S. Aug. in ep. 46. (al. 214. n. 1.) ad Valent. scribit: *Retulerunt Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum;*

*eo quod quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium.* Simile etiam quid notat in ep. 47. (al. 215. n. 1. et 2.) ad eumdem; ergo *Adrumetini* negabant liberum arbitrium sub motione gratiæ, quod est prædestinatianum. 2°. Idem tum in memoratis epistolis, tum in L. de grat. et lib. arb. probandum assumit liberum arbitrium esse in homine, nec destrui gratia, ideoque plura in hanc rem testimonia profert; ergo *Adrumetini* debuerant esse, qui negarent liberum arbitrium; et consequenter aderant Prædestinatiani. 3°. Hincmarus in ep. ad Nicol., et L. de prædestin. ortum hæresis Prædestinatianæ refert ad contentiones *Adrumetinorum;* Evodius etiam in ep. ad eosdem Monachos, ita eos reprehendit, ut haberi possint pro Prædestinatianis.

*Ad* 1um. R. *D. Cons.*; Ergo Adrumetini reipsa negabant liberum arbitrium sub motione gratiæ *N.* ex opinione falsa Cresconii ac Felicis eorumque simili relatione *C.*

*Ad* 2um. R. *T. A. N. Cons.* Tum quia, etsi etiam animo expugnandi Prædestinatiani erroris hæc scripsisset Augustinus, tamen non sequitur reipsa ortum fuisse illum errorem; cum potius constet, falsa narratione deceptum fuisse S. Doctorem: tum quia pro libero arbitrio tam contra *Semipelagianos,* quam contra *Prædestinatianos* pugnare necesse fuit; cum illi negarent posse manere liberum arbitrium, si gratia foret necessaria: hi vero negarent absolute libertatem, quia gratia necessitans juxta eos dabatur. Ex modo autem probandi a S. Doctore usurpato facile colligitur, eum contra *Semipelagianos* potissimum certasse; eo quod Liber de gr. et lib. arb. totus in eo versatur, ut ostendat gratiam non dari secundum merita nostra, nec tamen inde perimi liberum arbitrium.

*Ad* 3um. R. *Quoad primum,* Hincmarum quidem hoc sensisse, sed fuisse deceptum, vel quod non adverteret S. Augustino falsa expositione primum esse impositum, vel quod nimium crederet auctori *Prædestinati,* qui subinde Semipelagianos cum Prædestinatianis confudit. *Quoad secundum,* Evodium potius ostendere, quod aliquos Monachorum habuerit pro Semipelagianis, cum illam epistolam sic concludat: *Legant ergo sancti Dei majorum dicta, sicut jam dixi, qui habent divini muneris pium affectum: et quando non intelligunt, non cito reprehendant, sed orent, ut intelligant.*

272. *Nec dicas cont.* 2um. 1°. SS. Prosper, et Hilar. in suis ad Aug. epistolis referunt *Massilienses* dicere, *divina constitutione virtutes removeri, tolli libertatem, et sub nomine prædestinationis induci fatalem necessitatem;* ergo dogmata prædestinatiana apud eos viguisse tradunt. 2°. Auctor *Prædestinati* de libro quem Prædestinatiani S. Augustino supposuerunt idipsum testatur. 3°. Similia refert Photius in Biblioth. Cod. 54.; ergo.

*Ad* 1um. R. *D. A.* Referunt Massilienses hæc dicere hypothetice ac illative, nempe si necessaria ad omne opus bonum et initium etiam fidei foret gratia nullis naturalibus meritis debita, sequi quod tollatur libertas, virtutes removeantur etc. *C.* Referunt hæc dicere absolute et assertive, nempe admittere gratiæ motionem simulque libertatis interitum *N.* Prius Semipelagianum esse, posterius Prædestinatianum, patet ex jam sæpe dictis.

*Ad* 2um. R. Cum Cœlestinum, Prosperum et alios Augustini discipulos ac

fidei vindices sola tum temporis Semipelagiana hæresis occupatos tenuerit; Scriptori illi hac in parte negamus auctoritatem et consequentiam.

*Ad* 3um. R. *N. min.* Patet enim, *Photium* toto hoc capite agere duntaxat de *Pelagianorum* et *Nestorianorum* hæresi, cujus ortum et condemnationem vivente Augustino, eo autem mortuo hæresis instaurationem, et per Cœlestinum profligationem recenset, aliaque tandem a succedentibus contra hos hæreticos scripta factaque subjungit. Quod autem *novum* adhuc vocaverit hanc hæresin errorem ideo accidit, quia, licet *Semipelagiani* erant reliquiæ Pelagii, nova tamen hæresis Pelagianæ lenimenta, latebras, insidias et explicandi modos cum novis in S. Augustinum querelis proferebant, ut aliunde constat.

273. *Observa.* Quod *Adrumeti* in Africa, et *Massiliæ* in Gallia nullus eorum Prædestinatianus fuerit, quos sive Augustinus et Prosper oppugnarunt, sive Cœlestinus condemnavit, affirmavimus; atque hoc ad refellendam Sirmondi sententiam sufficit: quod vero alius nemo ætate Augustini eo errore infectus fuerit, nec asseruimus, nec asserere audemus; tum quia S. Aug. L. de don. persev. c. 15, postquam dixisset non deterrendos nos esse a confitenda Dei gratia et secundum eam prædestinatione sanctorum, sicut non deterremur a confitenda Dei præscientia, licet quis exinde male illata sequela verteretur in torporem, et ad malas concupiscentias iret; demum subjungit: *Fuit quidam in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus cur quædam non facienda faceret, et facienda non faceret, respondebat: qualiscumque nunc sim, talis ero qualem me Deus futurum esse præscivit. Qui profecto et verum dicebat, et hoc vero non proficiebat in bonum; sed usque adeo profecit in malum, ut deserta monasterii solitudine fieret canis reversus ad suum vomitum*: tum quia ad negandum ullum ea ætate extitisse *Prædestinatianum*, necesse foret scire omnia et opiniones omnium qui eo tempore extiterunt.

## § II.

### AN POSTERIORE SECULI V. PARTE EXTITERIT HÆRESIS PRÆDESTINATIANA?

274. *Dico. Lucidus* Presb. Seculo V. adhæsit erroribus prædestinatianis: adeoque hæresis prædestinatiana non est omnino conficta ac commentitia.

*Prob.* Errores prædestinatiani sunt: asserere 1°. laborem humanæ obedientiæ non esse jungendum divinæ gratiæ; 2°. post primi hominis lapsum ex toto extinctum voluntatis arbitrium; 3°. Christum mortem non suscepisse pro omnium salute; 4°. præscientiam Dei hominem violenter compellere ad mortem, vel Dei voluntate perire qui pereunt; 5°. baptizatum qui delinquit perire in Adam; 6°. alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos etc.: sed his erroribus adhæsit *Lucidus*; tum quia Faustus Rejensis in epistola, qua Lucidi errores Episcopis in Synodo Arelat. a. 475. congregatis innotuisse, et censuras Ecclesiasticas in eos ab his jam paratas significat, 1um., 3um., 4um. et 5um. proponit damnandum, eique minatur: (Labb. t. 4. p. 1043. E.): *Quod si eam subscriptam transmittere nolueris, aperte adhuc te in errore persistere ipso silentio comprobabis, ac proinde jam necessitatem mihi facies ad personam tuam publicis conventibus exponendam*: tum quia *Lucidus* in libello suo, Episcopis Lugdunensis Concilii oblato, omnes illas propositiones

cum aliis etiam adjunctis non tantum quasi impias et sacrilegiis repletas condemnat; sed et sic suum scriptum emendationis orditur (ib. p. 1044. D.): *Correptio vestra salus publica, et sententia vestra medicina est. Unde et ego summum remedium duco, ut præteritos errores accusando excusem, et salutifera confessione me diluam*; ergo.

*Conf.* In Conc. Arelatensi fuerunt damnati errores *prædestinatiani*, ut constat ex præfatione librorum Fausti ad Leontium Arelatensem Episcopum: sed *Lucidus* adhæserat erroribus ab Arelatensi damnatis, ut liquet ex iis quæ post exordium his verbis subjungit: *Proinde juxta prædicandi recentia statuta Concilii, damno vobiscum sensum illum, qui dicit humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non esse jungendum*; ergo.

175. *Nec dicas* 1°. Concilia illa *Arelatense* ac *Lugdunense* ficta sunt; ergo nihil prosunt ad hæresin prædestinatianam in *Lucido* asserendam. *Prob. A.* 1°. Quia eorum solus Faustus meminit, Semipelagianorum princeps et profundæ vir calliditatis, præter hunc usque ad Hincmarum nullus. 2°. Quia epistola Fausti ad *Lucidum* laudatur tanquam subscripta ab undecim Episcopis; et tamen Hen. Canisius æque ac Sirmondus testantur in MSS. suis Codicibus desiderari subscriptiones. 3°. Leontius, qui tamen horum Conciliorum Præses dicitur, non legitur subscripsisse; *Lucidi* vero nomen in plurimis exemplaribus epistolæ Fausti ad se missæ subnotatum reperitur: quod utrumque suppositionem indicat.

R. *N. A. Quoad prob.* 1am. R. In primis non unum Faustum sed et *Lucidum* meminisse Conciliorum, liquet ex prioribus: deinde quamvis illo et sequentibus seculis ad Hincmarum usque nemo unus eorum mentionem fecerit, non inde conficitur ea nunquam fuisse; cum quandoque eadem ætate quotannis, ex Hilarii et Rom. Pont. decreto, sub præsidio Leontii celebrata fuisse Concilia in Galliis certum sit, licet nulla eorum memoria apud alios extet, nec decretorum copia habeatur.

*Ad prob.* 2am. R. Fatentur equidem Canisius in Codice Monasterii S. Galli et Sirmondus in Codice Hincmari, subscriptiones illas desiderari; sed nec illi soli Codices habent eam epistolam, et auctores illi etiam asserunt subscriptionem in aliis Codicibus reperiri, quorum exemplaria tam in Bibliotheca Patrum, quam in Conciliorum collectionibus extant.

*Ad prob.* 3am. R. Ex hoc partim defectu, partim additamento mere accidentali impugnari non posse authentiam *epistolæ Faustinæ*, facile dabit quilibet, nisi similem ob causam rejicere sustineat infinitam Codicum præstantissimorum multitudinem. Cæterum probabilis est conjectura Norisii, qui L. 2. Hæres. Pelag. putat, initio quidem Faustum epistolam a se tantum subscriptam ad *Lucidum* misisse, cumque *Lucidus* eam epistolam a se probari rescripsisset, quo emendatio ejusdem evaderet celebrior, curasse, ut in alio Episcoporum Arelate nuper congregatorum conventu, vel ad dedicationem Basilicæ, vel ad aliud negotium collecto, cum illis *Lucidus* simul epistolæ subscriberet: hincque factum, ut in quibusdam exemplaribus post Episcopos *Lucidi* nomen subscriptum legatur.

276. *Nec dicas* 2°. Prædicta Concilia saltem erant *Semipelagiana*. *Prob.* 1°. Quia propositiones, quas *Lucidus* retractat ex Fausti præscripto, erant

argumenta quæ Semipelagiani objiciebant Augustinianæ doctrinæ, Prosper vero et Fulgentius refutarunt. 2°. Quia hæc Concilia approbarunt libros Fausti Semipelagianis erroribus scatentes; cum Faustus in præf. supra cit. dicat eos post Arelatense Concilium, Lugdunensi jubente synodo, esse scriptos. 3°. Quia tum epistola Fausti ad *Lucidum* tum libellus *Lucidi* ad Concilium, quæ certo a Conciliis probata constat, continet errores Semipelagianos; ergo.

*Ad prob.* 1am. R. Ex classe triplici hominum, qui ex Libris S. Augustini male intellectis turbati erant, quorum alii, *Semipelagiani*, dogmata erronea in Aug. criminabantur, alii, *Prædestinatiani*, vel simplicitate, vel illorum argutiis inducti, in iis dogmatibus veram Aug. doctrinam judicabant contineri, alii ob quædam minus clara in ejus libris, a S. Doctore petierunt edoceri, liquet quod quæ fuerant obtrectationes contra doctrinam S. Doctoris, potuerint esse errores in malo sensu assertæ.

*Ad prob.* 2am. R. *N. A.* Epistolam duntaxat Fausti ad *Lucidum*, non vero ejus libros de gr. et lib. arb. a Conciliis probatos esse certum est; tum quia epistolæ tantum subscripti Patres Arelatenses leguntur; tum quia post Arelat. Concilium a Lugdunensi commissum Fausto esse negotium scribendi contra *Prædestinatianos*, patet ex textu ejusdem ultimo, et ex verbis priori textui subjectis. Cæterum mandati a Leontio et Synodo Lugdun. dati limites excessit Faustus, dum in suis libris non tantum *Lucidi* errores *Prædestinatianos* confutavit, sed etiam dicta occasione S. Augustinum impugnavit, et *Semipelagianos* errores operi suo inspersit.

*Ad prob.* 3am. R. *N. Ass.* Sensus anathematis a Fausto propositi est, damnandos eos qui dicunt baptismum frustratorie ac sine effectu seu remissione peccati suscipi ab eo qui non est prædestinatus, adeoque dum perit, perire ob originale etiam peccatum, utpote nondum remissum; quod ipsum Trid. Sess. 6. Can. 17. in Calvinistis damnavit. In *Lucidi* autem anathemate lex naturæ solitarie sumpta non dicitur gratia prima, sed *lex naturæ in adventum Christi*, seu spectata cum gratia, quæ ex futuro Christi adventu in illam legem ac statum legis redundabat.

## § III.

### AN SECULO IX. GOTTESCHALCUS HÆRESIN PRÆDESTINATIANAM RESUSCITARIT?

277. *Dico. Gotteschalcus* hæresin prædestinatianam videtur seculo IX. resuscitasse.

*Prob.* ex judiciali sententia in eum a Conciliis Moguntino et Carisiaco I. lata.

Primam exponit Rabanus in epistola Synodica ad Hincmarum missa, quæ sic habet (Labb. t. 8. p. 52.): *Notum sit Dilectioni vestræ quod quidam gyrovagus Monachus, nomine Gotheschalc, qui se asserit sacerdotem in vestra parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas superstitiones et noxiam doctrinam de prædestinatione Dei introducens, et populos in errorem mittens: dicens quod prædestinatio Dei sicut in bono, sit ita et in malo, et tales sint in hoc mundo quidam, qui propter prædestinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non possint ab errore et peccato se corrigere, quasi Deus eos fecisset ab initio incorrigibiles esse, et pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes et incorri-*

*gibilem reperientes,.... decrevimus eum cum perniciosa doctrina sua damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in parochia vestra..... et non sinatis eum amplius errorem docere et seducere populum Christianum, quia jam multos seductos habet et minus devotos erga suam salutem, qui dicunt : quid mihi proderit laborare in servitio Dei? quia, si prædestinatus sum ad mortem, nunquam illam evadam : si autem male egero, et prædestinatus sum ad vitam, sine ulla dubitatione ad æternam requiem vado* etc.

Secunda vero sententia talis erat (Labb. ib. p. 57.) : *Frater Gothesehalc, sacrosanctum sacerdotalis ministerii officium, quod irregulariter usurpasti, et in cunctis moribus ac pravis artibus, atque perversis doctrinis eo hactenus abuti non pertimuisti, judicio Spiritus sancti..... noveris tibi esse, si quo modo suscepisti, sublatum, et ne ulterius eo fungi præsumas penitus interdictum. Insuper quia et ecclesiastica et civilia negotia contra propositum et nomen monachi conturbare, contemnens jura ecclesiastica præsumpsisti, durissimis verberibus te castigari, et secundum ecclesiasticas regulas ergastulo retrudi, auctoritate episcopali decernimus : et ut de cætero doctrinale tibi officium usurpare non præsumas, perpetuum silentium ori tuo virtute æterni Verbi imponimus.*

Quænam vero fuerint *perversæ doctrinæ* Gotteschalci, exponit Hincmarus illius judex in suis tum ad Amolonem, tum ad Nicolaum epistolis, et c. 2. ac 3. Libri de Prædestinatione. Nempe 1°. *quod ante omnia secula Deus quos voluit prædestinavit ad regnum, et quos voluit prædestinavit ad interitum : 2°. et qui prædestinati sunt ad interitum salvari non possunt; et qui prædestinati sunt ad regnum perire non possunt : 3°. et Deus non vult omnes homines salvos fieri; sed eos tantum qui salvantur; et quod dicit Apostolus : Qui vult omnes homines salvos fieri, illos dici omnes qui tantummodo salvantur : 4°. et Christus non venit, ut omnes salvaret, nec passus est pro omnibus, nisi solummodo pro his qui Passionis ejus salvantur mysterio : 5°. et postquam primus homo libero arbitrio cecidit, nemo nostrum ad bene agendum, sed tantummodo ad male agendum libero potest uti arbitrio.*

*Conf.* 1. Capitula quatuor Conc. Carisiaci (Labb. ib. p. 56.) sunt edita contra doctrinam *Gotteschalci*, ut ex L. de prædest. c. 16. Hincmari patet, qui primo ex illis recitato ait : *Ecce Capitulum, quod contra Gotteschalcum et erroneam ejus scholam necessitate compulsi, et interrogatione principalis devotionis exacti, secundum sanctarum Scripturarum tramitem ex verbis B. Augustini et Prosperi cæterorumque Catholicorum Doctorum sensibus excerpere procuravimus.* Sed hæc Capitula directe opposita sunt dogmatibus prædestinatianis; ergo.

*Conf.* 2. Amolo Archiep. Lugd. in sua ad *Gotteschalcum* epistola, postquam speciatim singula scripta recensuisset, exponit, quæ in ejus doctrina sibi valde displiceant, quæ detestetur et abhorreat. Inter hæc autem sunt pleraque hæresis prædestinatianæ capita.

*Conf.* 3. *Gotteschalcus* propositionibus in hac materia vere catholicis et in sensu Sanctorm Patrum accipiendis nequidem in articulo mortis subscribere voluit, id quod narrat Hincmarus L. de non trina Deitate.

278. *Obj. I.* 1°. Rabanus de *Gotteschalci* dogmate doctus fuit a Nottingo : sed hic, Norisio judice, parum exercitatus in Augustiniana palæstra non erat is qui Rabanum informare posset circa altissimam quæstionem ; unde hic in suo de prædestinatione opusculo *non necessariam et ad rem non pertinentem*

*disputationem assumpsit,* ut auctor libri de *tribus epist.* affirmat. 2°. Cum RABANUS *Gotteschalcum* libro impugnasset, sed hic cum Semipelagianismi arguisset, ille judex esse non potuit, ut ex L. un. c. *Ne quis in sua causa judicet.,* et c. 23. Q. 4. patet. 3°. *Gotteschalcus* a RABANO et Synodo MOG. repulsus potius fuit, quam damnatus; tum quia id asserunt Flodoardus et Annales Fuldenses : tum quia alias *Gotteschalcus* contra jus omne duplici sententia et pœna damnatus esset.

*Ad* 1$^{um}$. R. *Tr.,* quod *Nottingus* non habuerit tantam eruditionem, ut ipse decernere potuerit in quæstione altissima; nullo tamen documento ostendi potest, eum tantæ fuisse stupiditatis ut quæ diceret *Gotteschalcus* memoria suscipere, et RABANO judicanda enarrare nequiverit. Deinde sinceram et accuratam *Nottingi* relationem fuisse constat, tum ex Synodali epistola RABANI, in qua is eosdem in *Gotteschalco* præsente notavit errores, quos de absente audierat : tum ex eo quod RABANUS etiam post exortas in Gallia de vera *Gotteschalci* mente controversias illuc miserit suum ad *Nottingum* libellum olim exaratum : demum ex eo ipso constat, errore facti deceptum fuisse auctorem libri de *trib. epist.,* ubi scripsit disputationem, quam contra errorem prædestinationis ad peccatum RABANUS instituit, non esse necessariam nec pertinentem ad rem, cum in sententia damnationis hunc ipsum errorem in *Gotteschalco* perstrinxerit.

*Ad* 2$^{um}$. R. *N. Ass.* Quia RABANUS æque potuit esse judex *Gotteschalci,* ac ALEXANDER *Arii,* CYRILLUS *Nestorii,* AUGUSTINUS *Pelagii;* cum veritatis fidei ac Ecclesiæ causam ageret, non autem propriam, privatam ac personalem, de qua *Jura* laudata loquuntur. Præterea cum RABANUS non unus, sed trium provinciarum Episcopi Moguntiæ judicaverint, *Gotteschalcus* vero contra illum non exceperit; judicium Synodale nullo laborare vitio satis manifestum est.

*Ad* 3$^{um}$. R. Qui *Gotteschalcum repulsum* scribunt, partim non negant damnatum, quod ex epistola Synodali apertum est; partim exponunt quid post damnationem factum sit, nempe a reditu in Germaniam prohibitum, et ad proprium Metropolitam esse rejectum. Ideo tamen *Gotteschalcus* duplicem sententiam proprie non subivit; quia Moguntini Patres generatim tantum errores ejus damnarunt, nec pœnam in eum decreverunt, judicium plenius et pœnæ inflictionem Metropolitano relinquentes : quanquam nihil sit in *historia Ecclesiastica* frequentius, quam pluribus in Conciliis damnari eamdem hæresin, et hæreticos in errore obstinatos diversis pœnis a judicibus aliis affici.

279. *Obj. II.* 1°. SIRMONDUS ipse Dissert. de duob. Dionysiis (opp. t. 4.) fatetur, *Hincmarum falli et fallere proclive fuisse.* 2°. NICOLAUS I. notavit *Hincmarum falsitatis, fraudulentiæ, superbiæ, crudelitatis et pharisaicæ indurationis;* illiusque Concilia appellavit *conventicula de sanguinibus.* 3°. HINCMARUS in altera causa circa Trinam Deitatem *Gotteschalcum* declaravit similiter blasphemum et hæreticum, licet nemo negare possit veram traditionem a *Gotteschalco* fuisse propugnatam, cum universalis Ecclesia Trinam Deitatem affirmet.

*Ad* 1$^{um}$. R. *D.* SIRMONDUS fatetur proclive fuisse Hincmarum falli et fallere

in veteribus historiis et alienis relationibus *C.* in negotiis quæ gessit, in Conciliis quibus interfuit, in pugnis quas contra Gotteschalcum iniit *N.*

*Ad* 2um. R. *D.* Nicolaus notavit Hincmarum horum scelerum in causa Gotteschalciana *N.* in causis diu post secutis cum Rothado Ep. Suessionensi, aut etiam juniore Hincmaro Ep. Laudunensi *subd.* et ab iis etiam sceleribus Hincmarus se Pontifici purgavit *C.* de iis, ut accusatus, etiam convictus fuit *N.*

*Ad* 3um. R. *D.* Hincmarus declaravit *Gotteschalcum* blasphemum et hæreticum ob Trinam Deitatem in sensu erroneo assertam *C.* ob assertam in sensu catholico *N.*

280. *Obj. III.* Amalo deceptus est ab Hincmaro per se vel alium litteras tanquam manu ac stylo *Gotteschalci* confingente, et suppositiitia nescio quæ scripta mittente. *Conf.* Libellos, ex quibus Amolo collectos errores refutavit, non fuisse scriptos ac missos a *Gotteschalco*, ostenditur; quia 1°. is carceri inclusus, a communione omnium præcisus, sub potestate Hincmari constitutus, nemini colloqui nihilque scribere potuit, nisi quatenus illi expedire videbatur : 2°. Quia Amolo testatur scripta ad se missa, quæ *Gotteschalcus* ad vel contra Episcopos damnationi suæ præsentes protulerat; sed hæc patet esse exusta in Concilio ; ergo hæc mittere non potuit. 3°. Quia scripta transmissa erant plena convitiis in Episcopos. Sed non videtur ea temeritate aut potius insania fuisse *Gotteschalcus*, ut talia scripta mitteret Archiepiscopo.

R. *N. Ass.* Quia ejusmodi fraus tum ad perdendum hæreticum tum ad se defendendum Hincmaro plane inutilis et maxime periculosa fuisset, cum facile sive a Gotteschalco, sive a Lugdunensibus, sive ab aliis detegi potuisset; quorum nemo quia conquestus fuit, aut postea quidpiam simile objecit, *a posteriori* satis probatur nihil scriptorum suppositiitiorum Amoloni fuisse redditum.

*Ad* 1um. R. *Gotteschalco* opportunitatem scribendi et rimam non unam scripta emittendi fuisse, satis constat ex duplici ejus confessione, litteris pluribus et libellis ad alios missis, et per Guntbertum monachum etiam ad Pontificem destinatis; quare ex objectis illis circumstantiis nulla impossibilitas scriptorum Gotteschalcianorum ad Amolonem translatorum probatur, ut inde necesse fuerit suppositionis fraudem in Hincmarum conjicere.

*Ad* 2um. R. *D. M.* Testatur Amolo scripta ad se missa fuisse eadem numero et autographa, quæ protulerat in Concilio *N.* eadem specie et argumento, sive apographa apud suos discipulos relicta, sive recens in eumdem sensum exarata *C.*

*Ad* 3um. *N. m.* Non enim adeo verecundum et reverentem habere *Gotteschalcum* necesse est, ut dicamus eum non ausum fuisse chartæ, quæ erubescere nescit, committere convitia, quæ reus mox damnandus palam in os Judicibus suis in Concilio sedentibus ingessit : præsertim cum in confessione sua prolixiore adversarios suos appellet hæreticos, detestetur et anathematizet.

281. *Obj. IV.* 1°. Concilium Mog. fuit placitum potius regium, quam Synodus Ecclesiastica. 2°. Plures Scriptores antiqui in eo conventu *Gotteschalcum* duntaxat dicunt *convictum*, non autem damnatum, et quidem ut pluribus visum, non vero ut omnibus. 3. Epistola superius laudata non

videtur *synodalis*, sed privata Rabani; tum quia nomen suum solum præfigit in titulo : tum quia in decursu singulariter scribit, *ut audivi*; ergo.

*Ad* 1um. R. Utrumque dici potest *conventus Moguntiæ* pro more illorum temporum et etiam præcedentium celebratus, secundum quem in Comitiis apud Regem coactis et de Reipublicæ negotiis a Proceribus laicis, et de rebus Religionis ab Ecclesiasticis decernebatur auctoritate utrinque propria, et pro conventuum varietate nomine vel Placiti vel Synodi imposito.

*Ad* 2um. R. Dum quidam *Gotteschalcum* dicunt *convictum* in Synodo, hoc ipso damnatum enuntiant; cum synodalis convictionis effectus et finis non sit nisi hæreseos vel hæretici condemnatio. Porro quod plurimis, non tamen omnibus, hæc condemnatio probata fuerit; ostendit difficultatem et subtilitatem quæstionis agitatæ, judicii tamen vim non tollit, ut ex aliarum consultationum consuetudine liquet.

*Ad* 3um. R. N. *Ass.* Concilii præsidem vel alium Patrum nomine edere *synodalem epistolam*, usu frequenti receptum fuit, ut hoc etiam seculo obvium est exemplum in Tullensi II. Concilio. Auctorem epistolæ hujusmodi jam plurali, jam singulari numero verba facere, documentum habetur in hujus seculi Synodo apud Murittum : utramque formulam usurpatam a Rabano ex objectione et fragmento ipsius epistolæ supra recit. apparet.

282. *Obj. V.* In Concilio *Carisiaco* 1°. Doctrina *Gotteschalci* de prædestinatione et reliquis capitibus vel non fuit examinata, vel saltem notata aut aliter reprobata : nec ejus personæ pœna hæreseos, nempe excommunicatio imposita, ut ex tenore sententiæ liquet. 2°. Nec in indictione nec in executione pœnæ fuit jus aut modus observatus; cum supplicium virgarum hæresi non sit statutum, et inauditum irreligiositatis ac crudelitatis exemplum fuerit, flagris ac cædibus tamdiu esse cruciatum, dum libellum apologeticum in iguem projiceret.

*Ad* 1um. R. Imprimis doctrinam *Gotteschalci* de prædestinatione et reliquis Capitulis examinatam, docet sæpius Hincmarus, et Scriptor de trib. epist. non diffitetur : eamdem dein perversitatis damnatam demonstrat ipsa sententia judicialis, *hæreseos* etiam et fidei adulteratæ nota affectam Hincmarus, L. de non trin. Deit. c. ult. asserit. Demum *Gotteschalcum* fuisse *excommunicatum* docet tum quæstio Hincmari Prudentio et Rabano proposita, num *Gotteschalcus* in Paschate ad Cœnam Dom. sit admittendus? tum iterata ab eodem ad Pontificem et alios protestatio, recipiendi ad communionem hæreticum pœnitentem; tum exprobratio Amolonis hac de re *Gotteschalco* facta.

*Ad* 2um. R. Multiplex pœna multiplici delicto respondit : depositio irregulari susceptioni et usurpationi sacerdotii; improbitati morum, contumaciæ ac maledicentiæ flagra et verbera; vagæ extra monasterium sine licentia oberrationi, usurpato ac sine missione prædicandi et docendi officio, sparsæ ac pertinaciter propugnatæ hæresi carcer, silentium et excommunicatio. Virgarum supplicium, quod maxime quidam traduxerunt, tum ab Episcopis tum ab Abbatibus *Gotteschalco* justissime decretum est; cum memoratis delictis hæc pœna in clericos quidem a Conc. Agathensi Can. 38. in monachos autem a S. Benedicto in Reg. c. 28. fuerit statuta. Severitas

executionis vel ultra verum exaggerata fuit a Scriptore Lugdunensi; vel erat commensurata contumaciæ, et propria culpa a *Gotteschalco* accersita; qui cum accelerata retractatione gratiam Patrum paratam consequi posset, nonnisi subacta verberibus patientia et vincente obstinationem dolore libellum suum manibus excuti permisit.

283. *Obj. VI.* Concilium Carisiacum 1°. Videtur esse pseudo-Synodus; tum quia nec ipse HINCMARUS illum conventum Synodi nomine ausus est compellare : tum quia in Capitulari Caroli Calvi nulla hujus Synodi fit mentio. 2°. Est conventiculum furtivum, clandestinum, præcipitatum, libertate destitutum, et paucorum Episcoporum eorumque factiosorum. 3°. Ejus Capitula fuerunt explosa a Concilio Valentino, quod una cum Lingonensi fuit approbatum a Nicolao Pontifice, ut Prudentius Tricassinus in Annalibus suis memorat, et HINCMARUS ipse fatetur.

*Ad* 1$^{um}$. R. *N. Ass. Ratio* prior allata falsi revincitur ex L. de prædest. c. 21. et 37., ubi HINCMARUS Synodi nomen exprimit, quin et Valentina Synodus, cap. 4. et Scriptor de tenend. verit. c. 2. Capitula Carisiaca in Synodo edita declarant. Posterior vero nihil officit; cum in *capitularia* referri non solebant articuli fidei, quales erant Canones Carisiaci, sed decreta et placita vel ad mores formandos, vel ad externum populorum regimen spectantia, ut maxime ex capitularibus Caroli Calvi a Sirmondo collectis patet; in quibus plures Canones Synodorum certissimarum non extant, nullus etiam insertus legitur, qui quidquam in fidei dogmate decernat.

*Ad* 2$^{um}$. R. Concilium hoc male dici furtivum et clandestinum, quod Carolus Calvus haberi jussit, et in conventu publico Episcopi cum Abbatibus celebrarunt : *præcipitatum* eatenus dici potest, quatenus subito indictum et brevi temporis spatio, urgente remedium principe, confectum est : non autem quasi ab imparatis et sine causæ cognitione sit peractum; cum duo jam Concilia præcesserint, et per hæc tempora tum scriptis tum vocibus ultro citroque frequenter fuerit disputatum. Libertate destitutum negatur; cum Historicorum nullus meminerit in fidei rebus a Carolo Calvo vim ulli factam; neque Prudentius, Lugdunenses, aut Valentini, quantumlibet Capitulis Carisiacis infesti, simile quid huic Concilio objecerint. Quot, et qui Episcopi interfuerint, silentibus auctoribus et cœvis omnibus, asseri certo non potest: adfuisse tamen ac subscripsisse Prudentium Tricassinum, L. de prædest. HINCMARUS non semel testatur.

*Ad* 3$^{um}$. R. Permissa etiam clausulæ auctoritate, eam obesse Carisiacis Capitulis negamus. Clausula enim, quæ a suis Auctoribus aboletur et expungitur, nullius est momenti ac irrita : sed VALENTINI PATRES suos Canones relegentes in Synodo Lingonensi expunxerunt et omiserunt, et in Conc. Tullensi I. dum offerebant hos Canones, de ea clausula penitus siluerunt; ergo. Neque id pacis duntaxat causa factum fuisse dici potest; cum enim in hac appendice antea Patres dixerint, Capitula Carisiaca esse inutilia, noxia, erronea, et veritati contraria; nisi hac omissione judicii sui falsitatem edito interim Hincmari volumine majore confutatam tacite faterentur, causam fidei ac Religionis prodidissent, nec pro suo munere erroribus passim invalescentibus obstitissent. Quod approbationem Concilii a NICOLAO factam attinet, de ea nihil certi habemus.

284. *Obj. VII.* Quænam fuerit *Gotteschalci* sententia, non potest tutius ac melius cognosci quam ex *fidei confessionibus* ab eo editis : sed in his nullum est dogma, quod non habeat sensum catholicum, nec a *Gotteschalco* in sensu catholico sit propugnatum ; ergo.

*Min. prob.* Nam *primum* de reproborum prædestinatione ad mortem, si de malo pœnæ accipiatur, est catholicum ; sic autem a *Gotteschalco* acceptum esse testatur Hincmarus L. de præd. c. 15. referens eum asserere, *prædestinari reprobos ad interitum, non ad peccata*; et c. 21. *Deum præscire eos pessimum habituros ortum, pejorem obitum ; prædestinare autem eos ad luendum perenne tormentum. Secundum* negans in Deo esse voluntatem salvandi omnes, intellectum de voluntate efficaci et absoluta est catholicum : de hac autem voluntate loqui *Gotteschalcum* patet rursus ex Hincmaro L. cit. cap. 24. et ep. ad Nicol., ubi notatur hæreticum niti in eo *quod Dominus noster omnia quæcumque voluit fecit. Tertium* volens Christum non esse mortuum pro mundi redemptione est quidem hæreticum; sed *Gotteschalcus* tantum negat Christum pro reprobis esse mortuum *perpetualiter*, h. e., cum voluntate absoluta donandi illis perseverantiam et coronam, cum Hincmarus L. cit. cap. 35. sic eum referat loquentem : *Absit procul a me, ut vel illud solummodo velim somniare, nedum semel susurrare, ut ullum eorum perpetualiter secum periturum antiquus rapere valeat anguis, pro quibus redimendis tam pretiosus Dei nostri fusus est sanguis.* Alia vero quæ *Gotteschalco* imputantur dogmata in confessione ejus non extant.

R. 1°. *N. M.* Tum quia ante Confessiones editas illius sententia in duplici Concilio per interrogationes judiciales expressa erat; tum quia eadem ex aliis ejus scriptis ab Amolone et Hincmaro intellecta fuit : tum quia confessiones illæ post damnationem scriptæ vel carceris tædio, vel sui defendendi studio, vel aliorum hæreticorum suos errores dissimulare consuetorum exemplo captiosæ et ambiguæ sunt.

R. 2°. *N. min.* Quantumvis enim sensum Catholicum patiantur ejus propositiones aliquæ, tamen collatæ cum aliis, quas num. 277. retulimus, habere illum nequeunt. Præterea vero sensu Catholico non fuisse ab eo acceptas, vel ex eo satis manifestum est, quod nunquam apertis et minime ambiguis verbis declaravit admittere se prædestinationem ad pœnas tantum, loqui unice de voluntate efficaci salvandi, ac de effectu et fructu Passionis dominicæ, et præter hunc sensum particularem probare etiam sensum communem alium; quod tamen facere oportebat, si catholice cum suis judicibus ac universali Ecclesia sentire studuisset.

*Ad prob. N.* 2am. *p.* quia, ut Hincmarus L. de præd. c. 15. ait, hæc ad fucum faciendum addita fuerunt, et *mutabant* quidem erroris *colorem, sed odoris atque saporis intelligentia idem redolebant.*

*Quoad primum* enim, error cubabat in eo quod ad mortem asserat reprobos esse prædestinatos propter peccata *similiter omnino*, h. e. antecedenter absolute et incommutabiliter, ac electi per gratuitam gratiam sunt prædestinati ad vitam. *Quoad secundum*, in eo quod unam duntaxat in Deo voluntatem efficacem et absolutam statueret, et textum Apostoli de voluntate divina salvandi omnes non pateretur ad reprobos extendi. *Quoad tertium* error fuit, Christum non mortuum pro reprobis, qui sequebatur ex eo quod nullus

perpetualiter pereat, pro quo Christus fuerit mortuus; ut ex ipso textu allato constat, cujus particulam *perpetualiter* adversarii male ad Christi redemptionem transferunt.

*Inst.* 1. Remigius, Prudentius, Lupus Ferrariensis, Lugdunensis Ecclesia, et Valentini Patres videntur fide digniores, quam Hincmarus; ergo cum hi *Gotteschalci* ejusque dogmatum defensionem susceperint, æquum erit benignius sentire de *Gotteschalco*, dicendo nempe verum quidem dogma ab eo assertum, sed vel ab illo imprudenter neque ex charismate defensum, vel ab aliis male intellectum fuisse.

R. 1°. Non sincere admodum agi ab Adversariis, qui unum Hincmarum ex una, plures autem nominatos ex altera parte constituunt; cum ab Hincmari partibus steterint Rabanus, Amolo, Pardulus; Patres item Moguntini, et Carisiaci in conventu duplici; quin et Synodus Tullensis II. quatuordecim provinciarum.

R. 2°. *N. A.* Quia major fides debetur Rabano, Hincmaro et Amoloni, non tantum ob doctrinam eorum apud omnes pervulgatam, et prioris ac posterioris sanctitatem probatam, sed et quod illi, ut judices legitimi vel arbitri rogati, *Gotteschalcum* disputantem audierant, et varia ejus scripta accurate perlegerant: cum alii scriptionem nec adjuti iisdem præsidiis nec eadem auctoritate muniti aggrederentur.

R. 3°. *N. supp. Cons.* Nam Remigius nec ob scripta nec ob actionem aliquam favisse *Gotteschalco* doceri potest: tum quia falso illi attribuitur anonymum quodcumque, aut sub Ecclesiæ Lugdunensis nomine in hac controversia emissum scriptum, ut Cellotius accurate docet: tum quia favor *Gotteschalco* præstitus dici nequit, quod Remigius Capitula Lingonensia in Synodo Tullensi I. obtulerit; cum testetur Hincmarus non ultro et volentem Remigium hoc munus obiisse. Prudentium quidem damus *Gotteschalco* favisse; sed errore facti: probasse ejus dogmata; sed mutato quæstionis statu, ubi nempe non de dogmate prædestinationis ad mortem et quidem ad peccata agebatur, sed de nomine tantum, an unam vel duplicem aut geminam prædestinationem dicere liceat et oporteat: demum repugnasse Capitulis Carisiacis, sed imprimis in alieno sensu acceptis ac præterea etiam antecedenter a se in Concilio subscriptis. Lupus Ferrariensis, quamvis quoad loquendi modum in suis de tribus quæstionibus Libris cum *Gotteschalco* conveniat, ejus tamen dogmatibus erroneis nunquam consentit, ipso teste *Gotteschalco*.

Qui *Ecclesiæ Lugdunensis* nomine scripta ediderunt, vel Auctores sunt ignoti vel parvi æstimandi. De Scriptore contra Joan. Scotum dubitari jam supra est notatum, fueritne is Florus Magister, an alius quiscumque? quin et sunt, qui titulum Ecclesiæ Lugdunensis falso adscriptum velint; cum diversitas characterum apparens in sensu decretorio: *Venerunt ad nos, id est, Ecclesiam Lugdunensem*, additamentum et alienam interjectionem non obscure prodat. Auctorem libelli *de tribus epistolis* non esse Lugdunensem aliquem, sed Ebbonem Gratianopolitanum, Hincmarus docet. Reliquorum libellorum anonymus est Auctor. Denique Valentinorum Patrum, etsi nec ad Hincmari querelas, utraque ad Carolum epistola et L. de prædest. allatas, nec ad alias circumstantias parum honoriticas attendamus, auctoritas non admodum magna est; sive numerum Episcoporum spectemus, qui quartum decimum non excessit, sive doctrinam et sanctitatem, de qua nihil constat:

LINGONENSIUM autem est inferior, utpote a quibus viatoria quasi Synodus præpropere ac sine necessitate celebrata, et mutatio decretorum Valentinorum licet justa, tamen male et cum levitatis vitio facta fuit.

*Inst.* 2. HINCMARUS *Gotteschalcum* ubique accusat, quod eamdem prorsus teneat pravitatem doctrinæ cum monachis Adrumetinis, aliisque veteribus Prædestinatianis : sed hæresin prædestinatianam nec Adrumeti nec alibi circa ætatem S. AUGUSTINI enatam esse, supra assertum est; ergo ejus doctrina male intellecta fuit; præsertim cum *Gotteschalcus* sæpius professus fuerit nihil aliud se velle admittere, quam AUGUSTINI doctrinam, adeo ut teste HINCMARO L. de non trin. Deit. dicere soleret : AUGUSTINUS NOSTER.

R. 1°. *D. subsumpt.* Assertum est supra hæresin prædestinatianam non esse natam Adrumeti aut alibi circa Augustini ætatem, præcise in iis de quibus num. 270. enuntiavimus *C.* universim et in nullis *N.* Observavimus enim *in ipso* S. AUG. monasterio semina hujus hæreseos fuisse detecta, nec esse incredibile quod et apud alios aliquid simile emerserit; præsertim cum circa AUG. dogmata inter Prædestinatianos et Semipelagianos ipsi Adversarii statuant discrimen in sola animi comparatione, quæ simplex et incauta in prioribus, in posterioribus autem maligna et fraudulenta fuerit.

R. 2°. *T. subs. N. Cons.* Quamvis HINCMARUS errarit in designando loco et subjecto hæresis prædestinatianæ antiquissimæ, non tamen in ipsis dogmatibus *Gotteschalco* objectis est hallucinatus. Quod additum fuit de contentione vindicandæ sibi auctoritatis Augustinianæ, his certe temporibus nostris parum evincit, ubi præter *Wicleffum, Lutherum,* et *Calvinum* eadem olim jactantes, *Baii, Jansenii* ac *Quesnelli* discipuli manifesta exempla præbuerunt, hæreticos abuti auctoritate S. AUGUSTINI ad errores suos tum proferendos tum defendendos. Quippe dogmatibus suis AUGUSTINI nomen præferendo, sub eodem tutos se tectosque arbitrabantur.

# DISPUTATIO V.

## DE MYSTERIO SS. TRINITATIS.

---

## CAPUT I.

### DE COGNITIONE MYSTERII SS. TRINITATIS.

—

De Mysterii hujus cognitione non aliter nobis agere proposuimus, quam quatenus ad veritatem illius, aut fidei de eo historiam pertinet. Itaque pro more aliorum hic non quæremus, utrum Trinitatis mysterium humana ratione demonstrari queat, quod *Claudianus Mamertus, Petrus Abaillardus,* et *Raymundus Lullus* affirmasse dicuntur. Præterquam enim quod nulla Trinitatis demonstratio detur *a priori;* cum nulla ejus habeatur causa : nec etiam *a posteriori* ; cum nullus Dei effectus ad extra Personæ Trinitatis alicui sit proprius : nec aliud denique demonstrandi genus sit, aut nullum certe ad convincendum efficax proferatur : contrarium satis aperte docet Scriptura S., sive dum universim fidei mysteria supra rationem humanam, Prov. 25. 27., 1. ad Cor. 2. 6., et 2. ibid 10. 4. evehit; sive dum speciatim nostrum, eique innixum Incarnationis mysterium, Isa. 53. 8., Matth. 11. 27., et ibid. 16. 17. a vi cognoscendi creata removet. Cui consentiens sanctorum Patrum, maxime Athanasii. Or. in illud : *Omnia mihi tradita sunt.* n. 6. et ep. 1. ad Serapion. n. 18. 20. Ambrosii L. 1. de fid. c. 10. n. 63. et Augustini L. 15. de Trin. c. 6. n. 9. chorus concinit, et constans omnium vulgo Theologorum sententia subscribit. Porro cum ex his ipsis principiis sequatur, sola duce ratione nec cognitionem aliam hujus arcani quamcumque haberi posse, de ea nunc solum agendum restat, quam præcessit revelatio. Quoniam vero Judæis præsertim divina eloquia fuerunt concredita, et inde ad Christianos pervenerunt; an his duobus olim cognitum fuerit divinissimum mysterium, præcipue quæremus : cui quæstioni subjiciemus aliam et oppositam, a quibusnam scilicet Hæreticis hoc fidei dogma fuerit negatum?

### ARTICULUS I.

#### AN MYSTERIUM SS. TRINITATIS SIT ANTIQUITUS REVELATUM, ET A JUDÆIS FUERIT COGNITUM?

285. *Nota.* Mysterium Trinitatis non fuisse olim apertissime revelatum, concedunt facile omnes, et hujus œconomiæ divinæ rationes etiam afferunt Patres ; inter quas illa est Augustini in QQ. ex N. Test c. 87., quod Deus altissimarum rerum cognitionem velut gradatim, et per incrementa

hominibus indulserit; hæc autem Isidori Pelusiotæ L. 2. ep. 143. (opp. p. 261. edit. a. 1585.) ne Judæi in multitudinem Deorum propensi, differentem hypostasibus naturam inesse putantes, in idololatriam laberentur. Præcontineri tamen in divinis Scripturis manifestationem hujus arcani, licet parcam et obscuram, voluit Deus, ut plerique Patres consentiunt; tum ut eadem appareret fides omnium seculorum, tum ne Judæi Christianis novitatem dogmatum exprobrare possent. Id ubi probaverimus, de cognitione *Judæorum* certius quidpiam statuere licebit; quos in triplicem tamen classem distinguere oportet, ita ut ad primam Patriarchæ, Prophetæ, aliique sanctitate insignes, ad alteram Legisperiti et Scribæ, ad postremam communis et rudior vulgus reducantur.

286. *Dico I.* Trinitatis mysterium antiquitus jam fuit revelatum.

*Prob.* Multi sunt in V. T. textus, quibus ad probandum Trinitatis mysterium usi fuerunt Patres, et ex quibus notitia hujus arcani recte hauritur; ergo. *Ant.* ostendimus referendo textus, nominando Patres, et formando argumentum. Textuum

Prima classis. 1°. Genes. 1. 1. *In principio creavit Deus* (hebr. Elohim, Dii) *cœlum et terram.* 2°. Ibid. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram... Et creavit Deus hominem.* 3°. Genes. 3. 22. *Et ait Dominus Deus : Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* 4°. Genes. 11. 7. *Venite, descendamus et confundamus linguam eorum*; cui præmissum erat : *Descendit Dominus*; et sequitur : *divisit eos Dominus,*

Usus *primo textu* est Aug. L. 1. de Genes. ad lit. c. 6., et Hadrian. P. in ep. ad Carol. pro Syn. Nic.: *secundo* Justin. in Dial. cum Tryph. n. 62., Eustath. in Concilio Nic., Ambr. L. 6. in Hexam. c. 7. Theodoret. Q. 19. in Genes.: *tertio* S. Just. l. cit., Aug. L. 11. de Genes. ad lit. c. 39., Basil. L. 5. contra Eunom. n. 4. Cyrillus Alex. L. 3. contra Julianum (opp. t. 6. p. 96.) : *quarto* Cyrillus Alex. Dial. 3. de Trin. (opp. t. 5. part. 1ª. p. 471. 472.) Basil. L. 5. contra Eunom. n. 4., Nyssen. L. de testim. contra Jud. (opp. t. 2. p. 152. E.) Theodoret. or. 2. ad Græcos.

In his versibus vel conjungitur substantivum plurale cum verbo singulari, vel nomen aut verbum plurale per adjuncta reducitur ad singulare : neutrum vero fit sive ex Syntaxeos hebraicæ proprietate, sive ex linguæ illius usu ad honorem exhibendum, aut artificis consilium exprimendum, sive ex sensu horum textuum ad angelos directo vel pertinente ; ergo fit ob latens aliquod mysterium : sed hoc non aliud est præter Personarum pluralitatem, et essentiæ unitatem; ergo.

*Prob.* 1ª. *p. min.* Plures Rabbini apud Galatin. L. 2. de arcan. Cath. verit. c. 9. hanc Syntaxeos proprietatem signate inficiantur, inter quos R. Huna in Bereschit Ketana de primo textu sic ait : *Nisi sermo scriptus fuisset, non licuisset dicere, creavit Elohim*; et R. Joannan advertit pluralem numerum de Deo expressum contrahi per singulare adjectum, ut inde occasio multitudinis Deorum suspicandæ Judæis eriperetur.

*Prob.* 2ª. *p.* Nec historici styli est apud Hebræos nectere singulare cum plurali, ut ex libris Scripturæ historicis liquet; nec sermonis hebraici formula est, ut patet ex consueta illa salutatione : *Dominus tecum*; nec usus allocutionis ad Deum aut Principes directæ hebraicus est, ut constat ex invo-

catione Davidis 2. Reg. 14., Salomonis 3. Reg. 3., Jorami 4. Reg. 6., et aliorum; nec Dei aut Regis præcipientis phrasis est scripturistica, ut ostendit exordium Decalogi : *Ego sum Dominus Deus tuus,* et plura tum Gentilium tum Hebræorum Regum edicta litteris sacris consignata ; nec mos hic est loquendi artificum, ut Basilius ostendit hom. 9. in Hexam. n. 6.

*Prob.* 3am. *p.* Præterquam quod sensum illum de angelis jam Tertull. L. contra Prax. c. 12., Ambros. et Basil. l. c. in Hexam., et Theodoret. Q. 19. in Genes. rejecerint; et adjunctus contextus, et ipsa *textus secundi* propria significatio ostendunt, sermonem non esse cum angelis; cum homo non ad angelorum, sed ad Dei imaginem et similitudinem sit conditus.

Secunda Classis. 1°. Genes. 18. *Apparuit autem Abrahæ Dominus... Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum : quos cum vidisset,... adoravit in terram, et dixit : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum,... et lavate pedes vestros, et requiescite... Cui dixit : Revertens veniam ad te.* 2°. Psalm. 32. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* 3°. Isa. 6. 3. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. v.* 8. *Quem mittam, et quis ibit nobis?*

Usus est *primo textu* Aug. L. 2. de Trin. c. 11. et 12., Hilar. L. 4. de Trin. n. 25. 27. seqq., Cyrill. Alex. L. 1. contra Julian etc. : *secundo* plerique Græcorum et Latinorum : *tertio* Ambros. L. 2. de fid. c. 12. n. 106. 107., Fulgent. L. de fide ad Petrum c. 1. n. 6. et alii apud Leonem Castrium. In his versibus præter unitatem exprimitur Trinitas, ut patet : sed unitas pertinet ad naturam divinam, ut rursus constat vel ex ipso Jehovæ nomine, et opere creationis; trinitas autem ad personas, ut in *primo* exprimunt angeli repræsentantes; in *secundo* nomen Domini, verbi et spiritus, quod in subjecta materia de accidente accipi nequit : in *tertio* adjunctum pronomen versus 8; ergo.

Tertia Classis. 1°. Isa. 66. 9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus.* 2°. Eccli. 51. 14. *Invocavi Dominum Patrem Domini mei.* 3°. Psal. 2. 7. *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.* 4°. Psal. 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo* etc. v. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te.* 5°. Isa. 61. 1. *Spiritus Domini super me : eo quod unxerit Dominus me* etc. 6°. Joel. 2. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem.*

Utebatur *primo textu* Conc. Hispalense II. c. 13. (Labb. t. 5. p. 1669. B.) : *secundo* Pacian. in ep. cont. Novatian : reliquis, præter Patres plerosque, Christus ipse, et Apostoli Petrus et Paulus Matth. 22. 42., Luc. 4. 18., Actor. 2. 18., ibid. 13. 33., ad Hebr. 5. 5. Ex his versibus constat, dari in divinis Patrem, Filium, et Spiritum sanctum : ex iisdem ostenditur, hos ipsos distingui inter se ac opponi : demum aliunde ex Scripturis manifeste habetur, unum duntaxat esse Deum; ergo hinc recte infertur in personis trinitas, et unitas in essentia. Qui plura desiderat, consulat P. Widenhofer *Scripturam sacram dogmatice et polemice explicatam* ; ubi et plerorumque dictorum vindiciæ principales videri possunt.

287. *Dico II.* Mysterium Trinitatis a 1a. Judæorum *classe* aperte, a 2a. subobscure, a 3a. vel valde imperfecte, vel plane non fuit cognitum.

*Prob.* Ex dictis constat mysterium Trinitatis fuisse olim revelatum, et in Scriptura consignatum; ergo hujus revelationis notitia saltem *aliqua* et *ali-*

*quibus* jam olim concessa asseri debet; cum, quamvis hujus veritatis fides olim non esset necessaria, tamen revelatio non erat de re modo futura aut præfiguranda, sed de re jam existente, et tantum apertius proponenda. Sed imprimis apertam cognitionem *Patriarchis, Prophetis,* aliisque sanctitate eximiis concessam suadent tum superni luminis copia, tum aliorum mysteriorum prænotitia illis divinitus data, tum Patrum testimonia, inter quos Cyrill. Alex. L. 1. contra Julian. (opp. t. 6. part. 2ª. p. 20.) Ambr. L. 1. de Cain et Abel. c. 8. n. 30. Aug. L. 2. de Trin. c. 11. et cont. Maximin. L. 2. n. 7. eam notitiam Abrahamo vindicant; Epiphanius vero L. 1. adv. hæreses hær. 5. (opp. t. 1. p. 18. C.) universim sic scribit: *Una Trinitas semper in illa singulari Divinitate nuntiata, creditaque ab illis est, qui cæteris antecellerent, cujusmodi Prophetæ, atque eximia sanctitate præditi homines fuere.*

Deinde vero subobscuram notitiam penes *Scribas* saltem multos extitisse, probant tum eorum in perscrutandis Scripturis, et indagandis etiam minutiis solertia et studium, tum Rabbinorum ante Christum natum celebrium testimonia apud Galatin. l. cit.; unde sufficiat, binas in Isaiæ c. 6. commentationes referre, alteram R. Simeonis: *Sanctus hic est Pater, sanctus hic est Filius, sanctus hic est Spiritus sanctus;* alteram R. Jonathæ: *Sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus.*

Demum vel nullam, vel omnino imperfectam ad vulgum Judæorum pervenisse, probant tum modernorum constans circa hoc mysterium error, tum œconomiæ divinæ ratio.

*Conf.* Apertam *Divinitatis Messiæ* notitiam 1ᵃᵉ. Judæorum *classi* convenisse, colligitur ex illorum Patrum sanctorum desiderio, quod ipse Christus Matth. 13. 17. et Joan. 8. 56. declarat; subobscuram *Legisperitis* negari non posse, demonstratur tum ex Christi monito, quo Joan. 5. 39. veritas remittit ad scrutandas Scripturas; tum ex traditione per antiquiores Rabbinos exposita de Messiæ venturi Divinitate: sed Messiæ incarnati Divinitas supponit *Trinitatis* mysterium, nec sine hoc cognosci potest; ergo.

288. *Observa.* Num et *Gentilibus* mysterium hoc innotuerit, quæri quoque hic solet; sed pro hujus quæstionis affirmatione nulla admodum extant solida fundamenta. Nam 1°. quæ pro Patre et Filio in divinis proferuntur ex oraculis magicis Zoroastri, supposititia plane sunt, aut ab Arianis assuta: 2°. Vulgaris illa *Mercurii Trismegisti* paræmia: Monas genuit monadem, et in se suum reflexit ardorem; vel rursus a Criticis inter spuria rejicitur, vel de creatione mundi, non autem de generatione filii intelligitur: 3°. Numerus ternarius, qui ab *Aristotele* et *Pythagora* commendatus dicitur, a præstantia arithmetica, minime autem a Trinitatis symbolo apud eosdem laudem tulit: 4°. Quæ demum ex *Platonis Timæo,* aliisque ejusdem vel sequacium libris sive de Verbo, sive de pluralitate in divinis producuntur, ea vel inducunt plures Deos, inter quos *Tagaton* sit primus et summus; vel commode exponuntur de ideis aut attributis divinis sine personali distinctione, quæ ipsa tamen notitia non sit hausta ex humana ratione, sed ex Judæorum libris aut commercio. Quod *Sibyllarum* carmina, si tamen ea jam genuina habemus, attinet, tametsi qualemcumque de Divinitate Christi cognitionem in illis probent, de præsenti tamen mysterio his Vatibus parum admodum, reliquis autem *Gentilibus* ferme nihil aperuerunt.

## ARTICULUS II.

### AN MYSTERIUM SS. TRINITATIS CHRISTIANIS ANTENICÆNIS FUERIT COGNITUM?

289. *Nota.* Quo tempore definita est in Concilio Nicæno contra Arianos in Christi Divinitatem fides, pervulgatum etiam fuisse dogma de *pluralitate Personarum* cum singularitate divinæ essentiæ, facile tribuunt *Hæretici* illi, qui memoratæ Synodi symbolum impugnant, unumque vel alterum illius ætatis Patrem, quantumvis plane invitum, ad suas partes rapere frustra conantur. Num vero et prioribus Ecclesiæ seculis fides eadem ac professio fuerit, acrius ab iisdem ac speciosius disputatur. Quæ quidem quæstio, cum et ad traditionem dogmatis antiquissimam, et ad Patrum sanctissimorum orthodoxiam a calumniis vindicandam pertineat, operæ pretium est, ut hic exponatur.

290. *Dico I.* Patres trium priorum seculorum universim crediderunt et professi sunt mysterium Trinitatis.

*Prob.* 1°. Ex Concilii. Dionysius Alex. Concilii Alexandrini contra *Sabellium* celebrati verba referens, in synodica epist. contra *Paulum Samos.* de fide Trinitatis Catholica ait (Labb. t. 1. p. 854) : *Sic confessi sunt SS. Patres, et ut confiteremur ac crederemus, nobis tradiderunt.* Concil. Antiochenum I. contra *Paulum Samos.* coactum, professionem fidei suæ de Trinitatis mysterio ita orditur (Labb. t. 1. p. 843.) : *Decrevimus, fidem scripto edere et exponere quam a principio accepimus, et habemus traditam et servatam in Catholica et sancta Ecclesia usque in hodiernum diem.* Alexander Alexandriæ Episcopus in synodica epistola Concilii Alexandrini, in quo *Arius* depositus fuit, ad Alexandrum Byzantinum ita de Arii errore scribit (Labb. t. 2. p. 18. C.) ; *Istorum Hæreticorum impietatis fæces, hi qui nuper exorti Filium Dei ex nihilo ortum asserunt (quippe sunt velut stolones occulti ex illis nascentes) animis hauserunt.* In epistola autem synodica Patres Concilii Const. I. ita de sua ac Nicæna fide loquuntur (Labb. t. 2. p. 964. B.) : *Ista fides tum a nobis, tum a vobis, tum ab omnibus qui Verbum veræ fidei non pervertunt, approbari debet ; quippe cum et antiquissima sit, et lavacro Baptismatis consentanea, et nos doceat credere in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* etc.

2°. Ex Patribus. Athan. ep. 1. ad Serapion. n. 32. exposito et probato Trinitatis mysterio subjungit : *Consentiunt igitur in hujus rei demonstrationem sacræ Litteræ,... sic Sanctorum doctrina colligitur, et una fides hæc est Ecclesiæ Catholicæ.* Basil. L. de Spir. S. c. 29. n. 71. probans traditiones etiam non scriptas esse tenendas, et inter has dogma de Divinitate Spiritus sancti referens ait : *Quam qui ab initio statuerunt, tradideruntque posteris, usu semper simul cum tempore progrediente, ipsam longa consuetudine in Ecclesiis irradicarunt.* His addi meretur Basilii Diaconi, et reliquorum Monachorum ante Concilium Ephesinum I. ad Theodosium et Valentinianum directa supplicatio seu exhortatio, ubi hæc leguntur (Labb. t. 3. p. 425.): *Et primo quidem ab Apostolorum Principe Petro, secundum cognitionem quam divinitus perceperat, hanc palam confitente, posteritatique tradente* : Tu es

Christus Filius Dei vivi ; *a Jacobo Apostolo et Archiepiscopo, Joanne Apostolo et Evangelista, reliquisque Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, Episcopis, atque omnibus, qui consubstantiali Trinitati crediderunt et credunt.* etc.

291. *Dico II.* Speciatim insigniores priorum seculorum Patres eamdem fidem ac professionem publicis etiam litteris ediderunt.

*Prob.* Percurrendo tria secula, referendo Patrum testimonia, eaque vindicando, ubi opus est.

In Seculo I. S. Clemens Papa in epist. 1. ad Corinth. n. 46. ait. *An non unum Deum habemus, et unum Christum, et unum Spiritum gratiæ in nos effusum;* cum quibus verbis convenire videntur, quæ Basilius L. de Spiritu Sancto c. 29. n. 72. eumdem Clementem laudans refert : *Vivit Deus, et Dominus Jesus Christus, et Spiritus sanctus.* In epist. 2. n. 2. dicit : *Fratres, ita sentire nos oportet de Jesu Christo tanquam de Deo, tanquam de Judice vivorum et mortuorum.* S. Ignatius Mart. in epist. ad Magnes. n. 13. scribit : *Studete ut confitemini in dogmatibus Domini et Apostolorum, ut omnia quæ facitis, prospere vobis succedant carne et spiritu, fide et charitate in Filio, et Patre, et Spiritu sancto... ; subjecti estote Episcopo et vobis mutuo, ut Jesus Christus Patri secundum carnem, et Apostoli Christo, et Patri, et Spiritui sancto.* In ep. ad Ephes. ipso in limine, Jesum Christum vocat *Deum nostrum,* et n. 7. *in carne Deum.* In ep. ad Smyrn. (ap. Theodoret. Dial. 1. p. 33.), Christum dicit *Dominum nostrum, Filium Dei secundum divinitatem et potentiam.* De S. Polycarpo Ecclesia Smyrn. in epist. apud Euseb. L. 4. Histor. Eccles. c. 15. refert hanc morti ab eo præmissam orationem : *Pater unigeniti et benedicti Filii tui Jesu Christi... benedico te, qui me in hunc diem perducere dignatus es, ut partem caperem in consortio et calice Christi tui.... in incorruptione Spiritus sancti... Quamobrem de omnibus te laudo, te glorifico per sempiternum Pontificem Jesum Christum unigenitum Filium tuum, per quem tibi una cum ipso in Spiritu gloria nunc et in secula seculorum.* Similiter ipse in epist. ad Philippenses n. 12. scribens precatur.

*Si ais* 1°. Clemens et Polycarpus Patrem in divinis vel solum, vel antonomastice vocant *Deum;* Filium vero aut *Dominum,* aut *Pontificem sempiternum* duntaxat. 2°. Ignatius in epist ad Magnes. Filium dicit *Patri subjectum;* in epist. ad Smyrn. n. 1. Christum appellat *Filium Dei secundum voluntatem et potentiam* 3°. Scriptores hi omnes nihil de Spiritus sancti Divinitate commemorant.

R. *Ad* 1um. Pater speciali titulo *Deus* dicitur, quia est fons et origo Divinitatis; unde hæc antonomasia Personæ dictinctionem, non autem exclusionem Divinitatis ab aliis Personis indigitat. Vox *Dominus,* et articulo insignita apud Græcos ὁ κύριος, in Christiana professione nihilo quam *Dei* nomen communior aut inferior est, ut ostendit S. Chrysost. orat. 5. contra Anomæos, et ex usu sacrarum Litterarum a 70. Interpretibus versarum probat; ubi Deus pro Eloha, Adonai seu Dominus pro Jehova usurpatur. Filius denique *Sacerdos* dicitur ratione humanitatis, *sempiternus* propter divinam naturam.

*Ad* 2um. Christus quomodo subjectus Patri dicatur, ab Ignatio etiam exprimitur addito, *secundum carnem* seu humanitatem : secundum eamdem etiam appellatur Filius Dei *secundum voluntatem,* ut ex ipso contextu constat,

loquente de Incarnatione Filii Dei, et respiciente ad illa Archangeli verba : *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* ; Incarnationem autem per voluntatem et potentiam Dei factam esse, nemo negat. Si quis tamen verba IGNATII etiam de generatione æterna accipi contendat, intelligenda sunt eatenus, quod Filius voluntarie, et non coacte sit genitus, ac procedat a Patre non invito, nec infirmo, sed volente ac potente; non autem quod ex voluntate Patris antecedente ac deliberatione, aut ex potentia tanquam creaturarum principio procedat.

*Ad* 3$^{um}$. Spiritus sancti Divinitas non obscure exprimitur per æqualitatem cum Patre et Filio, quæ per *unitatem, dominium* et *gloriam,* Spiritui sancto, sicut et reliquis Personis asserta, designatur.

292. IN SECULO II. S. JUSTINUS M. in Apolog. 2$^{a}$. (al. 1$^{a}$. n. 6.) ait : *Fatemur, nos talium Deorum esse expertes et atheos : sed non verissime illius Dei Patris videlicet justitiæ et castitatis, et virtutum omnium, et ab omnis vitii mixtione et labe alieni expertes ; verum hunc ipsum, et qui ab eo venit.... Filium, et Spiritum sanctum colimus et adoramus.* Addit ibid. n. 61. baptizari Christianos in nomine *rerum cunctarum Parentis, et Domini Dei ac servatoris Jesu Christi, et Spiritus sancti.* S. IRENÆUS L. 1. contra Hæres. cap. 10. n. 1. sic enuntiat : *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata, et ab Apostolis, et a Discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in* UNUM DEUM PATREM *omnipotentem, qui fecit cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt : et in* UNUM JESUM CHRISTUM FILIUM DEI *incarnatum pro nostra salute : et* IN SPIRITUM SANCTUM, *qui per Prophetas* PRÆDICAVIT *dispositiones Dei* etc. Idem L. 4. c. 18. (al. 20. n. 3. 4.) : *Et quoniam Verbum, id est, Filius semper cum Patre erat.... quoniam autem et Sapientia, quæ est Spiritus, erat apud eum ante omnem constitutionem.... Unus igitur Deus, qui Verbo et Sapientia fecit et aptavit omnia.* ATHENAGORAS a Methodio laudatus Philosophus Christianus in sua Legat. pro Christianis, n. 10. ait : *Quis igitur non miretur, cum audiat nos, qui Deum Patrem prædicamus, et Deum Filium, et Spiritum sanctum, eorum in unitate virtutem et in ordine distinctiones explicantes, atheos vocari?*

*Si ais* 1°. JUSTINUS in Apolog. 2$^{a}$. (al. 1$^{a}$.) vocat Filium secundam potestatem, et Patrem primum Deum ; in Dial. cum Tryph. n. 127. docet Filium esse genitum a Patre, *virtute et consilio* ; ibid. n. 61. sic esse genitum, *sicut ignis accenditur ab igne.* 2°. IRENÆUS L. 2. contra Hæres. c. 47. (al. 28. n. 8.) dicit, Patrem *supra omnia esse, et Filio majorem* ; et L. 3. c. 8. n. 3. *præcepisse Verbo* creationem mundi : rursus vero L. 2. c. 47. (al. 28. n. 6.) Filio Dei ignorationem extremi judicii tribuit. 3°. Uterque statuit Patrem esse *invisibilem*, Filium vero *visibilem* ; hunc ipsum fuisse *ministrum Patris* ; Patrem esse *Conditorem universitatis*, non Filium. 4°. ATHENAGORAS l. cit. docuit substantiam Filii prius fuisse in Patre, quam propriam haberet hypostasin per generationem ; prodiisse Verbum ut esset creaturarum actus, easque e nihilo produceret ; esse duntaxat *rationem ac mentem* Patris, ac proinde non distinctum a Patre.

R. *Ad.* 1$^{um}$. Pater est *primus*, et Filius *secundus* ratione ordinis et originis, non ratione dignitatis et naturæ divinæ. Filius dicitur genitus *virtute*, sumendo hanc pro fœcunditate ; et *consilio*, sumendo hoc pro intellectu et

ratione, ac opponendo cæcæ necessitati. Paritas illa non omnimoda de igne translata etiam est in Symbolum Nicænum : *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero;* stat autem in eo quod, sicut ignis accendit ignem sine sui diminutione, ita Pater generet Filium sine diminutione sui et alteratione.

*Ad* 2$^{um}$. Pater super omnia est, et *major Filio* ratione humanitatis, non autem Divinitatis : nisi forsan intelligatur sola originis prioritas, quæ tamen majorem perfectionem in divinis non involvit. Per *præceptum* Dei dicitur creatus mundus contra Gnosticos, qui hunc conditum dicebant contra voluntatem Dei supremi; quin tamen illud aliud sit præter voluntatem creandi mundi, Filio ipsa generatione æterna communicatam. Christus ignoravit diem judicii, non ut Deus, sed ut homo ; non tamen quasi humanitas Christi hac cognitione caruerit, sed eo tantum sensu, quod ea intelligentia non fuerit orta ex vi humanitatis nativa, sed ex divinitatis natura unita.

*Ad* 3$^{um}$. Utraque Persona a Patribus secundum suam naturam asseritur *invisibilis,* Filius autem solus *visibilis,* visus et apparuisse sub assumpta forma in Lege veteri dicitur, quia ad ipsum spectabat Legis dispensatio, et hominum redemptio; ac præterea ratione proprietatis suæ mitti poterat Filius, non autem Pater. Eadem ex ratione Filius vocatur *minister,* quo tamen nec minima servitutis aut subjectionis umbra admittitur; unde et Irenæus L. 4. c. 17. (al. 7. n. 4.) illud vocat *copiosum et inenarrabile ministerium.* Per *Conditorem universitatis* intellexerunt Patres Personam illam, cui per appropriationem tribuitur omnipotentia et mundi creatio; unde absque læsione Divinitatis recte Patri, non Filio, hoc prædicatum cedit.

*Ad* 4$^{um}$. Per illud *prius* non intelligitur prioritas temporis aut dignitatis, sed prioritas ordinis ac originis, et præterea indicatur unitas essentiæ ac substantialis. *Processio* Verbi juxta Athenagoram duplex est : alia ad intra et æterna, qua Verbum nascitur; alia ad extra et temporalis, qua mundus creatur. Posterior impropria est et metaphorica in eo fundata, quod omnia per Verbum facta sint, et creatione mundi ad exterius verbum *Fiat* confecta, interius ac divinum Verbum fuerit manifestatum; quæ manifestatio latentis et absconditi Verbi quasi generatio ejusdem dici potest : atque de hac loquitur Athenagoras. Denique Christianus hic Philosophus Verbum non dixit *rationem ac mentem Patris,* sed *Deum, cum sit æterna mens, habuisse in se ab æterno* λόγον, hoc est, rationem seu verbum aut sermonem, *cum æternum sit rationalis;* quibus ex verbis nihil adversatur. Quanquam a Patre potest indistincta dici mens ac ratio substantialis, non autem notionalis, quæ Verbo propria est.

293. In Seculo III. S. Clemens Alex. L. 3. Pædagogi c. 12. ita finit : *Gratias agamus soli Patri et Filio, Filio et Patri, Pædagogo et magistro Filio, una cum sancto Spiritu per omnia uni..... Qui et undequaque pulcher, undequaque sapiens, undequaque justus; cui gloria nunc et in secula seculorum. Amen.* S. Dionysius Alex. in ep. apologetica ad Dion. P. M. n. 6. ita scribit : *Pluribus explicui quæ veriora erant, variis excogitatis argumentis, quæ et tibi in alia epistola exposui; in quibus mendacii convici etiam illud quod adversum me proferunt crimen, me scilicet non asserere Christum esse Deo consubstantialem.* Tertullianus L. de Pudicit. c. 21. ait : *Est Trinitas unius*

*Divinitatis Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*. L. contra Praxeam c. 25. *Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto tres efficit cohærentes, alterum ex altero: qui tres unum sint, non unus*. Idem L. 3. contra Marcion. c. 16. scribit.

*Si ais* 1°. Clemens Alex. L. 5. Strom. Filium vocat *Sapientiam primo a Deo creatam*; L. 7. (p. 703. A.) dicit eumdem *voluntati Patris servire*; ibid. (p. 702. A.) docet *naturam Filii esse soli omnipotenti propinquissimam*. 2°. Dionysius Alex. in ep. ad Euphranorem et Ammonium scribit, *Dei Filium esse opus quoddam et factitium*: item *neque natura proprium, sed peregrinum et secundum a Patre*: denique comparat Patrem ad Filium, sicut *agricolam ad vitem, fabricatorem ad navim*. 3°. Tertullianus L. contra Hermogen. c. 3. docet, Deum non fuisse *ab æterno Patrem*, sicut nec ab æterno *Dominus* est aut *Judex*. L. contra Prax. c. 6. et 7. docet, *in creatione mundi conditam* fuisse *Personam secundam et Filium*; hunc factum esse *parem Patri*; accepisse *perfectam nativitatem*. Ibid. c. 8. et 9. scribit Filium procedere a Patre, ut *radium a sole, fluvium a fonte*; ipsum Patrem esse *totam substantiam*, Filium vero *derivationem totius et portionem*. 4°. Photius de Clemente Hypotyposeon auctore ait (cod. 109.): *Etsi autem recte in quibusdam sentire visus est; in aliis rursus impie omnino fabuloseque disserit*. De Dionysio S. Basilius in epist. 41. (al. 9. n. 2.) scribit eum, dum vehementius obluctatur Sabellio, in contrarium errorem esse inflexum. Gennadius etiam L. de dogm. Eccles. et Rufinus quosdam circa Trinitatem in eodem errores notant.

R. *Ad* 1$^{um}$. Vox *creatum*, more apud Veteres non inusitato, usurpatur pro *genito*, vel tribuitur sapientiæ, quatenus in rerum creatione ad hominum captum descendit, quo sensu sapientia *creaturarum primogenita* ab Athanasio Or. 3. (al. 2.) contra Arian. appellatur. Filius Patris voluntati *servire* dicitur, quatenus voluntatem Patris facit, ab eodem cum divina essentia sibi communicatam. *Natura* Filii dicitur *Omnipotenti*, scilicet Patri, *propinqua*, vel sumendo naturam pro hypostasi, uti etiam Alexander Episc. Alex. in epist. synodica, et Synesius hymn. 3. v. 219. usurparunt; vel sumendo propinquissima pro ipsissima seu una et eadem natura. Pater autem *solus* omnipotens dicitur, quia est Deus, et Deus est solus omnipotens; non autem quod sit sola omnipotens Persona, cum L. 3. Pædag. c. 7. et Filius omnipotens appelletur.

*Ad* 2$^{um}$. Scripsit hanc epistolam S. Dionysius ad Episcopos quosdam Pentapoleos in superiore Lybia sententias Sabellii amplexos, qua, ut negantes Filium et Patri humana imputantes contunderet, Christi humanitatem probavit, et tum Filii Divinitatem, tum a Patre distinctionem ostendit. Accepta hac epistola, ejus auctorem Pentapolitani detulerunt ad Dionysium Rom. P., et accusarunt 1°. quod in ea scripsisset Christum non semper fuisse, et Patrem nominasset aliquando sine Filio: 2°. quod non scripserit Filium esse genitum ex substantia Patris: 3°. quod Verbum dixisset a Patre esse creatum. Contra has criminationes scripsit S. Dionysius Alex. quatuor Apologiæ libros, etiam ab Eusebio L. 7. Histor. Eccles. c. 26. laudatos, in quibus ex eo refutat 1$^{um}$. quod hæc affirmarit de Christo ut homine, ut ex Incarnationis mysterio ostenderet divinarum distinctionem Personarum; cæterum profitetur nomina Patris et Filii esse inseparabilia, et Verbum Patri semper coextitisse: 2$^{um}$. quod rursus hæc asseruerit de humana natura sola, et credat Patri Filium consubstantialem: 3$^{um}$. quod ita scripserit de Verbo secun-

dum naturam assumptam, ut ostenderet Filium, non Patrem, esse incarnatum. Ex quibus constat nec verba objecta intelligenda esse de Filio Dei secundum naturam divinam, nec ex allata epistola sola colligendam *S. Patris* mentem, nec ejus sententias accipiendas secundum verba, sed secundum circumstantias occasionis, quæstionis et scopi.

*Ad* 3um. Negat TERTULLIANUS Deum ab æterno esse Patrem respectu creaturarum, non vero respectu Filii divini. Posterius patet tum ex dictis, tum ex L. contra Prax. c. 8., ubi ait: *Sermo et in Patre semper; sicut dicit: Ego in Patre: et apud Deum semper; sicut scriptum est: Et sermo erat apud Deum: et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia ego et Pater unum sumus.* Prius vero intelligitur ex instituto scriptionis; contendebat enim HERMOGENES Deum ab æterno fuisse Dominum, ideoque aliquid semper fuisse, cujus Dominus esset; ut hac ratione evinceret materiam esse Deo coæternam. Ad hoc refellendum TERTULLIANUS distinxit prædicata Dei duplicia; alia essentiæ, uti est substantia, spiritus etc.; et hæc semper fuisse declarat: alia potestatis, uti sunt attributa Judicis, Domini etc.; et hæc dicit cœpisse in tempore, quando scilicet ea, contra vel in quæ potestas exerceretur, esse cœperunt. His vero addit etiam prædicatum Patris respective ad creaturas sumptum, uti usurpabatur a Moyse Deuter. 32. 6. populum Israelis alloquente: *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?* Quæ contra Prax. c. 6. et 7. dicta sunt, spectant Verbum externum, non internum, seu Verbum relative ad generationem ejus externam et visibilem, non internam ac invisibilem. Ut enim supra de Athenagorà notavimus, antiquorum plures, præter generationem Verbi æternam, ac Deo immanentem, admittebant sensibilem, et in tempore factam, qua Verbum divinum vel exteriori creationis verbo *Fiat* fuit manifestatum, vel externa quadam specie, et corporali forma assumpta paulo ante mundi opificium apparuit, et omnia creavit. Atque in hac acceptione dicitur sub mundi creationem Persona secunda *condi*, hoc est, manifestari; *fieri par*, hoc est, par exterius demonstrari; accipere *nativitatem*, scilicet exteriorem, quæ etiam, quatenus Verbum, quod ante erat absconditum et latebat, propalabat, *perfecta* appellatur.

Quod porro comparationes c. 8. allatas attinet, eædem ipsæ ac similes etiam a Postnicænis Patribus sine suspicione erroris usurpabantur, cum in iis paritas omnimoda non intenderetur. Usus autem iisdem est TERTULLIANUS, ut stantem cum unitate essentiæ distinctionem Personarum ostenderet. Tandem c. 9. Pater dicitur *tota substantia*, Filius *derivatio totius et portio*, non quasi pars tantum divinæ naturæ foret in Filium transfusa; cum sæpius hic et alibi testatus sit TERTULLIANUS, naturam divinam divisioni aut partitioni non subjacere: sed quia Pater est fons ac principium Personarum, Filius autem a Patre genitus et procedens. In hac autem principii ratione reponebatur ab Antiquis aliqua dignitas et auctoritas, ob quam PATRES SARDICENSES in epist. synod. (Labb. t. 2. p. 694. E), ATHAN. Orat. 1. contra Arianos n. 58. HILARIUS L. 9. de Trin. n. 53. seqq. et alii verba illa Christi: *Pater major me est*, etiam de Christo, quatenus Filius Dei est, accipi posse censuerunt. V. PETAVIUM de Trin. L. 3. c. 1. n. 8.

*Ad* 4um. PHOTIUS ipse, quæ in Hypotyposeon libris damnat, non absolute tribuit CLEMENTI, dum ait (l. cit.): *Quanquam et alia nugatur, seu ipse, seu quis alius ejus personam indutus.* Hinc nec ausi sunt Ariani, e scriptis hujus Patris

pro se aliquid unquam laudare; et Rufinus in Apol. Origenis innuit scripta Clementis esse interpolata. Basilius, et eum secuti Gennadius ac Rufinus vel Dionysii apologiam non viderunt, vel ad solam Ammonio et Euphranori scriptam epistolam, illiusque duntaxat verba, omissa occasione et scopo, attenderunt. Unde potius credendum est Athanasio, qui, fragmentis Apologiæ prolatis, Dionysium singulari libro vindicavit, et Facundum Hermianensem L. 10. postea sequacem habuit.

294. *Observa.* Equidem haud diffitemur duriuscula quædam in Patribus occurrere; sed ostendimus illa, attentis propriis circumstantiis, facile emolliri posse. Cæterum addimus, quæ Hieron. in simili materia de Veteribus in Apolog. L. 2. n. 17. contra Rufin. scripsit in hæc verba: *Non statim illos Hæreticos judicabo: fieri enim potest, ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel ab imperitis Librariis eorum paulatim scripta corrupta sint, vel certe, antequam in Alexandria quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam et minus caute locuti sunt, et quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare.* Quin nec unius alteriusque Antiquioris error, si etiam apertus foret, nec excusandus, nostro instituto repugnaret; quandoquidem *legitima Traditio* non paucorum, sed communi Patrum ac Fidelium sensu nitatur. Atque hinc nec laudavimus Origenem, nec de ejus orthodoxia solliciti sumus. Usus quidem ejus testimoniis fuit Athanasius in L. de Decr. Synodi Nic. contra Arianos: Apologiam pro eodem scripserunt Eusebius Pamphili et Rufinus, præter Recentiores Joannem Picum Mirandulanum, Sixtum Senensem, Jacobum Merlinum, Genebrardum, Petrum Halloix, et alios: proferuntur etiam non tantum ex libris a Rufino interpolatis, sed ex iis quos contra *Celsum* scripsit genuinis, orthodoxæ sententiæ. Sed fidem ejus admodum suspectam fecerunt, et damnarunt erroris non tantum Hieron. in epist. 124. ad Avitum, Epiphan. in epist. ad Joannem Hierosolymit., Augustinus L. de Hæres. c. 43., Justinianus Imp. in epist. ad Mennam; sed et Alexandrina Synodus et Concilium Generale quintum Præterea Petavius L. 1. de Trin. c. 4., Huet. in Origenianis L. 2., Norisius de Syn. V. c. 2., et Natalis Alexander hist. Eccles. Sec. 3. Diss. 16. ex variis ejus scriptis, etiam contra *Celsum,* sententias aperte repugnantes Trinitatis mysterio recitant; quos, si lubet, consule.

## ARTICULUS III.

### QUINAM PRÆCIPUE HÆRETICI CIRCA MYSTERIUM SS. TRINITATIS ERRAVERINT?

295. *Nota.* Triplex circa hoc mysterium error a S. Greg. Naz. Or. 2. 21. et 22. notatur: prior Divinitatis contradictionem, alter distractionem, posterior diminutionem aut negationem inducit. Ordinem ita errantium statuere quidem ex *Judæis, Gentilibus* et *Mahumetanis* licet: quoniam vero nec errantes hujusmodi, utpote a baptismate ac fide Christi alieni, ad Hæreticorum classem referri possunt, nec errores isti tam ex Trinitatis mysterio, quam aliunde ortum habent, pluribus hic de illis agere non videtur ad propositum. His itaque prætermissis, aliorum duntaxat *Hæreticorum* errata secundum memoratam classium seriem breviter exponemus, qui vel distinctionem

Personarum sustulerunt, vel unitatem naturæ violarunt, vel Divinitatem Personis negarunt : unaque subjungemus Patres aut solitarios, aut in Conciliis congregatos, qui nascentibus hujusmodi Sectis veritatem Catholicam opposuerunt.

296. *Dico I.* Negata pluralitate unam duntaxat in Deo Personam admiserunt :

Seculo I. Simon Magus, de quo Actor. 8. legitur : *Is, cum se magnam Dei virtutem esse jactaret,* ac teste S. Aug. L. de Hæres. c. 1. (in nota) diceret, *se in monte Sina legem Moysi in Patris persona dedisse Judæis, tempore Tiberii in Filii persona putative apparuisse, postea se in linguis igneis Spiritum sanctum super Apostolos venisse,* hoc ipso Patrem, Filium, et Spiritum sanctum distinctas esse Personas negabat.

Seculo II. Æschines, et Praxeas gente Asiaticus, Montani quidem olim discipuli, sed singularis postea hæreseos inventores. De Æschine Tertull. Lib. de Præscript. c. 53. hæc scribit : *Privatam autem blasphemiam illi, qui sunt* κατὰ *Æschinem, hanc habent, qua adjiciunt etiam hoc, ut dicant Christum ipsum esse Filium et Patrem.* De Praxea vero ita subjungit : *Hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicit; hunc crucifixum, passumque contendit et mortuum ; præterea se ipsum sibi sedere ad dexteram suam.* Similia in Lib. contra Praxeam commemorat.

Seculo III. Noetus referente Aug. L. de Hæres. c. 36., *Christum eumdem esse Patrem et Spiritum sanctum dicebat;* unde teste Epiph. Hæres. 57. *passum esse Patrem non dubitavit asserere.* Sabellius, Theodoreto L. 2. Fab. Hær. interprete, dicebat : *Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unam esse hypostasin, et unam personam, quæ tria habet nomina, et eumdem aliquando quidem vocat ut Patrem, aliquando autem ut Filium, aliquando vero ut Spiritum sanctum* etc. Paulus Samosat. ut Epiphanius Hæres. 65. exponit, *sensit, Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unum esse Deum..... Ita unus, inquit ille, Deus est : neque aut Pater est Pater, aut Filius est Filius, aut Spiritus sanctus Spiritus est sanctus : imo vero Deus unus est Pater, et hujus in ipso Filius, ut est in homine sermo.*

Seculo IV. Photinus ex Epiphanio Hæres. 71. dicit, *Deum singulum esse et solitarium, et more Judaico confitendum ; Trinitatis plenitudinem negat, neque ullam Dei Verbi aut Spiritus sancti putat esse personam.* Priscillianus apud Leonem epist. 15. ad Turrib. c. 1. asserebat : *Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam atque eamdem esse Personam, tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur : nec alius sit qui genuit; alius qui genitus est ; alius qui de utroque processit : sed singularis unitas in tribus quidem vocabulis, sed non in tribus sit accipienda Personis.*

Hæreticis istis commune etiam nomen adhæsit, quo *Patropassiani* dicebantur, propterea quod et apertis verbis, et ex doctrinæ suæ sequela Patrem divinum esse passum profitebantur. *Paulianis* tamen, *Photinianis* et *Priscillianistis* hoc nomen non conveniebat ob rationes contrarias. Ut enim ex Leontio, Philastrio, et Mario Mercatore discimus, *Paulus* Verbum et Spiritum sanctum dupliciter spectabat ; 1°. ut sunt in mente et corde Dei ; et sic dicebat á Patre esse indistincta, sicut homo unus est cum suo verbo : 2°. ut Verbum est exterius prolatum, et Spiritus externe spiratus ; et sic utrumque

dicebat distinctum, non tamen vivam subsistentiam et personam. Porro non dicebat, Deum Patrem immediate per suam subsistentiam fuisse unitum Christo, sed solum per Verbum prolatitium; adeoque nec in se esse passum, nec in Verbo, utpote quod in passione a Christo discessisse, et ad se reversum docebat. Simile discrimen in errore *Photini* colligitur ex Anathematismis Concilii Sirmiensis, et in *Priscilliani* hæresi ex epistola S. Leonis laudata.

Inter oppugnatores expositi erroris imprimis numerandi sunt Patres et Scriptores, quorum verbis dogmata perversa hactenus et recitata et improbata dedimus. Præterea Tertullianus contra *Praxeam*, et Hippolytus Portuensis Martyr contra *Noetum* singulares scripserunt libros; Dionysius autem Alex. epistolas contra *Sabellium*, et Athanasius Orationem adversus *Sabellii Gregales* ediderunt. Reliquis opposuerunt se Patres plures in Conciliis, quorum duo celebrata sunt contra *Paulum Samos.*, alterum anno 264, alterum anno 270.; contra *Photinum* itidem bina, Mediolani anno 347., et Sirmii an. 349.; contra *Priscillianum* Cæsaraugustæ anno 380., quod postmodum exceperunt Toletana duo anno 400., Hispanica duo temporibus S. Leonis, et Bracarense II. anno 569. contra *Priscillianistas* coacta. Huc referenda sunt Concilia Generalia Nic. I. et Constantinop. I., quorum illud Baptisma *Paulianistarum* rejicit, hoc *Sabellianos* damnat.

297. *Dico II.* Qui unitatem divinæ naturæ violarunt, vel *Triformes*, vel *Trithei*, vel *Tetrathei* vocantur, discrepantque inter se tum tempore, tum errore.

*Triformium* sine nomine Auctoris ex Philastrio Hæres. 93. meminit S. Aug. L. de Hæres. c. 74. his verbis : *Est alia, quæ triformem sic asserit Deum, ut quædam pars ejus sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus, hoc est, quod Dei unius partes sint, quæ istam faciunt Trinitatem, velut ex iis tribus partibus compleatur Deus, nec sit perfectus in seipso Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus. Tritheitarum* Auctor habetur *Joannes Philoponus*, qui, dum circa annum 580. pro Eutychetis errore contra Catholicos pugnaret, vi disputationis et consequentia, eo est abreptus, ut in divinis tres singulares naturas ac individuas substantias, quæ sint una natura specifica, non minus quam tres hypostases asseereret, et profitendas teneret, ut Photius in Bibl. Cod. 24., et Nicephor. L. 18. c. 47. referunt. Idem Nicephorus c. 49. circa finem seculi sexti *Tetratheos* collocat, et ab auctore vel sectatoribus *Severitas, Angelitas* et *Damianitas* appellans, ita eorum errorem exponit : *Alium esse dicunt Patrem, alium Filium, alium Paracletum Spiritum, videlicet Sanctum, non esse autem horum quemque per se ipsum naturam, sed habere communem Deum sive Deitatem in eis existentem, atque de ea Deitate indivisibili modo participantes, quemlibet esse Deum.*

Hunc *Tetratheorum* errorem in *Magistri sent.* L. 1. Dist. 5. videre sibi visus est Joachimus Monasterii Florensis Abbas, in divinis quidem Scripturis eruditus, sed in subtilibus fidei dogmatibus nonnihil rudis : quem dum in Libello de Trinitate contra Petrum ad finem seculi 12. edito confutare contendit, in alium errorem ipse incidit, quo unitatem essentiæ trium personarum esse veram, realem ac simplicem negabat, asserens *similitudinariam* duntaxat, *collectivam*, et quasi ex pluribus congregatam, sicut multi

homines unus populus, et multi fideles una Ecclesia dicuntur. Eum libellum et errorem haud multo post Concilium Lateran. IV. damnavit, salva tamen Joachimi persona, utpote qui illam hæresin cum pertinacia non defendit, sed judicio Ecclesiæ sua scripta, seque scripto publico subjecit.

298. *Dico III.* Inter Personas divinas, Filio et Spiritui sancto divinitatem negarunt tum Hæretici omnes qui unam duntaxat in Deo personam statuerunt; tum *Cerinthus, Ebion*, aliique qui Christum pro puro homine, Spiritum sanctum pro efficacia vel quacumque creatura habebant. Præcipue tamen Verbi ac Filii Divinitatem impugnavit sub seculi quarti initium *Arius*, qui primo a schismate Meletii secedens, ordinatus a S. Petro Alex. Diaconus, ab eodem ob reditum ad schisma ex Ecclesia pulsus, subinde tamen in Ecclesiam receptus ab Achilla, ac Presbyterio ornatus, Parochiæque Baucalensi præfectus, tandem, quod Alexandrum in Episcopatu Alexandrino sibi prælatum ægre ferret, anno 317. in hæresin apertam erupit, asserens solum Patrem esse verum Deum, non tamen fuisse semper Patrem; Filium seu Verbum non esse Patri consubstantialem, nec verum Dei Verbum, aut veram Dei Sapientiam, nec fuisse semper; sed esse creaturam perfectam, ex nihilo scilicet, seu non extantibus productum, participatione tantum et principatu gratiæ Deum nominetenus dictum, et ortum in tempore, seu fuisse tempus cum non esset: quos errores tum verbis disputando protulit, tum in *Thalia*, quæ mollis ac impura ejus cantilena erat, scripto expressit. Ejus sectatores progressu temporis in tres factiones divisi sunt.

1ª. Complectebatur Arianos puros et rigidos, recensitis modo erroribus tenacius addictos. Hi *Anomœi* dicti sunt, quod Filium Patri ἀνόμοιον, hoc est, dissimilem in omnibus contenderent; inter quos præcipui fuere *Aetius, Eunomius*, unde et *Aetiani, Eunomiani* vocabantur: quibus adhæserunt Valens, Ursacius, Germinius, Auxentius Mediolanensis, et alii. 2ª. Qui *Semiariani* dicebantur; quia Filium quidem Patri ὁμοιούσιον, hoc est, similem in essentia asserebant; ὁμοούσιον autem, hoc est, consubstantialem, seu ejusdem substantiæ cum Patre negabant; qua assertione ab Arianis, et negatione a Catholicis differebant. Inter eos eminuerunt *Basilius Ancyranus, Macedonius Constantinop., Meletius Antioch., Georgius Laodicenus* etc. 3ª. Fuit illorum, qui Filium Patri nec ἀνόμοιον, nec ὁμοούσιον, nec ὁμοιούσιον volebant, sed tantum ὅμοιον, hoc est, similem, non quidem in οὐσία seu substantia et natura, sed in alia quadam ratione. Hi vocabantur *Acaeiani* ab auctore *Acacio* Episc. Cæsar., quem privatæ cum Cyrillo Hierosolym. inimicitiæ ex Semiariano singularis factionis principem fecerunt.

Nascentem Arii hæresin in Alexandrina centum Episcoporum Synodo S. Alexander statim quidem confixit, sed non extinxit. Receptus enim in communionem *Arius* ab Eusebio Nicomed., hujus artibus, et Constantiæ Augustæ patrocinio, in gratiam Constantini M. adeo irrepsit, ut is S. Alexandrum velut auctorem turbarum reprehenderet. Ad sedandas tamen Ecclesiæ turbas Imperator postmodum effecit, ut primo quidem Concilium Alexandrinum II. deinde Œcumenicum Nicænum I. an. 325. congregarentur, in quorum utroque iterato Ariana hæresis damnata fuit. Successerunt per quadraginta annos et amplius varia Concilia, *Arianorum* præsertim opera et

artibus coacta, queis illi *Arii* restitutionem, S. Athanasii velut præcipui *Arianorum* oppugnatoris condemnationem, formularum fidei innovationem tentabant, et sæpius etiam obtinebant; ad extremum tamen in variis Conciliis particularibus, ac in Generali II. hæresis ista ex Oriente penitus profligata fuit, in Occidente nonnisi seculo septimo extinguenda.

Quanquam *Arius* cum suis Spiritui sancto diversam a Patre et Filio naturam affingeret, præcipuus tamen Divinitatis Spiritus sancti hostis et impugnator habetur *Macedonius*, asserens eum non esse ejusdem cum Patre et Filio substantiæ ac honoris participem, sed utriusque creaturam, imo famulum et ministrum. Semiarianorum opera, quorum ipse partes tenuerat, et Constantii Imp. favore, depulso non sine magna Orthodoxorum cæde Paulo, ad sedem Constantinop. venit; sed gratia Imperatoris postea exutus, ab Acacianis etiam in Conciliabulo Constantinopolitano Episcopatu depulsus, in locum quemdam juxta Urbis Regiæ portas secessit. Ibi Arianismo quidem deposito, Filium Patri ὁμοούσιον est professus; sed an. 360. suam hæresin protulit, quæ Constantinopoli facile suscepta, Bithyniam, Thraciam, Helespontum, et alias Provincias pervagata, plures sectatores habuit, maxime autem *Marathonium* Episcopum Nicomed., qui nascentem sectam pecunia juvit, *Basilium* Ancyranum, *Eustathium* Sebastenum, et alios plerosque Episcopos, non multo ante ab Acacianis cum *Macedonio* depositos, qui communi nomine *Pneumatomachi*, ab auctore *Macedoniani*, a fautore *Marathoniani* nuncupabantur.

Confutata fuit hæresis ista a S. Athanasio ep. 1ª. ad Serapion., a S. Basilio L. 5. cont. Eunom. et de Spir. S. ad Amphilochium, a S. Gregorio Nyss. L. de SS. Trin., et ab aliis: damnata primum in Synodo Alex. an. 362.; dein Illyrica an. 367., tum in duplici Romana sub Damaso P. celebrata, demum in Concilio Œcum. II. ubi editum est Symbolum, quod nunc canitur in Ecclesia, et majorem tantum Nicænæ formulæ explicationem continet.

299. *Observa.* Præter *Petr. Abaillardum*, cujus errores tum Sabelliani et Ariani, tum alii in Conciliis Suessionensi an. 1220., et Senonensi an. 1240. celebratis damnati sunt, perversa dogmata fere omnia posterioribus seculis renovarunt *Antitrinitarii* recentiores. Eorum Duces præcipui prodierunt e secta *Lutheri* et *Calvini*, in eo conspirantes quod tres negarent ejusdem substantiæ in Deitate Personas, Patremque solum profiterentur verum esse Deum: non uno tamen modo impios hos errores iidem tradebant. Inter eos, qui hujus hæresis circa annum 1561. parens extitit *Michael Servetus*, agente *Calvino* Genevæ exustus, ad Paulum Samosatenum; *Valentinus Gentilis* an. 1565. Bernæ capitis damnatus, ad Tritheitas propius accessit. *Faustus Socinus*, post *Lelium* patruum, maximus hæreseos disseminator, explicatius Filium Dei non proprie, sed metaphorice Deum dici, Spiritum sanctum non esse Personam, sed virtutem et efficaciam Dei asseruit. Sectatores ab hæresi dicti sunt *Trinitarii* et *novi Ariani*, a ducibus *Servetiani*, *Valentiniani* etc., communius autem *Sociniani*, a provincia *Transilvani*; atque etiamnum variis in locis, præsertim in Hollandia et Anglia numerantur, quos inter plures sunt qui *Deistæ* vocari amant.

Quæres I. *An Marcellus Ancyranus, Eusebius Cæsaræensis, et Basilius Magnus jure accusentur erroris circa Trinitatis Mysterium?*

300. *Nota.* Marcellus Ancyræ Episcopus, et in Concilio Nic. Arium damnando, et post illud variis in occasionibus Arianos aversando, horum odia incurrit, quæ tandem occasione libri a se contra *Asterium Sophistam* scripti diu multumque sensit. Cum enim in eo ex contradicendi æstu vel reipsa in oppositum errorem laberetur, vel labi videretur Arianis, ab iisdem, in Conciliabulo primum Hierosolymis an. 336. celebrato, Sabellianismi et Paulianismi accersitus, dein anno altero Constantinopoli damnatus ac depositus est, substituto illi Basilio. Marcellus opposita provocatione Romam ad Julium P. confugit, ubi cum Adversarios suos sesquiannum frustra exspectasset, oblato fidei suæ libello absolutus, in Orientem rediit, atque in Sardicensi postea Synodo sedi suæ est restitutus; quanquam rursus ab Arianis deinde fuerit exclusus, et prior successor in ejus locum suffectus. Quinque autem præcipui errores ei imputabantur; 1°. Verbum Dei unam esse cum Patre Personam: 2°. assumptum esse a Deo hominem eatenus, quatenus Verbum externum et prolatitium fuerit carni conjunctum; adeoque sola actione et efficientia Deum esse collatatum, et homini copulatum: 3°. hanc conjunctionem finem habituram post Resurrectionem, et destituta carne Verbum ad Patrem rediturum: 4°. Verbum ante assumptam carnem necdum fuisse Filium Dei, sed tunc Filium esse factum, quando caro factum est: 5°. nec Verbum ex sese imaginem Dei esse, sed hoc illi competere propter assumptam hominis naturam.

Eusebium, ob amicitiam cum Pamphilo Martyre contractam, dictum Pamphili, Cæsareæ Episcopum, favisse *Ario* semper, et S. Athanasio fuisse infestum, nemo non fatetur. Præterea vero facile tum ex scriptis ejus ante Nic. Concilium, maxime libris *Præparationis* et *Demonstrationis Evangelicæ*, tum ex impetu, quo primum Nicænæ formulæ et voci *consubstantialis*, nonnisi postridie a se subscriptis, restitit, colligitur eum non studium duntaxat, sed et errorem Arii antea habuisse. An vero et post Nic. Synodum *Arianus* ipse fuerit, hic quæritur.

S. Basilius D. Gregorii Nazianzeni amicissimus, Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, cum non minus sacrarum litterarum celebritate et integritate doctrinæ, quam disciplinæ studio, rectaque vivendi ratione vere *Magnus* appellari mereretur, effugere non potuit, quominus de Spiritu S. male sensisse ac dixisse etiam tum a Monachis Ponticæ solitudinis, tum ab Athanasio Ancyrano, et aliis etiam post fata censeretur.

301. *Dico I.* Admodum probabile est, Marcellum Ancyranum integræ fuisse fidei.

*Prob.* Integræ fidei censendus est is, cujus professio sana est, et erroribus objectis contraria; cujus innocentia declarata est a Judicibus legitimis, cujus integritas laudata ab auctore coævo, omni exceptione majori: talis est Marcellus; ergo.

*Prob. min. p.* 1ª. Duplex fidei expositio Marcelliana habetur (ap. Epiphan. hær. 72. n. 2. 10. 11.); altera Julio Papæ oblata sic habet: *Sacris Litteris*

*inhærens, credo unum esse Deum, et unigenitum ejus Filium Verbum : qui cum Patre semper existit, nec existendi initium ullum unquam habuit. Idem revera a Deo procedens, non creatus, non factus, sed existens semper, ac cum Deo Patre perpetuo regnans : cujus regni, ut testatur Apostolus, non erit finis... Hic est, qui postremis temporibus nostræ salutis gratia descendens, et ex Virgine Maria genitus, hominem suscepit :* altera a Marcelli discipulis tradita orthodoxis Episcopis, universim damnat *Arianam hæresin, et Sabellii ac Photini, Paulique Samosateni, una cum iis, qui sanctissimam Trinitatem tres esse Personas negant, nullis terminis circumscriptas, subsistentes, consubstantiales, æternas, perfectas;* et speciatim hos anathematismos subjicit : *Si quis eumdem Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum esse dicit, anathema sit. Si quis initium aut finem Dei Filio ac Verbo vel regno ipsius adscribit, anathema sit.* Sed in his plerique errores objecti rejiciuntur; ergo.

*Prob. p.* 2ª. Julius P. in epist. ad Orientales (Labb. t. 2. p. 507 E.) ita scribit : *De Marcello, postquam de illo quoque ut impio in Christum perscripsistis, vobis studui significare, eum, cum huc venisset, affirmasse falsa esse quæ de se in litteris vestris scripta essent; sed tamen cum a vobis postularetur ut de fide diceret, tanta cum fiducia per se respondit, ut nemo non perciperet eum nihil a veritate profiteri alienum, sed eadem cum pietate, qua Ecclesia, de Domino ac Salvatore nostro sentire; neque jam tantummodo, sed etiam olim hujus sententiæ se fuisse confirmabat; uti et nostri Presbyteri, qui tunc in Niceno Concilio aderant, de ipsius recta fide contestabantur... De viro igitur, quem rectæ opinionis, et sinceræ religionis esse, testimoniis approbatum est, quid quæso nos facere oportuit, nisi ut eum pro Episcopo haberemus, quemadmodum et habemus, neque a communione repelleremus?* Patres autem Concilii Sardicensis, in epistola synodica (Labb. t. 2. p. 674. E.) sic pronuntiant : *Recitata quoque sunt scripta Collegæ nostri in sacris Marcelli, et deprehensa est Eusebii dolosa ars. Quæ enim Marcellus per modum quærentis protulerat, ea tanquam ita esse profiteretur, calumniati sunt. Recitata propterea sunt in illis, quæ antecederent et subsequerentur in illis quæstionibus; et inventa est bona et recta fides istius viri.* Sed hi fuerunt Judices legitimi non propter auctoritatem et jurisdictionem solum, sed propter singularem pro hac causa examinanda et decidenda implorationem et convocationem; ergo.

*Prob. p.* 3ª. S. Athanasius Marcellum ferre ubique sublevat, et ab Arianis per calumniam accusatum contendit, ut videre est in ejus Apologia 1., et in hist. Arian. ad Monachos, quo postremo loco (n. 6.) hæc scribit : *De Marcello autem Episcopo Galatiæ supervacuum fuerit fortasse mentionem facere; cum nulli non constet, Eusebianos ab eo de hæresi reprehensos, hæreseos recriminationem pro talione illi vicissim impegisse, senemque hominem in exilium ejecisse. Ille autem Romam profectus, sese innocentem docuit, et, ut jussus ab illo fuerat, scripto suam fidem, quam Sardica Synodus amplexa est, edidit.* Athanasio autem illa ætate sive in dignoscendis, sive in insectandis contra Trinitatem Hæreticis exercitatiorem habemus neminem.

302. *Nec dicas* 1°. Viri auctoritate gravissimi, et numero frequentes fidem Marcelli Ancyrani suspectam reddunt, imo hæresis aperte arguunt. Nam 1°. Socrates L. 1. Hist. Eccles. c. 36. asserit Marcellum, dum Asterium vehe-

mentius impugnaret, lapsum in Pauli Samosateni hæresin; cui SOZOMENUS L. 2. c. 33. concinit. 2°. SEVERUS SULPITIUS L. 2. Histor. sacræ, et THEODORETUS L. 2. Hær. Fab. c. 10. eumdem Sabellianæ hæresis participem faciunt. 3°. CHRYSOSTOMUS hom. 2. in epist. ad Hebr. n. 1. 2. seqq. MARIUS VICTORINUS Lib. 1. adversus Arium n. 22. et MARIUS MERCATOR in ep. de discrim. Nestorii et Paul. Samos. n. 4. adjungunt Photino MARCELLUM. 4°. EPIPHANIUS Hæres. 72. imprimis ex eo, quod MARCELLUS edita fidei professione ab hæreseos suspicione se purgaverit, colligit eum fuisse hæreticum; ac dein etiam, *quod se cum Sabellio sentire declaraverit cum voluit quædam diffusius dicere, inter Hæreticos annumeratum et confutatum* dicit.

R. Qualiacumque horum testimonia nihil elevant momenta nostra; cum afferamus testes et judices, qui examinando MARCELLI librum, ejus professionem fidei et expositionem accipiendo ipsumque audiendo longe accuratius causam examinarunt: dum alii id non potuerant sive loco, sive tempore remoti, ac universim hac opportunitate destituti.

*Ad* 1$^{um}$. R. SOCRATES auguratus est tantum, deceptus *Eusebii* adversus MARCELLUM libris, de quibus loc. cit. ait: *Quin etiam librum ejus Eusebius tribus libris confutat, perversamque ipsius coarguit opinionem.* Item: *Marcellus postea in Concilio Sardicensi cum librum a se editum neutiquam intellectum esse diceret, et ob eam causam se in suspicionem vocatum, quod cum Paulo Samosateno sentiret, Episcopatum recuperavit. Sed quid nos de isto auguremur, dicemus suo loco.* SOZOMENUS Socratem hic, uti in aliis more suo est secutus; quin et paulo mitius de MARCELLO sentit, dum ex odio Arianorum conflatam illi calumniam dicit, et hæc addit: *Cui* (Asterio) *Marcellus contradicens in opinionem Pauli Samosateni, seu sponte seu imprudens, nescio, delapsus est. Verum postea cum in Concilio Sardicensi ratione ostendisset se haudquaquam ita sensisse, ad Episcopatum denuo restitutus est.*

*Ad* 2$^{um}$. et 3$^{um}$. R. Hos omnes et falsis rumoribus, et *Eusebii* libris contra MARCELLUM scriptis fuisse deceptos; qui in illis error ob distantiam temporis intercedentem meretur veniam. Quæ SEVERUS SULPITIUS de sententia suspensionis ab ATHANASIO contra MARCELLUM lata adjungit, responsione ad HILARII auctoritatem danda solvuntur.

*Ad* 4$^{um}$. R. Illatio ex priori EPIPHANII loco allata est illegitima; cum alias Dionysius Alexandrinus, et ipse S. Athanasius hæreseos jure arguerentur. Posterius assertum non est ipsius EPIPHANII sententia, sed opinio aliorum ab eo duntaxat hic relata; cum exposita opinionum diversitate fateatur, *uni Deo cognita esse quæ in Marcelli animo fuerunt occulta.*

303. *Nec dicas* 2°. S. HIERONYM. L. de Scriptor. Eccles. c. 97. ait: *Sed et Hilarius in septimo adversus Arianos libro* (de Trinit. L. 7. n. 3.) *nominis ejus* (Marcelli) *quasi hæretici meminit.* HILARIUS vero ipse in Fragmento II. tria de MARCELLO refert: 1°. Eum ab Athanasio damnatum esse et abstentum, dum hæreticus erat agnitus (n. 21). 2°. Eumdem non esse judicatum hæreticum ex libro contra Arianos scripto, sed quod post Sardicense Concilium multa protulerit Photinianæ postmodum hæreseos capita et fundamenta (ib.). 3°. MARCELLUM ipsum ab ingressu Ecclesiæ post illam Athanasii sententiam se abstinuisse; cum vero ab aliis inter hæreticos accensitum, ne daretur Arianis occasio, latum pro Athanasio a Sardicensibus judicium

convellendi, si simile pro Marcello datum acrius defenderetur (ib. n. 22. 23.). Demum Basilius epist. 52. (al. 69. n. 2.), 74. (al. 263. n. 5.), et 78. (al. 125. n. 1.), aperte damnat Marcellum hæresis, subjungens in epistola priore : *Et hujus experimentum ac demonstrationem reconditi apud me iniquæ illius syngraphæ libri continent* etc.

R. Nec isti Patres præ Athanasio audiendi sunt; cum prior tempore, posteriores loco remoti fuerint, atque hi ipsi in assignanda hæreseos sede inter se pugnent. Præterea Hieronymus non suam, sed Hilarii sententiam refert, quæ ipsa tamen nihil decernit; cum laudato Hilarii loco hæc duntaxat habeantur : *Impie multos ad unius Dei professionem Galatia nutrivit.* Hilarii narratio verisimilitudine caret, sive dum scribit Marcellum Athanasio factum suspectum ob doctrinam pravam post Sardicense Concilium sparsam, *qua hæresi Photinianæ via quærebatur*; cum *Photinus* jam ab anno 345. et sic ante illud Concilium virus suum sparserit : sive dum Marcellum ab Athanasio communione separatum dicit; cum honorificam de Marcello commemorationem supra relatam Athanasius fecerit an. 357., et in Apologia priore ad Constantium eumdem recenseat inter alios Sanctos et Catholicos Episcopos, quorum deplorat exilium; ad quæ tamen tempora illa excommunicatio referenda foret.

A Basilio Marcellum quidem etiam ex illius scriptis pro hæretico fuisse habitum fateor : sed nihil facilius quam obscuras quasdam phrases in pravum accipere sensum, si eæ partim ab aliis ad hæreseos suæ defensionem proferantur, ut hic factum est a *Photinianis;* partim ab aliis arguantur erroris, ut ab *Eusebio* et *Arianis* actum est : in neutro autem casu audiatur expositio præsentis Auctoris.

304. *Nec dicas* 3°. S. Epiphan. cum loco supra cit. n. 4. retulisset, quod Athanasium interrogarit, quid de Marcello sentiret, hæc addit : *Ille neque ipsum defendit, neque graviter adversus ipsum invectus est; at solum risu leni edito ostendit, non multum ab improbitate ipsum abhorruisse, et in eorum loco, qui se purgassent, habuit.* Quin ipse S. Athan. in Oratione, quæ inscribitur : *Quod unus sit Christus,* n. 2. inquit : *Quod si exacte animadvertas, deprehendes eos extra Trinitatem summovere D. N. Jesum Christum, ut mancipium, ut hominem inadorabilem ac potius adorantem, et una cum cæteris omnibus inservientem, et subjectum sanctæ Trinitati, ut Marcellus et Paulus Samosatensis interpretantur.*

R. Nec Athanasii istud dubium factum, nec nuda Marcelli ad exemplum inducti commemoratio elidit magnifica testimonia ex Apolog. et hist. Arian. ad Monachos laudata. Præterea vero ex Epiphanio conficitur quidem Marcellum visum multis fuisse a *Sabelliana* hæresi non admodum remotum; sed eam tamen a se suspicionem detersisse, ubi coram Julio Pontifice, et in Synodo Sardicensi ejus fides et scripta accuratius examinata fuere. Oratio autem illa, *Quod unus sit Christus,* seu potius, ut ex ejus fine colligitur, homilia quædam in Natalem Domini, secundum peritiores Criticos, nec Athanasii est, nec Auctoris Athanasio coævi; ut illi tum ex ornatiore stylo, quam qui Athanasio proprius sit, tum ex ternarum in Trinitate hypostaseon mentione colligunt, cum unam duntaxat in S. Triade hypostasin in Athanasii libris invenire liceat.

305. *Dico II.* Probabilius est, *Eusebium Cæsareensem*, etiam post Concilium Nic. fuisse *Ariana* hæresi infectum.

*Prob.* Quem scripta et facta propria, necnon aliena testimonia arguunt Arianæ hæresis, ea infectus esse recte censetur: sed scripta et facta *Eusebii*, etiam post Nicænum Concilium, necnon relata ad illud tempus testimonia talem esse *Eusebium* arguunt; ergo.

*Prob. min. p.* 1ª. *Eusebius* etiam in scriptis post Concilium Nic. Filium, qua Verbum, dicit a Patre natura diversum, inferiorem et illi servientem, non coexistentem Patri, nec verum Deum, ut patet ex L. 1. contra Marcellum c. 1. p. 8., ubi conferens verba Apostoli ad Galat. 3. 19. et 20., ac 1. ad Tim. 2. 5. ait: *Erat igitur Filius, priusquam fieret Dei mediator et hominum, mediator Dei et angelorum..... Non est ergo existimandum, hunc esse Deum illum, qui est supra omnia Deus, nedum de numero angelorum aliquem, sed medium utrorumque et mediatorem.* L. 2. de Eccles. Theolog. c. 7.: *Quamobrem et ipse Filius Deum suum docet Patrem suum, in quibus ait: Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum: Deus certe et Pater ipsius quoque Filii Deus esse docetur. Quocirca... honorat, adorat et veneratur suum Patrem, Deum cum et ipsius Deum inscribens; cui gratias agere, cui preces fundere dicitur, cui obediens usque ad mortem fuerat.* L. 1. Histor. Eccl. c. 2. narrat Moysi *adstipulatum fuisse etiam alium prophetam, in hymnis suis de Deo loquentem hoc modo: Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. Patrem quidem et creatorem inducentem tanquam rerum omnium Dominum, regio motu præcipientem: Verbum autem Dei, secundum a Patre..... paternis imperiis ministrantem.* In epist. ad Euphrationem: *Porro ipse Filius Dei hæc nobis omnibus exactius cognoscens, alterum se ipsum, et minorem a Patre, subjectumque cognoscens, admodum pie nos id docet, dicens: Pater, qui misit me, major est me;..... quoniam Filius et ipse quidem Deus, sed non verus Deus.* (Labb. t. 7. p. 498.) Hæc autem vel non possunt exponi sensu Catholico, vel Eusebii conditio non meretur, ut mitigata accipiantur; ergo.

*Prob. p.* 2ª. *Eusebius* simulato subscripsit Fidei Nicænæ, suppressit ejus professionem, insectatus est illius defensores, juvit e contrario ejus adversarios et Hæreticos. *Simulatio* quidem patet ex Eusebii epistola ad suos Cæsareenses (ad calcem L. de decr. Nic. Syn. S. Athan. opp. t. 1.), qua sensum suæ subscriptionis exponit. In ea enim profitetur (n. 7.); de Filio admissas a se esse voces, *ex substantia Patris*, et *consubstantialis Patri*; quatenus Filius ex Patre quidem est, non autem portio Patris, aut sectione vel mutatione divinæ naturæ productus; item (n. 6.) has, *Genitum, non factum*; quatenus τὸ *factus* creaturis cæteris proprium erat, quæ dicebantur per Filium fieri. Præterea reprobat (n. 9.) hunc de Filio sensum: *non erat antequam gigneretur*, ex ea solum ratione, quod omnes fateantur Filium Dei fuisse priusquam secundum carnem gigneretur. Tandem (n. 10.) pro æternitate Verbi nihil dicit, nisi *quod Christus sit Filius Dei ante omnia secula*, more Arianorum intelligendo duntaxat *ante omnes creaturas*, in quarum numero tempus et secula collocantur: quin, ut Filium actu semper extitisse neget, addit, *Filium, antequam actu gigneretur, potentia fuisse in Patre.* Denique sub finem protestatur, idem se credere et docere, quidquid præteritis temporibus crediderat et docuerat.

Tentata Nicænæ professionis *suppressio* ostenditur tum ex Historia *Eusebii* Ecclesiastica, quam studio maligno finit ante Concilium Nicænum; tum ex vita Constantini, ubi, quamvis Concilii hujus meminerit, de sola Paschatis controversia loquitur, de causa Arii autem ac definita Filii Divini consubstantialitate altum silet: quæ enim in Chronico ejus Latino leguntur ad annum 325. de Nicæna Synodo, et Ario damnato, addita fuisse ab Hieronymo, est exploratum. *Insectatio* defensorum fidei Nicænæ præcipuorum, Athanasii scilicet, Marcelli Ancyrani, et Eustathii Antiocheni ostenditur ex Conciliabulis anno 335. Tyrii, anno 336. Constantinopoli, anno 340. Antiochiæ celebratis, in quibus singulis singuli memorati ex ordine damnati fuerunt, agente potissimum Eusebio. *Adjumentum* Hæreticis præstitum non tantum ex his ipsis Conciliis, et constanti usque ad mortem cum Arianis conjunctione colligitur, sed et ex Conciliabulo Hieros., L. 4. *Eusebii* de vita Constantini c. 43. et seqq. magnificentissime commendato, in quo anno 335. Arius, edita formula fidei æquivoca, ab Eusebio et aliis in Ecclesiam est receptus; et ex libris contra Marcellum (præcip. L. 1. c. 4.), ubi Narcissum Nerodiadem, Paulinum Tyrium, Eusebium Nicomediensem, Asterium Sophistam, et alios notorios Arianos inter Ecclesiæ Patres, ac fidei veræ Doctores refert et laudat.

*Prob. p.* 3ª. Patres non tantum singuli, sed et in Conciliis congregati *Eusebium* pro Ariano et Hæretico habuerunt. Inter primos quidem Athanasius L. de Syn. Nic. decretis n. 4. scribit, Eusebium et alios qui simulato subscripserant Nicænæ fidei, *tanquam ad vomitum regressos*; Hilarius Libel. ad Constantinum n. 5. *commenta Ariana a duobus Eusebiis inventa* dicit; Epiphanius hæres. 68. n. 7. Eusebium *in Arianorum inanissimum dogma propensissimum* scribit; Hieronymus vocat *Eusebium*, L. ad Ctesiphont. (al. ep. 133. n. 3.), *Arianum*, epist. 65. (al. 84.) ad Pammach. et Ocean. n. 2. *impietatis Arii apertissimum propugnatorem*, in Apol. contra Rufin. L. 1. n. 8. *Arianæ factionis signiferum*, ibid. L. 2. n. 15. *Arianorum Principem*. Inter alios, Patres Ægyptii, fere centum numero, Alexandriæ anno 330. congregati Synodica epistola (Labb. t. 2 p. 542. D.) Eusebium *studio Arianismi* damnasse Tyri Athanasium docent: Patres autem septimæ Synodi Œcumenicæ ex Eusebii epistolis, altera ad Euphration., altera ad Constantiam, et Commentariis hominem *in reprobum sensum traditum, et aperte Arianicæ opinionis ac sententiæ* declarant et rejiciunt (Labb. t. 7. p. 595. D). Plures alios vide apud Valesium in fronte Ecclesiasticæ Historiæ Eusebii.

306. *Nec dicas* 1°. *Eusebius* tum negando, tum affirmando etiam in libris post Conc. Nicænum scriptis, ea refert de Verbo ac Filio, quæ illum ab Ariana hæresi immunem ostendunt. Nam 1°. L. 1. de Eccles. Theol. c. 9. negat Filium *ex non extantibus*, seu ex nihilo productum; c. 10. esse *creaturam* inficiatur. 2°. L. 1. Eccl. Theol. c. 8. et 20., et L. 2. c. 14. dicit, solum Filium esse *genitum*, et hinc *unigenitum*; ex *substantia*, non ex Patris *potentia* genitum.

R. Hæc omnia vafriticm Eusebii et dolos cum *Semiarianis*, imo ipso *Ario* communes quidem detegunt, fidem autem sinceram et integram non probant. Hinc

*Ad* 1ᵘᵐ. *D. Eusebius* Filium negat ex non extantibus productum, et esse

creaturam absolute *N.* non absolute, sed comparate tantum ad cætera producta et creaturas *C.* Patet id ex cit. L. c. 9., ubi ait : *Ex quo merito reprehendi possunt ii, qui illum creaturam esse non veriti sunt dicere, e non extantibus, similiter ac creaturas reliquas, productum*; et L. 3. c. 2. (p. 150. D) : *Quod si dicat* (Scriptura) *conditum illum fuisse, non ita dixit, quasi vellet intelligi, eum de non esse ad esse processisse : nec quod, ad modum creaturarum reliquarum, de non ente producebatur.* Præterea fucum hic ab Eusebio fieri, patet tum ex eo quod L. 4. Demonst. Evang. c. 1. affirmet, *nulla jam ratione dici posse de nihilo esse quicquam eorum quæ sunt*; cujus rationem ibid. reddit : *Neque enim esse quidpiam potest ex eo quod ipsum non sit* (ἐκ μὴ ὄντος). *Quomodo enim id quod non est, alteri ut sit, esse causa poterit?* Quibus verbis per τὸ *ex nihilo* intelligi posse *ex nulla causa* vel *principio* declarat : tum ex notione creaturæ, quæ ab Arianis statuebatur in eo, quod res aliqua mediate duntaxat, interveniente scilicet Verbo, tanquam instrumento et administro, producatur, cum e contra Filius dicatur ἀμέσως, seu sine intermedio, ac per sese a Patre productus, ut Eusebius loco nuper cit. c. 5. (p. 153.), et Athanasius L. de Synodi Nic. Decret. n. 7. de ipso Ario refert.

*Ad* 2um. *D.* Filium dicit solum et unigenitum, quatenus solus sine interveniente Verbo, et per se immediate a Patre est productus, ut modo dictum *C.* quatenus est ejusdem naturæ, et consubstantialis *N.* Patrem enim ac Filium esse *duas res,* L. 1. contra Marcel. c. 4. p. 25. Filium etiam *extra Patrem vivere et existere,* hoc est, a Patris οὐσίᾳ extraneum et adventitium esse, L. 1. Eccles. Theol. notat *Eusebius.* Simili ratione exponitur genitus *ex substantia,* non autem *ex potentia* Patris; quanquam ex nuper dictis Filium ex Patris potentia extitisse, et ex ea factum idem statuerit.

307. *Nec dicas* 2°. Ibidem Filio tribuit *omnipotentiam et infinitatem,* imo et *æternitatem.* Item non tantum L. 1. Eccles. Theol. Filium probat esse verum Deum ex eo quod *Deus sit, quod natum est ex Deo,* sicut quod est ex carne natum, est caro; sed etiam L. 2. c. 4. vocat eum αὐτόθεον, quæ vox duplicem significationem habet; quarum altera *Deum a se,* et a nullo principio prodeuntem exprimit, et hinc Filio convenire nequit : altera *Deum ipsamet substantia,* non autem aliqua participatione tantum sive secundum partem, sive secundum affectionem designat, et hic Filio ab Eusebio tribuitur.

R. *Ad* 1um. *D.* Tribuit omnipotentiam, infinitatem, imo et æternitatem his perfectionibus Patris æqualem *N.* inæqualem et minorem *C.* Atque hinc Eusebius L. 2. Eccl. Theol. c. 23. duos in Trinitate *honore pares* negat, ibid. c. 7. *Paternam gloriam excellentiorem gloria Filii* affirmat, et rursus c. 28. *Patrem inaccessibilem esse, nec ab ullo capi posse, Filium vero propinquiorem esse rebus omnibus* statuit. Æternitatem quod attinet, non tantum pro existentia Filii *ante omnia secula,* et substantiarum etiam intellectualium creationem, imo ante *tempora æterna* accipit : nullibi autem dicit Filium Patri coæternum; quin et *Patrem ante Filium existere, et ante ejus productionem subsistere,* Filium vero *ex Patris inexplicabili consilio ac potentia substantiam accepisse,* L. 4. Demonstr. Evang. c. 3. et 4. enuntiat.

*Ad* 2um. *D.* Probat Filium esse verum Deum et αὐτόθεον re ipsa et proprie

*N.* repræsentative et in figura *C.* Disertis verbis *Eusebius* hæc enuntiat, dum L. 2. Eccl. Theol. c. 23. scribit : *Non tamen cunctandum est quin et ipsum Filium confiteamur esse Deum verum, cui quidem hoc tanquam in imagine conveniat. Porro quemadmodum, ubi Rex unus imperat, cujus imago ubique terrarum circumfertur, nemo prudens dixerit duos esse imperantes, sed unicum, qui in imagine ista colitur : eodem modo et Ecclesia Dei, unum venerari Deum edocta, hunc ipsum, et per Filium, quasi per imaginem adorare perseverat.* Quod additur de significatione vocis αὐτόθεος, mancum est ; restat enim tertia ejus acceptio pro *similitudine* et *imagine* Dei, qua ratione Chrysostomus hom. 2. in epist. ad Rom., et 27. in epist 1. ad Cor. hominem ob ferociam belluæ, ob duritiem lapidi similem, αὐτοθηρίον et αὐτολίθον appellavit : et in hac significatione sicut Origenes, juxta plures Arianismi præformator, L. 6. contra Celsum, Christum vocavit αὐτοσοφίαν, ita *Eusebius* eum αὐτόθεον dixit.

308. *Nec dicas* 3°. Theodoretus Hist. Eccl. L. 1. c. 11. et Gelasius L. 2. de Synodo Nic. c. 1. (Labb. t. 2. p. 138) referunt, *Eusebium* Arianos refellere, et ab his defectionis a sua secta redargui. Socrates L. 1. Hist. Eccl. c. 21. non tantum asserit, *Eusebium* ab Arianismo immunem, sed et allata ipsius doctrina ostendit. Pelagius II. tandem, ep. 5. (ad Episc. Istriæ 3ª.) n. 21. et Gelasius L. de duab. natur. summi Pontifices *Eusebium* laudant, et inter Catholicos Scriptores referunt. *Conf. Eusebius* ab Ecclesia colitur ut sanctus ; quod patet tum ex Martyrologiis Usuardi, Adonis et Notkeri ad diem 21. Junii, tum ex antiquo Codice MS. Ecclesiæ Parisiensis, et ex Breviario MS. Ecclesiæ Lemovicensis ; ergo.

R. Theodoreti et Gelasii Cyzic. narrationem veram esse, si intelligatur *Eusebii* defectio ab Arianis rigidis ; falsam, si etiam Semiarianos comprehendat : quanquam cum Eusebius, vivente Constantino, et Catholicum se simulare studuerit, et Nicæno subscripserit, Arianorum odia incurrere potuit. Socratis studium vanum fuisse, et Æthiopi dealbando impensum, ex hactenus disputatis facile ostenditur. Pelagius Eusebium *inter Historicos honoratissimum,* non autem inter Christianos integrum fide appellat. Auctorem libri de duabus naturis quod attinet, inter Criticos dubium est fueritne is Gelasius Pontifex, an Cyzicenus, vel alius quicumque : illud certum, Gelasium Pontificem, in suo de Ecclesiasticis Scriptoribus decreto, Eusebii opera tanquam apocrypha rejecisse, nec eum pro Magistro Catholico agnovisse : quare siquidem Gelasius Papa permittatur hujus libri auctor, Eusebio inter Catholicos Scriptores locum, non ex propria æstimatione, sed ex Eutychianorum opinione ac sensu , contra quos proinde illius auctoritate uti poterat, a Gelasio concessum statuere licet.

*Ad Conf.* R. *N. A.* Quamvis enim non affirmemus *Eusebium* suo in errore contabuisse, sed Deo judicium de ejus salute relinquamus ; negamus tamen ejus sanctitatem ab Ecclesia universa vindicatam : cum ex dictis constet, Conc. Generale de ipsius fide male sensisse, ejusque nomen sub Pontificatu Gregorii XIII. e Fastis Ecclesiasticis fuerit expunctum. Ecclesiæ particularis judicium, et quorumdam Scriptorum testimonium nec Œcumenicæ Synodi sententiæ, nec nostris rationibus prævalet ; præsertim cum origo erroris de-

tegatur ab Eruditis, quorum aliqui hunc Eusebium pro Eusebio Samosateno, in Syria Episcopo et Martyre, quem Græci die 20. Junii colunt, alii pro Eusebio Cæsareensi in Cappadocia S. Basilii Præcessore, qui secundo Kalendas Junii in Martyrologio S. Hieronymi apud Dacherium et Papebrochium legitur, substitutum ex errore volunt.

309. *Dico III.* Certum videtur, S. Basilium ab errore Pneumatomachorum fuisse immunem.

*Prob.* Ex scriptis et factis propriis, et ex testimonio alieno. Nam

1°. Præterquam quod hom. 24. n. 5. contra Sabell. dicat, *Trinitatem non manere Trinitatem, detracto Spiritu;* et in epist. 60. (al. 140. n. 2.) ubi docet, doctrinam de Spiritu sancto in Nicæno Concilio ideo tantum non fuisse definitam, quod nondum aperte contra eum fuerit bellum susceptum, addat, *nihil prorsus in Divina ac beata Trinitate creatum adinveniri* : speciatim Divinitatem Spiritus sancti adstruendam suscepit in L. de Spiritu sancto, ad Amphilochium, et in Libro 5. contra Eunomium; quem librum Sancto huic Erasmus, Cocus et alii Heterodoxi eripere frustra conantur, cum Gregorius Naz., Hieronymus, Theodoretus, et Joannes Damasc. illum tanquam Basilii opus laudent, et Isaac Casaubonus, Caveus cum aliis etiam Heterodoxis agnoscant.

2°. Basilii virtus et fides adeo æstimata fuit a plerisque, ut ex eremo in Cappadociam vocatus, etiam vivente adhuc Eusebio Episcopo, Ecclesiam Cæsareensem ibidem administraverit, et ab Athanasio ad visitandos Macedoniæ et Achaiæ Episcopatus, suscipiendosque in Ecclesiam Arianos reduces fuerit missus; inter quos dum Eustathium Sebastenum recepisset, et alias Apollinari communicasset, abjecit eos continuo, et scriptis etiam impugnavit, utprimum prioris simulationem, et posterioris hæresin ex aliorum monito intellexit.

3°. Cum Basilii fama, quam ipse vivens pluribus scriptis defenderat, post ejus fata adhuc lacesseretur, præter Gregorium Nyssenum illius fratrem, Theodorum Antiochenum ac Sophronium, ut in Bibliotheca sua Photius ostendit Cod. 4. et 5., vindicavit eumdem Gregorius Naz. cujus ex Orat. 43. n. 69. locus sufficiet : *Nam quod alioquin melius quam quivis alii* (Basilius) *Spiritum sanctum Deum agnosceret, cum ex eo perspicue constat, quod et hoc sæpe de loco superiore, quoad per tempus licebat, prædicavit, et privatim apud eos a quibus interrogabatur, haud cunctanter confessus est : tum vero in suis ad me sermonibus apertius id demonstravit..... non simpliciter hoc affirmans, sed, quod ipsi antea perraro acciderat, sibi rem omnium maxime horrendam imprecatus, nempe ut ab ipso Spiritu sancto excideret, nisi cum Patre et Filio consubstantialem, et honore parem veneraretur.*

310. *Nec dicas.* Basilius multa hæreseos indicia præbuit; nam 1°. disserens in festo Eupsychii de Trinitate, reticuit Divinitatem Spiritus sancti. 2°. Hom. 17. (al. 1. in app. t. 2. p. 583. C.) Spiritum sanctum non ausus est dicere Deum, sed duntaxat *Spiritum Dei.* 3°. Hymno glorificationis more Arii et Arianorum sæpe utebatur hac formula : *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto.* 4°. In duabus epistolis ad Apollinarem plures circa Trinitatem errores aperte protulit : unde 5°. ab Episc. Ancyr. impietatis postu-

latus, et a religiosissimis viris Ponticæ solitudinis tanquam hæreticus vitari cœpit.

R. *Ad Arg. D.* Præbuit indicia hæreseos justa et probabilia *N.* vana, et nonnisi a meticulosis Catholicis, vel ab adversariis Hæreticis exaggerata *C.* Hinc . . . . . .

*Ad.* 1um. R. reticentiam illam de Spiritus sancti Divinitate, illa in Oratione, fuisse œconomiam contra hostes calumniarum studiosos usurpatam, ut Basilius ipse in epist. 33. (al. 71.), et Gregorius Naz. in epist. 26. (al. 58.) demonstrant; non vero ignaviam, aut fidei defectum; cum eam circumspectionem Basilius alibi non usurparit, ut ex probationibus manifestum est.

*Ad* 2um. R. Quod loc. cit. Basilius non dixit, enuntiavit in Libro ad Amphil. et LL. cont. Eunomium, item ep. 141. (al. 8. n. 1.) ubi ait : *Confitendum est, Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum.* Unde Basilium id profiteri ausum non fuisse, negatur. Quod vero Spiritum sanctum dixerit Spiritum Dei, et caste dixit, et more Apostoli *Pauli* ac Veterum plerorumque fecit, qui in hac elocutione usurpabant Dei nomen notionaliter, accipiendo scilicet Deum pro Patre, ut Chrysost. hom. 5. n. 3. de Incompreh. Dei nat. animadvertit. . . . . .

*Ad* 3um. R. Criminationem istam luculente refutavit Basilius in L. de Spiritu sancto ad Amphiloch. c. 25. seqq. ubi ex Scripturæ auctoritate, Apostolica traditione, et Patrum exemplo ostendit, ternam glorificationis formulam et rectam et usitatam esse in Ecclesia; nempe illam objectam, alteram hanc : *Gloria Patri cum Filio ipsius et Spiritu sancto,* postremam communem : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Addit præterea, in accusata formula diversitate particularum eloquentius exponi Personarum originem : ac tandem communem formulam acceptari a se, probarique declarat; ea ratione latissimum se inter et Arianos discrimen ostendens.

*Ad* 4um. R. Basilio has epistolas falso imputatas, et ab Athanasio Ancyrano esse suppositas, ut ipse Basilius in epist. 59. (al. 129.) contestatur.

*Ad* 5um. R. Quæ fides sit habenda Athanasio Ancyrano, liquet ex modo dictis. Monachis Ponticis, abstersa suspicione, satisfecit abunde Basilius scripta ad eos epistola 73. (al. 226.) et misso libello *de vera ac pia fide,* quibus declaravit, quantum abhorreret a novitate, cujus ab adversariis insimulabatur.

### QUÆRES II. AN LIBERIUS PAPA FUERIT LAPSUS IN HÆRESIN ARIANAM?

311. *Nota I.* Liberius et a Pontificatus sui initiis, quem anno 352. suscepit, et postremis vitæ suæ temporibus, quam anno 367. beata morte clausit, omnium ex calculo strenuum se fidei Nicænæ et S. Athanasii vindicem præbuit. Nam et anno 355. Beroeam Thraciæ in exilium potius deportari sustinuit, quam Constantio geminis suis studiis adversa Mediolani imperanti concederet : et Urbi ac Sedi Pontificiæ anno 358. redditus, perstitit in fide fortiter, neque cum Ariminensi postea Concilio commune quidpiam habuit. An vero exilii sui tempore, tum ærumnis fractus, tum redeundi desiderio superatus, nihil a fide et fortitudine sua alienum egerit, hic inquiritur. Duplex hoc in argumento respondendi ratio se hodie offert : *altera,* quam

olim indicavit Cardinalis Perronius, nuper autem Corgneus Ecclesiæ Suessionensis Canonicus singulari dissertatione uberius exposuit, negat omnino lapsum Liberii quemcumque; *altera* communior, et hactenus pervulgata eo descendisse Pontificem concedit, ut Athanasium damnaret, communicaret cum Semiarianis, et Sirmiensi fidei formulæ subscriberet. Non eumdem tamen in lapsu Liberii defectum agnoscunt sententiæ postremæ sectatores. Alii enim, præsertim vero Heterodoxi, a *fide* defecisse Pontificem, et hæresi Arianæ assensisse contendunt; quod idem nonnulli Catholicorum statuunt, sed una excipientes, hunc errorem fuisse *hominis privati,* minime autem Pontificis, et e cathedra assertum : alii Liberium in fortitudine quidem et *œconomia,* non autem in fide peccasse volunt. Discriminis hujus ratio maxime provenit a designatione formulæ Sirmiensis, cui Pontificem scripsisse aut hi aut illi contendunt. Unde

312. *Nota II.* Inter 14. fidei formulas, quas *Ariani* ad oblitterandam fidei Nicænæ regulam ab anno 341. per 19. annos subsequentes, diversis in Synodis ediderunt, tres Sirmii, in oppido olim Pannoniæ celebratissimo, fuerunt conditæ. 1ª. anno 351. contra *Photinum* græce ab Episcopis, ut Vigilius Tapsens. L. 5. contra Eutych. ait, ex toto Oriente congregatis, quos Hilarius in Fragment. 6. n. 7. sive enumerat, sive præcipuos nominat, *Narcissum, Theodorum, Basilium, Eudoxium, Demophilum, Cecropium, Silvanum, Ursacium, Valentem, Evagrium, Hyrenium, Exuperantium, Terentianum, Bassum, Gaudentium, Macedonium, Marthum, Actium, Julium, Surinum, Simplicium* et *Juniorem.* Ea formula, quam ceu Catholicam Hilarius L. de Synodis n. 38. exponit, Athanasius autem L. de Synod. n. 27. inter Arianas Ectheses refert, complectitur symbolum fidei una cum 27. Anathematismis: in illo sola reticentia τοῦ ὁμοουσίου, in his etiam phrases et propositiones Semiarianæ notantur. 2ª. anno 357. latine primum edita est a paucis Occidentalibus, *Valente* scilicet, *Ursacio* et *Germinio,* quibus Osius etiam et Potamius ab Hilario adduntur. In hac, præterquam quod οὐσίας, ὁμοουσίου æque ac ὁμοιουσίου mentio fieri prohibeatur, *Pater honore, dignitate, Deitate, atque adeo ipso nomine paterno major filio..... Filius vero Patri, cum omnibus, quæ illi Pater subjecit, subjectus* dicitur (Labb. t. 2. p. 786) : eaque propterea tanquam pure Ariana a Basilio in Concilio Ancyrano damnata, et a Constantio suppressa fuit. 3ª. anno 359. similiter a quibusdam, ad Constantium pro habendo Seleuciæ et Arimini Concilio collectis, præsertim *Marco Arethusio, Basilio Ancyrano, Georgio Alexandrino, Valente* et *Ursacio* condita fuit; in qua prior prohibitio quidem repetitur, *Filius* tamen *per omnia Patri similis* docetur (Labb. t. 2. p. 788.)

313. *Dico I.* Liberius probabiliter nunquam fuit lapsus.

*Prob.* Id probabiliter negatur, cum quo in historia Liberii nec causa reditus in Urbem, nec comparatio Romanorum redeuntem excipientium, nec Catholicorum cum restituto communio, nec Arianorum post impetratam restitutionem agendi ratio potest verosimiliter componi : sed cum lapsu Liberii hæc quatuor verosimiliter componi nequeunt ; ergo.

*Prob. min. p.* 1ª. Si Liberius fuisset lapsus, hic lapsus foret præcipua reditus in Urbem causa; tum quia e contrario propter suam in fide constan-

tiam fuit missus in exilium : tum quia oblata hac spe a Demophilo sollicitatus, et ea inescatus defecisse dicitur : sed hoc imprimis dubium est, ut patet ex RUFINO, qui Lib. 1. Histor. c. 27. ita scribit : *Liberius Urbis Romanæ Episcopus, Constantio vivente, regressus est : sed utrum, quod acquieverit voluntati suæ, adscribendum, an ad Populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerit exoratus, indulserit, pro certo compertum non habeo :* deinde falsum declaratur ab aliis aliam causam assignantibus; cum SULPITIUS SEVERUS L. 2. Hist. sacr. c. 39. scribat : *Sed Liberius paulo post Urbi redditur ob seditiones Romanas,* et Socrates L. 2. Histor. c. 37. dicat : *Liberius autem non multo post ab exilio revocatus, sedem Episcopatus propterea recuperavit, quod Populus Romanus seditione conflata Felicem Ecclesia illa ejecerat, Imperatorque ipse etiam invito animo illis consenserat;* quod idem verbosius THEODORETUS L. 2. Hist. c. 17., et CASSIODORUS Histor. tripart. L. 5. c. 18. enarrant : denique repugnat historiæ, ex qua constat LIBERIUM anno fere integro adhuc hæsisse in exilio; nec cogitatum ab Imperatore de ejus reditu, nisi post Romanam postulationem; nec Romam dimissum antequam collectioni cuidam Sirmiensis et Antiochenorum Conciliorum Sirmii subscripserit. Ergo lapsus LIBERII non fuit causa reditus nec cum illa verosimiliter componitur.

*Prob. p.* 2ª. Duo ex historia, adversariis etiam probata, habentur certa: 1°. Populum et Clerum Romanum tempore exilii Liberiani mansisse partibus Catholicis penitus addictum, ab Arianis autem aversum, adeo ut a FELICE sive intruso, sive rite substituto in sacris abstinuerint, ex quo ille cum Arianis communicaverat : 2°. Eumdem populum non tantum extorsisse reditum LIBERII, sed et eumdem summo cum gaudio excepisse, Felice ejecto : sed hoc adversus *Arianos* et *Felicem* odium, hoc erga fidem et LIBERIUM studium credibile non est, si Romanis, ut potuit, cognitus fuit LIBERII lapsus, quo et ATHANASIUM damnasse, et ARIANIS communicasse, et formulæ Arianæ subscripsisse dicitur ; ergo lapsus LIBERII cum comparatione Romanorum conciliari nequit.

*Prob. p.* 3ª. Certum est ex SEVERO SULPITIO L. 2. c. 22., SOCRATE L. 4. c. 12. THEODORETO L. 2. c. 22., LIBERIUM post reditum ab exilio communionem habuisse ab Episcopis reliquis; quin et ab Athanasio et Alexandrina Synodo rogatum confirmationem decretorum : ex iisdem etiam et disciplina Ecclesiastica certum est, lapsum sive in fide, sive in œconomia, præsertim hæresis suspicione afflatum, non fuisse ad communionem receptum, nisi datis pœnitentiæ aut retractationis signis, ut maxime ex historia Mediolanensis et Ariminensis Synodi coæva constat : adeoque si LIBERIUS fuisset lapsus vel solo defectu *fortitudinis*, cum interpretative saltem pro Hæretico haberetur, omnino retractationis indicia eo manifestiora præbere debuerat, quo gravius erat triplex in eo peccatum, et quo confidentius in sua ad Italos epistola ab Ariminensibus reparationem ipse exigebat. Sed nullum hujus pœnitentiæ aut retractationis vestigium occurrit sive in propriis apud HILAR. in Fragm. litteris, sive in coævis ATHANASII et HILARII scriptis, sive in sequentium SOCRATIS, SULPITII, THEODORETI vel SOZOMENI historiis; ergo.

*Prob. p.* 4ª. Ex omnium Scriptorum silentio, et DAMASI apud Theodoretum L. 2. c. 22. asserto liquet, LIBERIUM nec per se, nec per Legatum interfuisse aut consensisse Concilio Ariminensi, ad quod, teste Socrate L. 4. c. 12.,

St. Albert's College Library

plerique Occidentis Episcopi sunt coacti : sed si lapsus est Liberius, attentis Arianorum fraude, ferocia, et ausibus alias susceptis, non apparet cur hoc in conventu Liberii suffragium favens neglexerint, aut, siquidem illum mutatum norant, cur eum minis et exilio rursus frangere noluerint; ergo lapsus Liberii cum Ariana agendi ratione minime concordare videtur.

314. *Nec dicas* 1°. Argutationibus quibuscumque prævalere debet confessio propria: sed in Fragmentis S. Hilarii recitantur plures Liberii epistolæ, inter quas duæ sunt scriptæ ad Orientales, quarum prior (fragm. 4.) a verbis, *Studens paci,* posterior (fragm. 6. n. 5.) his, *Pro deifico timore,* inchoatur; et duæ ad Occidentales exaratæ sunt, quarum prior (fragm. 6. n. 8.) incipiens, *Quia scio vos,* Valenti, Ursacio, Germinio, posterior (fragm. 6. n. 10.) exorsa, *Non doceo,* Vincentio Capuano inscribitur: sed in his quatuor Litteris profitetur Athanasium a se damnari, communionem datam Arianis, subscriptum formulæ Sirmiensi; ergo.

R. *N.* Litteras has esse Liberii proprias et genuinas: 1°. quia Fragmenta S. Hilario adscripta partim a Dupinio et quibusdam aliis illi penitus abnegantur, partim juxta Criticos plerosque multis in locis corrupta sunt et interpolata: 2°. quia Sulpitius Severus, qui tamen, notantibus Petavio et Patribus Benedictinis, compendium *Arianismi* ex Hilarii fragmentis suæ historiæ inseruit, de his litteris nihil, nihil de lapsu Liberii, imo causam pro ejus reditu diversam et oppositam commemorat: 3°. quia his in litteris apparet abjectio animi indignissima, et abhorrens ab animi magnitudine, quam Liberius in aliis plerisque occasionibus exhibuit: 4°. quia in prima ad Orientales, et in ea ad *Valentem* et *Ursacium* Liberius inducitur scribens, jam ab initio Pontificatus sui Athanasium a se fuisse communione privatum; quod tamen historiæ communi, Athanasii in Hist. Arian., et Theodoreti L. 2. c. 16. narrationi, ac dictis ipsius Liberii, quæ epistola ad Vincentium Capuanum, et altera ad Constantium in Fragmentis relatæ exhibent, aperte repugnat: quam ob rem hæ *duæ epistolæ* non tantum a Dupinio, sed et a Baronio, Binio, et Patribus Benedictinis tanquam apocryphæ, et ab Arianis suppositæ rejiciuntur; atque hinc probabile fundamentum præbet, cur et aliæ duæ epistolæ, Liberii lapsum referentes, in suppositionis suspicionem adducantur.

315. *Nec dicas* 2°. Athanasius et Hilarius Liberio coævi semel ac iterum ejus lapsum declarant: ille quidem 1°. in Apolog. contra Arian. n. 89. scribit, *Liberium exilii ærumnas ad finem usque non tolerasse*: 2°. autem in Hist. Arian. ad Monachos n. 41. hæc habet: *Porro Liberius extorris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit.* Hilarius vero imprimis in L. contra Constantium n. 11. ita eum alloquitur: *Vertisti deinde usque ad Romam bellum, eripuisti inde Episcopum ; et o te miserum! qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris.* Deinde in Fragmentis tria præstat: 1°. quidem hæc narrat (fragm. 6. n. 4.) *Post hæc omnia, quæ vel gesserat vel promiserat Liberius, missus in exilium, universa in irritum deduxit, scribens prævaricatoribus hæreticis Arianis, qui in sanctum Athanasium orthodoxum Episcopum injustam tulere sententiam.* 2°. *Formulam apud Sirmium descriptam, quam dicebat Liberius Catho-*

*licam,* vocat (fragm. 6. n. 7.) *perfidiam.* 3°. Liberium vocat (fragm. 6. n. 6. et 9.) *apostatam* et *prævaricatorem,* illique *anathema* dicit.

R. *N. Ass.* Allata enim testimonia vel lapsum Liberii non probant, vel Patribus his supponuntur. Priorem notam merentur loca utriusque prima. Recte enim Athanasius dixit, Liberium ærumnas exilii non tolerasse usque ad finem, utpote qui ab exilio rediit: quin, dum ibidem *Osium minis perterritum Constantio ad tempus non restitisse* scribat, simile autem nihil addat de Liberio; ex illa propositione, veritati etiam sine lapsu congruente, nihil pro isto evincitur. Similiter ut Hilarius vere diceret nescire se, an Constantius majore impietate Liberium relegaverit, quam remiserit, sufficiebat Liberium ante reditum a Constantio fuisse male habitum: adeo autem ad veritatem hujus asserti non requiritur triplex illud Liberii crimen, ut alias Hilarius nescire potuisset, majore impietate coinquinatam fuisse remissionem præ relegatione. Posterior nota reliquis textibus convenit.

Et quidem textum Athanasii in Hist. Arian. ad Monach. pro supposito habendi ratio 1ª. est, quod hæc historia scripta fuerit, vivente adhuc Leontio Antiocheno, quandoquidem Athanasius num. 287. de eo tanquam vivo loquitur. Cum vero Leontius ex Baronii, Valesii et Petavii calculo an. 356. fuerit mortuus, Liberius autem et Osius anno 357., vel sub initium anni 358. dicantur lapsi, ex hoc anachronismo indicium suppositionis habetur: 2ª. quia in eadem periodo mentio fit de Osio, et ejus lapsus hoc definitur, quod *vix tandem cum Valente et Ursacio communicaret.* Sed majus Osii crimen, nempe Arianæ formulæ subscriptionem, Hilarius et Phæbadius produnt; et ipse Athanasius tum in Apolog. contra Arian., tum in Lib. de fuga sua addit, Osium in Athanasii damnationem concessisse: 3ª. quia plures Critici, inter quos Bollandus et Tillemontius, fatentur esse additamenta, quæ in Athanasii libris de Lapsu Liberii et Osii leguntur; quamvis velint factam ab ipso Athanasio additionem: pro quo tamen asserto cum nulla convincens ratio habeatur, hæc ipsa confessio præjudicium quoddam contra textum Athanasianum generat. Hilarii loca, quoniam ex Fragmentis referuntur, iisdem suppositionis suspicionibus patent, quas ad priorem probationem contra litteras Liberii ibidem contentas ostendimus

Accedunt indicia corrupti textus specialia. Nam in *primo* Athanasius compellatur *Sanctus,* sine quo tamen adjectivo Hilarius in plerisque suis operibus, ac in ipsis Fragmentis alias et simpliciter Athanasium appellat: in *secundo,* quæ formula compellatur *perfidia,* ab Hilario in L. de Syn. probatur tanquam catholica: quæ referuntur in *tertio,* repugnant dicto Hilarii in Fragm. alteri, quo epistolæ Liberii ad Orientales primæ hanc quæstionem subjicit (fragm. 4. n. 2.): *Quid in his litteris non sanctitatis, quid non ex metu Dei eveniens est?* minime vero conveniunt tempori. Cum enim Fragmenta fuerint scripta post Concilium Ariminense, contra quod, Damaso in epist. ad Illyricos teste, Liberius fidem Nicænam strenue propugnavit; Apostatæ et prævaricatoris nomen, multo autem minus anathema in Liberium hoc tempore conjici poterat.

316. *Nec dicas* 3°. Inter Scriptores Liberio suppares numerantur S. Hieronymus et *Faustinus* cum *Marcellino*: hi vero Liberium esse lapsum aperte enuntiant. Hieronymus enim L. de Scriptor. Eccles. c. 97. ait: *Fortunatia-*

*nus... in hoc habetur detestabilis, quod Liberium pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit ac fregit, et ad subscriptionem hæreseos compulit.* Et in Chronico hæc scribit : *Liberius tædio victus exilii in hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intravit. Faustinus et Marcellinus* demum in sua ad Libellum precum præfatione (Opp. sirmondi t. 1.) dicunt : *Constantius veniens Romam, pro Liberio rogatur a Populo, qui mox annuens ait : Habetis Liberium, qui qualis a vobis profectus est, melior revertetur. Hoc autem de consensu ejus, quo manus perfidiæ dederat, indicabat.*

R. Quoad 1um. auctoritatem S. Hieronymi quidem videri contrariam, probabilitati tamen hujus opinionis non facere præjudicium : quia, tanquam Scriptor et loco et tempore saltem 30. annorum remotus, ex falso per Arianos sparso rumore, falsum scribere potuit; præsertim cum in utroque loco nihil de Athanasii condemnatione et communione cum Arianis, alias Liberio imputata, meminerit, et in recensendis etiam suæ ætatis factis a Tillemontio sphalmatum arguatur. Præterea ex Athanasii Apolog. ad Constant. n. 27. habetur, Fortunatianum apprime antea Catholicum, nonnisi vi adactum in Concilio Mediolanensi subscripsisse damnationi Athanasii ; adeoque difficultate non caret, ut quis credat eum postea et Arianum effectum, et auctorem hæreseos Liberio extitisse. Tandem *Chronicon Hieronymi* non uno loco corruptum esse, Critici plures advertunt ; et locus ex eo allatus quamdam contradictionem habere videtur ; cum reditus *victoriæ* similis cum prævio *in hæreticam pravitatem* lapsu ægre concilietur.

Quoad 2um. R. Vel illa præfatio non est *Marcellini* et *Faustini*, quod plures ex diversitate illius cum Libello subjuncto ostendunt : vel siquidem eosdem habeat auctores, præfatio tam parum auctoritatis habet, quam certum est Libellum precum imposturis et mendaciis esse refertum : vel his omnibus dissimulatis, *perfidiæ* nomen leviorem tantum in œconomia defectum significat, pro quo facilitas quædam Liberii erga *Arianos* ostensa haberi potest ; cum in Libello etiam laudetur Macarius ob recusatam cum Damaso communionem, quæ ibidem *perfidia* appellatur.

Testimoniis his probabiliter infirmatis, minus necessarium est ad auctoritatem aliorum Scriptorum infringendam converti. Qui enim objiciuntur, *Auxilius* L. 1. de Ordinat., *Petrus Damiani* epist. 15. c. 16., et *Platina* in Vit. Pontif., tempore nimis remoti sunt, utpote quorum antiquissimus ante seculum nonum non vixerat. Unus *Sozomenus* (L. 4. c. 15.) quantumvis et ipse integro seculo posterior, difficultatem forsan movere posset ; nisi rationes contra Hieronymum allatæ multo validius contra eum intorquerentur ; quanquam et ipse narrationem de lapsu Liberii vulgato ab Arianis rumori tribuat. V. P. Zaccar. Thesaur. Theol. t. 2. L. 1. part. 2a. Opusc. 5.

317. *Dico II.* Si cui Sirmiensi formulæ subscripsit Liberius, non subscripsit tertiæ, nec secundæ, sed *primæ* duntaxat. In hac responsione tria supponuntur :

1um. Est, monumenta fere omnia, quæ hactenus infirmare conati simus, esse genuina ac vera.

2um. Ex his excerpi hanc historiam : Liberio in exilium misso, conjuraverat quidem Clerus Romanus se alterum Pontificem, vivente Liberio, non habiturum : sive tamen vi Constantii prævalente, sive mutata Romanorum

sententia, paulo post FELIX Romanæ Ecclesiæ Diaconus Pontificatum suscepit; qui quamvis fidem Nicænam professus, quia tamen ab *Arianis* ordinatus, iisdem communionem non negabat, Romanorum odium incurrit, et LIBERII desiderium in illis accendit. Quare cum perpetuo abstinuissent ab Ecclesia ubi FELIX divina faciebat, tum legatione missa, tum præsenti supplicatione a Constantio triumphum Romæ agente anno 357. restitui sibi LIBERIUM postularunt. Imperator redditurum se Romanis LIBERIUM promisit, primo quidem divisa eum inter et FELICEM Pontificia potestate, postmodum etiam eadem LIBERIO ex integro permissa. Dum hæc Romæ fierent, sollicitabatur LIBERIUS Beroeæ a *Demophilo Beroeensi* et *Fortunatiano Aquileensi*, ac tandem, sub ejusdem anni finem aut initium sequentis, primum se ab ATHANASIO recedere, et rejectos alias Episcopos in communionem adsciscere testatus, dein Sirmiensem fidei formulam sibi oblatam suscepit. Nec statim tamen, nec absque nova subscriptione reditum obtinuit. Nam Sirmium evocato Codex, præter Sirmiensem formulam decreta Antiocheni Concilii contra Paulum Samosatenum et alterius Antiocheni an. 341. ecthesin complexus, offertur subscribendus : cui postulationi, sed impetrata vicissim ab Arianis Filii cum Patre per omnia similis professione, cum satisfecisset LIBERIUS, anno 358. jam profecto Romam plaudente populo et Felicem ejiciente regressus, priorem sedem non minus quam fidei constantiam recuperavit.

Denique 3$^{um}$. est, formulam Sirmiensem, cui subscripsit LIBERIUS, distinguendam esse ab illa damnatione, quam an. 349. Catholici contra Photinum etiam Sirmii ediderunt : in se tamen non fuisse duplicem et distinctam sed eamdem Sirmiensem formulam, quæ tum Beroeæ tum Sirmii a LIBERIO fuit subscripta, quamvis, ut dictum est, in posteriori loco huic formulæ alia etiam acta Antiochena subscribenda fuerint addita. His præmissis

*Prob. p.* 1$^{a}$. Tertia Sirmiensis formula conscripta fuit an. 359., ut ex denominatione Consulum adjecta patet, *dictante fidem* Marco Arethusio, ut HILAR. in Fragm. loquitur, et ad hunc finem edita est, ut indictis jam Ariminensi et Seleuciensi Synodis pro norma daretur : sed LIBERIUS, ex omnium consensu jam an. 358. Romam regressus erat; et formula, quam suscipi a se in ep. ad Orient. scribit, *a pluribus Fratribus et Coepiscopis tractata, exposita, et suscepta est*; et norma Sirmiensis Ariminum ab Ursacio et Valente allata, teste DAMASO in ep. ad Illyricos, a LIBERIO fuit refutata ; ergo.

*Prob. p.* 2$^{a}$. Formula secunda, sive spectetur quoad intrinseca sive quoad extrinseca, nequit dici subscripta a LIBERIO. Ostenditur 1$^{um}$. Formula secunda, ratione prohibitorum ὁμοιούσιου et ὁμοούσιου, et ratione doctrinæ de inæqualitate Filii a Patre, erat *Ariana* imo *Anomœa*, et ut talis laudata quidem fuit ab *Eudoxio* Anomæo; sed e contrario damnata est a *Basilio* in Conc. Ancyrano, nec non a Constantio vetita : atqui LIBERIUS nec damnavit ὁμοούσιον quia Sozom. L. 4. c. 15. sparsum de hac re rumorem vocat *falsum* : nec suscepit ἀνόμοιον; quia ipse, ex dictis, vicissim postulavit professionem de similitudine Filii per omnia : nec ad obtinendum ab exilio reditum subscripserat formulæ, quam libertatis dator *Constantius* suppressit, *Basilius* restitutionis procurator damnavit, et ob quam *Eudoxius* exilio est multatus ; ergo. Ostenditur 2$^{um}$. Formula secunda concepta fuit sermone latino, subscripta tantum ab Occidentalibus, edita autem an. 357. : sed formula, cui

subscripsit Liberius, concepta est græce, ut ex Athanasio et Socr. L. 2. hist. c. 30. discimus; subscripta est ab Orientalibus, ut supra ex Vigilio Tapsensi et Hilario diximus; tandem nequit an. 357. esse edita; cum alias suscepta a Liberio formula conscribi non potuisset ab iis, quibus tamen Hilarius eam signatis verbis tribuit: tum quia *Theodorus Heracleensis* inter eos nominatus jam an. 355. obierat: tum quia *Eudoxius* et *Cecropius* an. 357. Sirmio aberant: tum quia *Basilius Ancyranus* vix editam secundam formulam eodem adhuc anno damnarat; ergo secunda Sirmiensis formula non est ea, cui subscripsit Liberius.

*Prob. p.* 3ª. Supponitur Liberius subscripsisse uni ex tribus formulis Sirmiensibus Arianis: non autem subscripsit 3ªᵉ. vel 2ªᵉ.; ergo 1ªᵉ. duntaxat subscripsit. *Conf.* Formula subscripta a Liberio, ab eodem in ep. ad Oriental. dicitur Catholica et a pluribus tractata, exposita et suscepta: sed hoc soli 1ªᵉ. formulæ convenit, quæ scilicet Catholico sensu accipi potest, et præ cæteris plures suffragatores habuit; ergo.

318. *Nec dicas* 1°. Hilarius in Fragm. formulam a Liberio subscriptam appellat *perfidiam*: sed idem L. de Syn. formulam Sirmiensem primam dicit Catholicam; ergo juxta Hilarium Liberius primæ non subscripsit. 2°. Quo tempore subscripsit Liberius formulæ Sirmiensi, secunda recens erat edita; et paulo post hujus formulæ auctores *Valentem, Ursacium* et *Germinium*, datis ad eos litteris, Liberius rogavit, ut sibi ab Imperatore veniam redeundi impetrarent: sed hæc indicant subscriptionem formulæ secundæ; ergo. 3°. Sozom. L. 4. c. 15. aperte scribit, coactum a Constantio Liberium ad confitendum Filium Patri non esse ὁμοούσιον: sed hoc non primæ sed secundæ subscribendo fiebat; ergo. 4°. Si nec Beroeæ nec Sirmii Liberius subscripsisset formulæ secundæ non posset dari ratio, cur præter subscriptam jam formulam primam Beroeæ, postea novam subscriptionem debuerit addere.

R. *Ad* 1ᵘᵐ. *D. M.* Formulam hanc appellat perfidiam, spectando formulæ auctores eorumque consilium *C.* spectando formulam secundum se et acceptionem Liberii *N.* Consilium auctorum, qui partim Anomæi, partim Semiariani erant, exponitur ab Hilario in L. *cont. Constant.* eo pertinuisse, ut pro qualibet occasione innovatis et reformatis fidei formulis sensim vis ac memoria formulæ Nicænæ deleretur; quod utique perfidum erat. Idem etiam Hilarius loco objecto testatur, Catholico sensu hanc formulam a Pontifice esse susceptam.

*Ad* 2ᵘᵐ. R. *T. M.* Quia incertum est, an editio Sirmiensis formulæ secundæ præcesserit subscriptionem Liberii, cum juxta Pagium an. 357. exeunte, scilicet mense Decembri, formula hæc sit condita, et Liberius jam anni sequentis 4. nonas Augusti Romam regressus. *N. min.* Ex relata enim observatione vix tempus sufficiebat, ut formula secunda, auctoribus *Demophilo* et *Fortunatiano*, persuaderetur Liberio; præsertim cum vix edita Semiarianos oppugnatores habuerit. Quod vero *Valentem* et *Ursacium* tanquam deprecatores pro reditu suo litteris compellaverit, nihil pro subscriptione formulæ secundæ præ primæ evincit, cum illi formulæ utriusque auctores fuerint.

*Ad* 3ᵘᵐ. *D. M.* Coactus est Liberius ad confitendum Filium non esse ὁμοούσιον in sensu Pauli Samosat., h. e., non esse eamdem cum Patre Per-

sonam *C.* in sensu Arii, h. e., non esse ejusdem cum Patre substantiæ *N.* Sozomenus de collectione formularum a LIBERIO Sirmii subscripta loquitur, inter quas prior Antiochena, contra Paulum Samosat. edita, hæreticum ejus in ὁμοούσιῳ sensum damnabat, posterior autem in Encæniis an. 341. celebrata, æque ac Sirmiensis prima ὁμοούσιον duntaxat reticebat.

*Ad 4um. N. Ass.* Duplici enim ex causa Semiariani, qui post damnatam in Concilio Ancyrano Sirmiensem formulam secundam ad Constantium Sirmii confluxerant, videntur novam subscriptionem a LIBERIO exegisse: 1°. quidem, ut falsum de LIBERIO ab Anomœis sparsum rumorem, quasi ille Filium Patri dissimilem profiteretur, dissiparent; unde ad calcem suæ subscriptionis LIBERIUS anathema contra purum *Arianismum* subjecit : 2°. quoniam *Semiariani* LIBERIUM perducere eo non poterant, ut secum aperte damnaret ὁμοούσιον, agendum dolo censuerunt; ut oblata Antiochena formula, qua ὁμοούσιον in sensu Pauli Samos. damnabatur, eaque subscripta divulgare possent, ipsum damnationi ὁμοουσίου subscripsisse.

319. *Dico III.* Si LIBERIUS est lapsus, nec ut doctor publicus nec ut privatus defecit in fide, sed in fortitudine duntaxat et œconomia.

*Prob.* 1a. *p.* Ut LIBERIUS qua Doctor publicus dicatur lapsus in fide, debuit dogma *Arianum* libere, prudenter ac solemniter definire : sed nullum imprimis dogma Arianum definivit *solemniter,* h. e., tanquam omnibus credendum proposuit Ecclesiæ; cum nullum hujusmodi decreti vestigium occurrat : deinde si quid etiam definivisset, id nec fecit *libere;* cum plerique hujus narratores partim minarum et persecutionis, partim metus ac doli mentionem faciant : neque fecit *prudenter;* cum nihil, consulto per preces Deo, adhibitis in consilium viris doctis, institutis Conciliis aut Congregationibus actum, sed LIBERIUS tantum tædio exilii victus et spe reditus occupatus subscripsisse legatur.

*Prob.*2a. *p.* Ratio dicendi quod LIBERIUS ut doctor *privatus* in fide defecerit, inde desumi debet, vel quia ATHANASIUM damnavit, vel quia cum *Arianis* communicavit, vel quia formulæ Sirmiensi subscripsit : sed nulla ex his ratio est dicendi LIBERIUM in fide defecisse :

Non *prima,* quia ATHANASII condemnatio ab *Arianis* postulata fuit, non ob ejus dogmata, sed ob crimina alia ipsi imputata ; ut ex eorum postulationibus sive apud Imperatorem sive apud summum Pontificem et congregatos in Conciliis Patres constat : et sic etiam facta est a LIBERIO, ut ejus in ep. ad Orient. verba docent : *Ego Athanasium non defendo; sed quia susceperat illum Julius Episcopus decessor meus, verebar ne forte ab aliquo prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, juste vos illum condemnasse, mox consensum meum commodavi sententiis vestris ; litteras adeoque super nomine ejus, id est, damnatione per Fortunatianum dedi perferendas ad Imp. Constantium* etc.

Nec *secunda,* quia communicavit cum Episcopis, qui quamvis reipsa *Ariani* erant, se jactabant, et a LIBERIO æstimabantur, non dissidere a CATHOLICIS in dogmate, sed in causa facti de ATHANASII innocentia ; ut ex subjunctis in ead. ep. verbis colligitur : *Itaque amoto Athanasio, super quo statuta omnium vestrum a me cum sede Apostolica suscipienda sunt, dico me cum omnibus*

*vobis et cum universis Episcopis Orientalibus pacem et unitatem habere.* Colligitur id ulterius ex ratione acceptandi formulam quam ibid. his verbis reddit: *Demophilus dignatus est pro sua benevolentia fidem veram et Catholicam exponere, quæ Sirmii a pluribus Fratribus et Coepiscopis nostris tractata, exposita et suscepta est.* Ex quibus liquet, Liberium communicasse quidem cum Arianis, sed quos existimabat Catholicos, et errorem facti, non autem perversitatem animi intervenisse.

Nec *tertia,* quia nec formula prima, cui Liberium subscripsse ostendimus, continebat in se errorem Arianum; unde Hilar. L. de Syn. eam *Catholicam* dixit, et Vigil. Taps. l. supra cit. addit, *nullum fidelium Catholici apud Sirmium congregati ex toto Oriente contra Photinum Concilii sanctiones audere respuere, aut cunctari recipere :* neque reticentia ὁμοούσιος eam formulam Arianam reddit; tum quia ad hæresin Photini de solitaria Persona Dei et temporaria creatione Verbi confingendam, ea vox non erat necessaria, tum quia Augustinus ep. 174. (al. 238.) ad Pascentium Arianum se paratum subscribendi formulæ dixit, in qua nihil fidei est contrarium, licet omissum sit ὁμοούσιον.

*Prob.* 3ª. *p.* Liberius supponitur esse lapsus in causa Athanasii, communionis et formulæ *Arianæ* : sed non defecit in fide, ut hactenus est probatum; ergo in fortitudine et œconomia. *Conf.* Si Liberius est lapsus et ejus error culpabilis; ergo ideo quia tædio exilii victus, putavit defensionem Athanasii deseri, cum *Arianis* Catholicos se simulantibus pacem iniri, formulam alias Catholicam, sed aperta ὁμοούσιου professione carentem suscipi a se posse : sed in hoc defectus erat fortitudinis et œconomiæ, cum eo tempore vox ὁμοουσίος erat tessera distinctiva Catholicorum et per Athanasii latus petebatur Nicæna fides, atque communio cum Arianis habebatur pro consensu cum iisdem; ergo.

320. *Nec dicas* 1°. Liberius in ep. ad Ursac. et Valent. hæc scribit : *Quicumque autem a pace et concordia nostra, quæ per orbem terrarum volente Deo firmata est, dissenserit, sciat se separatum a commmunione nostra ;* ergo communionem ac sententiam suam, utpote quam sub pœna excommunicationis proposuit, solemniter definivit. *Conf.* 1. Ex actis Orosii constat, Eusebium Martyrem 14. Augusti in Romano Breviario et Martyrologio Adonis celebratum, a Liberio reduce, quod sibi communicare nollet, vexatum et Constantio vincula injiciente fuisse enectum ; ergo. 2. Liber Pontificalis et *Faustinus* ac *Marcellinus,* in præf. ad Libel. precum , narrant Eusebium et Damasum cum Catholicis Felici adhærentibus se opposuisse Liberio, indeque ortam in eos persecutionem ; ergo.

R. *Ad Arg. N. Cons.* Imprimis enim his in verbis nihil est de sententia aut dogmate, sed tantum de pace et concordia : deinde pertinet ad rejiciendos tantum *Anomœos* non vero ad Catholicos : demum si de fidei formula etiam accipiantur verba, intelligebantur de ea in sensu catholico a Liberio usurpata.

*Ad Conf.* 1ªm. et 2ªm. *N. Cons.* Acta enim Orosii, ex contradictoriis textus et cum historia alias certa contrariis variis, Tillemont. (Tom. 6. de hær. Arian. c. 75.) probat esse apocrypha : Præfationem illam falso tribui *Faus-*

*tino* et *Marcello*, et si quidem eorum opus sit, ob mendacia non mereri fidem, superius jam dictum est : Liber vero Pontificalis auctoritatis admodum tenuis apud Eruditos esse aliunde constat.

321. *Nec dicas* 2°. Qui init communionem cum hæreticis, et damnat fidei defensorem præcipuum, hæreticis est annumerandus : sed LIBERIUS iniit communionem cum *Arianis*, et damnavit ATHANASIUM fidei Nicænæ defensorem præcipuum; ergo.

R. *D. M.* Qui init communionem cum hæreticis, se tales profitentibus, vel agnitis saltem et æstimatis, et ob suam fidei professionem damnat defensorem fidei præcipuum, est annumerandus hæreticis *C.* qui init communionem cum hæreticis, se Catholicos fingentibus, et habitis pro Catholicis, et tantum ob scelera imputata, quæ quis errore facti putavit vera, damnat defensorem fidei *N.* Postremum autem in hac historia evenisse, constat ex dictis.

322. *Nec dicas* 3°. Qui tacet vocem ὁμοούσιος, quo tempore hanc vocem tacere idem erat ac negare, ille hanc vocem negat et est hæreticus, juxta illud Luc. 9. *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet;* ubi Matth. 10. dicitur : *Qui me negaverit* etc. : sed eo tempore tacere hanc vocem idem erat ac eamdem negare : tum quia hac voce tanquam tessera utebantur CATHOLICI, et ab ea confitenda omni modo abhorrebant *Ariani* : tum quia ab ATHANASIO et HILARIO vel ob solam hujus vocis reticentiam rejiciebantur pleræque fidei formulæ tunc temporis fabricatæ; ergo.

*Conf. Semiariani* confitebantur Filium Patri in substantia et per omnia similem, et abstinebant duntaxat a voce ὁμοούσιος, sicut Liberius, et tamen erant et habebantur hæretici; ergo et Liberius fuit, et est habendus hæreticus.

R. *D. M.* Qui tacet vocem ὁμοούσιος, quo tempore tacere idem absolute et formaliter erat ac negare, ille negat hanc vocem, et est hæreticus *C.* quo tempore tacere idem interpretative tantum erat ac negare *subd.* negat et est hæreticus, si taceat plene advertens hæreticorum dolos, nec æquivalenter loquatur *T.* secus *N.* Jam vero ex Arianæ hæresis historia constat 1°. tacere ὁμοούσιον non fuisse formaliter idem ac negare; cum *Semiariani* fuerint distincti ab *Anomœis* et *Acacianis* : 2°. nec tacere semper fuisse interpretative idem ac negare; tum quia *Semiariani* hanc vocem omitti volebant, quia inaudita ad hoc tempus fuisset, et a *Sabellianis* male usurparetur, ac præterea sufficeret, si res ipsa diceretur : tum quia LIBERIUM non ideo pro *Ariano* fuisse habitum quod formulæ, ὁμοουσίου voce carenti, subscripserit, vel solus retardatus per annum prope integrum reditus et altera subscriptio ab ipso exacta manifestum facit : 3°. LIBERIO dolos Arianorum eo tempore non fuisse perspectos docuit eventus; cum constet simili postmodum fraudi, in Concilio Ariminensi adhibitæ et detectæ, ab eodem fuisse fortiter repugnatum : 4°. LIBERIUM denique æquivalenter professum esse ὁμοούσιον non tantum constat ex vi et significatione ὁμοιουσίου, quam non tantum catholicam sed sufficientem etiam fuisse habitam, ex EPIPH. hær. 73., ATHAN. et HILAR. LL. de Syn., THEODORET. et SOZOMENO, *Alexander Natalis* contendit; sed ex eo quod, teste SOZOMENO L. 4. c. 15. non ab *Anomœis* solum, sed a *Semiarianis* LIBERIUS

postulaverit professionem de Filii adæquata similitudine cum Patre; quo facto ostendit amplius a se quidpiam admitti, et a *Semiarianis* postulari, si ὁμοιούσιον in sensu sequiori ab illis acciperetur.

*Ad Conf. N. parit.* Discrimen patet ex modo dictis, et ex fide mala *Arianorum* ac opposita fide bona Liberii.

323. *Nec dicas* 4°. Athanasius, Hilarius, Hieronymus, Sozomenus, Auxilius et Petrus Damiani, num. 316. laudati, diserte enuntiant Liberium *subscripsisse* aut *consensisse hæresi Arianæ*; unde tertio denuntiatum Liberio *anathema* ab Hilario legitur; ergo.

R. *D. A.* Scriptores hi falso rumore decepti enuntiant etc. *C.* vere edocti *subd.* enuntiant Liberium formaliter et expresse subscripsisse aut consensisse hæresi Arianæ *N.* interpretative aut secundum hominum æstimationem *C.* Quia enim Liberium damus defecisse in fortitudine et œconomia circa triplex illud factum, concedimus etiam sensum Scriptorum illorum postremum; priorem autem negamus ex rationibus jam datis. Quod *anathema* in Liberium ab Hilario pronuntiatum attinet: (siquidem hæc nota ex margine non irrepserit aut ab alio quodam Fragmentis fuerit insertum, ut fere omnes conjiciunt) eo statim tempore adnotatum ab Hilario videtur, quo, captato ex Liberii subscriptione mendacio, *Eudoxius* cæterique *Anomœi* rumorem falsum sparserunt, Pontificem damnasse ὁμοούσιον; id quod, reverso licet ad Urbem ac pristinam constantiam Liberio, relictum ab Hilario, scriptionibus aliis ac laboribus distracto, postea a Fragmentorum collectore Nicol. Fabro est editum.

324. *Nec dicas* 5°. In ipsa Sirmiensi formula prima plures habentur errores; nam anathematismo 3. (apud Hilar. de Synod. n. 38.) sic dicitur: *Si quis unum dicens Deum, Christum autem Deum ante secula filium Dei obsecutum Patri in creatione omnium, non confitcatur: anathema sit*: et 27. *Si quis Christum Deum filium Dei ante secula subsistentem et ministrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat... anathema sit*: apertius adhuc 17. anathem. *Non exæquamus vel comparamus Filium Patri, sed subjectum intelligimus*; ergo, cum Liberius in sua ad Orient. ep. dicat: *Hanc* (formulam) *ego lubenti animo suscepi in nullo contradicens*, etiam his anathematismis erroneis adhæsit.

*Conf.* In formula Antiochena an. 341. edita sic habetur: *Nos neque sumus Arii sectatores; qui namque fieri potest, ut, cum simus Episcopi, Ario Presbytero auscultemus? neque aliam fidem quam quæ ab initio divulgata sit recipimus: sed cum in fidem ejus studiose inquirere eamque accurate expendere niteremur, Arium potius ad nos revertentem admisimus, quam ejus opinioni sumus ipsi obsecuti: idque ex his, quæ dicentur facile cognoscetis. Nam nos ab initio didicimus credere in unum Deum* etc. (Labb. t. 2. p. 589); ergo, cum Liberius formulæ huic Sirmii subscripserit, communicasse etiam cum Ario convincitur.

R. *N. A.* Quæ enim videntur Arianismum sapere, Catholice dicta sunt, si phrasin priorum temporum et hæresin oppugnatam attendamus. Nempe Filius dicitur *Patri obsecutus in creatione omnium et ministrasse ad omnium perfectionem*, quatenus per Filium Dei omnia creata sunt; quod negavit

*Photinus*, distinguens Verbum a Filio Dei, et illi quidem in sensu Pauli Samosateni existentiam sed a persona Patris indistinctam ab æterno concedens, huic vero eam ante Virginis partum auferens : unde in 27. Anathematismo addita sunt hæc verba in objectione omissa : *Sed ex quo de Maria natus est, ex eo et Christum et Filium nominatum esse et initium accepisse, ut sit Deus, dicat.* Similiter dum Filius Patri *non exæquari nec comparari* sed *subjectus intelligi* asseritur, contra hæresin tantum Photini et Pauli negatur Filius esse a se, et genitus a Patre affirmatur, quod ex contextu Anathem. 17. liquet, qui talis est : *Neque enim descendit in Sodomam sine voluntate Patris ; neque pluit ex se, sed a Domino, auctoritate scilicet Patris ; neque sedet in dextra a semetipso, sed audit dicentem Patrem, sede ad dexteram meam.* Vid. num. 291. 292. et 293.

*Ad Conf.* R. *N. Cons.* Quamvis recitata in *antecedente* apud Socratem et Athanasium legantur, non sunt tamen constitutiva formulæ fidei, sed fragmentum actorum Concilii et transitio ad formulam ; unde nec ab Hilario L. de Syn. n. 29. nec a Theophronio apud Athan. L. de Syn. n. 24. referuntur. Præterea vel vera supponitur ea Antiochenorum Patrum narratio, vel falsa? si 1um ; *Arius* resipuit, et Liberius cum eo communicare potuit : si 2um ; ergo errore facti deceptus quidem est Liberius, non nisi tamen post retractationem ejus sibi propositam cum eo communicavit. Quin gratis omnino et absque fundamento dicitur, Ario jam diu e vivis sublato, Semiarianos, oblato hoc fragmento, sollicitos fuisse ut illi pax a Liberio donaretur.

325. *Observa.* Celebrem inter Eruditos controversiam, nempe an Felix Sedem Romanam, acto in exilium Liberio, occupans legitimus fuerit Pontifex, huc quidam injiciunt, ut, affirmato Felicis Pontificatu, probent Liberium in hæresin incidisse. Cum enim nec Ecclesia possit esse biceps, nec Papa nisi ob hæresin excidat Pontificatu ; si Felix legitimus fuit Pontifex, derogatum ob hæresin fuisse Liberio Pontificatum necesse est ; quandoquidem uterque nequibat esse Romanus Pontifex, ne Ecclesia evaderet biceps. Objectioni huic satisfaciendi via se duplex offert : *altera,* illa in controversia, partem negantem tenet, et suppositum negat ; in quam rem *Alex. Nat.* Sec. 4. Diss. 32. Art. 3. consuli potest ; *altera,* conciliando controversiam, vim objectioni detrahit, dum statuit Felicem quidem legitime electum esse in Liberii Vicarium cum successionis jure, interveniente tamen morte, fuisse præpeditum ne juris illius usu gaudere posset.

Atque hæc quidem responsio commodior et honoratior videtur. In ea enim verum manet, quod Theodoret. L. 2. hist. c. 17. ait : *Successum est Liberio a quodam illius Diacono, nomine Felice* : manet auctoritas Optati Milev. de Schism. Donat. L. 2. n. 3. et Augustini ep. 165 (al. 54. n. 2) in Pontificum serie Felicem omittentium, scilicet ex eo quod Felix tantum sub Liberio, unquam solus et nomine proprio Pontificatum gesserit : nec detrahitur fides Catalogis sequioris ævi et Martyrologiis omnibus Felicem inter Pontifices recensentibus, utpote quibus jus successionis et administratio jam data pro Pontificis acceptione suffragatur. Quæ Athanasius in ep. ad Solitar. seu hist. Arian. ad Monach. n. 75. de Felicis ordinatione per Arianorum operam facta commemorat ; vel dici possunt ad eum absentem sinistro et mendaci rumore esse perlata ; cum Socrat. L. 2. hist. c. 37. scri-

bat, diversos diversa de his quæ eo tempore in Ecclesia evenerant retulisse : vel FELICEM non probant intrusum; tum quia interventus hæreticorum Episcoporum irritam non faciebat sive electionem sive ordinationem, uti exemplum CYRILLI ad Hierosolymæ sedem assumpti ostendit : tum quia *a congregatis Sacerdotibus procurante Liberio in ejus locum Felicem esse ordinatum,* testatur. Alia, quæ circa FELICIS ex urbe discessum, mortem et martyrium disputantur, nec nostri instituti, nec hujus loci est componere, cum responsionis datæ nec fundamenta sint, nec ulli partium satis explorata.

QUÆRES III. *An Patres Concilii Ariminensis Ariana hæresi fuerint fædati?*

326. *Nota I.* Cum *Constantii* consilium de habenda Generali Synodo primum quidem *Nicomediæ,* postea *Nicææ,* his urbibus terræ motu subversis, fuisset frustratum; arte Arianorum effectum est, ut, diviso conventu, Orientales *Seleuciam* in Isauria, Occidentales *Ariminum* in Æmilia an 359. convocarentur. Qui Seleuciæ convenerant, centum et sexaginta ab ATHANASIO L. de Syn. n. 12., SOCR. L. 2. hist. c. 39., et SOZOMEN. L. 4. c. 22. numerantur, a S. HILARIO autem L. cont. Constant. n. 12. dispescuntur in tres classes; quarum 1ª. Semiarianos quinque supra centum, 2ª. novemdecim Arianos puros, 3ª. reliquos Catholicos plerosque Ægyptios complectitur; excepto nempe Georgio Alexandrino hæretico, et addito S. Hilario, qui quatuor jam annis in Phrygia exul ad eam Synodum vocatus erat. Diversa congregatorum studia irritum fecere Concilium. Cum enim Catholici præter Nicænam formulam nollent aliam, Ariani autem duce Acacio, ὁμοουσιῷ et ὁμοιουσιῷ juxta ac ἀνομοιῷ rejectis, ὅμοιον tantum oblata formula profiterentur, Semiariani tandem, formula Antiochena Encœniorum adoptata, ὁμοιούσιον urgerent; Leonas ad curandam Synodum ab Imperatore missus conventum dimisit.

Arimini, ex ATHANASII L. de Syn. n. 8., SOCRATIS c. 37., SULPITII L. 2. hist. Sac. et SOZOMENI L. 4. c. 17. calculo, (qui alteri Juliani Pelagiani apud AUG. L. 1. oper. imperf. ad 650. augenti, alteri Maximi Ariani ad 330. minuenti præferendus est), confluere Episcopi 400. et amplius. Ex his tum *Ariani* tum *Semiariani* octogenarium numerum non superabant; quos inter præcipui Ursacius, Valens, Auxentius, Demophilus et Germinius : reliqui omnes Orthodoxi, in quibus Restitutus Carthaginensis, Phœbadius Aginnensis, Servatius Tongrensis auctoritate et sanctitate eminebant.

Faustum fuit Synodi initium. Nam ubi *Valens* et *Ursacius* Arianorum nomine proposuerant formulam Sirmiensem tertiam ex Imperatoris voluntate deinceps tenendam, rejecerunt eam omnes consensu unanimi; insuper damnata Arii hæresi inhærendum Nicæno Concilio statuerunt : cujus regulæ cum *Valens* et *Ursacius* cum sociis subscribere recusarent, anathemate eosdem proscripserunt, decreta ad extremum Episcoporum decem legatione, qui Imperatorem, de rebus gestis edoctum, rogarent ut conventum solvere et cuilibet ad sedem propriam redire liceret. Sed enim Imperator a prægressis Arianorum præcipuis occupatus, primo quidem Legatis Orthodoxis conspectum suum negare, datis deinde ad Ariminenses litteris, responsum suum et Concilium prorogare; quos cum hac mora minime moveri adver-

teret, coacta raptim Nicææ in Thracia Synodo, Orthodoxorum Legatos partim Arianorum fraude, partim minis impellere, ut formulæ novæ, quæ, omissis οὐσία et ὁμοουσίῳ, Filium duntaxat Patri similem ediceret subscriberent, latamque in *Ursacium* et *Valentem* sententiam rescinderent : demum ut ipsos Ariminenses Patres in eamdem prævaricationem raperet, data ad Taurinum Præfectum epistola, mandare ne sinat Concilium dimitti, quousque omnes eidem fidei formulæ subscripserint, reluctantes, siquidem plures quam quindecim non essent, exilio mulctet.

Perstiterunt etiam tum Patres illi sua in professione constantes, et hinc Legatos Ariminum regressos repulerunt sua a communione. Verum ubi diutius in hyemem usque detinentur, Arianorum dolis, suasionibus Præfecti, Imperatoris minis ac tædio longioris a suis Ecclesiis absentiæ fracti plures, quin omnes cesserunt, postquam *Valens* protestatus non esse se Arianum, et Arii hæresin execratus, variis anathematismis videri Catholicus studuit. Hac Patrum indulgentia extorta et dimisso Concilio, triumphum cecinerunt Ariani, sparseruntque palam traxisse se in plenaria Synodo omnes adversarios ad profitendum propria subscriptione Filium Dei esse intra ordinem creaturarum, cæteris quidem excellentiorem, sed tamen excellentia creata.

Historia ex laudatis auctoribus hactenus exposita cum abutantur posteriorum seculorum Novatores, et post eos *Janseniani*, ad Ecclesiæ et Conciliorum auctoritatem elevandam, operæ pretium erit tres inde depromptas quæstiones examinare : 1°. quidem, an formula Ariminensis subscripta, in sese secundum verba seu verborum sensum, sit hæretica? 2°. an Patres formulæ, secundum intelligentiam Arianorum offerentium saltem hæreticæ, subscribentes consenserint hæresi, et facti sint Ariani? 3°. an, si supponatur Patres Ariminenses in fide fuisse lapsos, Ecclesia errasse dici possit. Unde

327. *Nota II.* Formula cui Arimini subscripserunt Patres, tria continet; Symbolum nempe fidei : Clausulam de omittendis certis vocabulis : Anathematismos tandem propositos; quæ omnia ex Hilarii Fragmentis VII. n. 4. et IX., Athanasii L. de Syn. n. 8. et S. Hier. in Dial. cont. Lucifer. n. 17. 18. hic juvat subjicere.

Symbolum ita habet : *Credimus in unum et solum verum Deum, Patrem omnipotentem, ex quo omnia. Et in unigenitum Filium Dei, ante omnia secula et ante omne principium ex Deo genitum, per quem omnia facta sunt, visibilia et invisibilia. Genitum autem Unigenitum ex solo Patre, Deum de Deo, similem Patri qui eum genuit, secundum Scripturas : cujus generationem nemo novit, nisi solus Pater qui genuit illum. Hunc novimus unigenitum Dei Filium a Patre missum descendisse de cœlis, sicut scriptum est, in destructionem peccati et mortis : et genitum ex Spiritu sancto et Maria Virgine, sicut scriptum est, secundum carnem : et cum discipulis versatum esse : et universa dispensatione juxta Patris voluntatem expleta, crucifixum, mortuum et sepultum, descendisse ad inferos : quem infernus ipse exhorruit : resurrexisse a mortuis tertia die; versatum esse cum discipulis diebus integris quadraginta : assumptum ad cœlos sedere ad dexteram Patris, venturum in ultimo resurrectionis die cum gloria Patris, ut reddat unicuique juxta opera sua. Et in Spiritum sanctum, quem ipse unigenitus Dei Filius Jesus Christus Deus ac Dominus promisit se missurum generi humano paracletum, sicut*

*scriptum est, Spiritum veritatis : quem ipse misit, postquam assumptus est ad cœlos, seditque ad dexteram Patris, unde venturus est judicare vivos et mortuos.*

Clausula vero hæc est : *Nomen autem substantiæ, quod simplicius insertum est a Patribus, et a populo non intellectum scandalum pariebat, quoniam in Scripturis non extat, tolli placuit, et de cœtero nullam penitus fieri mentionem substantiæ, maxime cum divinæ Litteræ Patris et Filii substantiæ nusquam meminerint. Neque item in Persona Patris et Filii et Spiritus sancti unam hypostasin nominari debere. Similem vero Patri Filium dicimus, sicut et divinæ Scripturæ dicunt et docent.*

Anathematismi a Valente pronuntiati, et ab omnibus confirmati, sunt sequentes : *Si quis negat Christum Dominum Dei Filium ante secula ex Patre genitum, anathema sit. Si quis negat Filium similem Patri secundum Scripturas, anathema sit. Si quis Filium Dei non dixerit æternum cum Patre, anathema sit. Si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut sunt cœteræ creaturæ, anathema sit. Si quis dixerit de nullis extantibus Filium, et non de Deo Patre, anathema sit. Si quis dixerit, erat tempus quando non erat Filius, anathema sit.* His subjunxit, reliquis præeuntem sequentibus, Claudius Provinciæ Piceni Episcopus : *Si quis dixerit Filium Dei esse quidem ante omnia secula, sed non ante omne omnino tempus, ut ei aliquid anteferat ; anathema sit.*

328. *Dico I.* Formula Ariminensis in sensu naturali et proprio verborum nihil continet hæreseos, sed est catholica. *Prob.* Tria sunt ex dictis, quæ sub formulæ Ariminensis nomine intelligi possunt, expositio nempe fidei, clausula, et anathematismi : sed in nullo ex his inest aliquid hæretici, in priore autem et postremo habetur dogma Catholicum ; ergo.

*Prob. min. p.* 1ª. Nulla vox est in Symbolo, quæ divinitati Filii repugnet ; ut non tantum ex silentio adversariorum, sed et ex accurata singulorum consideratione liquet : plures e contrario eamdem confirmant ; ut ostenditur. Jesus Christus enim *unigenitus* dicitur *Filius Dei,* ad excludendam filiationem adoptivam justis convenientem : *genitus ex solo Patre* ad distinctionem a creatura, quæ *facta* dicitur : *ante omnia secula et ante omne principium genitus,* ad exprimendam juxta Evangelii Joannis initium æternitatem : *Deus de Deo,* et absolute *Dominus* et *Deus,* ad exprimendam fidem perfectam, ut Hieron. l. c. scribit.

*Conf.* Ex testimonio Patrum, qui hanc formulam in sensu obvio Catholicam enuntiant. De hac Liberius in ep. ad Ital. Episcopos loquens ait (Labb. t. 2. p. 754. E) : *Auctores vero esse damnandos, qui obliqua et maligna subtilitate et caligine offenderunt innocentium sensus, per quæ velamen obducerent veritati ; tenebras lucem et lucem tenebras venditantes :* Episcopi autem Italiæ apud Hilarium in Fragm. XII. n. 2. ita ad Illyricos scribunt : *Ariminensis Concilii statuta, quorumdam tergiversatione corrupta, consensu omnium Provinciarum, jure rescindimus.* Sulpitius Severus L. 2. hist. Sac. sic loquitur : *Eisdem conscriptam ab improbis fidem tradit, verbis fallentibus involutam, quæ Catholicam disciplinam perfidia latente loqueretur.* Hieronymus demum loco cit. recitatæ formulæ varia in hunc modum inserit : *Hoc etiam nos confitemur... Cum superficies expositionis nihil jam sacrilegum præferret...*

*Sonabant verba pietatem... Inter tanta illa præconia, nemo venenum insertum putabat... Perfecta fides est, Deum de Deo credere* etc.

*Prob. p.* 2ª. Expressa vocabuli ὁμοούσιος professio necessaria non fuit ad fidei veritatem, seu ut quis vere Catholicus esset; nec ad fidei distinctionem, seu ut quis ab Arianis secerneretur; nec ad fidei evidentiam, seu ut quis Catholicus agnosceretur. 1ᵘᵐ. patet tum ex rarissimo illius vocabuli usu ante Conc. Nicænum, tum ex ejusdem damnatione in Conc. Antiocheno contra Paulum Samosatenum prolata, ut ATHANASIUS et HILARIUS LL. de Syn. referunt. 2ᵘᵐ. liquet tum ex fidei professionibus hoc vocabulo carentibus, quas vel Ariani vel de hæresi Ariana suspecti *Valens* et *Ursacius* apud ATHAN. in Apol. cont. Arian. n. 58. *Marcellus Ancyranus* apud EPIPHAN. hær. 72., *Germinius* apud HILAR. in Fragm. XV. *Meletius Antiochenus* apud EPIPH. hær. 73. ediderunt ad se purgandos et ab Arianis secernendos; tum ex Patrum dictis et factis: ATHANASIUS enim L. de Syn. n. 41. ita ait: *Viros autem, qui alia quidem omnia Nicææ scripta recipiunt, de solo autem Consubstantialis vocabulo ambigunt, non ut inimicos spectari par est*: AMBROSIUS autem, prout in gestis Concilii Aquileiensis habetur (Labb. t. 2. p. 979. seqq.), quantumvis *Palladium* et *Secundianum* Arianos plurimis versaret quæstionibus, ut sinceram ex iis fidei professionem eliceret, illos ad hoc vocabulum profitendum nec verbulo ursit. 3ᵘᵐ. ostenditur. Ubi enim res ipsa tenetur ac creditur, abstinendi autem a certis vocabulis ratio probabilis habetur, saltem non erratur in fide, nec Orthodoxia abstinenti hujusmodi neganda est: sed imprimis res ipsa tenebatur, ut constat ex prioribus; et ex sequentibus uberius patebit: deinde etiam, teste Hieronymo, *de usiæ nomine abjiciendo verisimilis ratio præbebatur*, eaque triplex in ipsa clausula exprimitur; ergo.

*Prob. p.* 3ª. Quin omnes ANATHEMATISMI sint omnino Catholici et ex diametro hæresi Arianæ oppositi, dubitari nequit, nisi de unico, quo negatur Filius Dei esse creatura, ut sunt cæteræ creaturæ: sed etiam iste est Catholicus; quia vere ac recte hoc negatur: est quoque hæresi Arianæ oppositus; quia *Arius* contendebat filium Dei pro more reliquarum creaturarum esse creaturam; ergo.

*Conf.* Quamvis ille ANATHEMATISMUS solitarie spectatus possit esse ambiguus, et quatenus præcise similitudinem tantum cum creaturis negat, defectuosus; tamen prout est conjunctus cum aliis anathematismis, in naturali sensu non potest accipi tanquam asserens Filium Dei esse creaturam, licet excellentiorem cæteris rebus creatis; quia alia prædicata in conjunctis anathematismis Filio Dei attributa, nempe esse *genitum ante secula et omne omnino tempus, æternum cum Patre, similem Patri secundum Scripturas, esse de Deo et non de nullis extantibus*, pro illius ætatis usurpatione cum ratione creaturæ conciliari nequaquam poterant.

329. *Dico II.* Patres formulæ Ariminensi, quantumvis sinistra offerentium intelligentia corruptæ, subscribentes non errarunt in fide, nec professi sunt Arianismum. *Probatur.* Qui formulæ de se Catholicæ subscribit, et tum ante tum post subscriptionem declarat illa a se in sensu Catholico subscribi, hac sua subscriptione non incurrit errorem in fide, nec profitetur hæresin; quantumvis eam formulam offerentes sinistri aliquid subintelligant: sed Patres Ariminenses, ut ex *num. pr.* liquet, formulæ per sese Catholicæ subscripse-

runt; præterea vero tum ante tum post subscriptionem declararunt illi a se in sensu Catholico subscribi; ergo.

*Prob. min. p.* 1ª. Qui formulæ ex se Catholicæ non ante subscribunt, quam auctor illius se Catholicum, tum protestatione privata et publica, tum damnatis erroneis ac suspectis propositionibus, probaverit vel simulaverit, et ipsi etiam tum errores oppositos, tum sensus malignos proscripserint, satis declarant a se non subscribi formulæ, nisi in sensu Catholico: sed hoc, ex narratione S. Hieronymi L. cont. Lucifer. n. 17. et 18. vera ac sincera, patet; ergo.

*Conf.* Anathematismi, quibus tum negantes Christum esse æternum cum Patre, natum ante omnia secula et omne omnino tempus, genitumque de Deo Patre, tum affirmantes Christum esse creaturam et de non extantibus, ac fuisse tempus quando non erat Filius, rejiciuntur, æquivalent apertæ professioni vocabuli ὁμοούσιος, ut patet e pluribus Athanasii scriptis, L. de Syn. Nic. Decretis, in epist. ad African., L. de sentent. Dionysii, epist. Encycl. cont. Arian. et in ep. Synodica Conc. Alexandrini. Unde formatur hoc argumentum: Qui ipsam rem seu dogma, et *verbis æquivalentibus* vocem ὁμοούσιος ante subscriptionem formulæ ex se Catholicæ et sola ὁμοουσίου voce carentis profitetur, abunde declarat huic formulæ in sensu Catholico a se subscribi: hoc præstiterunt Patres Ariminenses, ut ex Hieronymi relatione et asserto proximo manifestum est; ergo.

*Prob. p.* 2ª. Qui, ut primum subscriptionem suam sinistro sensu accipi jactarique audiunt, continuo reclamant, actaque rescindunt, contestati nihil perversi a se cogitatum aut intellectum, illi Catholico sensu formulæ alias Catholicæ subscripsisse censendi sunt: ita vero rem evenisse Patribus Ariminensibus et Hieronymus ac Liberius narrant, et ipsi Patres in Synodis postea congregati protestantur: Hieronymus quidem L. cont. Lucif. n. 19. ita subdit: *Concurrebant Episcopi,.... contestantes corpus Domini, et quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in fide sua suspicatos. Putavimus, aiebant, sensum congruere verbis: nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse aliud labiis proferri timuimus..... Non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare. Multaque alia, quæ brevitatis studio prætereo, flentes asserebant; parati et subscriptionem pristinam et omnes Arianorum blasphemias condemnare.* Item testatur Liberius in ep. ad Orientales (Labb. t. 2. p. 758), Episcopi Italiæ ad Episc. Illyr. (Hilar. fragm. XII), et Episcopi Gallicani in ep. Concilii Parisiensis synodica (Labb. t. 2. p. 822).

*Conf.* Qui post subscriptionem formulæ Catholicæ fraude ac dolo Arianorum eam offerentium deceptos se profitentur, vel decepti ab aliis narrantur, non Ariano sed Catholico sensu subscripsisse censendi sunt: hoc vero, ne quid ex Damasi ad Illyricos epistola proferam, constat ex iisdem documentis: Hieronymus, ubi nuper quædam omisimus, primo loco habet: *qui Ariminensibus dolis irretiti sine conscientia hæretici ferebantur*; secundo loco: *Decepit nos bona de malis existimatio*: paulo autem post ita pergit: *In Alexandrina postea Synodo constitutum est, ut exceptis auctoribus hæreseos, quos error excusare non poterat, pœnitentes Ecclesiæ sociarentur, non quod Episcopi possent esse, qui hæretici fuerant; sed quod constaret eos, qui reciperentur, hæreticos non fuisse.* Liberius præmittit: *Nihil tamen eorum* (Arianorum) *calliditas profuit*; subjungit autem: *Significamus, ut noveritis*

*blasphemos Ariminenses, qui tunc videbantur per subreptionem maculati, universos ad Nicænam respirasse fidem.* Similiter præmiserant Episcopi Italiæ. *Et quantum ad Italiam quidem pertinet, cum fidei paternæ, hoc est, apud Nicæam scriptæ se reddidit, fraudem, quam passa est apud Ariminum, recognoscens, etc.* Item Patres Gallicani : *Itaque cum ex litteris vestris in Usiæ silentio fraudem se passam simplicitas nostra cognoscat etc.* ; ergo.

330. *Nec dicas* 1°. Ex coævis et supparibus Scriptoribus constat formulam Ariminensem quoad omnes partes hæretica labe esse fœdatam. Nam 1°. Hier. L. cont. Lucif. n. 17. de Symbolo dicit : *Nomine unitatis et fidei infidelitas scripta est* ; et Liberius in ep. ad Epp. Orient. (Labb. p. 758. B.) illud nominat *Decreta Arimini contra fidem Nicææ stabilitam sancita.* Præterea 2°. dum Hier. l. c. scribit : *Tunc Usiæ nomen abolitum est; tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est,* de clausula loqui facile intelligitur. 3°. Respectu anathematismi quarti, Ambr. ep. 21. ad Valentinian. n. 13. 14. Christum ab Ariminensibus dictum esse *creaturam* enuntiat; Sulpit. Severus autem L. 2. hist. Sac. ita scribit : *Etenim his verbis, quibus similis esse creaturis Filius negabatur, creatura tamen, potior tantum cæteris, pronuntiabatur* ; ergo.

R. *D.* Constat formulam hæretica labe esse fœdatam, si spectatur secundum sensum naturalem et prout intellectum a Patribus *N.* si attendatur ad consilium auctorum et datam ab illis postea interpretationem *C.* de priori sensu locuti sunt scriptores, quos num. 328. attulimus; de posteriori sunt accipiendi, qui hic in contrarium proferuntur; eodem fere modo quo Patres circa Concilium Diospolitanum, nempe Hieronymus ep. 81. (al. 143. n. 2.) illud damnans, Augustinus vero L. de gest. Pelag. c. 1. illud laudans, conciliantur. Patet hoc ipsum apertius ex singulis objectis.

Quod enim *primum* attinet, Hieronymus recitatis verbis subjungit : *ut nunc agnoscitur,* respiciens ad Arianorum sensum et consilium, dimissa Synodo, manifestatum : idem respexit Liberius; vel formulam Ariminensem fidei Nicænæ contrariam declaravit, quatenus defectuosum et mancum, reticentia scilicet ὁμοουσίου, perfecto et hanc vocem profitenti contrariatur. In *secundo* ex hoc ipso quod clausula indigitata dicatur, *nomen Usiæ abolitum est*, non negatione, sed omissione duntaxat et reticentia : *damnatio* autem *Nicænæ fidei est conclamata,* non a Patribus Catholicis, sed ab Arianis ; de quibus Hier. sæpe laudatus : *Cœperunt postea Valens et Ursacius, cæterique nequitiæ eorum socii, egregii scilicet Sacerdotes, palmas suas jactare, dicentes, se Filium creaturam non negasse, sed similem cæteris creaturis.* In *tertio* Ambrosium et Sulpitium de specie ab Arianis jactata, non autem de veritate rei esse locutos, ex recitatis Hieronymi verbis apparet; præsertim quia Patres anathematis propositionem non ipsi conceperant, et velut Arii hæresin a Valente abjuratam ipsi etiam execrabantur.

331. *Nec dicas* 2°. Ex similibus documentis liquet, Patres Ariminenses defecisse in fide et factos esse Arianos. Liberius enim l. c. ait : *A fide tunc quidem desciverant*; Augustin. ep. 50. (al. 185. n. 47.). Patres *veneno Ariano periisse,* et Facund. Hermian. L. 5. c. 3. *in Arianum dogma subactos* scripserunt. *Conf.* Ecclesia in Conciliis Parisiensi an. 360., Alexandrino an. 362.

et Romano an. 366. damnarunt formulam Ariminensem, et Patres non nisi de subscriptione pœnitentes, admiserunt in communionem ; ergo in utroque hæresis admittenda est.

R. *N. Ass.* Deceptos enim fuisse Patres, ac detecta fraude continuo reversos ad explicitam fidei professionem, docuimus superius, *Scire autem debemus,* ut Facund. L. 12. c. 1. ait, *quod hæreticum non faciat ignorantia, quæ doctrinæ veritatis contumax non est, sed potius obstinata defensio falsitatis.* Quare nomine *defectionis a fide, veneni Ariani et Ariani dogmatis* hi Patres intellexere duntaxat defectum quemdam in professione fidei, communionem cum Arianis Orthodoxos se mentientibus, et subdolæ ecthesi approbationem ex imprudentia datam.

*Ad Conf.* R. *N. Cons.* Triplici ex capite rejecta postmodum ab Ecclesia est Ariminensis formula; primo quidem, quia minus quam oportebat profitebatur : dein quia ad abolendam Nicænam formulam condita erat : demum quia ab Arianis in hæreticum sensum detorquebatur. Nec minus recte exigebant a Patribus pœnitentiam; tum quia ab eorum facto non aberat ignavia quædam ac imprudentia : tum quia externa cum hæreticis communicatio et suspicionis a mendaci Arianorum gloriatione aspersæ macula detergenda erat. *Decretum tamen est,* verba sunt Athanasii in ep. ad Rufinianum, *ut eis et venia concedatur, et in clero detur locus, potissimum quia consentaneam attulerunt excusationem, et quod œconomia quadam id factum videatur : affirmabant quippe se minime in impietatem lapsos esse*; ideoque Hieronymus l. c. quærit : *Cur damnassent eos, qui Ariani non erant? cur Ecclesiam scinderent in concordia fidei permanentem? cur denique bene credentes obstinatione sua facerent Arianos?* Ex quibus patet cum veritate antecedentis stare consequentis falsitatem.

332. *Dico III.* Facto de Ariminensium perfidia supposito falso, nequit dici Ecclesia errasse in fide.

*Prob.* Facto hoc supposito dici posset Ecclesia errasse in fide, vel quia Concilium errans erat Œcumenicum; vel quia Patres errantes erant potissima pars Ecclesiæ; vel quia error Concilii et Patrum erat communis reliquæ Ecclesiæ : sed nulla ex his est causalis vera ; ergo.

*Prob. min. p.* 1ª. Concilium Ariminense neque fuit conjunctum et unum cum Seleuciensi; neque si fuit cum illo unum, habuit necessarias Œcumenici conditiones.

1um. patet 1°. ex consilio Arianorum, qui juxta Athan. L. de Syn. n. 7. *metuentes, ne Episcopis unum in locum congregatis vana foret eorum sollicitudo, rogarunt Synodum duas dividi in partes ; ut separatis quæ scripserunt exhibentes, majorem eorum numerum minis Constantii intentatis subornare possent :* 2°. ex voluntate Constantii, qui in Litteris ad Ariminenses datis (Hilar. fragm. VII. n. 2.) scribit : *Non enim de Orientalibus Episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri : proinde super his tantum, quæ ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debebitis* : 3°. ex actis utriusque Concilii plane diversis, quæ num. 326. retulimus.

2um. ostenditur. Œcumenicum enim concilium oportet, ut 1°. convocetur a Papa ipso, vel eo saltem consentiente, illeque eidem vel per se vel per Lega-

tum præsideat; 2°. ut Episcopi nec inviti ad illud cogantur, nec ab eo excludantur non excommunicati; 3°. ut ex præcipuis Ecclesiæ partibus convocati reipsa adsint. Hæ vero conditiones omnes hic desiderantur. Non enim 1°. Liberius consenserat in hanc synodum, ut ipse in ep. ad Orient. apud Socrat. l. 4. c. 12. docet, nec eidem aderat aut præsidebat, ut Damasus in ep. ad Illyrios (Labb. t. 2. p. 883.) demonstrat: 2°. Episcopos *vi coactos* Athan. de Syn. n. 7. testatur; exclusos autem fuisse Athanasium, Eusebium Vercellensem, Luciferum Calaritanum aliosque Episcopos Ægypti et Lybiæ sexdecim, tum horum exilium, tum Arianorum consilium a Theodoreto L. 2. hist. c. 18. expositum declarant: 3°. Nationalia autem duntaxat fuisse concilia, aut ad summum Ariminense pro Occidentis, Seleuciense pro Orientis Synodo haberi posse, tum ex probata utriusque distinctione, tum ex dicendis manifestum est.

*Prob. p.* 2ª. Patres errantes non erant potissima Ecclesiæ pars, nec *dignitate*, quia ex dictis Pontifex Romanus nec ipse nec per Legatos aderat, et Alexandrinus Patriarcha Athanasius exilio iniquo retinebatur; nec *numero*, ut ostenditur. Nam collecti etiam unum in numerum utriusque Synodi Patres non superant sexcentos: sed hunc numerum non fuisse præcipuam partem Episcoporum ea ætate Ecclesiam regentium, colligitur

1°. Si Episcoporum seculo IV. existentium numerus universim ineatur; de eo enim Aug. L. 3. cont. Crescon. c. 3. scribit: *Proinde si omnino jam credendum sit quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris vel aliquando etiam pluribus contra tot millia Episcoporum quibus hic error in toto orbe displicuit.* Item Serm. 2. in Psal. 36. n. 23. ait: *Millia Episcoporum per orbem terrarum, qui damnarunt a parte Cæciliani Donatum, nihil ponderis apud te habere putas,* et in ep. 163. (al. 43. n. 11.) ad Glor. et Eleus. *Millia quippe Collegarum transmarina restabant, ubi apparebat eos judicari posse, qui videbantur Afros vel Numidas collegas habere suspectos*: quin et in ep. 164. (al. 87. n. 1.) ad Emerit. dicit *Ecclesias Orientalium innumerabiles.*

2°. Si ad numerum Episcoporum in Provinciis certis attendatur. Et quidem Sozom. L. 6. hist. c. 12. loquens de Episcopis solius Africæ, Italiæ, Galliæ et Siciliæ, quorum subscriptiones in Nicænam fidem a deputatis Concilii Lampsaceni delatæ sunt an 365. ad Episcopos Tyanis congregatos, dicit eos *multo plures* his qui Arimini fuerant. Ex sola Africæ parte, quæ Primatui Carthaginensi subest, ad Collationem an. 411. Carthagine celebratam confluxere 286. Episcopi Catholici; 120. Episcopi Orthodoxi autem vel senio, vel morbo, vel aliis malis impediti adesse eidem non poterant, ut ex actis illius Collationis apud Augustinum in Brevic. Collat. part. 1ª. c. 14. constat: in Alexandrino Concilio an. 321. habito ex sola Ægypto et Lydia convenerunt 100. Episcopi: in Achaia tot erant Episcopi, ut Aug. L. de unit Eccl. c. 12. quæreret: *Quot putatis esse Ecclesias in universa Achaia?* in insula Cypro non admodum magna plures fuisse Episcopos ex Socr. L. 6. c. 10. et Sozom. L. 7. c. 19. liquet, quia ille Episcoporum Concilia ibi habita narrat, hic autem et in pagis Episcopos ordinari perhibet.

3°. Si numerentur Ecclesiæ, quæ sub Constantii imperio non fuerant, adeoque earum Episcopi non erant convocati; quales erant Armenicæ, Arabicæ, Persicæ, Indicæ, aliæque oppido multæ: aut quarum vel pauci admodum vel nulli prorsus Episcopi illa ad Concilia venerant; ut ex

Provinciarum multitudine et raritate Episcoporum ex his Provinciis illis in Synodis præsentium est manifestum.

*Prob. p.* 3ª. Ecclesiarum reliquarum integritas et in fide constantia (præter Monachorum in Ægypto Nicænæ fidei adhærentium multitudinem, de qua testis est ATHANASIUS; et apertam plebis Alexandrinæ, Constantinopolitanæ, Antiochenæ, Samosatensis ac Mediolanensis Arianis definitionibus reluctantis professionem) probatur in primis universim tum ex ep. syn. Conc. Alexandrini an. 363. ad Jovianum missa (Labb. t. 2. p. 825.) quæ sic habet: *Scito, religiosissime Auguste, hanc fidem omnibus seculis fuisse prædicatam. Hanc professi sunt Patres qui Nicææ convenerunt. Cum hac consentiunt omnes ubique gentium Ecclesiæ quæ sunt in Hispania et Britannia, et Gallia, et quæ in Italia tota, et Dalmatia, Dacia et Mysia, Macedonia et tota Græcia, quæque in Africa cunctæ, et Sardinia, et Cypro, et Creta, Pamphylia et Lycia et Isauria, et quæ in tota Ægypto, et Lybia, et Ponto, et Cappadocia, et quæ sunt vicinæ nobis, et Orientales Ecclesiæ omnes, præter paucos, qui cum Ario sentiunt.* tum ex ep. DAMASI ad Illyricos apud Theodoret. L. 2. c. 22., ubi hæc habentur: *Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia exspectanda erat sententia, neque Vincentium* (Capuanum) *qui tot annorum Episcopatum integre gesserat, neque alios talibus præbuisse consensum: maxime cum isti ipsi, sicut diximus, qui per fraudem deflexisse visi sunt, meliore consilio hæc sibi displicere testati sunt. Unde advertit sinceritas vestra hanc solam fidem quæ apud Nicæam Apostolorum auctoritate fundata est, perpetua firmitate esse retinendam, atque hac nobiscum Orientales qui se Catholicos recognoscunt, Occidentalesque gloriari.*

Deinde probatur speciatim, quasdam Provincias enumerando. De *Ægypto* quidem patet ex pluribus Alexandrinis Synodis contra Arium primo ac post contra Arianos celebratis; quin et ex ipsa Seleuciensi, ubi, loquente cont. Constant. (n. 12.) HILARIO, *Soli Ægyptii præter Alexandrinum hæreticum,* (Georgium) ὁμοούσιον *constantissime obtinuerunt.* De *Africa* testatur HILAR. L. cont. Constant. n. 12. scribens: *Mandas tibi subscriptiones Afrorum, quibus blasphemiam Valentis et Ursacii condemnaverant, reddi; renitentibus comminaris et postremum ad diripiendos mittis.* Item OPTAT. MILEV. L. 2. de Schism. Donatist. cont. Parmen. n. 15. 16. *Etenim cum Africanos populos et Orientales et cæteros transmarinos pax una conjungeret, et ipsa unitas, repræsentatis omnibus membris, corpus Ecclesiæ coagularet..... Deinde, ut nobis notum est, secutus alius Imperator, vobiscum vota sinistra concipiens... Apostatam se edictis suis testatus est* etc. SOCRAT. L. 5. c. 6. de *Illyrico* ita scribit: *Opinionem Arii ad Illyrici usque provincias minime penetrasse, et inductam ab illo novitatem Ecclesias illic sitas decipere nequaquam valuisse: sed eam fidem, quæ initio ab Apostolis tradita, et postea in Concilio Nicæno confirmata est, ab incolis constanter retineri.* Testis pro *Persia* est SOZOMENUS, qui L. 2. hist. c. 9. et seqq. *regnante Sapore,* qui ab an. 310. per 70. annos imperasse fertur, viginti quatuor Episcopos pro divinitate Christi cum pluribus aliis occisos recenset: Pro *Gallia, Hispania, Italia* et aliis *Occidentis* æque ac *Orientis* Provinciis faciunt Concilia post Ariminense statim celebrata, de quibus ATHAN. in ep. ad Rufin scribit: *Scito... id ipsum hic et ubique placuisse, nimirum ut iis qui lapsi sunt, et impietatis fuerint*

*præfecti, venia concedatur, siquidem resipiscant; nec detur tamen in Clero locus: iis vero qui impietati patrocinati non sunt, sed necessitate ac violentia tracti fuerunt, decretum est ut venia concedatur, et in Clero detur locus.*

333. *Nec dicas* 1°. Ariminense Concilium plures ex Œcumenicis Synodis frequentia Episcoporum superavit : videtur fuisse unum cum Seleuciensi, quia in Seleuciensi Hilarius ex Occidente, in Ariminensi Demophilus Beroeensis ex Oriente præsentes fuerant : a S. Hilario in Fragm. VII. n. 2. 4. appellatur *Catholicum* ; ergo pro Œcumenico est habendum.

R. *T. A. N. Cons.* Nec enim 1°. numerus Generale Concilium facit, sed conditiones aliæ superius adductæ; præsertim cum ex omnium consensu Conc. Carthaginense sextum et Francofordiense fuerint particularia, quantumvis præ pluribus Generalibus frequentiora numerarentur : Nec 2°. sola præsentia Hilarii in Seleuciensi, et Demophili (de quo tamen nihil certi afferri potest) in Ariminensi ostendit utriusque Concilii communicationem ; sed vel Occidentis ac Orientis mandatum et legatio, vel litterarum et consiliorum mutuum commercium doceri oportet : quod tamen adeo fieri nequit, ut potius contrarium a nobis sit demonstratum : Nec 3°. vox *Catholicum* Ariminensi attributa, pro nota Conc. Œcumenici habetur ; cum et Sirmiensi primo hoc prædicatum a Vigilio Tapsensi adjectum supra dixerimus, et ea vox communius vel ad Episcopos congregatos vel ad materiam definitam referatur.

334. *Nec dicas* 2°. Potissima Episcoporum pars Ariminensium perfidiam illius Concilii ætate vel sponte sequebatur, vel sequi compulsa est. Ium. Patet 1°. Ex Hilario, qui L. de Synod. n. 63. scribit : *Absque Eleusio Episcopo et paucis cum eo, ex majori parte Asianæ decem Provinciæ, intra quas consisto, vere Deum nesciunt.* 2°. Ex Augustino, qui ep. 48. (al. 93. n. 31.) ad Vincent. ait : *Illi qui tunc firmissimi fuerunt et verba insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparatione cæterorum.* 3°. Ex Greg. Nazianzeno cujus hæc in Orat. 21. n. 23. 24. sunt verba : *Si perpaucos exceperis, qui vel ob nominis obscuritatem contemptui habiti sunt, vel ob virtutem restiterunt..... omnes tempori obsecuti sunt. Hoc tantum inter eos discriminis fuit, quod alii citius, alii serius in eam fraudem inciderunt* etc. IIum. Liquet 1°. Ex Greg. Naz., qui l. c. hæc præmittit : *Hinc alii ab Ecclesiarum thronis injuste pellebantur, alii in eorum locum surrogabantur, sic tamen ut ab iis chirographa impietatis, non secus atque aliud quidpiam necessarium exigerent; atque in promptu atramentum erat, et calumniator a tergo. Ea res permultos a nobis, invictos alioqui viros, in fraudem impulit ; qui quamvis mente haudquaquam prolapsi fuerint, subscriptione tamen transversim acti sunt, atque cum illis utroque nomine improbis consenserunt.* 2°. Ex persecutione Constantii post Conc. Arimin. per Ursacium et Valentem exercita, vi cujus qui Ariminensi formulæ subscribere nollent, expellebantur ab Ecclesiis; ut Socr. L. 2. c. 37. Sozom. L. 4. c. 26. narrant.

R. *Ad prob. part.* 1ae. Hilarium, ut olim a Donatistis apud Augustin. in ep. ad Vincent., sic nunc ab Heterodoxis et Jansenianis infeliciter objici. Nam 1°. loquitur tantum de decem Asiæ minoris Provinciis, quæ nonnisi tertiam

Patriarchatus postea Constantinopolitani partem faciebant : 2°. loquitur tantum de *majori parte* harum Provinciarum : 3°. rationem hujus mali reddit his verbis : *Male enim per quosdam impietati auctoritas data est; et exiliis Episcoporum, quorum causam non ignoratis, vires auctæ sunt profanorum.* Cum ergo Episcopi exules etiamnum veri Asiæ Episcopi permanserint, ex horum constanti fide vis omnis objectioni detrahitur.

De eodem loco et modo eodem loquitur AUGUSTINUS. Nam ubi objectionem aggreditur, sic inquit : *Tale tunc erat tempus, de quo scripsit Hilarius, unde putasti insidiandum contra testimonia tot divina, tanquam perierit Ecclesia de toto orbe terrarum.* In ipsa autem responsione similiter 1°. dicit ( n. 32. ) : *Hilarius ergo decem provinciarum Asianarum aut zizania,, non triticum, arguebat; aut ipsum etiam triticum, quod defectu quodam periclitabatur, quanto vehementius tanto utilius arguendum putabat* : 2°. majorem tantum Provinciarum Asianarum partem etiam ab AUGUSTINO accipi liquet ex ipsa objectione : quin 3°. nec illam reipsa adhæsisse hæresi Arianæ nec in errore perseverasse, manifeste ostendit interrogatio ibid. n. 31. inserta : *Quis nescit illo tempore obscuris verbis multos pravi sensus fuisse delusos, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant? alios autem timore cessisse et simulate consensisse, quibus tu postea correctis nolles ignosci?* Tandem ipsius epistolæ argumentum, quod magnam partem in Ecclesiæ per orbem dispersæ perpetua integritate probanda versatur, non sinit AUGUSTINI mentem nobis contrariam haberi.

Quod GREGORIUM attinet, is nec intelligendus est de orbis totius Episcopis; sed ad summum de Episcopis sub Constantii imperio, utpote de cujus persecutione loquitur : nec de omnibus imperii provinciis; cum ex nuper dictis contrarium de Ægypto, Africa, Illyrio, Italia, Hispania, Gallia et aliis provinciis Patres alii testentur : nec de Episcopis eodem tempore existentibus; cum ejus Sermo agat de omni, quod 25. annos duravit, Constantii regno, dicatque *alios citius, alios serius esse obsecutos* : nec de reali Episcoporum hæresi; cum in priori textu dicat tantum, *omnes tempori obsecutos in fraudem incidisse;* in posteriori autem, *mente haudquaquam esse prolapsos*; addatque : *et si non flammæ, fumi certe participes fuerunt.* Præterea NAZIANZENUM exaggeratius hic locutum interpretari licet, cum in Orat. 43. n. 47. de Valentis Imp. temporibus etiam dixerit, *Basilium solum reliquum fuisse:* quæ nisi secundum auxesin oratoriam dicta accipias, penitus falsa probat ipse BASILIUS, ep. 72. (al. 251. n. 4.) et 75. (al. 204. n. 7.). Ecclesiæ universæ fidem et communionem attestans. Similem hyperbolem NAZIANZENI habes in Or. 42. n. 27. ubi ait : *Vale Oriens et Occidens, pro quibus et a quibus oppugnamur etc.*

R. *Ad prob. part.* 2ae. Quoad GREGORIUM responsio jam data est; quoad relatam *historiam* autem negatur factum. De hac enim persecutione solus Socrates affirmat; Sozomenus tantum timide refert : *Nonnulli prædicant, Imperatorem dedisse facultatem Valenti etc.*; reliqui omnes, Athanasius maxime, Hilarius, Rufinus, Lucifer Calaritanus, altum silent. Ad hæc Socratis narratio plura complectitur falsa. 1°. enim subscriptionem formulæ factam a singulis Episcopis suis in sedibus vult; *quia Conc. Ariminense contra voluntatem Constantii dimissum,* nec a congregatis subscriptum fuerit. 2°. Ejectionem Liberii et Felicis intrusionem post Conc. Ariminense statuit. Ipsam 3°. persecutionem tali tempori, nempe an. 360. assignare debet, quo tamen

Italia et Gallia a S. Hilario edocta et confirmata resipuit, et facta jam Juliani defectione, violentiæ a Constantii Episcopis inferendæ locus non amplius relinquebatur. Demum cum qualiscumque illa persecutio intra unam Italiam stetisse a Socrate dicatur, tametsi verum narraverit, non probat tamen partem Ecclesiæ potissimam errasse.

335. *Nec dicas* 3°. Universam Ecclesiam, quin et orbem universum Ariana hæresi infectum probat 1°. Rufinus in Histor. scribens, post Conc. Ariminense *faciem Ecclesiæ penitus deformatam*. 2°. Vincentius Lirinensis in Commonit. n. 4. ait : *Arianorum venenum non jam portiunculam quamdam, sed pene totum orbem contaminaverat, adeo ut prope cunctis Latini Sermonis Episcopis, partim vi partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur*. 3°. Hier. L. cont. Lucif. alias cit. scribit : *Tunc ingemuit orbis, et Arianum se esse miratus est* ; ergo.

R. *N. A.* Phrasis Rufini non exigit Ecclesiæ totius errorem aut Episcoporum hæreticas professiones et dogmata; sed salvatur lapsu multorum Præsulum, hæreticorum dominatu et vexatione, necessitate denique communicandi cum hæreticis. Vincentii Lirinensis dictum manet verum, si de Ariana hæresi in varias Orientis et Occidentis Provincias successu temporis propagata, intelligatur; uti Orosius L. 7. hist. c. 21. Jornandes c. 19. de peste per orbem diffusa loquentes accipiuntur; quin utrobique aut omnes Provinciæ, aut Provinciarum præsides et urbes infectæ dicantur. Præterea dicti universalitatem restringunt voces *pene* et *prope* adjectæ, item *Episcoporum Latini Sermonis* solorum appellatio, ac tandem facta *fraudis* et *deceptionis* commemoratio. Demum plus esse verbis dictum quam vere significatum, probant principia Lirinensis eo in opere vulgata : secundum quæ quoniam Catholicum est, *quod semper, quod ab omnibus creditum est*, numeri autem paucitas errorem prodit; non potuit tantam hæresi tribuere generalitatem. Assertum Hieronymi et hyperbole est et Episcopos reipsa hæreticos non fuisse verbo *miratus* addito probat. Etsi vero, cujus tamen contrarium in probatione ostendimus, supponatur Patres Ariminenses ab Hieronymo fuisse habitos pro hæreticis, periodo illa objecta voluit duntaxat significare consternationem Universi et admirationem, quod ipsi tribueretur hæresis Ariana, Ariminensibus aspersa; quemadmodum simili metaphora in Prol. ad Ezech. de terrore hominum ad Romæ excidium dixerat : *In una urbe totus orbis interiit*.

336. *Observa*. Quibus argumentis Ariminensem formulam ostendimus Catholicam, Seleuciensem etiam ab hæresi esse immunem comprobatur; cum et in symbolo sit eadem veritatis professio, et in anathematismis non minor errorum execratio, et in abstinentia ab ὁμοουσίῳ excusatio similis: quibus accedit benignum ac favens tum Athanasii et Hilarii LL. de Syn. tum Socr. L. 2. c. 39. 40. et Sozomeni L. 4. c. 22. de Seleuciensibus testimonium; Hilarii denique in illud Concilium admissio et Gallicanorum postea Episcoporum cum Orientalibus per synodicas litteras communicatio. Non ita expeditum est, an fides Seleuciensium etiam *interna* casta omnino fuerit, variantibus nempe sententiis tum de præcipuorum eo in Concilio Episcopo-

rum, quos Semiarianos appellavimus, fide, tum de ipsius Semiarianismi notione.

*Meletii* enim, *Antiocheni* et *Basilii Ancyrani* Orthodoxiam ATHANAS. in ep. Encycl. cont. Arian. et de Synod. n. 41. *Silvani Tarsensis* THEODORET. L. 2. hist. c. 27., *Eleusii Cyziceni* HILAR. L. de Syn. n. 63. adstruunt: *Semiarianos* autem cum *Macedonianis* confundere videntur PATRES Concilii Generalis secundi et PHILASTRIUS; quorum illi Can. 1. (Labb. t. 2. p. 945.) dicunt: *Oportet anathematizari omnem hæresin, et specialiter Eunomianorum sive Anomœorum, et Arianorum sive Eudoxianorum, et Semiarianorum sive Spiritus sancti adversariorum:* hic vero Hæres. 67. inquit: *Semiariani... de Patre et Filio bene sentiunt, unam... divinitatem esse credentes; Spiritum autem non de divina substantia, nec Deum verum, sed factum atque creatum spiritum prædicantes.* E contrario EPIPHANIUS Hæres. 73. et HIER. in Chron, *Meletium, Basilium* et alios heterodoxiæ arguunt: præterea Semiarianos distingui a Macedonianis, et eorum errorem versari circa Filii divinitatem, docent SULP. SEVERUS, L. 2. hist. EPIPH. l. c. et AUGUSTIN. etiam L. de hær. n. 51. *Semiarianos,* inquit, *qui similis essentiæ dicunt Filium, dicit tanquam non plenos Arianos, quasi Ariani nec similem velint, cum hoc Eunomiani dicere celebrentur.*

Hac in discordia utrique parti aliquid concedendum videtur. Itaque *Meletium, Basilium, Silvanum* et *Eleusium* pluresque, alias *Semiarianos* dictos, reipsa fuisse orthodoxos admittimus; quoniam vero et Eusebianis conjuncti fuerant, et reformandis fidei formulis satagebant, et a voce ὁμοούσιος pertinacius abhorruerant, non sine fundamento mitigati Arianismi suspicionem incurrebant, adeo ut Semiarianorum duces communius haberentur. Semiarianos reliquos in dogmate successu temporis variasse putamus, ita quidem, ut post Constantii Julianique fata, dum ex omni Oriente et Occidente ad Jovinianum mitterentur synodicæ litteræ cum Nicæna formula *consubstantialis* vocem professæ et prædicari exprimique jubentes, Semiariani e suis velut recessibus expulsi et errorem nullo jam verborum artificio dissimulare valentes eumdem vel sincere deposuerint, vel maligno silentio contexerint; ex altero de Spiritus sancti divinitate dogmate, necdum adeo illustrato et definito, subsidium suis partibus allaturi. Unde si SULP. SEVERUM, EPIPHANIUM, et AUGUSTINUM de *Semiarianis* ante illam conversionem, PATRES CONSTANTINOPOLITANOS et PHILASTRIUM de iisdem post eam intellexeris, neutra ex parte, quod aliqui faciunt, contra debitam illis auctoribus fidem ac reverentiam peccabis.

# CAPUT IV.

## DE VERITATE MYSTERII SS. TRINITATIS.

Veritatem hanc sive existentiam nec *Gentili* immediate probari, nec *Judæo* clare ostendi posse, ex iis, quæ sub cap. prioris initium diximus, colligitur. Cum enim mysterium hoc rationem naturalem superet, ac in Veteri Testamento non expresse omnino ac distincte penitus enuntietur; et qui revelationem parum veneratur, gentilis, et qui antiquas tantum tabulas respicit, Judæus, pia destitutus affectione vix unquam captivabit intellectum in obsequium fidei de tanto arcano. Non omnis tamen methodus deest, qua uterque ad divulgatam adeo et necessariam nunc veritatem perducatur. Nam si ostendatur alteri, fidem Christianam esse evidenter credibilem et credendam, alteri Messiam a Deo promissum verum esse Deum jamque advenisse; ex fide illa ac doctrina Christi ambo deinceps haurient haud difficulter præsentis veritatis documenta. Quoniam vero geminum illud caput ex *Tractatibus aliis* erui et confirmari oportet; utrumque vel tanquam postulatum hic interim admittendum est, ut contra illos Trinitatis hostes argumentis proxime proferendis pugnetur; vel eo non impetrato, contra hæreticos duntaxat firmabitur dogma controversum, satisque erit difficultatibus obmovendis respondisse. Dabit autem disputationis universæ materiam Personarum TRINITAS, DIVINITAS, et CONSUBSTANTIALITAS.

### ARTICULUS I.

#### AN IN DIVINIS SINT TRES PERSONÆ?

337. *Nota.* In dogmate præsenti non minus ac in sequentibus stabiliendis tria nobis cavenda duximus. 1°. ne repetantur dicta; unde argumenta, quæ tum ex V. T. tum ex Traditione Patrum Antenicænorum jam prolata fuerunt, non recitabuntur iterum : 2°. ne occupentur dicenda; hinc nec accuratiorem Personæ in divinis notionem persequemur, ejus nomine rem per se subsistentem accipere contenti, nec Verbi et Filii differentiam attendemus, promiscue utrumque usurpaturi : 3°. ne omittantur exprimenda; quare cum Antitrinitariorum hac ex parte error numerum, distinctionem et proprietatem personarum neget, distinctis contra eum assertis veritatem probatum imus.

338. *Dico I.* Dantur in Divinis Pater, Filius seu Verbum, et Spiritus sanctus.

*Prob.* Matth. 28. 19. dicit Christus : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* 1. Joan. 5. 7.

*Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus.* Joan. 14. 26. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit etc.* Ibid. 15. 26. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* In historia etiam baptismatis Christi, Matth. 3. Marc. 1. et Luc. 3. relata, Patris vox hæc est : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui ;* additurque in narratione : *Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, etc.*

*Conf.* 1. In symbolo Apostolorum dicitur : *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem..... et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum... Credo in Spiritum sanctum.* Eadem dicit symbolum Nicænum et Constantinopolitanum, ac forma etiam Baptismi exprimit, nec minus solemnis *glorificatio,* cujus triplicem formulam supra ex Basilio retulimus.

*Conf.* 2. Ex Patribus Antenicænis, quorum nullum supra retulimus qui non trium harum Personarum mentionem fecerit; item ex triplici Hæreticorum classe recitata, quarum damnatio a Patribus et Conciliis Catholicis pronuntiata e contrario Trinitatem hanc in Divinis profitetur.

339. *Dico II.* Pater, Filius seu Verbum, et Spiritus sanctus in Divinis a se invicem distinguuntur.

*Prob.* Qui faciunt numerum, dispescuntur nomine ac proprietate, et relative sibi opponuntur, distinguuntur a se invicem : sed ex laudatis num. pr. textibus hæc omnia conveniunt in Divinis Patri, Filio et Spiritui sancto; ergo.

*Conf.* 1. Ubi est testium dualitas, vera cum alio societas, processio unius ab altero, paternitas et filiatio utrinque vera; ibi non attributorum tantum vel officiorum aut effectuum est distinctio, sed saltem personarum : sed in divinis Patris ac Filii imprimis velut testium habetur *dualitas,* Joan. 8. 17. et 18. *Societas* eorumdem multipliciter exprimitur, tum ibid. v. 16. et 18., tum 14. 23... 1. 1. et 18. Ad hæc *processio* Verbi a Deo notatur, Eccl. 24. 5. Joan. 8. 42. item 16. 27. et 28. Demum vera Patrem inter et Filium relatio emicat ex Joan. 5. 17. et seqq. Ibid. 1. 14... 17. 5. ad Hebr. 5. 5. et Psal. 109. 3.

*Conf.* 2. Qui Patri et Filio sociatur in operatione et adjungitur, alius ab iisdem declaratur, procedit ab iis ac mittitur; vere etiam ab istis distingui intelligitur : sed hæc omnia deprehenduntur in Spiritu sancto. Nam 1°. Isa. 48. 16. dicitur : *Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus :* et 2. ad Cor. 13. 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis :* 2°. Joan. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum;* et ibid. 16. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos :* 3°. ad Galat. 4. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Joan. 16. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi : Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* : his adde v. 26. ex Joan. 14. et 15. num. pr. recitatum ; ergo.

340. *Dico III.* Pater, Filius seu Verbum, et Spiritus sanctus in Divinis sunt res subsistentes.

*Prob.* Loqui, testimonium dicere, mittere vel mitti, assumere aliam formam, invocari, vel fide ac professione honorari tanquam auctorem dogmatis et legislatorem, sunt actiones aut passiones, quæ non nisi rebus subsistentibus seu personis sunt propriæ : sed hujusmodi in citatis textibus tribuuntur Patri, Filio et Spiritui sancto in Divinis; ergo.

*Conf.* 1. Quibus conveniunt attributa et opera substantiæ intellectualis, res subsistentes eo securius sunt dicendæ, quo specialius substantiæ intellectuales subsistunt et magis proprie dicuntur personæ : sed rebus nominatis (præterquam quod ipsa Patris, Filii et Paracliti nomina id satis evincunt) hujusmodi attributa et opera conveniunt, qualia sunt vivere, intelligere, libere velle et varia per seipsum agere. Et quidem quod *vitam* attinet, constat de Patre ex Joan. 5. 26. et 6. 58. de Filio ex Joan. 1. 4. et 5. 26. de Spiritu sancto ex ep. ad Rom. 8. 2. et 2. ad Cor. 3. 3. Quantum ad *intellectum* liquet de Patre ex Matth. 11. 27. et 1. Petr. 1. 2. de Filio ex Joan. 1. 18. et ad Coloss. 2. 3. de Spiritu sancto Act. 15. 28. et 1. ad Cor. 2. 10. et seq. Quoad *voluntatem* elucet de Patre ex Matth. 11. 26. et Luc. 22. 29. de Filio ex Isa. 53. 7., Joan. 10. 18. et Luc 10. 22. de Spiritu sancto ex Joan. 3. 8. et 1. ad Cor. 12. 11. Inter *operationes* exempli gratia præcipuum, scilicet Incarnationis, opus demonstratur de Patre ex Joan. 3. 16. de Filio ex Joan. 1. 14. de Spiritu sancto ex Luc. 1. 35. Ergo.

*Conf.* 2. Si Pater, Verbum et Spiritus sanctus non forent res subsistentes, ergo vel quia hi tres duntaxat tanquam partes qualescumque constituerent eamdem naturam : vel quia Patris appellatio est tantum impropria, cum nec substantiæ nec energiæ et effectionis nomen esse queat, ut apud Greg. Naz. Or. 29. n. 16. Eunomius contendit ; Verbum autem est tantum prolatitium, et Spiritus sanctus merum charisma est seu donum et effectus : sed neutrum dici potest. Non *primum*, quia natura divina est simplex et perfectissima, adeoque eam ex partibus queiscumque componi, quod imperfectionem magnam involvit, etiam rationi naturali repugnat. Non *secundum*, quia, quod Patrem attinet, propria omnino hæc est appellatio, cum relationis sit nomen, licet substantiæ aut energiæ esse negetur ; quod ipsum Eunomianæ objectioni Nazianzenus respondet : Porro Verbum non esse externum, prolatitium et accidentale in Divinis; sed internum subsistens ac substantiale, inter alios Athanas. Or. 4. cont. Arian. n. 1. probat : Denique Spiritum sanctum non esse merum charisma, satis demonstrat Paulus 1. ad Cor. 12. ubi enumeratis gratiis et charismatis variis, *hæc omnia* a Spiritu sancto pro suo libero arbitrio *dividi* docet : quin et Patres ex ipsa doni appellatione Spiritu sancto propria, ejus divinitatem ostendunt ; cum teste Aug. L. de Fid. et Symb. c. 9. n. 19. *Spiritum sanctum donum Dei esse prædicant* (Scripturæ), *ut Deum credamus non seipso inferius donum dare*, et in Enchir. c. 37. *Utique Spiritus sanctus Dei donum est, quod quidem et ipsum est æquale donanti.*

341. *Obj. I.* Si tres essent in divinitate Personæ, Deus foret trinus, non autem unus ac singularis, sed Deum unum ac singularem esse perhibetur Deuter. 6. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est* ; et Isa. 45. 5.

*Ego Dominus, et non est amplius ; extra me non est Deus : ego Dominus, non est alter* ; ergo. *Conf.* 1. Ubi plures sunt personæ, idem nequit dici primus et novissimus : sed idem Deus utroque nomine compellatur, dum Isa. 44. 6. dicitur : *Ego primus et ego novissimus, et absque me non est Deus* ; ergo. 2. Soli Deo, quem Patrem appellamus, convenit omnia producere : sed hic unus est, ut rursus Isa. 44. 24. scribitur : *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram ; et nullus mecum* ; ergo. 3°. Deus in V. T. appellatur Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob : sed hic Deus est una duntaxat Persona, neque Filius potest esse hic Deus, cum Actor. 3. 13. dicatur : *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum* ; ergo.

R. *D. M.* Deus foret trinus Personis *C.* trinus natura *N.* in textu allato excluditur pluralitas Deorum, et prædicatur singularitas naturæ, minime autem Personæ unitas ac solitudo.

*Ad Conf.* 1am. R. Similiter, distinguendo eumdem quoad *naturam,* non vero quoad *personam.* Præterea laudatus textus ad Messiam principaliter pertinet, qui *primus* dicitur, quoniam secundum divinam naturam ante Luciferum est genitus ; et *novissimus,* quod secundum humanam in plenitudine temporum sit natus, et die extremo orbem judicaturus.

*Ad Conf.* 2am. R. *N. M.* Quia et de Verbo Joan. 1. 3. dicitur : *Omnia per ipsum facta sunt* ; et Judith 16. 17. de Spiritu sancto : *misisti Spiritum tuum, et creata sunt.* Quamvis itaque per appropriationem tribuatur creatio Patri, tamen et aliis Personis ea est communis ; et quia trium Personarum una est omnipotentia ac divinitas, recte dicitur unus solus Deus produxisse universa.

*Ad Conf.* 3am. R. *N. M.* Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob dicitur glorificasse Filium suum indutum carne ; unde *Jesu* nomen incarnato Deo proprium additur : non autem in ea divina ac sempiterna substantia, quam Filius ipse habet cum Patre communem. Quin nec trina nominis Divini repetitio caret mysterio, ut plures Rabbini apud Galatin. L. 2. c. 1. fatentur.

*Inst.* 1. Verbum humanum tum internum tum externum non est persona, sed accidens duntaxat et entitate distinctum a loquente ; ergo idem sentiendum est de Verbo divino, præsertim quia hoc a Patribus passim utrique illi comparatur.

R. *N. Cons.* Verbum *divinum* et *creatum* conveniunt quidem in multis ; nempe, quod omne verbum sit imago mentis et similitudo rei cognitæ, citra perpessionem oriatur a mente, et referatur, seu habitudinem habeat ad dicentem ; atque in his comparatio a Patribus instituta versatur : sed in pluribus discrepant, atque discrepare etiam a Patribus dicuntur. Eorum *primum* est, quod scientia, ex qua verbum oritur, in Divinis sit ipsa substantia et essentia dicentis, in creatis adventitia qualitas apud Aug. L. 15. de Trin. c. 13., et Anselm. in Monol. c. 11. : *secundum,* quod divinum per se existat, vitam et rationem habeat ; creatum vero sit accidens, nec naturales illas prærogativas, nisi objective tantum et secundum intentionem, minime autem formaliter contineat, apud Athan. Orat. 4. cont. Arian. n. 1. 2. et Greg. Nyssen. Orat. catechet. c. 1. (opp. t. 3.) et plerosque alios : *tertium,* quod divinum sit æternum et immutabile ; creatum sit temporarium, et identidem oriatur ac pereat, apud Aug. L. 15. de Trin. c. 16., Ansel. in

Monol. c. 30. Bern. Serm. de divers. 5. n. 1.: *quartum*, quod illud unicum sit, nostra autem multa, apud Athan. Orat. 4. cont. Arian. n. 1. et L. de Decr. Nic. n. 16.: *quintum*, quod divinum perpetuo, nostrum semel gignatur, Hug. Victor. in sum. sententiarum, Tract. 1. c. 7. V. Petavium de Trin. L. 6. c. 2.

*Inst.* 2. Verbum in Divinis est prolatitium; tum quia vox λόγος in emendata ab Erasmo aliisque editione latina vertitur *Sermo*, ut Joan. 1. *In principio erat Sermo* etc. Sermo autem est oratio composita et prolata exterius: tum quia Patres Verbum divinum frequentius exponunt comparando cum externo verbo: tum quia Tertullianus L. cont. Prax c. 5. et seqq., et Lactant. L. 4. Instit. c. 8. aperte docent, Filium esse Verbum *prolatitium* seu exterius prolatum.

R. *N. A. Ad ejus prob.* 1am. R. Quamvis vox λόγος tam externum quam internum verbum significet, et Patres etiam Latini per sermonem exposuerint, tamen secundum *Ammonium* in Comment. ad L. Arist. de interpret. proprie magis cogitationem mentis seu verbum internum significat, et in hoc a λέξει distinguitur. Præterea licet Patres Latini *Sermonis* dictionem usurpent, iidem tamen, ac præcipue Tertullianus cum Lactantio; Verbi vocabulum frequenter adhibent: alii vero post exortam et convictam Arii hæresin rarissime Filium Dei vocant *Sermonem*, aut apud Joannem legunt. Unde cum posterioribus seculis sola Verbi usurpatio in Ecclesia invaluerit, ab *Erasmo* temere omnino ac inepte facta illa versio apparet, ideoque nihil admodum probat. V. Petavium de Trin. L. 6. c. 1. n. 4. seqq.

*Ad prob.* 2am. R. Hæreticos utroque vocabulo insititii ac prolatitii Verbi fuisse abusos, ut Basil. hom. 24. n. 1. contra Sabel., et Cyrill. Alex. L. 1. in Joan. (opp. t. 4. p. 30.) testantur; ad quos oppugnandos pro diversitate hostium diversam Patres comparationem urgebant. Paritati itaque cum verbo prolatitio insistebant maxime, dum contra Sabellianos agerent, de quibus Basil. l. cit. sic scribit: *Cum Verbum confitentur, ipsum comparant cum eo quod in mente concipitur verbo, cumque Sapientiam dicunt, consimilem dicunt esse habitui qui in anima manet eruditorum. Et ideirco unam personam Patris et Filii profitentur, quod homo quoque unus dicitur non divisus, ob verbum quod in ipso est et ob sapientiam.* Præterea vero hæc comparatio aliis familiarior fuit, tum quia verbum externum erat notius quam internum, ut Orig. tom. 1. in Joan. n. 23. (opp. t. 4. part. 1a. p. 26.) advertit: tum quia aptius erat ad exprimendam Verbi divini proprietatem, qua Pater per Verbum sic tanquam per *interpretem* et *vim enuntiatricem* cognosci ab eodem Origene l. supr. cit. n. 42. (p. 45. B.) et S. Aug. L. de Fid. et Symb. c. 3. et aliis dicebatur. V. Petavium ib. c. 3. n. 1—3.

*Ad prob.* 3am. R. Tertullianum facile vindicari posse, si ad ea, quæ num. 213. dicta sunt, attendatur; cum de Verbi generatione externa et visibili sit intelligendus. Auctoritatem autem Lactantii, alias etiam minus accurati, hic non admodum curamus, siquidem aliquo ex præmissis modo emolliri nequeat.

*Inst.* 3. In Scriptura de pluribus Dei verbis mentio fit; a Patribus autem, maxime Iren. L. 2. cont. hær. c. 48. (al. 28. n. 5.) Ambr. L. de Filii Divinit. (al. de Fide Orthod.) c. 5., et Mar. Victorin. L. 3. cont. Arium n. 8. 10. et 11. ipse Pater in Divinis vocatur Verbum; ergo Verbum in Divinis vel non est persona, vel non est distinctum a Patre.

R. *N. Cons.* Verba plura, de quibus Scriptura meminit, nihil aliud sunt, quam effectus ab omnipotentia divina producti; atque hinc eorum locutio est externa quædam significatio per creaturam edita, et ut a nobis capi possit, sub verborum figura et imagine proponitur : VERBUM autem DIVINUM, de quo agimus, unicum est Filius Dei, ejusque locutio est generatio, ut infra uberius declarabitur; unde prior sequela nulla est. Ad alteram dissolvendam observare duntaxat oportet multiplicem τοῦ λόγου significationem, de qua HIERONYMUS in epist. 103. (al. 53. n. 4.) ad Paulin. inquit : λόγος *enim græce multa significat. Nam et verbum est, et ratio, et supputatio, et causa uniuscujusque rei.* Itaque λόγος, quatenus ratio est, Patri, imo et tribus Personis congruit; ut vero est intellectionis terminus seu verbum mentis, in solam secundam Personam cadit. De hac postrema et propria acceptione AUG. L. 6. de Trin. c. 2. ait : *Hoc solum de eis dici non potest, illud de illo, quod simul ambo non sunt : sicut Verbum de Verbo dici non potest; quia non simul ambo Verbum, sed solus Filius.* V. PETAVIUM l. cit.

342. *Obj. II.* Plura in Scripturis tribuuntur S. SPIRITUI, quæ rationem Personæ detrahunt; nam 1°. Luc. 11. 20. dicitur DIGITUS Dei, Act. 2. 38. DONUM, et 2. ad Cor. 1. 22. PIGNUS vel ARRHABO : — 2°. Joan. 7. 39. NONDUM FUISSE, ad Tit. 3. 6. in homines EFFUNDI, et 1. ad Thess. 5. 19. a nobis EXTINGUI : — 3°. memoratur ad Hebr. 6. 4. PARTICIPATIO Spiritus sancti, ad Rom. 8. 23. PRIMITIÆ ejusdem Spiritus. et 1. ad Cor. 12. 13. POTATIO in Spiritu; ergo.

R. *N. A.* Partim quia quæ de donis Spiritus sancti proprie dicuntur, hic Spiritui sancto adaptantur; partim quia quæ donis conveniunt, personæ non repugnant; ut patebit ex responsionibus ad singula.

Quoad 1um. Spiritus sanctus recte dicitur DIGITUS Dei; quia hic in Exod. 8. 19. summam Dei potestatem ac virtutem significat, quæ ab ejus substantia et natura non distinguitur : unde si Spiritus sanctus est digitus Dei, et Deus est. DONUM datur non *accidentale* tantum, sed *personale,* ut in Filio Dei ex Joan. 3. 16. et in Levitis ex Numer. 8. 19. ostenditur : et Spiritus quidem sanctus aptissime donum personale appellatur, eo quod sit Patris et Filii amor mutuus, hic autem et donum et causa donorum. Præterquam quod legatur *pignus spiritus,* non vero *pignus spirituum,* datur et pignus personale, quod in obsidibus cernimus; et arrhabo, secundum AUG. Serm. 13. (al. 156. c. 15. n. 16.) de verb. Apostoli, aliquid ultra pignus exprimit, et ad ipsam rem, quæ promittitur, spectat; ex quo capite, si Spiritus sanctus sit arrhabo vitæ æternæ, quæ stat in visione Dei nobis promissa, illum esse Deum ostenditur.

Quoad 2um. Græca quidem Joannis lectio verbum substantivum sine prædicato habet; sed a vulgata recte dici : *Nondum erat Spiritus* datus, patet ex eo, quod præmittatur : *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes :* ad quam relationem inter *accipere* et *dare* etiam in Græco attendendum est. Effusio Spiritus sancti sumitur metonymice pro muneribus ejus effusis, quemadmodum hoc Act. 10. 45. exprimitur his verbis : *Gratia Spiritus sancti effusa est.* Idem tropus elucet in textu ad Thessal., ubi maxime de Prophetiæ dono agitur; qui quidem aptissime adhibetur, cum dator donorum Spiritus sanctus in ignis forma descenderit.

Quoad 3um. Participatio et primitiæ Spiritus sancti si referantur ad effectum, nihil huc pertinent; si referantur ad personam, nihil obsunt; cum ad Hebr. 3. 14. *participes Christi effecti*, et 1. ad Cor. 15. 23. *primitiæ Christus* legantur, nec ullus inde negationem personæ inferat. Potatio in spiritu ad Eucharisticum calicem pertinet; neque magis destruit personam Spiritus sancti, quam Christi personam manducatio illius carnis.

*Inst.* Spiritus sanctus est spiritus Dei, sicut anima est spiritus hominis, ut ex 1. ad Cor. 2. 11. liquet: sed anima vel quicumque spiritus hominis non est persona distincta ab homine; ergo. *Conf.* Non minus 1. Reg. 18. 10. et 19. 9. dicitur spiritus Dei malus; ac alibi spiritus Dei appellatur bonus vel sanctus: sed spiritus ille malus, siquidem Dei esse dicatur, non est aliud, quam vis et efficacia Dei hominem tradens in reprobum sensum vel alia ratione affligens; ergo et spiritus Dei bonus sive sanctus, est tantum virtus et efficacia hominem sanctificans et replens bonis.

R. *D. M.* Spiritus sanctus est spiritus Dei, sicut anima est spiritus hominis, quatenus Spiritus sanctus non minus pertinet ad substantiam Dei, quam anima ad substantiam hominis *C.* quatenus Spiritus sanctus non habeat totam plenitudinem divinitatis, sicut humanitatem totam non habet anima *N.* Hominis substantia in animam et corpus distinguitur tanquam in partes; Dei autem substantia est impartibilis, quamvis Personæ inter se distinguantur.

*Ad Conf. D. M.* Non minus et eodem modo spiritus Dei dicitur malus, quam bonus et sanctus *N.* Diverso modo *C.* Spiritus sanctus dicitur spiritus Dei substantialiter et per identitatem; non ita spiritus malus, utpote cum Deus malus non detur, nec malum a Deo sit, nisi permittente: sed quia spiritus nequam et dæmon, qui ex Hebræorum, Patrum et omnium interpretum consensione in illis Libri Regum capitibus Saulem invasisse intelligitur, mancipium Dei est et justitiæ divinæ minister; ex quo præterea falsitas minoris emergit.

343. *Observa.* Equidem, quod *Sociniani* maxime contra nostras pro personalite Spiritus sancti probationes urgent, sacræ Litteræ rebus variis tribuunt personarum operationes, quæ tamen personæ non sunt: sed hoc faciunt sive per *enallagen*, ut dum 1. ad Cor. 13. 4. et seqq. charitati attribuuntur, quæ homini charitate instructo proprie conveniunt; sive per *prosopopœiam*, ut dum lex ad Rom. 3. 19. et sanguis ad Hebr. 12. 24. loqui perhibetur. Atque harum figurarum characteres habentur vel ex *subjecto*, si nempe illud sit res inanimata, vel actio tantum, vel intentionalis tantum aut moralis conceptus; vel ex *contextu*, siquidem in antecedentibus aut consequentibus non una simul exprimitur, quod tamen ad actionem personalem requiritur; vel ex *pronomine* non ad proximum aut expressum vocabulum, sed ad remotum vel subintellectum pertinente. Eorum characterum unus vel plures conveniunt Scripturæ textibus, quibus regnum Dei, mandatum, fides, ira etc. venire; auxilium, misericordia, veritas, vel redemptio mitti aut procedere; lex, sanguis, natura vel unctio loqui aut docere; malitia, conscientia vel lex arguere; virga et baculus consolari dicuntur: nullus e contra reperitur in textibus de Spiritu sancto, utpote cum ex Joan. 4. 24. Spiritus sit Deus; idem autem Spiritus, qui loqui, docere, testari dicitur:

etiam scrutari, cognoscere et audire legatur; ac præterea Joan. 15. 26. pronomen masculinum neutro generi adjunctum personam demonstret.

Præterea quamvis vox πνεῦμα plures patiatur significationes, et æqualiter energiam ac rem subsistentem significet; quotiescumque tamen cum suo articulo ponitur, rem certam et singularem indigitat, eo quod articulus Græcorum ex horum grammatica sit nota singularitatis. Ex hoc sermonis usu Didymus L. 1. de Spiritu sancto observat in Scripturis Spiritum sanctum ut plurimum non dici simpliciter πνεῦμα, sed τὸ πνεῦμα cum articulo; contrarium autem fieri, ubi de spiritu alio quam sancto est sermo. Excipiuntur quidem a communi hac regula juxta aliquos textus nonnulli, nempe Joan. 3. 5., 1. ad Cor. 12. 11. et Ep. Jud. v. 19.; sed in prioribus supplet contextus, et aperte inter auctorem regenerationis et charismatum ac inter ipsam regenerationem et charismata distinguitur; in postremo autem non persona Spiritus sancti, sed pium desiderium intelligitur. Quod vero τὸ πνεῦμα cum articulo interdum dona Spiritus sancti significet, ut ad Eph. 4. 23., 1. ad Thess. 5. 19. et 1. Joan. 4. 1. fit, figura est *metonymiæ*, qua pro effectibus persona effectrix ponitur.

## ARTICULUS II.

### AN QUÆLIBET IN DIVINIS PERSONA SIT VERUS DEUS?

344. *Nota.* Sicut sub Dei nomine intelligimus entis perfectissimi naturam, sic sub adjuncto veri indicamus hujus naturæ realitatem, proprietatem ac plenitudinem; ut hinc a Divinitatis notione excludamus meram figuram, similitudinis duntaxat speciem, et imperfectionem qualemcumque ac diminutionem. Personarum autem divinarum appellatione indigitamus quidem Trinitatem, quin tamen ad notionales cujuslibet suppositi rationes ubique respiciamus. Quare Personam *primam* non tantum sub conceptu Paternitatis, sed sub ratione etiam Personæ improductæ et a se omnino existentis consideramus; in aliis quoque nec rationem Verbi præcise aut Filii, nec proprietatem Spirati spectamus: quamvis in probationibus, quæ de Verbo, Filio et Christo dicuntur, aut quæ de Spiritu sancto, Paraclito, Amore et Dono Dei habentur, fas sit referre ad Divinitatem *secundæ* aut *tertiæ* Personæ asserendam; cum eadem Persona illa sit in concretis prioribus, et ista sub posterioribus significetur. Neque tamen esse productum, quod utrique Personæ posteriori convenit, excludit a se rationem divinitatis. Cum enim esse divinum, utpote infinitum, sit communicabile omnibus, cum quibus oppositionem non habet; neque repugnet productum recipere eamdem naturam, quæ est in producente; quas duas veritates, inferius probandas, hic interim supponere licet: facile intelligitur, et verum Deum posse esse productum; quia verus est Deus, quicumque naturam divinam realiter proprie ac plene obtinet, sive illam a se, sive ab alio communicatam habeat: itemque talem productionem nihil imperfectionis includere; quia natura divina, quæ omnem perfectionem includit, imperfectionis admittit nihil.

345. *Dico I.* Prima in Divinis Persona verus est Deus.

*Prob.* Prima in Divinis Persona dicitur et est Pater vel respectu Personæ in

divinis secundæ, vel respectu nostri, vel respectu non expresso : sed quocumque ex his modo profertur, in Scripturis sacris declaratur verus Deus ; ergo.

*Prob.* 1ª. *p. min.* De Christo Joan. 5. 18. dicitur : *Sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo;* ipse Christus ibid. 20. 17. ait : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum ;* Paulus 2. ad Cor. 11. 31. scribit : *Deus et Pater D. N. J. C. scit, quod non mentior ;* et Petrus 1. Ep. 1. 3. *Benedictus Deus et Pater D. N. J. C. etc.*

*Prob.* 2ª. *p.* Paulus 1. ad Cor. 8. 6. inquit : *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia et nos in illum;* ad Gal. 1. 4. *Secundum voluntatem Dei et Patris nostri cui est gloria in secula seculorum.* Item in initio Epist. ad Rom., ad Cor., ad Thess., alibique sæpius : *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, etc.*

*Prob.* 3ª. *p.* Christus Joan. 4. 22. et 23. ait : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate : nam et Pater tales quærit, qui adorant eum. Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;* ibid. 6. 27. *Hunc enim Pater signavit Deus ;* et Joan. 17. 3. *Patrem* alloquens : *ut cognoscant te solum Deum verum.* Confer quæ ad Ephes. 6. 25., 2. Pet. 1. 17. et alibi leguntur.

*Conf.* Pater in Divinis est vera persona, et est a se et improductus; ergo ratione *primi* debet subsistere in natura intellectuali, ratione *secundi* in natura improducta. Atqui natura intellectualis improducta non alia est, quam divina; ergo Pater subsistit in natura divina; ergo Pater est verus Deus. Unde nemo Hæreticorum, nec ullus etiam Infidelium, qui alias verum Deum agnoverunt, Patris personam sive illam quæ improducta est, in numero creaturarum posuit.

346. *Dico II.* Secunda in Divinis Persona est verus Deus.

*Prob.* Secunda in Divinis Persona triplici præsertim charactere ac nomine, scilicet Verbi, Filii, et Christi seu Messiæ designatur : sed sub quolibet horum charactere in Scripturis proponitur tanquam verus Deus ; ergo.

*Prob.* 1ª. *p. min.* Joan. 1. 1. legitur : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* ubi per *primum* sensum æternitas, per *secundum* personalis a Patre distinctio, per *tertium* essentia et Divinitas Verbi declaratur. Ep. 1. Joan. 1. 1. et 2. scribitur : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, et vita manifestata est : et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis;* ubi per τὸ *quod fuit ab initio,* per τὸ *quæ erat apud Patrem,* et per *vitam* tum simpliciter tum *æternam,* tria illa dogmata rursus ac eodem ordine demonstrantur. Apoc. 19. 13. dicitur : *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei ;* de eo autem sic appellato legitur ibid. v. 11. *Vocabatur fidelis et verax ;* v. 12. *In capite habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse,* et v. 16. *Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex Regum et Dominus Dominantium :* ex queis nominibus *primum* est virtutis, *secundum* essentiæ ineffabilis, *tertium* potestatis ac dominii ; quæ si priori quod Personæ est, conjungantur, Verbum esse verum Deum ostendunt.

*Prob.* 2ª. *p.* Joan. 1. 18. habetur : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* De eodem autem dicitur ibid. v. 14. quod sit *plenus*

*gratiæ et veritatis*, v. 15. quod *prior erat* Joanne, v. 16. quod *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, v. 17. quod *gratia et veritas per eum facta est*, v. 18. quod ipse *Deum, quem nemo vidit unquam, enarravit*; quæ collecta Divinitatem illius manifestant. Ad Hebr. 1. 2. et 3. scribitur : *Deus locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et secula; qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem faciens peccatorum, sedet ad dexteram majestatis in excelsis*; et v. 8. *Ad Filium autem* dicit : *Thronus tuus in seculum seculi*. 1. Joan. 5. 20. *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita æterna*; quo textu tanquam DEMONSTRATIVO nituntur S. ATHANASIUS L. de Incarn. cont. Arian. n. 22. et Orat. 3. cont. Arian. n. 9. et 19. aliique quos PETAVIUS laudat de Trinit. L. 3. c. 9. n. 7.

*Prob.* 3ª. *p.* De Messia quidem ex Psal. 109., Jobi 12., 27., Jerem. 23. 6., Ose. 1. 7. et aliis pluribus, quibus in Tract. de Incarn. divinitas Messiæ ostenditur : de Christo autem testantur Thomas, Joan. 20. 28. dicens : *Dominus meus et Deus meus*; et Paulus tum Act. 20. 28. Ephesios allocutus : *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit in sanguine suo*; tum scribens ad Rom. 9. 5. *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*; et ad Philip. 2. 5. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*; nec non ad Tit. 2. 13. *Exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi*.

*Conf.* Cui conveniunt attributa, opera, et cultus officia soli Deo propria ac debita, verus est et per essentiam Deus : sed talem nobis declarat Scriptura sacra secundam in Divinis Personam ; ergo.

*Prob.* 1ª. *p. min.* Inter ATTRIBUTA soli Deo propria præcipua sunt ÆTERNITAS Genes. 21. 33. et 1. ad Tim. 6. 16., IMMENSITAS Psal. 138. 7. et Jerem. 23. 24., OMNISCIENTIA Jerem. 17. 10. et ad Hebr. 4. 13., OMNIPOTENTIA Esth. 13. 12. et 1. ad Tim. 6. 15., et IMMUTABILITAS Num. 23. 19. et Jac. 1. 17. Sed hæc omnia secundæ in Divinis Personæ conveniunt; ut quidem patet 1°. de Æternitate ex Mich. 5. 2. *Ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio et a diebus æternitatis*, et Apoc. 1. 8. *Ego sum alpha et omega, principium et finis, qui est, qui erat, et qui venturus est* : 2°. de Immensitate ex Joan. 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo*, et Matth. 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* : 3°. de Omniscientia ex Joan. 12. *Domine tu nosti omnia, tu scis, quia amo te*, et ad Coloss. 2. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei* : 4°. de Omnipotentia ex Apoc. 15. 3. *Cantantes canticum Agni dicentes : magna et mirabilia opera tua, Domine omnipotens*, et Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* : de Immutabilitate ex Ep. ad Hebr. 1. 10. et seqq. *Opera manuum tuarum sunt cœli : ipsi peribunt; tu autem permanes : et omnes ut vestimentum veterascent; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*; et ibid. 13. 8. *Jesus Christus heri, hodie, et ipse in secula* : 5°. tandem de reliquis omnibus ex Ep. ad Coloss. 2. 9. *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; ergo.

*Prob.* 2ª. *p.* Inter OPERA NATURÆ quæ soli Deo tribuuntur, primaria sunt

CREATIO mundi Isa. 44. 24., creaturarum CONSERVATIO Act. 17. 28., EFFECTIO MIRACULORUM Psal. 135. 4.; et inter OPERA GRATIÆ sunt REMISSIO PECCATORUM Marc. 2. 7., REDEMPTIO et JUSTIFICATIO Psal. 129. 7. et Isa. 43. 25., PRÆDESTINATIO et GLORIFICATIO Matth. 20. 23. et Psal. 83. 12. Sed rursus hæc omnia secundæ in Divinis Personæ conveniunt; ut quidem constat: 1°. de Creatione ex Joan. 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil,* et ad Coloss. 1. 16. *Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia,... omnia per ipsum et in ipso creata sunt*: 2°. de Conservatione ad Coloss. 1. 17. *Ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant,* et ad Hebr. 1. 3. *Portans omnia verbo virtutis suæ*: 3°. de Effectione miraculorum ex plurimis factis in Evangelio notatis, maxime ex propria resurrectione et miraculis invocato ejus nomine patratis, de quibus Joan. 2. 19. *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.... ille autem dicebat de templo corporis sui*; et Act. 3. 6. *In nomine Jesu Christi surge et ambula*: 4°. de Remissione peccatorum ex Matth. 9. 2. *Confide fili; remittuntur tibi peccata,* et v. 6. *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata etc.* 5°. de Redemptione et Justificatione ex 1. ad Tim. 2. 5. *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus;* et ad Rom. 5. 9. *Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum*: 6°. de Prædestinatione et Glorificatione ex Ep. ad Ephes. 1. 5. *Qui prædestinavit vos per Jesum Christum*; et 2. ad Thess. 1. 10. *Cum venerit glorificari in Sanctis suis,* et 12. *Ut clarificetur nomen D. N. J. C. in vobis, et vos in illo*: 7°. denique de operibus universim ex Joan. 5. 17. *Pater meus usque modo operatur et ego operor,* et v. 19. *Quæcumque ille fecerit, hæc et filius similiter facit;* ergo.

*Prob.* 3ª. *p.* CULTUS soli Deo debitus exhibetur per officia vel INTERNA fidei, spei et charitatis, quæ hinc etiam actus Theologici audiunt, vel EXTERNA, scilicet genuflexionis ex Isa. 45. 24., adorationis ex Deuter. 6. 13., et invocationis ex Psal. 49. 15. Sed eadem officia debentur et exhibentur secundæ in Divinis Personæ, ut liquet: 1°. de Fide ex Joan. 14. 1. *Creditis in Deum, et in me credite*: 2°. de Spe ex 1. ad Tim. 1. 1. *Secundum imperium Dei Salvatoris nostri et Jesu Christi spei nostræ*: 3°. de Charitate ex 1. ad Cor. 16. 22. *Si quis non amat D. N. J. C. sit anathema*: 4°. de Genuflexione ex Ep. ad Philip. 2. 9. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur etc.* 5°. de Adoratione ex Ep. ad Hebr. 1. 6. *Cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei*: 6°. de Invocatione ex Act. 4. 12. *Non est aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri*: 7°. demum de aliis queiscumque officiis ex Joan. 5. 22. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*; ergo.

347. *Dico III.* Tertia in Divinis Persona est verus Deus.

*Prob.* Cui tribuuntur nomen, natura et attributa veri Dei, ille est verus Deus: sed tertiæ in Divinis Personæ ea tribuuntur in Scripturis; ergo.

*Prob.* 1ª. *p. min.* Dei NOMINA sunt DOMINUS 2. ad Cor. 3. 16., SPIRITUS Joan. 4. 24. PARACLITUS Joan. 14. 16., et CHARITAS 1. Joan. 4. 8. Hæc vero nomina tribuuntur tertiæ Personæ; ut de prioribus patet ex infinitis Scripturæ locis, queis *Spiritus Dei, Spiritus Domini, Spiritus sanctus* appellatur;

de posterioribus autem ex Joan. 15. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam a Patre,* et ibid. 16. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos;* Item juxta sensum S. AUGUSTINI L. 15. de Trin. c. 17. n. 31. ex 1. Joan. 4. 7. *Charitas ex Deo est;* ergo.

*Prob.* 2ª. *p.* De quo Scriptura asserit et explicat id quod de Deo vero dixerat, ille NATURAM DIVINAM habet; cum prædicata plane eadem nequeant verificari in duobus, nisi saltem natura identificatis : sed Scriptura asserit et explicat de tertia Persona id quod de Deo vero dixerat; dum Isa. 6. 8. et 9. dictum erat: *Audivi vocem Domini dicentis... et dixit : Vade et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere;* dein Act. 28. 25. dicitur : *Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam ad patres nostros dicens : Vade ad populum istum, et dic ad eos : Aure audietis et non intelligetis etc.* Similiter dum Psal. 77. 41. scriptum fuerat : *Tentaverunt Deum, et sanctum Israel exacerbaverunt;* apud Isaiam 63. 10. legitur : *Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt Spiritum sancti ejus :* Item ubi Act. 5. 3. Petrus dixerat : *Anania! cur tentavit satanas cor tuum, mentiri Spiritui sancto?* mox v. 4. subdit : *Non es mentibus hominibus, sed Deo :* Nec aliter postquam Paulus 1. ad Cor. 12. 6. scripserat : *Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus ;* deinceps v. 11. subjungit : *Hæc autem omnia operatur unus idemque Spiritus, dividens singulis, prout vult;* ergo.

*Prob.* 3ª. *p.* Tertiæ Personæ tribuitur 1°. Immensitas Sap. 1. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum;* 2°. Omniscientia 1. ad Cor. 2. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei;* 3°. Omnipotentia Psal. 32. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum etc.;* ergo.

*Conf.* Qui cum Patre et Filio æqualis est in CHARACTERIBUS, OPERATIONIBUS et HONORIBUS divinitatis, illis est æqualis ac verus Deus ; sed Spiritus sanctus seu tertia Persona sic est æqualis ; ergo.

*Prob.* 1ª. *p. min.* CHARACTERES divinitatis, facientes æqualitatem cum Patre et Filio, sunt expressa INVOCATIO in formula Baptismi, COLLATIO GRATIÆ sanctificantis, INHABITATIO in creaturis intellectualibus tanquam in templo, et CONSTITUTIO ac MISSIO ministrorum Dei : 1ᵘᵐ. quidem; quia in formula fidei professionis, quæ tantum in Deum tendit, non alterius quam ipsius Dei nomen invocari potest : 2ᵘᵐ. ; quia creatura creaturam sanctificare nequit : 3ᵘᵐ. ; quia soli Deo templum debetur, isque solus in creaturas illabi potest : 4ᵘᵐ. ; quia creatura ministros Dei constituere aut mittere nequit. Sed CHARACTERES isti deteguntur a Scriptura in Spiritu sancto ; 1ᵘˢ. Matth. 28. 19. *Baptizantes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti;* 2ᵘˢ. ad Rom. 5. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis ;* 3ᵘˢ. 1. ad Cor. 6. 19. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est?* 4ᵘˢ. Act. 13. 4. *Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto* etc., item Act. 20. 28. *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* ergo.

*Prob.* 2ª. *p.* I. EX OPERIBUS NATURÆ tribuitur Spiritui sancto 1°. CREATIO, Psal. 103. 30. *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur; et renovabis faciem terræ;* CONSERVATIO, Job. 26. 13. *Spiritus ejus ornavit cœlos;* et Psal. 32. 6. *Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum ;* 2°. EFFECTIO MIRACULORUM 1. ad Cor. 12. 11. *Hæc autem omnia* (dona miraculorum) *operatur unus atque idem Spiritus.*

II. Ex Operibus Gratiæ 1°. Remissio Peccatorum Joan. 20. 22. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; 2°. Sanctificatio et Justificatio 1. ad Cor. 6. 11. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine D. N. J. C., et in Spiritu Dei nostri*; 3°. Prædestinatio et Glorificatio ad Rom. 8. 16. et 17. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*; *si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* v. 11. autem præmittitur: *Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*; ergo.

*Prob.* 3ª. *p.* Honorem Divinum Spiritui sancto deberi, colligitur 1°. ex Naturæ supra omnem captum Excellentia Joan. 14. 17. *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum*; 2°. ex peccati contra illum summa malitia Matth. 12. 32. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei*; 3°. ex Gloria demum Finis Ultimi et Beatitudinis 1. Petr. 1. 12. *Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant angeli prospicere*; ergo.

348. *Obj. I.* Solus et unus Pater est Deus; ergo Filius et Spiritus sanctus dici Deus nequeunt. *Antec.* constat ex Joan. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*; item ex 1. ad Cor. 8. 6. *Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum*; et ad Ephes. 4. 5. *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.* Patet *Cons.*, quia ex vi exclusiva particularum *solus* et *unus* excluduntur omnes a participatione prædicati, qui non sunt Pater.

R. *N.* vel *D. A.* Solus et unus Pater est Deus, τῷ *solus* et *unus* appellante Patrem *N.* appellante Deum *subd.* ita ut excludantur Dii plures et falsi *C.* ita ut excludantur plures Personæ *N.* τὸ *unus* in posterioribus textibus connecti cum Deo, patet ex ipsa lectione; τὸ *solus* autem in priori similiter pertinere ad unum Deum, non vero ad Patrem, liquet ex Græco, ubi inter *te* et *solum* Deum verum, interponitur articulus, σὲ τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν· unde propositio sic enuntianda est: Pater est ille solus et unus Deus. Cæterum illos textus spectare duntaxat ad excludendam multitudinem et falsitatem Deorum, non vero Personarum pluralitatem ac divinitatem, intelligitur ex eorum sensu ac contextu. Etenim Joan 17. describitur *fides practica*, seu comparandæ vitæ æternæ modus; qui est, ejurata Deorum multitudine, unum Deum confiteri, et Christi doctrinam ac Religionem sectari, ut explicat S. Ignat. in ep. ad Magnes. n. 8. de Christo scribens: *Qui erant increduli certi redditi sunt, quod unus sit Deus, qui seipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum*, et repetit Paulus in ep. 1. ad Thessal. 1. 9. *Quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, et exspectare Filium ejus de cœlis* etc. In ep. autem ad Cor. immediate præmittitur: *Nam etsi sunt, qui dicuntur Dii, sive in cœlo sive in terra* (*siquidem sunt Dii multi et Domini multi*); *nobis tamen unus Deus* etc. Demum hoc textu inanes Gentilium, Simonis Magi, et Valentini Deos perstringi, advertunt Hieron. et Theophylactus. Præterea etsi permitteretur, particulas *solus* et *unus* afficere ipsum Patrem; iisdem tamen personæ duntaxat alienæ

et extraneæ, falsorum nempe Deorum, non autem internæ Deo et Patri consubstantiales excluduntur; tum quia vis exclusiva harum particularum non est semper universalis ac omnimoda, ut ex 1. Machab. 10. 70., ex Luc. 9. 36., ex Joan. 16. 32. et aliis liquet: tum quia alias solus Jesus, non vero Deus, esset Dominus; cum et hæc vox isti soli tribuatur in textu secundo.

*Inst.* 1. Ubi in Scriptura mentio fit plurium Personarum, solus Pater vocatur Deus; ut patet ex 1. ad Cor. 12. 4. et seqq. *Divisiones gratiarum sunt; idem autem Spiritus: et divisiones ministrationum sunt; idem vero Deus:* et ex 1. ad Tim. 2. 5. *Unus Deus: unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus:* Idem quoque fit in Symbolis; nam in illo Apostolorum dicitur: *Credo in Deum Patrem... et in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum... Credo in Spiritum sanctum.* In Patrum Symbolo autem sic habetur: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem... et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem*; ergo et ille solus Deus esse videtur.

R. *D. A.* Solus Pater vocatur Deus secundum substantiam et veritatem divinitatis *N.* secundum proprietatem et singularitatem principii *T.* Nec soli Patri, sed et cæteris Personis, prædicatum et rationem Dei asseri in Scripturis, satis supra ostendimus: nec Patrem solum laudatis in textibus nominari Deum, penitus evinci potest. Potius enim contextus declarat, 1um. locum agere de tertia Persona, cui ob munus triplex gratiæ, ministrationis, et operationis, triplex illa appellatio Spiritus, Domini, ac Dei tribuitur; 2um. autem loqui de Deo adæquate sumpto, seu in tribus personis subsistente, sicut de mediatore tanquam Deo-homine, et sic Christo adæquate sumpto, loquitur. Tametsi vero nomine Dei compellatum hic solum Patrem demus; id tamen factum fuit juxta S. Dionysium P. a S. Athan. cit. L. de Dec. Nic. Syn. n. 26. et Nazian. Carm. 3. de Spiritu sancto v. 54. et seqq. ut prædicatio Ecclesiæ de monarchia et unica divinitatis ac omnis entitatis origine, fonte, ac principio, qui est Pater, diligentius inculcaretur. Cui accessit prudens quædam œconomia, et a S. Paulo in 1. ad Cor. 2. 3. commendata, et a Patribus antiquioribus usurpata, qua cavebatur, ne translatis a multiplici divinitatis errore Neophytis arcanum Trinitatis mysterium statim apertius offerretur. Ob utramque rationem geminum Symbolum ea, qua legitur, formula adornari oportuit; quoniam id scriptum tradebatur, etiam ab absentibus legendum. In eodem quia prædicatum Domini tum Filio tum Spiritui sancto tribuitur, observandum est effatum Ambrosii in Cap. 1. ep. ad Galatas v. 3.: *Nec minorem Filium significat, cum eum Dominum nostrum vocat; nec Patrem majorem, quia eum Deum nostrum appellat: quia non erit verus Deus Pater, nisi et Dominus sit; neque verus Dominus Filius, nisi et Deus sit.*

*Inst.* 2. Soli Patri sic tribuuntur quædam divinitatis attributa, ut ab iis reliquæ Personæ excludi videantur. Nam Marc. 10. 18. Christus ait: *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus*; 1. ad Tim. 6. 16. *Qui solus habet immortalitatem*; et ad Rom. 16. 27. *Soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui honor et gloria* etc.; ergo.

R. 1°. *N. A.* Hac enim propositione hujusmodi attributa videntur reliquis Personis auferri, ut adeo nec bonæ, nec immortales, nec sapientes sint; quod tamen Hæreticorum nemo dixerat, utpote qui Filium sapientiam

Patris, et Spiritum esse sanctum, utrumque immortalem ac Deum etiam, sed minus proprie, confitebantur. Si vero propositio sic accipiatur, ut hæc attributa singulari quadam ratione ad Patrem pertineant (quatenus nempe Pater bonitatem, immortalitatem, et sapientem habeat a se ipso, Filius vero a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre Filioque communicatam teneant) verum quidem sensum, sed a communi verborum intelligentia alienum, habet. Hinc

R. 2°. *D.* Soli Patri secundum naturam tribuuntur prædicata divina sic, ut videantur a reliquis excludi *N.* soli Patri secundum personæ proprietatem tribuuntur *subd.* ita ut videantur excludi a reliquis Personis simpliciter *N.* singulari tantum habendi modo, nuper explicato *C.* Textus nihil contrarii probant. In *primo* quidem, quoniam juvenis, qui Christum compellaverat bonum, illum putaverat quidem doctrina et bonitate excellentem, cæterorum tamen hominum similem, Christus hunc corrigens de sua divinitate instruxit recitatis verbis, quorum is sensus est : me Deum non putas, et tamen bonum dicis; solus autem Deus per excellentiam bonus est ; ergo vel bonum me non appella, vel Deum me esse crede; ita Athan. de Incarn. et cont. Arian. n. 7., Naz. Or. 30. n. 13., S. Basil. L. 4. cont. Eunom. n. 3. (p. 291.) Hilar. L. 9. de Trin. n. 16. Ambr. L. 2. de Fide. c. 1., August. in Ps. 117. n. 2. In *secundo* autem et *tertio* textu sermonem esse, non de Patre solo, sed de Trinitate, Aug. L. 1. de Trin. c. 6. et L. 2. cont. Maximin. c. 13. ex ipso contextu ostendit, ipsaque etiam attributorum ratio declarat; quæ si essentialia sunt, particulæ exclusivæ removent tantum alias essentias : si notionalia sunt, excludunt personas, ut axioma Theologicum docet.

349. *Obj. II.* Filius in Divinis est creatura; ergo non est Deus. *Prob. A.* 1°. Quia in Scriptura dicitur sapientia esse creata ; Prov. 8. 22. *Dominus creavit me in initio viarum,* et Eccli. 24. 14. *Ab initio et ante secula creata sum.* 2°. Quia Christus dicitur factus; Joan. 1. 15. *Qui post me venturus est, ante me factus est,* et ad Hebr. 1. 4. *Tanto melior angelis effectus.* 3°. Quia inter creaturas refertur; ad Coloss. 1. 15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ* ; ergo.

R. *N. Ad prob.* 1am. *D.* Sapientia in genere seu indistincte sumpta pro creata seu incarnata, et pro increata *T.* sapientia increata *subd.* dicitur creata stricte ac proprie *N.* late *C.* In utriusque Libri capite laudato plura sunt, quæ creatæ seu incarnatæ Sapientiæ congruunt, alia autem increatæ tantum, non vero incarnatæ conveniunt, uti Prov. v. 3. *Cum eo eram cuncta componens* etc. et Eccli. v. 6. et 8. *Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens : gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi* etc. Sapientia scilicet generatim accepta, et maxime ingenii operibus præsidens, hic a Salomone per prosopopœiam inducitur, cui dum pro diversitate specierum, quas sub se continet, prædicata diversa adscribuntur ; nec contradictio inde nec contrarium nobis argumentum nascitur. Vox *creavit* in Prov. nec in fonte Hebraico nec in versione Latina habetur, sed vox *possedit,* quæ ex Gen. 4. 1. significat generationem : potuit autem in Græcam 70. Interpr. versionem loco ἔκτησε, *possedit,* ex scriptoris vitio facile irrepere ἔκτισε, *creavit.* Præterea Græcum κτίζειν et Latinum *creare* nec semper nec necessario pro productione ex nihilo adhibetur; cum et filii et magistratus et urbes

κτίζεσθαι a Græcis, et *creari* a Latinis dicantur. Tandem juxta Patres Filii processio in Scriptura utroque generationis et creationis vocabulo, a suis imperfectionibus abstracto, explicatur; cum neutrum seorsim illam originem satis commode exponeret, quæ ut generatio ex eadem substantia, ut creatio sine generantis mutatione, productionem habet.

*Ad* 2am. *prob. D. A.* Christus dicitur factus in sensu physico, seu creatus *N.* in sensu morali, sive prælatus *C.* Postremum sensum intellexerunt Patres plerique in textibus laudatis, et contextus etiam requirit; cum apud Joan. dicat Baptista Christum sibi esse antepositum ὅτι πρῶτός μου ἦν, *quia prior me erat,* h. e. quia prærogativa temporis et potestatis, quam utramque vox πρῶτος denotat, me antecelluit : alia expositio faceret hunc sensum quolibet scriptore indignum : Ante me creatus est, quia ante me creatus est. Similiter a Paulo Christum duntaxat dici supra Angelos evectum et declaratum, ostendit litteralis sensus juxta ac scopus totius capitis, qui erat probare Christi excellentiam summam ex æterna ipsius generatione. Textus alii ex Act. 2. 36. et ad Hebr. 3. 1. adduci soliti, et Christum *factum* perhibentes, aperte loquuntur de Christo qua homine, adeoque huc non pertinent.

*Ad* 3am. *prob. N. A.* Textus ad Coloss. de Christo qua Deo loquitur, ut docent sequentiä : *Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra* etc. : sub hac autem acceptione cum sit *unigenitus a Patre,* non potest quasi prior tantum in creaturis referri; sed tanquam genitus e Patris substantia debet creatis ex nihilo præferri. Quia tamen *geniti* notio in nomine *primogeniti* communis est tam generationi quam creationi, potuit vox primogenitus usurpari etiam respectu creaturæ, ita ut geniti significatio tamen Verbo et creaturis diversimode accommodaretur, et sensus Pauli esset : Qui ante omnem creaturam productus est. Ubi vero alias Christus etiam secundum humanitatem primogenitus dicitur, uti fit ad Rom. 8. 29. et Apoc, 1. 5. etc., ea vox excellentiam, honorem, et dignitatem præcipuam designat.

*Inst.* 1. Filio tribuitur ignorantia et impotentia : alterum liquet ex Marc. 13. 32. *De die autem illa* (judicii extremi) *vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater;* alterum ex Matth. 20. 23. *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo;* ergo.

R. *N. A.* Ignorantiam simpliciter a Christo removet omniscientia ejus : ignorantiam autem judicii extremi ea, quæ de signis Luc. 17., de loco Matth. 24., de hora Luc. 17. Christus prænuntiat; unde Ambros. L. 5. de Fid. c. 16. ait : *Quomodo nescivit judicii diem, qui horam judicii et locum et signa expressit et causas?* Ad explicandum tamen textum *D.* Christus qua Deus nescivit extremi judicii diem *N.* qua homo *subd.* respectu nostri *C.* respectu sui *N.* vel rursus *D.* spectata præcise natura humanitatis *C.* spectata unione hypostatica *N.* Christum etiam qua hominem simpliciter ac omnino ignorasse judicii diem, asseri non debet, ut in Libello emendationis Leporii (Labb. t. 2. p. 1183. C.), ab Augustino et Africanis Præsulibus probato, declaratur : *Nunc non solum dicere non præsumo, verum etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam; quia dici non licet, etiam secundum hominem ignorasse Dominum Prophetarum.* Si qui Patres contrarium dicere videntur, accipiendi sunt sensu alterutro nuper relato, vel

dicendi sunt, figura concessionis dissimulasse ignorantiam naturæ humanæ in Christo, ne *Ariani* disputationem alio abstraherent; nihilominus autem affirmasse Christi divinitatem propterea quod illa ignorantia non in divinam sed humanam tantum Filii mentem caderet. Priorem concedendæ ignorantiæ modum statuit præcipue Aug. L. 83. QQ. q. 60., in quo bina supponuntur : 1um. Christum qua hominem et arcanorum divinorum interpretem ac ministrum nihil revelasse aut dixisse hominibus, nisi mandante Patre, juxta illud Joan. 12. 49. *Ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar* : 2um. In phrasi Scripturæ dici Deum id primo cognoscere, quod publico experimento prodit vel manifestat; secundum quam intelligendi sunt textus Gen. 22. 12. *Nunc cognovi, quod timeas Deum,* et Deuter. 13. 3. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat, si diligatis Deum.*

Ex quibus sequitur, eadem phrasi recte dici Christum ignorare ea, quæ nobis non manifestat. Neque tamen simili etiam modo dicendus est Pater ignorasse diem judicii; quia Pater per seipsum et immediate nobis loqui non solet, sed ut ad Hebr. 2. scribitur, *olim per Prophetas, novissime per Filium.* Posteriorem exposuit Greg. M. L. 10. ep. 39. (opp. t. 3. p. 1070) : *In natura quidem humanitatis novit diem et horam judicii, sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit..... Itaque scientiam, quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum angelis creatura fuit, hanc se cum angelis..... habere denegavit.* Similiter impotentiam simpliciter a Christo arcent allata superius de omnipotentia; impotentiam autem in conferendo regno Dei, illud Luc. 22. 29. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.*

*Ad text. Matth.* R. *D.* Non est meum, qua Deus sum, dare vobis regnum *N.* qua homo sum *subd.* Non est meum, h. e. non est meæ auctoritatis et potestatis *N.* h. e. non est meæ æquitatis dare vobis jure propinquitatis, ut petitis, et quidem vobis ambitiosis id quod meritis comparari debet, et præparatum est humilibus *C.* Explicatio hæc, præterquam quod ex contextu nascatur, usurpata est a Patribus, inter quos Hier. L. 2. cont. Jovin. n. 28. scribit : *Paratæ sunt in cœlo diversæ et plurimæ mansiones..... quas non personæ accipiunt, sed opera;* et Aug. in Psal. 126. n. 5. ait : *Quid est, non est meum dare vobis? non est meum dare superbis; hoc enim adhuc erant.* Cæterum Marc. 10. 40. regnum paratum legitur sine mentione Patris; per mentionem illius autem apud Matth. factam minime excluditur Filius, qui Joan. 16. 15. de se testatur : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Solius tamen Patris mentio fit, sive quod hæc dispositio Patri per attributionem conveniat, sive ut ostendatur nec Patrem, cujus una est cum Filio voluntas, petitionibus deferre regnum, sed meritis.

*Inst.* 2. Filius divinitatem, nomen, et attributa divina obtinuit gratia vel merito. 1um. habetur ex Apoc. 5. 12. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem* etc. 2um. ex ep. ad Philip. 2. 9. *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen* etc. 3um. ex Joan. 5. 22. *Pater omne judicium dedit Filio*; et Act. 2. 36. *Et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis*; ergo.

R. *D. A.* Filius, qua Deus, gratia vel merito obtinuit divinitatem etc. *N.* qua homo *subd.* gratia vel merito obtinuit divinitatem, nomen et attributa divina quoad substantiam *N.* quoad manifestationem, celebrationem et

accidentalem gloriam *C*. Sicut assumptio naturæ humanæ in unitatem personæ cum natura divina fuit gratia et beneficium; sic quidem natura humana divinitatem et reliqua prorsus ex gratia obtinuit: Filius tamen Dei, etiam qua homo, illa mere gratuito habuisse dici nequit; siquidem Filius homo dicitur, ex quo Verbum factum est caro: sed ex eo tempore et rationis instanti transiit jure naturali ad hunc hominem quidquid Verbum erat, ita ut, quod naturæ beneficium fuit, esset suppositi proprietas naturalis. Meritum autem divinitatis et reliquorum quoad substantiam nec naturæ humanæ in Christo, nec ejus supposito tribui posse, ex ratione tum præmii tum merentis in Tr. de Incarn. ostendetur: unde priora objectæ Scripturæ loca de altero præmii membro intelligere oportet.

Et quidem *primum* textum sic exponendum esse, probat tum textus græcus, qui loco *divinitatem* ponit πλοῦτον *divitias* seu *divitatem*, ut apud *Gellium* legitur: tum ratio concessionis indicata his verbis: *qui occisus est*, æquivalentibus illis ibid. v. 9. *Dignus es Domine accipere librum et aperire signacula ejus, quoniam occisus es* etc.; quæ ratio si esset divinitatis quoad substantiam acceptæ, Christus non nisi post mortem Deus fuisset. Idem dicendum esse de *secundo* ostendit contextus, in quo meriti ratio tribuitur morti Christi v. 8. præcedente: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; præmii autem substantia statuitur in celebritate, honore et titulo Jesu, h. e., Salvatoris ac Redemptoris secundum v. 10. sequentiam: *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur* etc. In posterioribus textibus exercitium et manifestatio judiciariæ potestatis, dominatus et dispensationis gratiarum, sicut intelligi potest ex collatione textus primi cum versu 42. Act. 10. et secundi contextus, sic etiam merito Christi non videtur esse neganda: ipsa autem potestas judicandi, dominandi et dispensandi gratias, per assumptionem humanitatis Christo communicata, non subest merito; sed, exposita nuper ratione, beneficium naturæ est simul et proprietas personæ. V. Petav. de Trinit. L. 2. c. 1-4. et L. 3. c. 1-7.

350. *Obj. III.* Spiritus sanctus est creatura; tum quia Amos 4. 13. in Græco Deus dicitur *creans spiritum*: tum quia Joan. 1. 3. per Verbum *omnia facta esse* perhibentur; ergo Deus esse nequit.

*Conf.* 1. Spiritus Prophetarum est Spiritus sanctus, quo scilicet inspirante Prophetæ loquuntur: sed 1. ad Cor. 14. 32. dicitur: *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*; ergo. 2. Basilius et Hilarius suis in libris nuspiam Spiritui sancto tribuunt nomen Dei: quin nec Concilium Constantinopolitanum definivit Spiritum sanctum Deum esse: demum Ecclesia antiquitus nullas ad Spiritum sanctum preces dirigebat; ergo Spiritus sanctus ab illis non credebatur Deus.

R. *N. A. Ad prob.* 1am. R. Non intelligi hic Spiritum sanctum, sed, ut Vulgata habet, *ventum*; quod comparatio cum versu 9. declarat.

*Ad prob.* 2am. R. τὸ *omnia* æque parum complecti sub se Spiritum sanctum, ac Patrem; sed ea duntaxat, quæ natura a Verbo diversa sunt.

*Ad Conf.* 1am. R. *D. M.* Spiritus Prophetarum insitus, seu mens humana Prophetarum est Spiritus sanctus. *N.* Spiritus Prophetarum inditus, seu inspiratio divinitatis est Spiritus sanctus *T.* Priorem autem, non hunc, in-

telligi in objectione, vel ipsa vox græca sine articulo et in plurali posita satis demonstrat.

*Ad Conf.* 2am. R. *T. A. N. Cons.* Basilii fidem abunde vindicavimus; Hilarius in LL. de Trin. sæpius negat Spiritum sanctum esse creaturam, et in Comment. ad Matth. c. 33. exponens baptismi formulam, trium Personarum nomina exprimi dicit, *ut quorum est una divinitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis unus Deus* : Concilium Constantinopolitanum vero Spiritum sanctum vocat *Dominum et vivificantem,* dicitque *procedere* a Patre et Filio, cum Patre et Filio simul adorari et conglorificari: Ecclesia tandem per Spiritum sanctum ad Patrem preces olim et nunc finire consuevit. Unde patet non aliam prioribus seculis, quam quæ in præsens viget, fuisse de Spiritu sancto fidem.

Cæterum rariorem de aperta divinitatis Spiritus sancti fide professionem Patribus illis persuasit œconomia quædam a circumstantiis suæ ætatis probata: Concilii autem de nomine *Dei* Spiritui sancto tribuendo abstinentiam fecit forsan experta jam in *Arianis* malignitas usurpandi hanc vocem in sensu improprio: Ecclesia suas demum plerumque ad Patrem dirigendi preces fundamentum habuit, in eo quod ille sit fons totius divinitatis, et per appropriationem agat personam Dei; cum Filius ut mediator, et Spiritus sanctus ut auctor precum nostrarum habeatur.

351. *Observa.* Non duximus operæ pretium exceptiones dissolvere, quas *Sociniani* contra Scripturas in dogmatis nostri confirmationem allatas facere solent, propterea quod major earum pars ex solo contextu facile refellatur; reliquæ autem in *Scriptura Polem.* et *Dogm. explicata,* tanquam proprio in loco, uberrime vindicentur. Insigniores tamen ex his aliquæ non videntur hic silentio omittendæ.

1a. Earum est contra argumentum quod ex *Dei nomine,* pro asserenda Filii et Spiritus sancti divinitate, formatum putant inane; tum quia idem nomen Moysi et aliis hominibus legitur in Scriptura datum: tum quia vox θεὸς sine articulo ὁ in Græcis usurpata summum Deum non significat. Sed contra priorem exceptionis rationem est imprimis, quod in V. T. duntaxat, minime autem in N. T. personis creatis vocabulum Dei sit attributum: Deinde nomen *Elohim* creaturis concessum, tum ob pluralem numerum, tum ob significationem sibi propriam, declarat usurpationem sensus tantum figurati: demum plerumque quidpiam additur, quod significationem vocis multum temperat; ut dum Moyses dicitur *Deus Pharaonis constitutus*; judices autem qui Dii erant dicti, perhibentur *sicut homines morituri.* Contra posteriorem facit, quod hæc regula non sit perpetua; cum Joan. 1. 6. 12. 13. et 18. ponatur θεὸς sine articulo, ubi tamen Deus summus intelligitur; et Act. 7. 43. ac 2. ad Cor. 4. 4. et ad Gal. 4. 8. addatur articulus, sed idolum designetur. Si vero etiam constans foret, non tamen obesset; cum Joan. 20. 28., ad Rom. 9. 5. et 1. Joan. 5. 20. Christus dicatur ὁ θεὸς, idem etiam Act. 5. 4. aliisque locis de Spiritu sancto laudatis observetur.

2a. Est contra textus decretorios ex Ep. ad Rom. 9. 3. et 1. Joan. 5. 20. pro divinitate Filii usurpatos; cum in priori post partem primam: *ex quibus Christus secundum carnem,* videatur ponenda interpunctio; hinc vero pars secunda: *qui est super omnia Deus benedictus in secula,* non ad Chri-

stum, sed ad Patrem sit referenda : vel, siquidem vox *Deus* cum Christo recte construitur, tamen non dicatur Deus absolute, sed cum restrictione *super omnia,* scilicet creata. Adhæc in posteriori rursus verba illa : *Hic est verus Deus,* referenda videntur ad Patrem, quantumvis sermo proxime fiat de Filio Dei, cum etiam in 2. Joan. v. 7. et alias pronomen *hic* non ad proximum, sed remotum substantivum pertineat.

Sed enim vanitas prioris patet; tum quia res ipsa ac series verborum, præsertim vero articulus cum participio ὁ ὢν, utpote relativus et sententiam inchoatam continuans, hanc interpretationem non admittit : tum quia τὸ *super omnia* adeo non limitat præeminentiam Christi, ut potius ampliorem significationem habeat, quam τὸ *super omnes,* quod tamen in Ep. ad Ephes. 4. 6. Deo et Patri attributum, nemo pro limitatione divinitatis accipit. Nec minus inanem esse posteriorem exceptionem probat et scopus in ead. Ep. 1. 1. et 2. indicatus, et ineptia propositionis, quæ in Adversariorum sensu hæc foret : hic verus Deus est verus Deus. Porro, quod pronomen οὗτος ad remotiora referatur, perraro accidit, et tunc fit præcipue, si propinquius *indirecte* tantum ac in obliquo sensum ingrediatur, ut fit in exemplo citato; cujus etiam significatio ita est aperta, ut neminem facile in fraudem induceat. Contraria omnia se produnt in propositione nostra.

3ª. Denique est contra probationem ex Act. 5. pro Spiritus sancti divinitate deductam. Nam 1°. in Græco legitur ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, quod non significat mentiri Spiritui sancto, sed mentiri te et Spiritum sanctum vel fallere, vel simulare, scilicet propter hypocrisin . 2°. Siquidem *Ananias* dicatur etiam esse mentitus Spiritui sancto, id duntaxat verum est quod Apostolis erat mentitus, in quibus Spiritus sanctus degebat. 3°. Licet idem dicatur mentitus Spiritui sancto et Deo, non tamen recta est argumentatio ista : Ananias mentitus est Deo : *Ananias* eodem tempore mentitus est Spiritui sancto ; ergo Spiritus sanctus est Deus; sicut, licet Exod. 16. dicatur populus murmurasse contra Moysen et Aaron una ac Deum, minus recte sic argumentaberis : Populus murmuravit contra Moysen et Aaron : populus eodem tempore murmuravit contra Deum; ergo Moyses et Aaron sunt Deus.

Sed quod 1ªm. exceptionem attinet, ipso *Wolzogenio* teste, mentiri Græce dicitur nunc cum Dativo, nunc cum Accusativo casu, sine aut cum præpositione *ad* vel *in*; ut *Grotius* ex sacris, *Glassius* ex profanis Scriptoribus ostendit, ac in ipso Actorum Capite controverso ex versu 3. et 4. manifestum est, Bezaque in exemplaribus quibusdam particulam *in* adjectam testatur. Perperam itaque versio vulgata notatur erroris. Præterea *prior* substitutio nihil officit; cum, quem fallere quis vult, eidem mentiatur : *posterior* autem est falsa; cum hypocrita quidem dicatur mentiri se aut simulare sanctum, non vero Spiritum sanctum. 2ª. Exceptio falsum dicit : quia Scriptura hic loci nomine Spiritus sancti non intelligit Apostolos, sed Deum, quem per disertam oppositionem distinguit ab hominibus. Hoc autem dissimulato, nihilominus tenet argumentum nostrum; quoniam qui mentitur Spiritui sancto in Apostolis degenti, postea dicitur mentitus Deo. In 3ª. disparitas inter utramque argumentationem patet ex Scriptura, quæ distinguit Moysen et Aaron a Deo, non vero Spiritum sanctum; sed homines duntaxat. Nam Exod. 16. 2. dicitur : *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra*

*Moysen et Aaron*, et v. 8. additur : *Nec contra nos murmur vestrum est, sed contra Dominum*; cum Act. 5. 3. et 4. legatur : *Cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto... Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

## ARTICULUS III.

### AN TRES IN DIVINIS PERSONÆ SINT CONSUBSTANTIALES ?

352. *Nota.* Ὁμοούσια seu consubstantialitas ex nominis etymo juxta ac usu sive æqualitatem sive unitatem substantiæ significat, substantiam seu usiam accipiendo vel pro persona vel pro natura seu essentia. Unitas hæc alia est figurativa et impropria, alia vera ac propria : *figurativa* habetur vel per compositionem, vel per analogiam, vel per collectionem ; *vera* autem vel per mentis præcisionem et rationem specificam, vel per rei indivisionem et individuationem realem. In Divinis unitatem Personarum veram eamque individualem ac numericam statuerunt *Sabellius* et *Paulus Samosatenus*, et eatenus tres Personas dixerunt consubstantiales; unitatem naturæ tantum figurativam admiserunt *Triformes* quidem per compositionem, *Ariani* per analogiam, et *Joachimus Abbas* per collectionem, et hinc tres Personas vel dicere CONSUBSTANTIALES recusarunt, vel tropica significatione acceperunt : eamdem unitatem duntaxat *specificam* voluerunt *Tritheitæ*, ac proin tres Personas vere quidem secundum divinitatem æquales et eatenus consubstantiales dixerunt, divinitatem tamen ipsam non *unam numero* ac individuam aut immultiplicabilem, sed quoad rem divisam ac multiplicem decreverunt : unitatem tandem realem, numericam et individualem divinæ naturæ amplectuntur CATHOLICI, itaque dicunt Patrem, Filium et Spiritum sanctum esse consubstantiales, ut unus idemque numero sint Deus. Catholicum hoc dogma expositurí, argumento primum communi præcipue *figurativam*, tum proprio *mere intentionalem* unitatem divinæ naturæ profligabimus.

353. *Dico I.* Pater, Filius et Spiritus sanctus in Divinis sunt vere consubstantiales, et unus idemque Deus, non tantum per *figuram*, sed per *veritatem* substantiæ.

*Prob.* Quibus asseritur in Divinis vera NATURÆ, OPERATIONIS et ATTRIBUTORUM unitas, vere consubstantiales sunt, et unus idemque Deus, non per figuram, sed per veritatem substantiæ ; quia juxta AUG. Serm. 38. de temp. (al. ALCUIN. de Trinit. L. 1. c. 13. seqq.) natura hic idem est ac essentia seu substantia, operationes vero physicam, attributa metaphysicam naturæ notionem explicant et probant : sed Patri, Filio ac Spiritui sancto in Divinis asseritur a Sacris Litteris et Traditione triplex illa unitas; ergo. Assumptio asseritur quoad singulas partes.

Quoad 1am. Ex 1. Joan. 5. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* Unde EPP. AFRICANI in Libel. fid. ad Hunneric. aiunt (Labb. t. 4. p. 1134. B.) : *Et ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur, ait namque : Tres sunt* etc. Consentiunt FULGENT. L. de Trin. c. 4. et IDACIUS, seu VIGILIUS

Tapsensis adv. Varimad. Arian. L. 1. c. 5.— Item Joan. 10. 30. ait Christus : *Ego et Pater unum sumus*; ad quem locum Chrys. hom. 61. in Joan. n. 2. ait : *Quare unum se esse cum Patre vi saltem ac potestate profiteri debet; nam de ea sermo erat : si autem eadem et una est virtus amborum, eadem quoque est substantia.* Similia habent Aug. cont. Serm. Arian. c. 9. et Tract. 20. in Joan. n. 3. Cyrill. Alex. in hæc verba Joan. (opp. t. 4. p. 666. 667.) Epp. Africani in Libell. fid. supr. cit. (Labb. t. 4. p. 1129. C).

Quoad 2am. Ex 1. ad Cor. 12. 4. et seqq. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus : et divisiones ministrationum sunt, idem vero Dominus ; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus*; et v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus idemque Spiritus* : de quo Aug. L. cont. Serm. Arian. c. 15. inquit : *Universa Trinitas operata est, non quod invalidus sit unusquisque eorum sine aliis, quod operatur, implere : sed non potest operatio esse divisa, ubi non solum æqualis est, verum etiam indiscreta natura.* Adstipulantur Athan. de Incarn. cont. Arian. n. 14. et ep. 1. ad Serap. n. 30. Basil. L. 3. cont. Eunom. n. 4. et L. 5. (opp. t. 1. p. 304.) et Amb. L. 2. de Spiritu sancto c. 12. n. 138. seqq.— Item ex Joan. 5. ubi Christus dicit. v. 17. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*; et v. 19. *Quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit*; in quæ verba Hilar. L. 7. de Trin. n. 18. scribit : *Hæc est veræ nativitatis intelligentia et fidei nostræ, quæ ex naturæ divinæ unitate unius indifferentisque divinitatis veritatem in Patre et Filio confitetur, absolutissimum sacramentum, ut eadem faciendo Filius similiter faciat, et similiter faciendo eadem sint ipsa quæ faciat : quia sub una hac significatione testantur et similiter facta nativitatem, et eadem facta naturam.* Conspirant Cyril. Alex. L. 2. Comment. in Joan. (opp. t. 4. p. 238. 239.) et Aug. de Trin. L. 2. c. 1.

Quoad 3am. Ex Matth. 28. 19. *Baptizantes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, de quo Pelag. I. in Ep. ad Childeb. (Labb. t. 5. p. 803. E.) scribit : *In nomine inquit, non nominibus, ut et unum Deum per indistinctum divinæ essentiæ nomen ostenderet, et Personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret.* Adde Didym. L. de Spiritu sancto, n. 23. 24. (opp. S. Hieron. t. 2.) et Ambr. L. 1. de fid. c. 1. n. 8.— Item Joan. 16. 15. Christus ait : *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*; et c. 17. 9. *Mea omnia tua sunt*; unde Hilar. L. 9. de Trin. n. 31. dicit, *Deum* (h. e. divinitatem) *in his intelligendum esse, quæ sua sunt in virtute, in æternitate, in providentia, in potestate.* Confer. Athan. Or. 3. cont. Arian. n. 4., August. cont. Maximin. L. 2. c. 9. n. 2. et Cyrill. Alex. tum in Thesaur. (opp. t. 5. part. 1. p. 70.), tum L. 1. in Joan. c. 3. (opp. t. 4. p. 27.). — Rursus ex Joan. 14. 9. *Qui videt me, videt et Patrem*; inde Cyril. in Thesaur. (p. 111.) : *Filius enim habens proprietatem essentiæ Patris citra ullam differentiam, est perfecta imago Patris et forma genitoris, totum in se genitorem referens, atque exprimens.* Adde Hilar. L. 7. de Trin. n. 5. et Maxim. Taurin. hom. 77. de S. Eusebio. — Denique ex Joan. 10. 38. *Pater in me est, et ego in Patre*; cui subjicit Bern. serm. 5. de verb. Isaiæ : *Non potuit expressius unitas commendari : ubi enim uterque in altero, nihil quasi exterius licet, nihil interius cogitari; simplicissimum magis credi necesse est in ambobus substantiæ unitatem.* Accedunt Athan. Or. 3. cont. Arian. n. 5. Hilar. L. 3. n. 4. L. 7. n. 27. et 31. de Trin. ac L. cont. Constantium n. 18.

*Conf.* Concilia, Patres et Ratio refutant unitatem in divinis *mere figurativam.*

Imprimis enim MARTINUS I. in Conc. Lateranensi Secret. 1. prolocutus, ex Basilio docet, *divinam naturam ab omni compositione esse mundam* (Labb. t. 6. p. 86. B.); et SOPHRON. in ep. ad Sergium, in Conc. Constantinopolitani III. Act. 11. lecta, enuntiat : *Neque secundum quod Trinitas est unus Deus, dicitur coarctatus, sive compositus vel confusus* (Labb. ib. p. 857. C.) : Concilium autem Nicænum ac Constantinopolitanum I. in Symbolis statuunt Filium Patri *consubstantialem*; quod Ephesinum in ep. ad Nestorium et anathematismo 1., Chalcedonense Act. 2. et 16., Constantinopolitanum II. Act. 3. in Prof. fidei et Act. 8. Can. 1. repetunt : Conc. Lateranense IV. tandem, ubi Joachimi Abbatis sententiam, qua inter cætera unitatem in Divinis *non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam* statuit, retulisset ac refutasset, sic definit : *Si quis igitur sententiam vel doctrinam præfati Joachimi in hac parte defendere vel approbare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus evitetur* (Labb. t. 11. part. 1. p. 145. A.).

Deinde ex Patribus AMBR. ep. 81. n. 8. inquit : *Trinitas incompositæ naturæ corrumpi non potest; quia Deus unum et simplex et incompositum est, quidquid est.* BASIL. ep. 141. (al. 8. n. 3.) scribit : *Porro identitatem naturæ confitentes, et consubstantiale recipimus, et compositionem effugimus; cum is qui secundum substantiam Deus est et Pater, eum genuerit qui secundum substantiam Deus est et Filius.* FULGENT. in Resp. ad object. 7. Arian. profitetur : *Vera et æterna substantia, de qua vera nativitas extitit, sicut generando minui dividique non potuit, ita in se tota permanens totam se coæternæ veritati nativitatis indulsit : ut scilicet gignentis genitique non solum æqualitas absque diversitate consisteret, sed etiam sine confusione detrimentoque naturalis unitas permaneret.*

Denique ratio desumitur ex simplicitate, proprietate ac unicitate Dei; quarum singulas vel in præcedenti Tractatu stabilivimus : simplicitas autem compositionem, proprietas analogiam, et unicitas collectionem excludunt. Præterea Trinitatis mysterium (quod tamen Patres ubique notant) nihil jam admirationis haberet, nec excluderet humanam rationem, nec simile quid in creaturis respueret, si in Divinis *figurativa* duntaxat unitas obtineret. V. PETAVIUM de Trin. L. 4. c. 13. 14.

354. *Dico II.* Pater, Filius et Spiritus sanctus in Divinis sunt omnino consubstantiales, et unus idemque Deus unitate non tantum *specifica* et per rationem, sed *numerica* et a parte rei.

*Prob.* Tam communes quam speciales notiones unitatis numericæ ac realis asseruntur naturæ divinæ in tribus Personis subsistenti. *Priores* sunt 1°. INDIVIDUATIO; de qua loquitur GREG. NYSS. L. quod non sint tres Dii, ad Ablabium (opp. t. 3. p. 17. D.): *Natura una est, ipsa secum unita, penitusque ac prorsus unitas individua est... quæ non una cum singularibus, qui ejus participes sunt, dividitur* : NAZIAN. Or. 45. (al. ep. 243. opp. t. 2. p. 197. C.) : *Simplex Dei essentia, individua, uniusque modi* : HILARIUS de Trin. *Individua et non dividua natura Dei* etc. 2°. SINGULARITAS; quam testatur AUCTOR L. de div. Nom. c. 1. §. 4. : *In omni ferme Theologica tractatione divinitatem ipsam*

*sancte collaudatam cernimus, ut monadem quidem ac unitatem propter supernaturalis individui sui simplicitatem.* Joann. Maxent. Dial. 2. (Biblioth. magna PP. t. 4. part. 1. p. 486. A.). *Trinitatem secundum Personas discernimus et numeramus, quam tamen secundum naturam, quæ una et sola est, nec discernimus, nec numeramus; quia unitas sive singularitas.... nec discernitur, nec numeratur.* Ansel. L. de Process. Spiritus sancti, c. 27. *Pater, Filius et Spiritus sanctus, per hoc quia, cum est Deus, in Deo non est nisi unus Deus, servant in Deitate ad similitudinem unius hominis singularitatem* etc. 3°. Unitas naturalis seu realis; quam intelligunt Martin. I. in Conc. Lateran. Secret. 5. dicens: *Hæc enim erat voluntas Dei Patris et ipsius unigeniti Filii et Spiritus sancti, id est, unius sine initio et naturaliter Deitatis* (Labb. t. 6. p. 346. A.). Fulg. L. de Fid. c. 1. n. 4. *Ob hoc tres unum recte credimus et dicimus Deum, quia una prorsus æternitas, una immensitas, et una naturaliter est trium Personarum divinitas.* Patres Conc. Toletani XI. in Præf. (Labb. t. 6. p. 641. A.) credunt *Trinitatem unum Deum naturaliter esse unius substantiæ, unius naturæ, unius quoque majestatis atque virtutis.*

Notiones *posteriores* sunt 1°. Unitas sine numero; quam indigitant Marius Victor L. 3. cont. Arium, n. 1. *Omnia ibi substantialiter simplicia, inconnexa, cum numero unum, nec numero unum, sed ante numerum unum*: Basil. ep. 141. (al. 8. n. 2.): *Nos unum Deum non numero, sed natura profitemur: quidquid enim numero unum dicitur, hoc revera unum non est, neque natura simplex*: Sophron. in ep. ad Sergium (Labb. t. 6. p. 860. B.): *Singularitas ipsius substantiæ et naturæ numerari omnino respuit, ne differentiam deitatis inducat et Deorum multitudinem efficiat: omnis enim numerus differentiam habet adjunctam, et omnis distinctio aut differentia congenitum secum infert numerum* etc. 2°. Unitas cum excessu; cujus meminerunt Auctor L. de div. Nom. c. 1. §. 1. et 4. *Unitas effectrix universæ unitatis.....* (hanc) *collaudatam cernimus ut monadem quidem ac unitatem, propter supernaturalis individui sui simplicitatem.* Idem et Basil. ep. 141. (al. 8.) divinitatis unitatem vocat μονάδα et ἑνάδα, h. e. perfectissimam singularitatem et unitatem. Joan. Cyparissiota Decade 9. cap. 10. *Unam essentiam actu dico magis unam, quam quæ maxime omnium singularis* etc. 3°. Unitas ex identitate, quam prædicant Naz. Or. 31. n. 16. de suppositis divinis dicens: *Horum quodlibet unitatem habet non minus ejus, cum quo conjungitur, quam sui ipsius respectu, propter essentiæ et potentiæ identitatem*: Sophron. in ep. cit. (p. 857. E.): *Bene a Deiloquis sancitum est, unitatem nos sapere una et singulari deitate ac identitate essentialis atque naturalis dominationis*: denique ταυτότητα καὶ ταυτὸν, h. e. *identitatem* ac *idem* in Deo secundum substantiam ac naturam Basil. ep. cit. et Cyril. L. 3. et 5. Comment. in Joan. aliique passim celebrant. V. Petav. de Trinit. L. 4. c. 13. 14.

*Conf.* Ex dogmatibus sive absolute sive comparative assumptis.

1ae. Classis argumentum 1um. est: Deus verus non est nisi unus, singularis et numero unicus; ut ex fidei ac rationis principiis probatum dedimus in Tr. de Deo uno: sed Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt verus Deus; ergo non sunt nisi unus singularis et unicus numero Deus. 2um. Quando proprie et absolute loquimur, non sunt asserendæ in Deo tres essentiæ, naturæ, aut substantiæ: sed si tres Personæ in Divinis non forent unus idemque Deus unitate numerica, asserendæ essent tres essentiæ, naturæ, aut substantiæ;

ergo. Assumptio patet et conceditur : Propositio autem *universim* constat tum ex symbolis et fidei professionibus, tres quidem Personas sed unam ex opposito essentiam, naturam aut substantiam enuntiantibus ; tum ex Ep. Sophronii ad Sergium, quam in Conc. Constantinopolitano II. Actione 11. recitatam et probatam diximus. Speciatim vero de *Essentia* legantur Aug. L. 7. de Trin. c. 4. et 6., Athan. de defin. c. 1. n. 8. (opp. t. 2.). Fulg. de fid. ad Donat. c. 3., Damasc. de fide orth. L. 3. c. 5., Ansel. in Monol. c. 76. De *Natura* Athan. Dial. 1. de Trin., Naz. Or. 23. 33. 31., Nyssen. L. de Trin. et L. ad Ablab., Basil. L. 1. 3. et 5. cont. Eunom. De *Substantia* Toletan. VI. cap. 1. et XI. in Præf., Basil. L. 4. cont. Eunom., Hieron. ep. 57. ad Damasum (al. 15.). Aug. Serm. 38. de temp. (al. Alcuin. de fid. SS. Trin. L. 1.) et L. 5. de Trin. c. 9. 3um. Qui specie tantum non autem numero unum sunt, in iis unitas est secundum rationem, distinctio quoad rem, et perfectio major in tribus, quam in uno aut duobus ; ut patet in specifica unitate angelorum vel hominum : sed nihil istorum habetur in Deo seu in Trinitate respectu essentiæ ac naturæ ; ergo. Assumptionis partes priores exponuntur a Naz. Orat. 31. ample, brevius autem a Damasceno, L. 1. de fid. c. 11. (al. c. 8. opp. t. 1. p. 139. edit. Ven.). Pars posterior explicatur ab Aug. sæpius, præsertim autem L. 7. de Trinit. c. 6. Adde Conc. Tolet. VI. et XI.

2ae. Classis argumentum 1um. est : Sancti Patres fidem catholicam ita mediam inter Judæorum et Sabellianorum ex una, et Gentilium ac Arianorum ex altera parte errores statuerunt, ut, sublato eo quod falsum et nefarium est, ex utraque sibi ipsa retineret quod verum ac pium foret : sed ut sic mediam assererent, neganda erat unitas personalis ac naturæ Trinitas, affirmanda vero cum Personarum Trinitate unitas *numerica*; ergo fides catholica tenet cum Trinitate Personarum numericam ac singularem naturæ unitatem. Discimus hæc ex Nazian. Or. 21. n. 13. fidem Athanasii prædicante; similia Fulg. L. ad Donat. (al. ep. 8. c. 12.) scribit. 2um. Orta post sec. quarti medium controversia inter Antiochiæ Doctores, et postmodum inter Orientis ac Occidentis Præsules divulgata, aliis unam divinitatis hypostasin, aliis tres asserentibus (ubi defensores utriusque partis auditi et sententiarum expositiones perceptæ fuerant) facile ac penitus sublata fuit ; cum intelligeretur priores nomine hypostasis naturam et usiam, posteriores autem proprietates ac subsistentias Personarum accepisse, ut Athanasius et Alexandrina Synodus in ep. synodica ad Antiochenos data testantur (Labb. t. 2. p. 813. C. 814.) : Sed hæc ipsa controversia et eam componendi facilitas ostendit, convenisse utramque partem de *singularitate* naturæ divinæ ac individua unitate ; ut etiam Basil. ep. 325. (al. 258.) et Naz. Or. 42. n. 16. declarant ; ergo. 3um. Una est in tribus Personis essentia, sicut in duabus naturis una est Christi Persona : sed Persona in Christo est *numerice* una, sicut naturæ numero sunt duæ ; ergo et natura in Trinitate est una numerice, sicut Personæ numero sunt tres. Eam in rem vide Vincent. Lirin. in Commonitorio n. 13. Nazian. Or. 51. (al. ep. 102. ad Cledon. 2a.), et Rusticum Diac. in Disput. cont. Acephalos. (Biblioth. magna PP. t. 4. part. 1a. p. 795. seqq.). 4um. Ratio naturæ non minus in Trinitate quam in Christo est mensura voluntatis et operationis ; ergo sicut in Christo duplex natura est ratio du-

plicis voluntatis et operationis, ac vicissim; sic item una in Trinitate natura est ratio unius voluntatis et operationis. Atqui una, eadem et identica est voluntas et operatio Trinitatis; ergo et talis est natura. Enthymema fuit argumentum Catholicorum contra *Monothelitas,* tum in Conc. Lateran. sub Martino I. (Labb. t. 6.), tum in Constantinopolitano III., ut in hujus Act. 4. Litteræ Agathonis recitatæ docent (Labb. t. 6. p. 684. D). Subsumptum autem patet tum ex num. priore, tum ex majore unitate concedenda voluntati et operationi in Deo, quam quæ iisdem conveniat in Christo. 5um. In Patre et Filio principium spirandi est unicum et ipsa etiam Spiratio unica, et neutrum duplex; ergo etiam in tribus Personis unica est natura ac Deitas, non autem trina aut triplex. *Ant.* patet ex Conc. Flor. Decreto Unionis (Labb. t. 13. p. 514.), ubi explicatur sensus utriusque Ecclesiæ: *Græci quidem asseruerunt, quod id quod dicunt, Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium; sed quia eis videbatur, ut aiunt, Latinos asserere Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedere tanquam ex duobus principiis et duabus Spirationibus, ideo abstinuerunt a dicendo, quod Spiritus sanctus ex Patre procedat et Filio. Latini vero affirmarunt, non se hac mente dicere Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons etc..... sive quod duo ponant esse principia seu duas Spirationes; sed unum tantum asserant esse principium unicamque Spirationem Spiritus sancti.* Et post in ipsa definitione: *Quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens ex Patre simul et Filio et ex utroque tanquam ab uno principio et unica Spiratione procedit.* Patet *Cons.*, quia sicut principium spirandi est commune Patri et Filio, sic natura et Deitas est communis tribus Personis: imo in hac considerantur unice ad se, cum in illo principia *considerentur* ad alium.

355. *Obj. contra* 1um. Ex Scripturæ textibus allatis non probatur unitas naturæ, sed duntaxat vel testimonii, vel consensus, vel charitatis; quod patet partim ex comparatione versus ep. 1. Joan. 5. cum versu 8.: *Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis: et hi tres unum sunt*: partim ex similitudine Joan. 17. 21. proposita: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Accedit quod L. 3. Reg. 22. 5. dicatur: *Populus meus et populus tuus unum sunt;* 1. ad Cor. 6. 17. *Qui adhæret Deo, unus spiritus est;* et c. 10. 17. *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* etc.

R. *N. Ass.* Ad comparationem textuum, de *primo* disparitas est; sive quod versus octavus, notante jam D. Thoma in Comment. ad Decretalem 2am., a multis exemplaribus absit: sive quod in Græcis exemplaribus non paucis in versu octavo legatur ἓς τὸ ἕν, *hi tres in unum sunt;* sive quod textus in sensu figurativo sit accipiendus, Patrem per spiritum, Filium per sanguinem, et Spiritum sanctum per aquam intelligendo, ut Aug. L. 2. c. 22. n. 3. cont. Maximin. et hunc secutus Facund. Hermian. L. 1. pro defens. trium Capitul. c. 3. exponunt, aut cum Ambr. L. 1. de Spiritu sancto, c. 6. n. 77. et Leone in ep. 28. ad Flavian. c. 5. mysticam aliam significationem assumendo: sive quod in sensu litterali acceptus non aliam denotet unitatem, quam quæ

convenire possit et propria sit : nequit autem creaturis convenire unitas individua, quam Deo tamen propriam esse ratio ac fides docet.

De *secundo* textu eadem est disparitas jam assignata in Conc. Later. IV.; ubi c. 2. (Labb. t. 11. part. 1ª. p. 145. C.) dicitur: *Cum ergo Veritas pro fidelibus suis ad Patrem orat..... hoc nomen unum pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia; pro Personis vero divinis, ut attendatur identitatis in natura unitas, quemadmodum alibi Veritas ait: Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est, ac si diceret: Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cœlestis perfectus est perfectione naturæ, utraque videlicet suo modo: quia inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin..... inter eos major sit dissimilitudo notanda.* Hinc patet etiam responsio ad textus reliquos; circa quos notari quoque potest regula alia, quam Aug. L. 2. cont. Maxim. c. 20. proponit.

*Inst.* 1. Vox ὁμοούσιος non legitur in Scriptura; est omnino nova et Veteribus incognita; etiam rejecta ab Antiochenis et Ariminensibus Patribus; rejicienda ab omnibus ob erroneam aut saltem ambiguam significationem; ergo.

R. Quoad 1um. *D.* Vox ὁμοούσιος non legitur in Scriptura quoad vim et significationem *N.* quoad litteras et sonum *C.* Hoc tamen nec requiri nec obstare, liquet ex verbis *Trinitatis, Deiparæ,* aliisque similibus receptis; præsertim cum Ecclesia eamdem vocem adoptarit. Hæretici autem voces nec in littera nec in sensu Scripturæ fundatas usurpant, ut Athan. in ep. ad Afros n. 6. et L. de Syn. n. 36. atque Ambros. L. 1. de fid. c. 19. in Arianos retorquent.

Quoad 2um. R. *D.* Est nova hæc vox simpliciter et quoad substantiam *N.* quodam modo et quoad accidens seu usurpationis universalitatem *T.* Jam enim Justin. in Dial. cum Tryph. Trinitatem dixit *coessentialem,* et Orig. de recta in Deum fide *Verbum consubstantiale,* et Euseb. Cæsar. apud Theodoret. L. 1. hist. Eccl. c. 12. fatetur *quosdam ex priscis eruditos et præclaros Antistites aliosque Scriptores, de Patris et Filii Deitate loquentes, voce* ὁμοούσιος *esse usos.* Quanquam si hæc deessent, audiendus hic foret Hilarius L. cont. Constant. n. 16. scribens: *Numquid ex hoc negandum erit, quia novum est? Decernis similem Patri Filium: Evangelia non prædicant: quid est quod non refugis hanc vocem? in uno novitas eligitur, in alio submovetur. Ubi occasio impietatis patet, novitas admittitur: ubi autem religionis maxima et sola cautela est, excluditur.*

Quoad 3um. *D.* Rejecta est vel alio in sensu, vel errore facti *C.* in sensu hic proposito et juris veritate *N.* Consubstantialitas *personalis* ac in sensu Pauli Samosateni reprobata est ab Antiochenis contra eumdem sec. tertio congregatis: Consubstantialitas autem *essentialis,* non quidem reprobata, sed suppressa aut omissa fuit Arimini a Patribus Catholicis, per æquipollens fidei consultum ratis, sed Arianorum perfidia deceptis. Similem quemdam errorem accidisse Constantino M. ante Conc. Nicænum, testatur ejus epistola ad Alexandrum et Arium data; quem tamen Concilii definitione de veritate certior factus postea exuit, ut ex Concilii Actis et datis ad Orthodoxos contra Arium litteris constat.

Quoad 4um. *N. Ass.* Sensus enim erroneus huic voci affictus ab Arianis est

alienus. Quisnam ille et quam varius fuerit, refert Hilar. L. de Synod. n. 68. sic enarrans: *Ita una substantia Patris ac Filii prædicata, aut unum qui duas nuncupationes habeat subsistentem significat; aut divisam unam substantiam duas imperfectas fecisse substantias; aut tertiam priorem substantiam, quæ a duobus usurpata sit et assumpta, quæ idcirco una dicatur, quia in duas una dissecta sit.* Demum n. 86. subjungit: *Male intelligitur* ὁμοούσιον: *quid ad me bene intelligentem?* ostendens hac erothesi, propter aliorum malitiam et abusum non deserendam esse vocem, cujus sensus determinate ac satis fuerat expositus.

*Inst.* 2. Ex nostro dogmate sequitur *primo,* vel dari tres Deos: tum quia tres Personæ sunt tres substantiæ: tum quia Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt alius, alius et alius: *secundo,* vel non dari Personas distinctas; tum quia valet hic syllogismus expositorius: hæc divinitas est Pater, hæc divinitas est Filius; ergo Pater est Filius; tum quia axioma est, eadem esse inter se, quæ sunt eadem uni tertio: *tertio,* vel admittenda esse contradictoria; tum quia idem Deus esset genitus et non genitus: tum quia tres res essent una tantum res: tum quia res eadem haberet plures formas, vel constaret rebus perfectis h. e. personis, nec tamen diceretur compositum aut aggregatum per accidens.

R. *N. seqq.* — *Ad* 1ae. *p. prob.* 1am. *D.* Tres Personæ sunt tres substantiæ absolutæ *N.* relativæ *subd.* quæ identificantur uni essentiæ seu divinitati *C.* quæ habeant etiam tres essentias ac divinitates *N.* — *Ad* 2am. *D.* Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt alius et alius ratione personalitatum *C.* ratione essentiæ *N.*

*Ad* 2ae. *p. prob.* 1am. *N.* syllogismum esse vere expositorium; cum reipsa sit categoricus habens terminum distributionis capacem, ob fœcunditatem naturæ, qua unica numero divinitas communicatur pluribus realiter distinctis; unde sic exponendus est: Quidquid est divinitas, est Pater; quidquid est divinitas, est Filius; ergo Pater est Filius: quæ expositio habet præmissas falsas, et ostendit vitium syllogismi prioris. — *Ad* 2am. *D.* Axioma est, eadem esse inter se, quæ sunt eadem uni tertio et incommunicabili *C.* infinito et communicabili pluribus realiter oppositis et hinc realiter distinctis *N.* Etenim pro hoc sensu dignitas axiomatis non tenet, sicut respectu divinæ potentiæ non valet axioma aliud: Ex nihilo nihil fit; nihil revertitur in nihilum.

*Ad* 3ae. *p. prob.* 1am. *D.* Unus idemque sumptus in suppositione inadæquata est genitus et non genitus *N.* in suppositione adæquata *subd.* est genitus secundum unam, et non genitus secundum aliam Personam *C.* genitus et non genitus secundum eamdem Personam *N.* — *Ad* 2am. *D.* Sunt tres res et una tantum res sub eadem ratione *N.* sub ratione diversa, scilicet tres sub ratione Personarum, et una sub ratione essentiæ *C.* — *Ad* 3am. *D.* Eadem res haberet plures formas adæquatas ac ejusdem omnino rationis *N.* inadæquatas nec ejusdem omnino rationis *C.* Item constaret rebus perfectis summam inter se naturæ unitatem habentibus *C.* nulla inter se habitudine aut connexione gaudentibus *N.* Ex his autem tam compositi quam aggregati per accidens notio eliditur.

356. *Obj. cont.* 2um. Deus non debet dici *singularis* nec *unicus*; ut docent inter Patres HILAR. L. 7. 8. et 9. de Trin., AMBR. L. 5. de fid. c. 1. et 2., LEO Serm. 76. de Pentec. 2. — inter Scholasticos D. THOM. p. 1. q. 31. a. 2. cum MAGISTRO SENT. ALBERTO M. et aliis. Item juxta ANSELM. in Monol. c. 26. essentia divina non est *individua*; et juxta BOETIUM L. de persona et 2. nat. c. 3. individua substantia convenit tantum personæ, non autem essentiæ. Ergo notiones unitatis individualis naturæ divinæ non congruunt.

R. *D.* Deus non debet dici singularis et unicus, qua asseratur in Divinis singularis, unica ac solitaria persona *C.* qua asseratur et singularis natura *N.* Patres quidam nolebant has usurpari voces, vel ob quæstionis tunc cum *Sabellianis* agitatæ controversiam; ut accidit HILARIO, cujus hæc sunt verba (L. de Syn. n. 21.): *Plures hæreticorum idcirco similem secundum divinitatem esse Patri Filium dicunt, ut per similitudinis proprietatem eumdem Patrem esse, quem Filium confirment: quia indiscreta similitudo admittere videtur unici ac singularis occasionem,* et n. 22. *Anathema ergo est, qui in Patre et Filio naturæ similitudinem ad abolendam Filii personalem significantiam prædicabit:* vel ob proprietatem sermonis, singularitatem ad Personam referentis, ut AMBROS. indicat dicens: *Singularitas ad Personam pertinet, unitas ad naturam:* vel ad tollendam ambiguitatem, qua singularitas pro solitudine accipiebatur, ut LEO (l. cit. c. 3.) commemorat: *Ut et solitudinem non recipiat Trinitas, et unitatem servet æqualitas.* Similiter additum *D.* Essentia non est individua vel respiciendo speciem, vel negando communicationem *C.* sine tali respectu aut negatione *N.* ANSELMUS quidem loquitur de individuo, quod *universalem essentiam communem* habet: BOETIUS autem de individuatione incommunicabili agit, quæ est character *personæ.* Cum dictis conspirant Scholastici laudati.

*Inst.* 1. Patres tribuendo etiam naturæ divinæ notiones unitatis *individualis* nunc usitatas, non hanc tamen asseruerunt, sed aliam nempe intentionalem vel moralem. Nam *primo,* per *monadem* et *henadem* BASIL. ep. 141. (al. 8.) BOET. Libel. ad Symmach. quomodo Trinitas sit unus Deus. c. 3. et SYNESIUS hymno tertio v. 174. intellexerunt simplicitatem essentiæ ab omni compositione remotam. *Secundo,* per *naturam individuam* CYRIL. Dial. 6. de Trin. (opp. t. 5. p. 592. C.). BASIL. ep. 43. (al. 38. n. 4. opp. t. 3. p. 118. E.), et DIONYSIUS ROM. cit. ab. ATHAN. L. de Decret. Nicæn. Synod. n. 26. indicabant naturam non sectam, non partitam, non divisam. *Tertio,* per *unitatem identitatis* ac sine numero HILAR. L. de Syn. n. 57. et 67. ATHAN. Orat. 4. cont. Arian. n. 1. BASIL. ep. 141. (al. 8. n. 3.). AMBR. L. 1. de fide c. 1. n. 10. c. 2. n. 17. MARIUS VICTOR L. 1. cont. Arium n. 9. excludebant naturæ differentiam, diversitatem, et inæqualitatem.

R. *D.* Patres, naturæ divinæ tribuendo varias unitatis individualis notas, non tamen hanc, sed aliam unitatem asseruerunt, idque nec directe ac formaliter, nec indirecte ac consequenter *N.* non asseruerunt directe ac formaliter *subd.* illudque vel occasione data vel œconomia. *C.* universaliter et ex veritatis necessitate *N.* Primo quidem adscripta notionibus significatio adeo ex institutione ac communi etiam usurpatione illis est propria ac certa, ut et ipsi Patres hic oppositi, dum aut unitatem Personæ in Christo asserebant, aut *singularitatem* Personarum Sabellianam negabant, non aliis uterentur; nec significationibus etiam uti possent, ubi *numericam* unitatem

expressam vellent. Unde sequitur tum horum tum aliorum Patrum similes formulas secundum communem ideam accipiendas, nisi adjectis expositionibus alio distrahantur.

Deinde vero illa notionum distractio nec omnium, nec ubique, nec semper erat; maxime post *Tritheitarum* hæresin ac errorem *Joachimi* : quorum oppugnatio scilicet adstrictiorem significandi vim exigebat. Hinc posteriorum Patrum et Conciliorum locutiones, si quid etiam discrepantiæ inter eos ac Antiquiores permittatur, ad horum interpretationem mensurandæ non sunt. Præterea Patrum nemo expresse negavit *individualem* unitatem naturæ : ubi autem solum expresserunt unitatem *specificam;* hoc vel sufficiebat pro tractata tum ab iisdem controversia, et ad refutandos *Arianos,* qui diversam, inæqualem aut dissimilem in tribus Personis naturam statuebant; vel suadebat prudentia, ne asserta singularitate locus suspicioni aut criminationi solitudinis *Sabellianæ* præberetur : præsertim cum ne sua quidem loquendi formula, utut remota, Patres evitare Sabellianismi objectionem potuerint.

Denique ex data a Patribus notionum qualicumque exegesi facilis et efficax erat illatio singularis naturæ. Nam perfecta omni ex parte *simplicitas* non compositionem tantum, sed et collectionem, adeoque pluralitatem excludit : negatio item sectionis, partitionis ac divisionis removet distinctionem quoque numericam, quæ ad minimum in sola existentia sibi propria ac speciali, adeoque separata consistit : diversitas demum, differentia et inæqualitas negata ad ostendendam veritatem et proprietatem divinitatis, sicut non negat, sed potius supponit Deum esse ens unicum et singulare, sic infert etiam naturam Dei unicam ac singularem.

*Inst.* 2. Unitatem Personarum in Divinis designant plerique Patres per ὁμοούσιον; quæ vox significat æqualitatem vel paritatem naturæ; æqualitas autem distinctionem supponit : iidem eam comparant cum unitate quæ est in pluribus hominibus, quos itidem consubstantiales dicunt : ubi vero priorem præ hac unitatem asserunt majorem, excessum exponunt per æqualitatem non tantum in natura; sed etiam in attributis et affectionibus quibuscumque; ut patet ex Chrys. hom. in cp. 1. ad Tim. n. 1. Ambr. L. 1. de fid. c. 11. n. 18. Leon. Serm. 23. de Nativ. 3. c. 1. et 2. et aliis.

R. *Ad* 1$^{um}$. transmissa etymologia *D.* Æqualitas vel paritas supponit distinctionem subjectorum, quæ scilicet æqualia vel paria vocantur *C.* necessario etiam terminorum seu rei, secundum quam æqualia vel paria dicuntur *N.* Etymon homousiæ Conc. Toletanum XI. sic exponit (Labb. t. 6. p. 541. C.) : *Propter quod Filius* ὁμοούσιος *Patri dicitur h. e. ejusdem cum Patre substantiæ creditur :* ὁμὸς *enim græce unum,* οὐσία *vero substantia dicitur, quod utrumque conjunctum sonat una substantia.* Hæc derivatio videtur præcellere; cum æqualitas non ad substantiam, sed ad quantitatem vel molis vel perfectionis pertineat : unde Ecclesia canit : *ut in Personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas.* Sed permissa, quam etiam Patribus usitatam fatemur, expositione altera, ad servandam proprietatem locutionis sufficere distinctionem *subjectorum,* nec illam etiam *terminorum* requiri, patet ex denominationibus unitorum et conformium eidem numero rei et aliis ad eamdem entitatem relativis. Quamvis porro naturæ ipsæ ac essentiæ dicantur subinde consubstantiales, tamen eas accipi pro suppositis ac sup-

ponere pro Personis vel ex eo patet quod propositiones fierent alias *identicæ* ac ridiculæ.

*Ad* 2$^{um}$. *D.* Unitatem in Divinis comparant secundum quid ac imperfecte cum unitate quæ est inter plures homines, et hos etiam dicunt consubstantiales secundum rationem *C.* comparant adæquate et perfecte, et dicunt consubstantiales secundum realitatem *N.* Deficere plurimum hanc comparationem, et diversam esse in comparatis unitatem, ipsi Patres satis declarant, dum locis in *tertio* membro designatis unitatem Personarum præ unitate hominum prædicant majorem. Ex quo collige, assertiones hujus generis alias verum quidem habere sensum, non impedire tamen aut excludere ampliorem aliunde congruentem.

*Ad* 3$^{um}$. *D.* Exponunt illum excessum per æqualitatem non tantum in natura, sed et in attributis et affectionibus, quæ hoc ipso tollat omnem distinctionem etiam numericam naturæ *C.* quæ realiter adhuc distinctas naturas relinquat *N.* Cum enim *numerica* distinctio vel diversitatem in natura, vel inæqualitatem in attributis, vel dissimilitudinem in affectionibus sequatur; hæc autem omnia principia respectu naturæ divinæ abesse dicantur a Patribus, aliud autem signum vel radix distinctionis assignari nequeat : sane vox illa æqualitatis usurpata unitatem numericam nequaquam excludit.

*Inst.* 3. Non una, sed distincta est in divinis Personis essentia. Nam *primo,* essentiam divinam *generantem* agnoscunt Cyr. Lib. 6. Thes. (opp. t. 5. p. 47. C). Aug. L. 2. cont. Maximin. c. 14., Hil. L. 9. de Trin. n. 51. etc. item *genitam et natam* Ignat. ep. interpol. ad Magnes. §. 8. (PP. Apost. t. 2. ed. Antuerp.) Basil. L. 5. cont. Eun. Epiph. hær. 76. (Opp. t. 1. p. 941. D.) Aug. L. 7. de Trin. c. 2., Fulg. de fide ad Petrum c. 2., Ansel. Monol. c. 43. enuntiant. *Secundo,* plerique Patres utuntur præpositionibus ordinem originis indicantibus, dicendo Filium esse *ex* aut *de essentia* Patris ; imo appellando *essentiam de essentia, substantiam de substantia, voluntatem de voluntate, sapientiam de sapientia* etc. *Tertio*, singulas Personas habere essentiam sibi propriam declarat Nazian. Or. 29. Item naturam Patris naturam *fructuosam* ac *principem,* naturam autem Filii naturam *nativitatis* et *unigenitam* Hil. L. 9. de Trin. n. 2. et 69. ac L. de Syn. appellat.

R. *N. Ass.* cujus falsitas patet ex definitione Conc. Later. IV. quæ Can. 2. seu Cap. *Damnamus* de sum. Trin. (Labb. t. 11. p. 144.) hæc habet : *Nos credimus..... et confitemur, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres simul Personæ ac sigillatim quælibet earumdem : et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas ; quia quælibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia sive natura divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest : et illa res non est generans, neque genita, nec procedens ; sed est Pater, qui generat, Filius qui gignitur, et Spiritus sanctus qui procedit : ut distinctiones sint in Personis, et unitas in natura.*

*Ad prob.* 1$^{am}$. *D.* Essentia divina dicitur a Patribus generans et genita in sensu improprio, et sumendo abstractum pro concreto, seu essentiam generantem pro Patre, essentiam genitam pro Filio *C.* in sensu proprio ac sumendo abstractum pro forma *N.* vel *subd.* indicando præcise id, quo Pater

generat et quod Filio per generationem communicatur *C.* indicando quid plus aut aliud *N.* Favent huic expositioni Athan. Dial. 2. de Trin., Basil. L. 5. cont. Eunom., Ephræm Syr. Serm. de sui reprehensione (opp. t. 1. p. 124. Rom. 1732.) qui Patris, Filii et Spiritus sancti essentiam dicunt *ingenitam, innascibilem et principii expertem* : favent SS. Thomas, Bonaventura, Albertus cum plerisque Scholasticis, qui Patrum propositiones dicunt improprias, excusandas quidem et declarandas, sed non extendendas.

*Ad* 2am. R. 1°. *N. Cons.* Conc. Toletani XV. enim hæc est professio fidei : *Filius Dei de essentia Patris natus est, essentia de essentia : sicut natura de natura, et substantia de substantia; et tamen nec duæ essentiæ, nec duæ naturæ, nec duæ substantiæ dici possunt, sed una essentia, natura et substantia, sicut et lumen de lumine, non duo lumina sed unum lumen.*

R. 2°. Similiter *D.* Patres utuntur præpositionibus ordinem originis significantibus de abstractis concretive sumptis *C.* de abstractis abstractive sumptis *N.* Præpositionum hujusmodi usus præcipuus erat ad significandum contra *Arianos,* Verbum non fuisse natum ex non extantibus, neque ex aliena aut diversa substantia, neque cum aliqua dantis diminutione : unde et illæ formulæ, *Deus de Deo, lumen de lumine,* erant in symbolis et libris frequentes. Adhibitus præterea est ad denotandum originis ordinem inter Patrem et Filium, ac utrumque inter et Spiritum sanctum ; dum supposita his propositionibus affirmabantur : ubi vero natura, substantia, essentia, aut attributa absoluta ab iisdem legebantur; vel sensus erat figuratus sub expressione abstracti significans concretum aut suppositum ; vel denotabatur essentiæ communicatio, ratione cujus illa maneret sub duplici velut forma principii producentis ac termini producti. Sancti namque Doctores, ut D. Thomas p. 1. q. 39. a. 5. ad 1. observat, ad exprimendam essentiæ unitatem aliquanto expressius locuti sunt, quam proprietas locutionis patiatur.

*Ad* 3am. R. *D.* Singulæ Personæ habent essentias sibi proprias, has sumendo pro notionalibus ac relativis formalitatibus *C.* sumendo eas pro quidditate absoluta et communi; in qua Personæ juxta omnium sententiam vel secundum rem vel secundum rationem conveniunt *N.*

*Inst. 4.* Patres multiplicari naturam in Divinis non dissimulant. Aug. quidem L. 7. de Trin. c. 4. n. 8. ait, *Scripturam non contradicere,* quominus *dicantur tres essentiæ.* Nazian. Carm. 3. de Spiritu sancto, v. 46. : *Triplex Deitas me* (e Lavacro Baptismi) *Luciferum oriri fecit.* Or. 23. autem et 34. *tres vitas, tres sanctitates* et *tres glorias* admittit, sicut et Paschas. Diac. L. 1. de Spiritu sancto *tergeminam majestatem* fatetur : Hilar. demum L. de Syn. n. 31. 32. *tres* dicendas in Deo *substantias* ostendit, ac Julian. Tolet. Librum *de tribus substantiis* inscripsit.

R. *N. Ass.* ad quod confutandum sufficiat argumentum 2um. Confirmationis pro hac thesi allatæ. *Nec* subsidii quidpiam illi præbent auctoritates oppositæ. Aug. quidem l. c. non dicit dari aut dici licere tres essentias, sed potius sic quærit : *Cur ergo et tres essentias non licet dicere; quod similiter Scriptura sicut non dicit, ita nec contradicit,* scilicet signate et expresse : cui quæstioni tum ibidem tum c. 6. rationes subjicit, quæ trium essentiarum appellationem et periculosam et falsam probant. Cur Nazianzenus tria vel triplex attribuat, ex ipsius Orat. 39. n. 11. intelligitur, ubi ait : *Deum dum dico, uno eodemque triplici lumine perstringamini : triplici quidem,*

*quantum ad proprietates seu hypostases; uno autem, quantum ad substantiæ h. e. divinitatis rationem* : quem locum repetens JOANNES II. P. L. de duabus naturis pro *triplici lumine* transtulit *tribus luminibus*. Eodem sensu ad formalitatem notionalem relato intelligendum esse PASCHASIUM, ipse textus demonstrat : *Catholica fides tergeminam majestatem sub unius divinitatis confessione veneratur*. Similiter HILARIUS per tres substantias intellexit Personas vel Supposita, contra Sabellium asserenda ex definitione Conc. Antiocheni, quod ibidem laudat. JULIANI liber huc non quadrat, utpote qui de tribus duntaxat in Christo substantiis, anima scilicet corpore ac divinitate tractat.

*Inst.* 5. Per se non repugnat, tres in Divinis Personas vocari *tres Deos*; sed Patres duntaxat dici prohibuerunt, 1°. ex œconomia, ne viderentur favere polytheismo Gentilium, et a martyrio avocarent fideles, ut TERTUL. L. cont. Prax. c. 13. insinuat : 2°. ad proprietatem loquendi servandam, vi cujus id, secundum quod plures convenire in unum dicebantur, in singulari efferendum est; unde Abraham, Isaac et Jacob abusive dici homines, cum unus homo vel una humanitas dicendi forent, docuerunt GREG. NYSS. L. ad Ablab. Cur non sint tres Dii (Opp. t. 3. p. 17. C.) et de comm. notionib. (Opp. t. 2. p. 83. seq.) CYR. L. 9. Comment. in Joan. (Opp. t. 4. p. 783.) DAMASC. L. 3. de fid. c. 8. etc. Ubi tamen ex axiomate sequitur sola unitas specifica, et ex illatione ratio loquendi paradoxa emanat : 3°. ad observandum morem Scripturæ, quæ secundum AUG. L. 7 de Trin. c. 4. contradicit propositioni tres Deos enuntianti, et secundum AMBR. L. 5. de fid. c. 3. n. 41. pluralitatem Deorum intelligit cadere in ἑτερουσία sive ea, quæ sunt diversæ substantiæ.

R. N. *Ass. Nos enim*, quod TERTUL. L. cont. Praxeam c. 13. de Christianis dicit, *qui... duos quidem definimus Patrem et Filium, duos tamen Deos* non tantum *ex ore nostro nunquam proferimus*; sed dogma etiam nostrum veneramur velut fundamentum primum Catholicæ fidei, a Patribus et Conciliis tum affirmative, asserendo solum unum Deum, tum exclusive, negando *tres Deos*, stabilitum : in quo proinde tum verum reipsa subesse debet, cum fides magis sit de rebus quam de vocibus; tum abesse etiam sermonis ambiguitas, cum hæc parum distet a falsitate. Unde

Ad 1$^{um}$. R. Nego œconomiæ hujuscemodi in TERTULLIANO ullum haberi fundamentum. In ipso namque objectionis loco non dicitur, professionem plurium Deorum dissimulari, ne avocentur a martyrio fideles : sed dicitur per fidem pluralitatis divinæ reapse admissam, novæ ac hæreticæ dissimulationis præberi occasionem. En verba : *Cæterum si ex conscientia, qua scimus Dei nomen et Domini Patri et Filio et Spiritui convenire, Deos et Dominos nominaremus, extinxissemus faces nostras etiam ad martyria timidiores, quibus evadendi quoque pateret occasio, jurantibus statim per Deos et Dominos, ut quidam hæretici, quorum Dii plures.*

Ad 2$^{um}$. R. Nego a Patribus prohiberi propositionem de tribus Diis tantum ob proprietatem sermonis, non supposita reali unitate Deitatis; cum sine hac multitudo mere numerica Deorum vere ac proprie negari nequeat. Quamvis enim Patres, ad refutandum *Arianorum* de divinitate Personarum inæquali ac diversa errorem, axiomate illo recte uterentur; item, ad ostendendam naturarum in hominibus specificam unitatem, modum loquendi com-

munem correctum vellent; tamen in utroque magis ad eorum, contra quos tum pugnabant, opinionem ac mentem, quam ad integram propriæ credulitatis rationem ac Philosophiæ præscriptionem sermonem suum dirigebant. Hinc et ipsi majorem inter divinas, quam humanas personas unitatem intercedere fatebantur; et alii etiam idem retenta philosophicæ locutionis proprietate exprimebant: inter quos Aug. L. 15. de Trin. c. 23. inquit: *In illa summa Trinitate, quæ incomparabiliter rebus omnibus antecellit, tanta est inseparabilitas, ut, cum trinitas hominum non possit dici unus homo, in illa unus Deus et dicatur et sit: nec in uno Deo sit illa Trinitas, sed unus Deus.* Secundum hactenus dicta etiam *D. Ass.* Patres prohibuerunt dici tres Deos, tantum ob proprietatem sermonis de unitate *N.* non tantum *subd.* disputando contra errorem Arianorum, et ad eorum opinionem præcise loquendo *C.* excludendo unitatem numericam, et suam hic fidem integram proponendo *N.*

Ad 3um. *D.* Vetuerunt idem Patres ad observandum Scripturæ morem, h. e. ut teneatur loquendi modus cum Scriptura, de sensu ac veritate autem liberum sit sentire. *N.* sic, ut cum Scriptura excludatur etiam pluralitas Deorum tantum diversorum *subd.* diversorum, id est, differentium præcise natura *N.* id est, differentium per quodcumque distinctionis signum *C. Primum* membrum refutat dictum Augustini; quia falsitatem rei et sensus declarat; reliqua exponit Ambrosius l. cit. ita enuntians: *Tamen si legamus Scripturas divinas, inveniemus pluralitatem magis in ea cadere, quæ diversæ discretæque sunt substantiæ, h. e.* ἑτερούσια, etc.

357. *Observa.* Anno superioris seculi nonagesimo sexto *Petrus Faidit* Sacerdos Gallus librum edidit de summa Trinitate, cujus dogma adeo nunc alteratum probare suscepit, ut cœlum non tam a terra, quam Theologorum systema de eodem a doctrina Patrum distare vellet. Triennio post id scriptum P. *Hugo* Ord. Præm. Canonicus Regularis singulari lucubratione, dehinc autem *Tournely* in suo Cursu Theologico de Trinit. Quæst. 4. insertis hinc inde ad objectiones responsis confutavit. Seculo præsenti vidimus similem libellum typis in Germania editum, cujus hæc inscriptio: *Anonymi O. S. B. dogma Scholasticorum de unitate in Trinitate collatum cum Patrum eadem de re doctrina: Parisiis* 1760. In eo auctor, sectione de relationibus generatim præmissa, sectionem alteram de divinis Relationibus distinguit paragraphis viginti ac uno, quorum primo quæstionis controversiam exponit; septem sequentibus triplicem aut trinam sensu suo naturam in Deo seu summa Trinitate dari contendit; reliquis ad argumenta unitatem naturæ divinæ numericam suadentia respondet.

Quisnam sit ille *sensus suus* naturæ triplicis, et quænam unitas naturæ divinæ subin admissa, vel auctor diserte ac distincte non aperit, vel lector quilibet non satis percipit; nisi forte sufficiat sensum intelligere a communi Scholasticorum alium. Dissimulationis hujus causam subodorabitur quis forsan facilius, quam possit dare rationem reticentiæ, qua tum fautores tum adversarios suos vaga *cujusdam, nonneminis, docti viri,* aut simili appellatione auctor celarit; licet haud ingens Scriptorum Theologicorum notitia requiratur, ut quis Dogmaticorum difficultates in argumenta, et hæc vicissim commutata perspiciat. Porro in sua, quam Scriptor Patribus tribuit,

auctoritate, optabit fortasse aliquis ut ejus veneratio ad Canones exacta fuerit, quos Critici sacri pro Patrum intelligentia et argumentatione ex Patribus condiderunt. Contemptus etiam Scholasticorum universalis nemini facile probabitur, qui inter eosdem SS. Thomam, Bonaventuram, Albertum, Antoninum aliosque sanctitate juxta ac doctrina eximios numerat, quique, quid consensui Scholarum tribuerint Concilia posteriora, novit. Novi ac inauditi nihil admodum in argumentis reperire est; unde pleraque objectiones nostræ paucioribus verbis exhibent: responsionum similis est ratio, quarum partem maximam inter exceptiones nobis oppositas retulimus.

Quodnam responsum ad argumenta quadret, quæ in confirmatione Theseos protulimus, divinare haud licet; cum illa sibi objicere noluerit, quantumvis eorum rudimenta in viri, ut scribit, eruditissimi opere dogmatico reperire licuisset. Non defuit tamen sibi in amoliendo *Tritheismo*, cujus sua in historia *Petrum Faidit* insimularat Gravesonius: neque feriatus est in invenienda interpretatione Concilii Lateranensis, quod suis assertionibus de natura generante ac genita, de essentia triplici aut trina, de Deorum etiam trium tolerabili, si voces suppeterent, appellatione videbatur obstare. Geminum hoc responsionis caput, non tam ad confutandum *Anonymi* libellum (hoc enim Institutionum nostrarum ratio nec exigit nec sinit) quam ad confirmandum et vindicandum dogma hactenus propositum, breviter adhuc delibabimus.

I. Refert itaque imprimis *Anonymus* ex Gravesonio auctorem, errorem et sectas Tritheitarum; ubi addit ex Germanica Nicephori versione, quam unam haberet, non potuisse discerni in quonam præcipue error cubaret: inter sectas autem illas fuisse aliquam, quæ eodem fere modo, quo nunc Scholastici, fuerit locuta. Deinde veriorem, ut putat, *Tritheismi* originem ac effigiem in scriptis Athanasii, Nazianzeni, Basilii et Ambrosii inquirit: Indeque *Tritheitas* solum vocandos colligit tum *Arianos*, tum eos, qui ita tres divinitates statuunt, sicut tria corpora aut tres homines dicimus. Ex quo tandem, quia in suo systemate Personæ sibi sunt substantialiter conjunctæ et Deitas est essentialiter trina, concludit illud accusari *Tritheismi* haud posse: carpitque Scholasticos, qui principia quidem verissima, sed ex quibus sequela mala a quibusdam deducitur, habere velint erroris suspecta: et cum *Joanne Philopono* Aristotelicæ Philosophiæ assueti, et humanis regulis divina metientes, sibi persuadere nequeant, Tres unum esse Deum, si triplex in divinis Personis natura statuatur.

Hæc responsio an vera sit ac efficax, ex eo videtur dependere, num *Philoponi* ac sequacium error dignosci possit, et similis aut dissimilis errori antiquorum dici debeat. Prius tentare juvat ex Nicephori Callisti per Joannem Langum versione latina, qui L. 18. Hist. Eccl. c. 47. *Philoponum*, quem c. 45. Tritheitarum ducem nominat, loquentem inducit: ipse vero historicus c. 48. prosequitur his verbis: *Sed Philoponus cum sectatoribus suis communem humanam naturam, ipsamque etiam divinam, quam indivisibilem dicimus, in plurimas partitur personas, discernens eam, et singulatim intlividuis tribuens, et tribus supersubstantialis naturæ subsistentiis dispertiens. Id vero ipsum a recte sentientibus prorsus est alienum.* Denique is idem c. 49. sectatores *Philoponi* enumerans sententiam *Cononitarum* sic exponit: *Profitentur isti revera Deum quidem esse et naturam et substantiam*

*quamque, Patrem videlicet et Filium et Spiritum sanctum : adhæc tres quoque personas dicunt, ipsam nimirum sanctam Trinitatem et subsistentias tres : tres autem numero substantias et naturas per omnia similes, secundum Deitatem dicentes, unamque substantiam sive naturam, et unam Deitatem, sive Deum; sanctam et consubstantialem profitentes Trinitatem, non numero, sed per omnia simili Deitate tres Deos aut tres Deitates omnino dicere tergiversantur... Hi autem tres quidem Deos seu tres Deitates dicere supersedent; tres autem numero substantias, seu naturas quasdam similes profitentur.*

Cui vero hæc non sufficiunt ad dogma *Tritheitarum Arianis* posteriorum penitus perspiciendum, addat is sententiam Sophronii, ætate *Philopono* propinquioris ac ferme coævi : *Numeratur ergo beata Trinitas, non essentiis nec naturis nec diversis Deitatibus ternisve dominationibus, absit, sicut insaniunt Ariani, et sicut novæ Tritheiæ, id est, ter Deitatis, antistites furiose latrant dum naturas tres, ac dominatus tres, et tres similiter Deitates inaniter prædicant* (Labb. t. 6. p. 860. C.). Post multa vero, et ubi anathematizantur hæretici, sic inter reliqua scribit : *anathema itaque in perpetuum et catathema a sancta, consubstantiali et adoranda Trinitate, Patre et Filio et Spiritu sancto sit... Joannes Grammaticus, cognomento Philoponus, id est, studiosus, imo matæoponus, id est, irritus laborator : Conon quoque* (a quo scilicet Cononitæ apud Nicephorum) *et Eugenius; hi tres tritheiæ, h. e. triplicis Deitatis ter maledicti propugnatores* (Labb. l. cit. p. 889. C. et 892. C.).

Ex his secum comparatis apparet : 1°. Præter *Arianos* et quoscumque antiquiores fuisse *Tritheitas novos* et aliquot seculis posteriores : 2°. *Arianos* et antiquiores distingui a novis, quod illi admiserint tres Deos, essentias et naturas alterius substantiæ, alterius originis, alienigenas, alterius speciei ac dissimiles; hi autem statuerent tres Deos, naturas et essentias consubstantiales, ejusdem originis, unigenas, ejusdem speciei, et per omnia similes secundum Deitatem : 3°. Ad *Tritheitas* etiam pertinere eos, qui tres naturas et essentias, posterioris licet classis, admittunt, quantumvis Deos aut Deitates tres profiteri detrectent : 4°. Ad declinandam *Tritheismi* notam non sufficere, ut quis se distinguat ab *Arianis* et antiquioribus, sed et discrimen eum inter et *Tritheitas* omnino exigi. Reliqua, quæ in Scholasticis carpuntur, partim præfidentius sunt dicta ; quasi scilicet illi regulis humanis Divina metiantur : partim eadem excusatione elevantur ; cum non minus liceat ex Aristotelica Philosophia elicere verum, ac ex principiis veris subin deducitur falsum : partim propria responsione solvuntur, qua monemur non omnia in crimen vocare, quæ hæreticuli forsan inter se disputabant, cujus generis illud est, quod *Petritarum* secta, cum Scholasticis in trium Personarum professione et simul trium naturarum negatione conspirans, *Tritheismi* a Tetraditis apud Nicephorum (L. cit. c. 49.) insimulabatur.

II. In responsione ad verba Concilii Later. IV. profert *Anonymus* multa, quæ nescio an necessaria, proficua et pertinentia fuerint omnia. Certe meminisse potius oportebat, non quælibet Patrum dicta absque cautela in fidei sermonem ab Ecclesia admitti, quam monere Scholasticos non omnia quæ in Conciliis dicuntur fidei dogmatibus esse accensenda, quandoquidem de solo Synodi decreto esse sermo poterat. Præterea nil juvat laudasse similem Patrum ac Scripturæ etiam phrasin ; cum idem, a *Joachimo* factum, illum immunem non præstiterit. Neque expediebat fateri tantam vim

synodali definitioni a Scholis esse tributam, ut nec tres substantias aut naturas dici absque hæreseos nota non paterentur; cum propria cujusdam incredulitas cum alieno alterius dicto dissentientem liberare saltem a temeritate nequeat. Novitas denique Scholastici dogmatis minus apte notatur; propterea quod, si revera ex Concilio Œcumenico ortus capiatur, antiquitas doctrinæ vocari in dubium nequeat; gradus autem certitudinis definitus et formula loquendi determinata omnino debeat observari.

Ad rem tamen ipsam propius et curatius accedere videtur, sive dum negat eam Concilio fuisse mentem, quæ nullo modo essentiam aut gignentem aut genitam dici permitteret; quoniam essentia Filii generatione et nascendo reipsa existit, Patres id asserentes damnari erroris nequeunt, Scholastici etiam ipsi naturam concrete sumptam generare et generari non abnuunt: sive dum a *Joachimi* errore opinionem suam distinguit; utpote qui divinam substantiam realiter diviserit inter Personas, instar hæreditatis in portiones distributæ, non aliam quam collectivam quamdam unitatem inesse Personis crediderit, ac incaute nimis similitudine unionis in populo aut senatu fuerit usus: ubi tamen ipse essentias esse divisas aut alias neget, unitatem identitatis in natura, dissimilitudinis expertem et consubstantialitatis retinentem, admittat, et monarchiam perfectissimam in Deo a Patribus celebratam statuat.

Neutra tamen responsio rem ab auctore intentam evincit. Non 1ª.; quandoquidem Concilium diserte enuntiat: *Et illa res, videlicet substantia essentia seu natura divina, non est generans neque genita neque procedens; sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus sanctus qui procedit: ut distinctiones sint in Personis, et unitas in natura;* ubi quid vere ac proprie dici possit ac debeat, tam negativo quam affirmativo sensu exprimitur. Neque contrarium persuadet adjecta ratio triplex. Quod enim Hilar. L. de Syn. n. 15. dicat, *Filium per naturam in se genitam consistere,* his quidem verbis constitui eumdem per absolutum et relativum insinuatur, ut Aug. L. 7. de Trin. c. 2. explicat; non autem naturam ipsam generatione existere significatur, ut in Disp. 2. uberius dicitur. Patres hujusmodi loquendi formulis usos erroris non coarguimus, sed improprie accipimus, et religiose explicamus. Scholastici demum, qui ita loquuntur, cum Aug. L. 7. de Trin. c. 1. n. 3. etiam fatentur, hac locutione *non essentiam sed relativum indicari... atque si essentia ipsa relative dicitur, essentiam ipsam non jam esse essentiam.*

Haud felicior est responsio altera, discrimen sententiarum afferre conata. Quod enim *Joachimus* diviserit realiter essentiam sicut hæreditatem, testem *Anonymus* non laudat alium, quam Cardinalem quidem, sed merum tamen Scholasticum, cujus professionis homines nihil alias auctori probant. Quod is non aliam inter tres Personas, quam collectivam unitatem crediderit, verum quidem *Anonymus* dixit, si hinc exclusam unitatem realem numericam intellexerit, falsum autem, si unitatem etiam rationis ac protensæ per omnia similitudinis removerit. Quod idem denique nimis incaute comparatione unionis in populo aut senatu fuerit usus, non facit, ut *Anonymus,* qui cautius est locutus, senserit etiam castius. Quodcumque enim unitati suæ nomen aut prærogativam tribuat, eam tamen collectivam appellari posse contendit, neque ultra *similitudinariam* aut *intentionalem* assurgit, adeo-

que nec veram nec propriam unitatem admittit: neque essentias etiam esse alias, atque hinc entitate sua discretas ac divisas, negare potest, nisi vel apparenter vel inconstanter, cum quas subinde unitatis honore aspergit, alibi ternario numero distinguat, et relative oppositas contendat.

Quanquam, si melius etiam, quam adhuc fecit, *Anonymus* suum systema a *Joachimi* errore distingueret, non ideo tamen innocens illud et Catholicum probaret, nisi una ostenderet, id cum Catholico dogmate congruere: veritas siquidem unica est, error autem et a veritate discessus varius ac multiplex. Hoc autem ab illo præstari non posse, ut omittam alia, breviter sic conficio. Dogma de unitate in Divinis verum et catholicum est illud, quod Concilium Lateran. credit ac confitetur: sed hoc Concilium credit ac confitetur systema Petri Lombardi; quia verba Decreti sic habent: *Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus et confitemur cum Petro Lombardo, quod una quædam summa res* etc. Systema autem Scholasticorum est idem cum Lombardi systemate, ut facile omnibus notum est ac exploratum; ergo Petri Lombardi systema, idemque Scholasticorum, de unitate in Divinis, est dogma verum et Catholicum. Atqui systema *Anonymi* minime congruit cum systemate Lombardi et Scholasticorum, utpote cui suum tanquam inimicum ac diversum ille objicit; ergo cum dogmate vero et Catholico congruere non potest.

Quæres: *An versiculus Joannis de tribus in cœlo testibus, qui unum sunt, sit authenticus?*

358. *Nota.* Quem Patres et Scholæ pro asserenda in Divinis Personarum Trinitate ac unitate naturæ laudant ex ep. 1. Joannis c. 5. Versiculum 7., Apostolus ille ad comprobandam Christi veram tum humanitatem tum divinitatem scripsit. Postquam enim versu 5. et 6. dixisset: *Quis est qui vincit mundum? nisi qui credit, quoniam Jesus est Dei Filius. Hic est qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sanguine;* quibus verbis legales ablutionis et expiationis umbras ad solidam veritatem perductas et factam a Dee-homine redemptionem designavit: ad hujus confirmationem in altera versus sexti parte subjungit: *Et spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas.* Hoc testimonium amplificaturus, Spiritum sanctum, de quo juxta omnes hic fit mentio, secundum duplicem in Scriptura acceptionem sumit; *primo* pro *tertia* in Divinis Persona; *secundo* pro dono Spiritus sancti seu charismate, scilicet adoptionis gratia; et in consortium testis primi alias Personas divinas, in alterius alia charismata, aut certe causam et pretium charismatis seu gratiæ assumit, ita prosequens versu septimo: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt:* et versu octavo: *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, et aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt.* Denique dignitatem hujus testimonii ac fidei meritum declarat subjuncto versu nono: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.*

Interpretatio versus *septimi*, quam ex analysi facta colligere datur, quamvis universim adoptata non sit, facile tamen sustinetur ab omnibus; quia

cum argumento epistolæ congruit, et LEONIS M. atque AMBROSII consensum habet. De authentia vero illius non est idem omnium sensus; cum non *Sociniani* tantum aliique hæretici nonnulli, sed et ex Catholicis Richardus Simonius cum Anonymo Gallo eumdem velint erasum ex Scriptura, propterea quod is textus a quibusdam codicibus penitus absit; in aliis vel ad marginem sit positus, vel perturbato testium aut versuum ordine collocatus; in quibusdam verba *in cœlo* desiderentur. Quanquam vero, ad auctoritatem Canonicam huic pericopæ asserendam, Catholicis sufficere possit stabilita a Tridentino *Vulgatæ Editioni,* in qua controversus textus legitur, secundum omnes partes authentia; quia tamen cum hominibus hanc Synodum parum venerantibus res nobis est, ac ne a Tridentinis Editoribus textus ille dici queat temere insertus; ex momentis criticis quæstionem decidendam suscipimus.

359. *Dico I.* Versum Joannis de tribus in cœlo testibus, qui unum sunt, esse authenticum, suadet auctoritas.

*Prob.* Quem versum manuscripti codices multi et antiqui referunt velut sacræ epistolæ comma, Patres etiam tum solitarii tum collecti tanquam Scripturæ pericopen laudant, cum auctoritas suadet authenticum : utrumque præstant Codices ac Patres ; ergo. Assumptio ostenditur

1°. De *multitudine codicum* testatur Robertus Stephanus in sua Nov. Test. Græca editione, Parisiis. an. 1546. facta, versum septimum exhibens; qui, quoniam in præfatione asseverat, nullam sua in editione litteram secus esse positam, quam plures, iique meliores libri tanquam testes comprobarent, in ipso versu autem solum verba *in cœlo* obelo notavit; consequens est, ex codicibus septem, quos de Canonicis epistolis habeat, vel omnes vel saltem plures versum controversum, exceptis duabus vocibus, continuisse. Amplius testatur Lucas Brugensis, Bibliis Lovaniensium Doctorum cura an. 1583. excusis notas adjiciens; utpote qui inspecto triginta trium Codicum numero, non nisi a quinque versum septimum abfuisse deprehendit. Denique editores Hispani Polyglottorum sub Cardin. Ximenio, et Romani Censores emendatorum Bibliorum sub Urbano VIII. testantur, plurimam Codicum adhibitorum partem stetisse pro fide ac integritate versus septimi.

2°. De *antiquitate codicum* versui septimo faventium experimentum præbent, præter Dublinensem, Rhemensem et Britannicum Codices a vetustate, sed indeterminata, celebres, manuscriptum anni 1283. Pragæ in Bibliotheca Ecclesiæ Metropolitanæ videndum; Parisiis vero Codex alter an. 1234. apud PP. Dominicanos in platea S. Jacobi, alter Seculi 12. apud PP. Minores asservatus; nec minus ibidem tum vetus Correctorium seculi decimi in Bibliotheca Sorbonica, tum membrana anni 809. in Abbatia ad S. Germanum conspicua. Remotioris adhuc ævi fuisse oportet Codices illos, in quibus hunc versum legerunt Patres proxime laudandi; cum textum referre non poterant, nisi in exemplaribus Scripturæ coævis, imo antiquioribus reperissent. Certe CASSIODORUS seculo sexto disertam *priscorum codicum* mentionem fecit in sua præfatione ad Institutionem Divin. Litt. Jam vero in *Complexionibus,* h. e. brevissimas Epistolarum Canonicarum explanationibus, ipse versum septimum sic reddit : *In cœlo autem* (testificantur) *Pater et Filius et Spiritus sanctus; et hi tres unus est Deus.*

3°. Inter *Patres solitarios* quidem rariores sunt Græci, qui meminerint textus controversi; non desunt tamen penitus. Origenes enim in selectis Psalmorum ad Psal. 122. v. 2. sic refertur: *Hæc autem tria* (Pater, Verbum et Spiritus sanctus) *Dominus Deus noster est, siquidem tres unum sunt.* In Disputatione contra *Arium* habita, sub Athanasii nomine relata, auctor antiquissimus inquit n. 44. *Quid vero loquar de vivifico lavacro, sine quo nemo videbit regnum cœlorum? an non in ter beatissima nomenclatura a fidelibus datur? adde his omnibus, quod ait Joannes: Et hi tres unum sunt.* Nazianz. in Or. 31. n. 9. loquens de tribus Personis ait: *Tria hæc unum, si divinitatem spectes, et unum tria, si proprietatum rationem habeas.* His similia habentur in Dial. Philopatridis inter opera *Luciani* numerato, et ad tempora Juliani Apostatæ pertinente. Plures et his disertiores sunt Latini, ex quibus tamen referre omittimus Tertullianum L. cont. Praxeam c. 25., Hieron. in Prolog. ad Epist. Canonicas, Pseudo-Athanasium in Tract. de unita Deit. Trinit. (al. de Trin. L. 1. opp. t. 2.) et de profess. reg. Cathol. (al. de Trin. L. 7. ibid.), Isidorum in spuriis Epistolis Hygini ac Joannis II. quoniam vel sensus verborum quibusdam videtur dubius, vel scriptio est pseudonyma; quamvis ille sat certus videatur aliis, hæc autem partim vindicari possit, partim auctorem saltem antiquum prodat.

Ex Latinis porro in Africa Cyprian. L. de Unit. Eccl. n. 3. scribit: *Dicit Dominus: Ego et Pater unum sumus. Et iterum de Patre, Filio, et Spiritu sancto scriptum est: Et hi tres unum sunt.* Fulgent. in Resp. cont. Object. Arian. resp. ult. inquit: *Beatus Joannes Apostolus testatur dicens: Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus, et tres unum sunt. Quod etiam beatus Cyprianus in Epistola de Unitate Ecclesiæ confitetur dicens... De Patre et Filio et Spiritu sancto scriptum est: Et tres unum sunt.* Idem L. de Trin. c. 4. ait: *Idcirco ego, inquit, et Pater unum sumus: unum ad naturam referre nos decet, sumus ad Personas. Similiter et illud: Tres sunt, inquit, qui testimonium dicunt in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt. Audiat Sabellius, Sumus; audiat, Tres; et credat tres Personas; audiat et Arius, Unum, et non differentis Filium dicat esse naturæ.* In Italia præter recitatum Cassiodori locum, extat hoc Ambrosii Autperti L. 1. in Apoc. c. 1. v. 5. testimonium: *Solus hoc loco Filius testis vocatur fidelis, cum et Pater et Filius et Spiritus sanctus simul fidele testimonium perhibeant de ipsis, sicut scriptum est: Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.* In Gallia Phœbadius L. cont. Arianos c. 22. scribit: *Sic alius a Filio Spiritus, sicut a Patre Filius... unus tamen Deus omnia; tres unum sunt.* Eucherius L. Formul. spir. c. 11. Ternarius numerus *ad Trinitatem* refertur *in Joannis Epistola: Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo* etc. In Hispania Idacius (al. Vigilius Tapsensis) L. 1. cont. Varimadum c. 5. dicit: *Joannes Evangelista ait: In principio erat Verbum... Item ipse ad Parthos, Tres sunt, inquit, qui testimonium perhibent in terra, aqua sanguis et caro; et tres in nobis sunt: Et tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus; et ii tres unum sunt.* Etherius et Beatus L. 1. adv. Elipandum c. 26. recitant versum Joannis 7. et 8. ordine solum inverso.

4°. Patrum *collectorum* nomine veniunt sexaginta unus supra quadrin-

gentos Episcopi Africani, jussu Hunerici Carthagine an. 484. congregati, qui in Libello fidei, sive per EUGENIUM CARTHAGINENSEM sive per VICTOREM VITENSEM conscripto sic loquuntur (Labb. t. 4. p. 1134. C.). *Ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur. Ait namque : Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.* Addi possunt Patres Conc. Lateranensis IV. c. 2. qui versum 7., ex versu 8. a Joachimo impugnatum, non negant in Scriptura reperiri; sed solvunt dato discrimine, quod colligitur ex verbis postremo adjectis similitudinem creaturam inter et creatorem inficiantibus : quod quidem non Latini tantum, sed et Græci tum præsentes in sua fidei professione fecerunt. Accedit Conc. Tridentini Sess. 4. decretum de Canonicis Scripturis, quod recensitis Vet. et Nov. Testamenti libris ac epistolis, quas inter tres etiam Joannis numerantur, ait : *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris et Canonicis non susceperit... anathema sit.* Pertinet autem versus 7. ad integritatem epistolæ Joannis : legitur etiam in Ecclesia Catholica, apud Latinos quidem in Breviario et Missali Romanis, apud Græcos in Libro Liturgico *Apostolus* dicto : ac tandem in veteri Vulgata Latina editione reperitur et extat.

360. *Dico II.* Eumdem versum esse authenticum, evincit ratio.

*Prob.* Sequentibus ex ordine propositionibus.

1ª. Omissio versus 7. in quibusdam sive Codicibus sive Patribus non facit probabile argumentum contra illius authentiam. Ratio *primi* est; quia, cum Codicum discrepantia sit in aliis plurimis, nequit concordia magis exigi in versu controverso. Item quia ex iis paucissimis, qui adhuc extant, sat multi et antiquissimi favent authentiæ; ex illis vero, qui interierunt, fere primos aut primis Apostolorum scriptis coævos oportuit contineri lectionem vulgatam, quam scilicet Patres II. aut III. seculi inseruerunt suis libris. Ratio *secundi* est; quia silentium Patrum est argumentum mere negativum, cui prævalet positiva aliorum, nec adeo paucorum, assertio. Præterea vero Patrum Tractatus vel erant breviores; ut Epistola ad Paulum Samosatenum et Synodica Conc. Sardicensis; vel de Trinitate nihil, aut parum, data saltem opera, agebant; ut LUCIFER Calar. in L. de vitatione hæret., PROCLUS in ep. ad Armenos, CEREALIS L. cont. Maximin. PSEUDO-CÆSARIUS, item FAUSTINUS et JUNIUS fecerunt : vel parcius Scripturæ testimonia, aut nec versum 8. apponebant; ut illud Auctori expositionis fidei inter Opera JUSTINI, et hoc IRENÆO L. 3. adv. hær. c. 18. (al. 16. n. 2. et seqq.) convenit. Tandem Patres reliqui vel carebant Codicibus integris, vel a versu 7. laudando abstinebant; sive quod eum non legerent in Codicibus omnibus, sive quod nollent se exponere *Tritheitarum* aut *Arianorum* cavillationibus, alibi jam injectis.

2ª. Facilius erat hunc versum omitti per Librariorum negligentiam, quam interponi per fraudem. Ratio *primi*; quia ob simile initium versus 7. et 8., errante et excurrente oculo, aut alia scriptoris incuria, pronum erat transitum fieri a priori ad sequentem, postremis illius verbis omissis. Quotidianum hujus erroris experimentum occurrit describentibus; ejusdem etiam exem-

pla in 70. Interpretibus notat Hier. L. 6. Comment. ad Jerem. c. 30. v. 14. et 15. et L. 9. ad Isa. c. 40. v. 7. et 8. Uno autem Codice sic corrupto transumpta postmodum plura errabant. Ratio *secundi;* quia fraus hujusmodi, utpote delictum gravissimum, præsumi non debet : neque potest facta credi, Catholicis æque ac Hæreticis vel fraudem non advertentibus, vel detectæ nullatenus contradicentibus.

3ª. Causa esse poterat dissimulandi omissionem versus septimi, etsi is foret genuinus : nulla vero apparet eumdem inserendi, si erat spurius. Ratio *primi;* quia hoc testimonium Arianis erat incommodum, utpote errori capitali contrarium; ideoque mutilis Codicibus contra alios integros tueri se poterant : idem autem a *Sabellianis* pro suo errore confirmando fuerat usurpatum; ideoque Catholici contra Arianos *Sabellianismum* sibi objicientes ab eo proferendo abstinere poterant, nec illius restitutionem urgere. Ratio *secundi;* quia hic versus nec erat necessarius ad dogma Catholicum de Trinitate probandum, pro quo alia Scripturæ testimonia abundabant : nec fraudulenta ejusdem insertio poterat esse utilis; sed præbuisset potius quasi causæ malæ indicium, et ipsum dogma, licet aliunde roboratum, in suspicionem induxisset.

4ª. Versus septimus optime cohæret cum universo textu : sine illo contextus non rite procedit : cum illo junctus consentit cum aliis Joannis textibus. Ratio *primi;* quia mentio testium *in terra* comparationem aut oppositionem indicat, et supponit testes *in cœlo;* quo medio versus 7. nectitur cum 8. : commemoratio testimonii divini prævalentis humano, et quidem ad legis normam duos vel tres testes requirentis, connectit non tantum versum 6. cum 9., sed et 7. cum utroque. Ratio *secundi;* quia excluso versu 7., vel non adesset testis divinus; si scilicet τὸ spiritus in versu 8. sumatur pro anima Christi vel charismate : vel non adessent plures testes divini; siquidem sanguis et aqua in communi interpretum acceptione usurpetur : adeoque nec prævaleret testimonium, quod majus dicitur, non tantum ab auctoritate, sed et a numero ternario, eoque geminato. Ratio *tertii;* quia quæ in toto contextu asseruntur, scilicet testimonium Dei, trini in Personis, et unius in natura, cum sufficientia testium, eadem Joannes in Evangelio asserta refert. Testimonium quidem Dei in Personis trini c. 8. 18. *Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater;* Et c. 15. 26. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre... ille testimonium perhibebit de me* : Unius in essentia, c. 10. 30. *Ego et Pater unum sumus;* et c. 16. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* : Sufficientiam autem testium, c. 8. 14. 16. et 17. *Et si testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum... quia solus non sum, sed ego, et qui misit me, Pater. Et in Lege vestra scriptum est : quia duorum hominum testimonium verum est.* Accedit vox illa *Verbum* Joanni propria, quam adhibet in versu 7., sicut eamdem in Evangelio 1. sæpius, et in Apocal. c. 19. 13. usurpavit.

361. *Observa.* Ne quis ex varietate lectionis in versu 7., argumentum contra hujus authentiam formari recte posse existimet, breviter subjungere juvat multiplicem variationem versus 8., quem tamen omnes habent pro certo et authentico. In Capitulari Veronensi antiquissimo integer hic versus

deest. Voces illas, *Tres sunt, qui testimonium dant,* mutant AMBR. L. 1. de Spiritu sancto c. 6. n. 77. et AUG. L. 2. adv. Maximin. c. 22. n. 3. in has : *Tres sunt testes*; CASSIODORUS in Complex. ad 1. Joann. n. 10. in istas : *Testificantur tria*; Auctores L. de Baptism. hær. et cont. Varimadum in illas : *Testimonium perhibent.* Voces *in terra* desunt in Lectionario Gallicano, apud AUGUSTINUM, AMBROSIUM, Auctorem de bapt. hær. et apud LEONEM in ep. ad Flavianum. Testium ordinem immutatum referunt AMBROS., CASSIODOR. auctor L. cont. Varimad. ac ETHERIUS L. cont. Elipandum. Tandem eas voces, *hi tres unum sunt,* omittunt CASSIOD., Codex Paris., Colbertinus, vetusta Correctoria MSS., et D. THOM. in expositione 2ae. Decretalis : variant vero, Auctor L. cont. Varimad. quidem in has : *Tres in nobis sunt*; ETHERIUS in istas : *Tria hæc unum sunt,* Græci Patres et Codices non pauci in illas : *Tres in unum sunt.* Plura, et maxime vindicias Patrum, qui desiderat, consulat FRANCISCI BERNARDI DE RUBEIS singularem de hac materia dissertationem adversus Samuelem Crellium.

# DISPUTATIO VI.

## DE PERSONIS DIVINIS.

## CAPUT I.

### DE PERSONIS DIVINIS IN COMMUNI.

### ARTICULUS I.

#### QUÆNAM UNIVERSIM NOSCENDA, TENENDA ET PRÆDICANDA SINT DE PERSONIS DIVINIS IN COMMUNI?

362. *Dico I.* Occurrentium circa Trinitatem vocabulorum ac terminorum, tum significationem tum usum rite perspicere oportet.

Οὐσία, *Essentia* ab *esse* dicitur, et pro quidditate rei seu conceptu formali ac ratione constitutiva sumitur : φύσις, *Natura* a *nasci* derivatur, et vel pro principio motus seu operationis qualiscumque, vel pro prædicatorum omnium complexione, qua res in certo quodam ordine entium constituta est, accipitur : ὕπαρξις, *Existentia* ab *existere* profluit, et non tantum simpliciter pro reali extantia, sed etiam pro modo existendi, maxime præcipuo, usurpatur ; unde et *substantiam* significat, quatenus hæc est ens per se subsistens, nec aliquo indigens tanquam subjecto. Hæc etymologiæ diversitas non impedit, quominus essentia, natura, et substantia in præsenti materia, ad datum a Patribus exemplum, jam pro eadem re a Theologis sumantur : quamvis alia acceptionis varietas, qua essentia in physicam ac metaphysicam distinguitur, prior autem nunc philosophice nunc theologice usurpatur, non sit negligenda.

Πρόσωπον, *Persona* est rationalis naturæ substantia individua sive ultimo terminata; h. e. completa, seu suas habens partes, et incommunicabilis, seu non unita alteri sive ut pars, sive ut perfectibile quid. *Suppositum* hoc solo a persona distinguitur, quod tribuatur etiam substantiæ non rationali. *Personalitas* et *suppositalitas* sunt formæ utrique constituendo correspondentes. Ὑπόστασις et *substantia* ambiguam olim significationem habuerunt ; jam pro essentia, jam pro persona, apud diversos supponentes : post seculum quintum invaluit usus, ut hypostasis personam, substantia essentiam, velut

ex instituto denotaret : *subsistentia* tamen rationem formæ retinuit, quâ hypostasis sive persona conficiatur.

Πρόβασις, *Processio* universim est origo, emanatio vel productio unius ab alio; speciatim autem in Trinitate est *immanens,* cujus scilicet principium extra se ipsum non progreditur, seu operatur; sed terminum intra se manentem habet : item *perfecta,* h. e. sine notione causalitatis, ac dependentia : denique *metaphysica,* quatenus differentiam naturæ non facit, sed est cum communicatione essentiæ ejusdem.

Αποστολή, *Missio* est processio mox descripta, unius Personæ ab alia in ordine ad aliquem effectum novum ad extra producendum; sive is sub aspectum cadat, ac sit sensibilis, sive interius peragatur, et sensus externos non afficiat.

Κοινωνία, *Communicatio* est processionem Personæ concomitans naturæ communio, h. e. non decisio, non profusio aut multiplicatio naturæ similis aut distinctæ, sed ejusdem numero naturæ, a principio data principiato, extantia.

Περιχώρησις, *Circuminsessio* est mutua divinarum Personarum coexistentia in se invicem, quæ, præter inseparabilem distinctorum Suppositorum conjunctionem, identitatem aut identicam extantiam denotat.

Ἰδίωμα ὑποστατικὸν, *Proprietas personalis* est peculiaris subsistendi modus, quo Persona in esse determinatur ac constituitur. Ἰδίωμα σχετικὸν, *Proprietas relativa* vel *Relatio* est similis modus, quo ordo originis et Personæ oppositio, seu *esse ad* exprimitur. Ἰδίωμα συστατικὸν, *Proprietas notionalis* seu *Notio* est ratio objectiva, qua Persona designatur et dignoscitur ab alia.

Ex his nascuntur *potentiæ, actus, termini* sive *essentiales,* sive *personales,* sive *relativi,* sive *notionales,* prout vel essentiam, vel Personam, vel relationem, vel notionem, vel quid ad hæc pertinens, aut significant, aut connotant, aut pro eo supponunt. Ea vero possunt esse *abstracta,* quæ exprimunt formam sine subjecto; vel *concreta* tum *substantiva,* quæ non significant formam ut adjacentem, sed per modum substantiæ; tum *adjectiva,* quæ significant formam ut adjacentem, seu per modum habiti aut habentis esse in subjecto : ita tamen, ut et concreta adjectiva vicissim *substantive* accipi possint.

363. *Dico II.* Sequentia fidei scholæque dogmata velut totidem circa Trinitatem axiomata habere decet.

I. Vera Dei essentia existit, eaque datur tantum unica. Ratio *utriusque* desumitur ex dictis hoc et priori Tractatu, ubi existentiam Dei, illius unitatem, atque tribus Personis identitatem realem ac propriam ostendimus.

II. Ratio Personæ proprie reperitur in Divinis; et convenit Patri, Filio et Spiritui sancto. Ratio *primi;* quia Personæ ratio est perfectio simpliciter simplex, utpote quæ essendi et existendi perfectionem sine imperfectione ac sine alterius perfecti exclusione designat : quod ipsum Ecclesia definivit in Concilio Lateran. IV. c. 2. et Tolet. XI. in Præfat.; recepit autem in usu Symboli Athanasiani. Ratio *secundi;* quia Patri, Filio et Spiritui sancto incommunicabilitatem convenire, dicetur statim : reliquas autem personæ conditiones iisdem adesse, constat ex art. 1. disp. et cap. prioris.

III. Datur in Divinis vera processio, eaque duplex. Ratio *primi*; quia Joan. 8. 42. Christus de se, ut Verbo, dicit: *Ego ex Patre processi*; Joan. 15. 26. autem de Spiritu sancto: *qui a Patre procedit*: præterea in Symbolo canitur de Filio: *Deus de Deo*; de Spiritu sancto: *qui ex Patre Filioque procedit*. Hæc autem processio, quæ est cum identitate ejusdem numero naturæ divinæ, est immanens, perfecta et metaphysica. Ex eadem ratione, a Patribus Græcis in Decreto Unionis Concilii Flor. admissa et declarata, dum Patrem sæpe dixerunt *causam*, hoc vocabulo non indicasse cum Arianis dependentiam Personæ, aut differentiam naturæ, sed contra Sabellianos distinctionem Personarum duntaxat declarasse constat. Ratio *secundi*; quia processionis pluralitas sive desumatur a distinctis procedentibus, sive a principiis distinctis, sive ab actionibus aut formaliter aut virtualiter distinctis, sunt duæ et non plures. Tot enim et non plures sunt procedentes, scilicet Filius et Spiritus sanctus; cum Pater sit principium sine principio, nec possibile sit sui ipsius principium: tot et non plura sunt principia, scilicet principium generationis seu Pater, et principium spirationis seu Pater una et Filius, unica spiratione agentes: tot et non plures sunt actiones, scilicet intellectio et volitio, utraque infinita, ac proin neque per aliam, neque per multiplicatam actionem immanentem augenda.

IV. Missio proprie dicta convenit soli Filio et Spiritui sancto: improprie dicta Personis omnibus: utrobique missus specialiter fit præsens. Ratio *primi*; quia de missione Filii Joan. 3. 16. et c. 6. 58. et de missione Spiritus sancti Joan. 14. 26. ac c. 15. 26. Scriptura mentionem facit; nullibi autem de missione Patris, utpote qui prima missionis conditione caret, cum ab alio non procedat. Ratio *secundi*; quia si missio inadæquate ac pro externa solum Personæ efficacia quadam sumatur, mittere etiam dicitur, qui non est principium, et mitti, qui non procedit; uti in Synodo Tolet. XI. Filius dicitur *missus a Patre, se ipso, ac Spiritu sancto*, atque tota etiam Trinitas legitur venire juxta Joan. 14. 23. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, et mansionem apud eum faciemus*. Ratio *tertii*; quia in utraque missione Personis divinis tribuitur novus existendi modus et præsentia, non præcise per immensitatem aut indistantiam operativam, sed vel per habitudinem personalem, ut est in Incarnatione; vel per specialem manifestationem, ut factum est in apparatione columbæ, et linguarum ignearum; vel per inhabitationem ac permanentem possessionem, ut fit in justificatione et glorificatione; vel per aliud quodcumque donum, vi cujus Persona divina foret substantialiter præsens, etsi per impossibile ob immensitatem alias ibidem non adesset.

Ad alterutram missionem referebant Patres antiqui *Theophanias* in Vet. Testam. memoratas. Et quidem ad *propriam*; qui dicebant ubique apparuisse Verbum, in ascititio corpore præludens Incarnationi: ad *impropriam* illi, qui Patrem etiam apparuisse statuerunt. Ad neutram retulerunt, qui cum Augustino L. 2. de Trin. c. 9. et seqq. apparitiones ejusmodi Deo quidem ut causæ principali, angelis vero ut causæ ministeriali adscripserunt. Omnes tamen differebant ab Arianis, qui Patriarchis ac Prophetis apparuisse docebant Verbum ex natura sua visibile ac corpore proprio præditum, et proinde a Deo, qui invisibilis est, distinctum atque creatum.

V. In divinis datur communicatio naturæ, et circuminsessio Personarum.

Ratio *primi* habetur ex fœcunditate simul et unitate naturæ divinæ, qua productionem Personarum plurium, sine naturarum multiplicatione, sed cum identitate ejusdem numero naturæ, in personis omnibus profitemur. Unde Faustus Rhegien. in ep. 7. ad Ruric. de Patre et Filio scribit : *Una origo est et fontis et fluminis : ex his, quæ absque initio habent, communio est, transfusio non est.* Et Hilar. L. 6. n. 13. de Trin. *Nativitas autem Dei, quæ ex Deo in Deum extitit, non quæ non erant tenet; sed quæ Dei manebant et manent, obtinuit veritate nascendi. Non ergo qui non erat* (al. *qui erat*) *natus est; sed ex his atque in his, qua Dei erant, Deus natus extitit.* L. 7. n.31. ibid. autem inquit : *Filius in Patre est et in Filio Pater, non per transfusionem refusionemque mutuam, sed per viventis naturæ perfectam nativitatem.* Ratio *secundi*; quia Christus, dum Joan. 14. 10. dixit : *Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est;* et c. 17. 1. *Sicut tu Pater in me, et ego in te;* non mutuam duntaxat secundum mentis conceptum comprehensionem, nec solum præsentiam intimam localem, sed, ob naturæ unitatem, inseparabilem Personarum conjunctionem, et identicam ac quasi materialem inexistentiam declaravit, ut Patres ap. Petavium L. 4. de Trin. c. 16. exponunt.

VI. In Trinitate Personalitates seu proprietates personales sunt tres, scilicet Paternitas, Filiatio et Spiratio : Relationes reales seu proprietates relativæ sunt quatuor, nempe Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva : Notiones seu proprietates notionales sunt quinque, nimirum Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio tum activa, tum passiva. Ratio *primi* est : Dantur in divinis tres Personæ ; ergo et dantur tres personalitates : quia Personæ personalitatibus determinantur et constituuntur. Sed illæ tres Personæ sunt Pater, Filius et Spiritus sanctus ; ergo et personalitates illæ sunt paternitas filiatio et spiratio ; quia Patrem paternitas, Filium filiatio, Spiritum sanctum spiratio passiva determinat formaliter, ac constituit.

Ratio *secundi*. Ubi sunt duæ processiones, ibi sunt duo producentia et duo producta : ubi sunt duo producentia et duo producta, ibi sunt quatuor relativa ; quia sicut producens est alicujus producens, sic productum est ab aliquo productum : ubi sunt quatuor relativa, ibi sunt quatuor relationes ; quia relativum per ordinem, habitudinem ac relationem constituitur. Sed in Deo sunt duæ processiones : item duo sunt producentes, scilicet Pater et principium spirans ; nec non duo producta, nempe Filius et Spiritus sanctus seu spiratus : ergo etiam est paternitas, qua refertur Pater ; filiatio, qua refertur filius ; spiratio activa, qua refertur principium spirans ; spiratio passiva, qua refertur Spiritus sanctus. Atqui hæ relationes sunt reales ; tum quia nemine cogitante unum referunt ad alium : tum quia fundant distinctionem realem in relatis ; ergo.

Ratio *tertii*. Ad veram Notionem requiritur 1°. ne sit quid commune saltem Personis omnibus, quia Personam discernit : 2°. ut importet aut denotet dignitatem, quia Persona dignitatis nomen est : 3°. ut pertineat ad originem, quia hæc fundat distinctionem Personarum. Hæc autem omnia conveniunt non tantum paternitati, filiationi et utrique spirationi, sed etiam innascibilitati, utpote quæ Patri specialiter convenit, ob aseitatis significationem character est dignitatis, et ad originem spectat. Hæc ipsa vero excludunt reliqua : conditio quidem prima quodlibet attributum absolutum ; secunda ingene-

rativitatem filii et improductivitatem Spiritus sancti; tertia innascibilitatem essentiæ. Porro ad excludendos actus notionales statuunt aliqui conditionem quartam, ne scilicet aliquid per modum viæ aut tendentiæ prædicetur: alii tamen his, nempe actione generativa et spirativa, concedunt discerni Personas in fieri, negant in facto esse. Denique licet nomina Verbi et Imaginis Filium, Doni et Amoris Spiritum sanctum etiam discernant; tamen vel synonyma sunt cum filiatione et spiratione, vel ab iisdem adæquate acceptis includuntur.

364. *Dico III.* Cautelas nonnullas, in prædicationibus circa Trinitatem adhibendas, subjectæ regulæ complectuntur.

I. Abstinendum est a vocabulis sive naturæ multiplicationem inferentibus, sive Personarum pluralitatem negantibus. Hinc 1°. non est dicendus *Deus triplex, ter Deus, omnis* vel *aliquis Deus;* quia vocabula hæc numeralia et partitiva multiplicatam appellati rationem indicant: nec 2°. *Pater est Deus unicus, Deus solus, Deus solitarius;* quia duo priora Personarum numerum, posterius Personarum consortium tollit. Potest tamen 3°. dici *Deus trinus;* quia hæc vox appellati modum, non rem multiplicat. Ob hanc appellationis proportionem servatam precatur Ecclesia, *sancta Trinitas unus Deus;* Conc. Later. IV. dicit: *In Deo Trinitas est, non quaternitas;* Symbolum Athanasii statuit *unitatem in Trinitate, et Trinitatem in unitate venerandam;* Hymnus etiam canit: *Te trina Deitas unaque poscimus* etc. Item dicitur *Persona triplex, aliqua Persona, Pater solus generat, solus Deus est æternus* etc.

II. Cavendum ne tollatur naturæ communicabilitas aut simplicitas; dum Personis tribuitur distinctio aut proprietas. Hinc 1°. non dicitur *Deus singularis,* nec *tria in Deo individua;* utpote quibus naturæ incommunicabilitas asseritur: nec 2°. Pater esse *aliud, diversus, dispar, discrepans,* aut *alienus a Filio;* quia his distinctio naturæ indicatur: nec 3°. Personæ esse *divisæ,* aut *separatæ,* nec *unitæ* aut *conjunctæ* prædicari debent; siquidem naturæ unitati ac simplicitati repugnant. Attamen 4°. Conc. Tolet. XI. (Labb. t. 6. p. 542. B.) profitetur Personas *Deum singulariter* dici; Later. IV. *alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum* concedit; statuitque, *ut distinctiones sint in Personis et unitas in natura.*

III. In nullo sensu abstracta relativa prædicantur de relativis; quia sibi opponuntur realiter; unde falsum est: *Paternitas est filiatio,* aut vicissim. In sensu identico prædicantur abstracta essentialia de abstractis tam relativis, quam essentialibus; quia sensus identicus ad statum realem pertinet, ubi essentia cum prædicatis omnibus identificatur: quia ex ratione etiam utraque abstracta de concretis essentialibus prædicantur. Ideo Conc. Rhemense ab Eugenio III. celebr. (Labb. t. 10. p. 1108.) *Credimus et confitemur simplicem naturam Divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari quin divinitas sit Deus, et Deus divinitas.* Porro in numero plurali abstracta quidem relativa prædicantur de concretis relativis; in singulari autem tantum abstracta essentialia: illa enim multiplicantur tanquam realiter distincta, hæc autem minime; quare vera est propositio: *Tres personæ sunt tres substantiæ vel bonitates relativæ;* falsa autem: *Tres personæ sunt tres deitates, omnipotentiæ, immensitates* etc.

IV. Concreta essentialia substantiva de Personis prædicantur singulariter; adjectiva autem pluraliter : si tamen substantiva sumantur adjective, possunt prædicari pluraliter; si autem adjectiva sumantur substantive, tantum singulariter prædicantur. Horum ratio est, quia substantiva aut substantive accepta significant formam per modum substantiæ, quæ multiplicari non potest; adjectiva autem vel adjective sumpta significant formam adjacentem subjecto seu supposito, quod est multiplex. Juxta regulam 1$^{am}$. *Tres Personæ sunt unus Deus, unus Creator;* non autem *tres Dii aut tres Creatores* : juxta 2$^{am}$. in Conc. Later. IV. tres Personæ dicuntur *consubstantiales et coomnipotentes,* in Symb. Athan. *coæternæ et coæquales* : juxta 3$^{am}$. *Tres Personæ* dici possunt *tres Domini* : juxta 4$^{am}$. autem in memorato Symbolo dicitur : *Non tres æterni, sed unus æternus : sicut non tres increati, nec tres immensi; sed unus increatus, et unus immensus* etc.

V. Concreta relativa substantiva in sensu identico affirmantur de essentialibus, tam abstractis quam concretis; quia inter essentialia relativa, seu notionalia, realis identitas intercedit. Eadem prædicantur de Personis in plurali, si his sint communia; item etiam de abstractis illis, quæ assignantur velut principium formale actus notionalis. Relativa autem adjectiva de abstractis essentialibus non prædicantur; quoniam forma ab adjectivis significata illis abstractis formaliter haud inest. Ad 1$^{um}$. spectat : *Et Deus, et essentia est Pater;* ad 2$^{um}$. : *Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt tres Personæ;* Item : *Paternitas generat, Filiatio generatur;* ad 3$^{um}$. : *Essentia generans aut Deitas genita est;* quam prædicationem Conc. Later. IV. proscripsit.

VI. Abstracta essentialia non supponunt pro Personis; cum solum formam, non autem subjectum denotent : ex quo capite rursus non dicitur *Essentia generans* aut *genita, spirans* aut *spirata.* Concreta essentialia, maxime *Deus,* secundum se ac sine addito determinante, æque pro Personis, ac pro essentia supponunt, quoniam essentiam existentem ac subsistentem in tribus Personis indicant. Patet in illo 1. ad Tim. 17. *Regi seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in secula seculorum.* Eadem si substent prædicato essentiali, quod essentiæ prout a Personis distinctæ convenit, pro essentia tantum supponunt, ut in his : *Deus est communis tribus Personis, est trinus, est Trinitas* : si autem substent prædicato essentiali, quod Personis congruit ratione essentiæ, supponunt principaliter ac primario pro essentia, minus principaliter ac secundario pro Personis; quod evenit in his : *Deus creat, gubernat, punit* etc. Si denique restringantur per notionale aut huic æquivalens prædicatum, supponunt pro Persona eaque una, vel gemina, cui actus notionalis vel proprietas competit, sic in hac : *Deus generat,* pro Patre; in ista : *Deus spirat,* pro Patre et Filio subjectum supponit.

365. *Observa.* Ad præsens institutum æqualitas, ordo, et appropriatio reducuntur : æqualitas enim ad Personarum affectiones, ordo ad originis proprietatem, appropriatio ad modum essentialia prædicandi spectat. *Æqualitas* in materialibus quantitate molis, in immaterialibus quantitate perfectionis eadem constituitur, dicente Augustino L. 6. de Trin. c. 8. *In his, quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse.* Hanc divinis

Personis asserit Scriptura in ep. ad Philipp. 2. 6. de Christo dicens : *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo* : prædicavit ATHAN. in Symb. et et Later. IV. c. 1., confirmatque ratio; quia considerando Personas secundum essentialia, eadem numero essentia, et eadem attributa adsunt; non potest autem inæqualium esse eadem numero quantitas : spectando autem secundum relativa, hæc quidem non eadem numero sunt, nulla tamen relatio est altera major et dignior, cum nulla singularis sit perfectio simpliciter simplex.

Porro in Divinis *Ordo* plane est admittendus; tum quia pluralitas sine ordine generaret confusionem : tum quia in Divinis habetur principium, per comparationem ad quod ordo dicitur. Hic tamen originis ordo nullam dependentiam, ac ne naturæ quidem prioritatem aut posterioritatem involvit; quia, ut AUG. L. 2. cont. Maximin. c. 14. n. 8. inquit, *Est ordo naturæ, non quod alter prior sit altero, sed quod alter sit ex altero.*

Denique *Appropriatio,* seu modus loquendi, quo quædam sive operationes, sive attributa, alioquin tribus Personis communia, specialiter tribuuntur uni Personæ præ aliis, habet omnino locum in Divinis, contestante id Scriptura, Patribus, et recepto Ecclesiæ usu. Fundatur autem in quadam prædicati essentialis aptitudine ad manifestandam proprietatem personalem : aptitudo hæc nititur in congruentia cum eadem proprietate : utraque variatur secundum variam considerationem, qua Deus spectatur, vel ut est ens, vel ut est unus, vel ut habet virtutem ad operandum, vel ut dicit habitudinem ad effectus.

Secundum considerationem *primam* HILAR. L. 2. de Trin. n. 1. *æternitatem* Patri, *speciem* Filio, *usum* Spiritui sancto tribuit; quia Pater est absque principio, Filius est imago Patris perfecta, Spiritus sanctus est amor ac fruitio. Secundum *secundam* AUG. L. 1. de Doct. Chr. c. 5. Patri *unitatem,* Filio *æqualitatem,* Spiritui sancto *concordiam* appropriat : quia Pater non præsupponit Personam alteram; hanc autem Filius præsupponit in Patre; Spiritus sanctus denique duarum personarum unionem dicit. Secundum *tertiam* Patri *potentia* et *creatio* ex Joan. 14. 10., Filio *sapientia* et *redemptio* ex 1. ad Cor. 1,24., Spiritui sancto *bonitas* et *sanctificatio* ex ep. ad Rom. 5. 5. attribuitur; quia Pater habet rationem principii, Filius est Verbum mentis divinæ, Spiritus sanctus amor est et terminus amoris divini. Secundum *quartam* AUGUSTINUS L. 6. de Trin. c. 10. n. 12. explicans particulas habitudinis in ep. ad Rom. 11. 36. relatas, ait asseri *ex ipso,* propter Patrem; *per ipsum,* propter Filium; *in ipso,* propter Spiritum sanctum; quia Pater ad intra habet se, ob naturæ communicationem, velut causa materialis, ad extra, ob potentiam, velut causa efficiens; Filius ad intra habet se, ob rationem Verbi, seu formalis repræsentationis, instar causæ formalis, ad extra, ob sapientiam, instar artis seu causæ, per quam artifex agit; Spiritus sanctus ad intra habet se, ob mutuum amorem, instar complexus, ad extra, ob bonitatem in conservando, ad modum continentis.

QUÆRES. *An Distinctio rationis inter essentiam et proprietates congruat cum Mysterio Trinitatis?*

366. R. Congruit. *Prob.* Illa distinctio cum hoc mysterio congruit, quæ requiritur et sufficit ad verificandas propositiones, quibus affirmatio et negatio in eamdem simplicem ac distinctam entitatem cadit, quin evadant contradictoriæ; quales sunt : essentia communicatur, paternitas non communicatur; filiatio est genita, essentia non est genita; Pater generat per intellectum, non generat per voluntatem : sed ad hoc requiritur et sufficit distinctio rationis ratiocinatæ inter essentiam et proprietates divinas; ergo.

*Prob.* 1ª. *p. min.* Essentia et paternitas, filiatio et essentia, intellectus et voluntas in Deo realiter sunt idem, nec distinguuntur ante operam intellectus ; ergo, nisi inter illa admittatur distinctio rationis ratiocinatæ, affirmatio et negatio ejusdem cadent in eamdem omnino rem simplicem ac indistinctam ; ergo vel propositiones negativæ non verificantur, utpote quæ ob universalem negationem removent communicationem vel generationem a paternitate vel essentia, sub quacumque ratione et secundum quodcumque realiter identificatum acceptis : vel non ita verificantur ut impediatur contradictio, et ne contradictoriæ evadant ; ergo ne alterutrum eveniat requiritur distinctio rationis.

*Prob.* 2ª. *p. min.* Essentia a paternitate et filiatione, item voluntas ab intellectu formaliter distincta, sunt res diversis conceptibus præcisivis repræsentatæ : res diversis conceptibus præcisivis repræsentatæ possunt diversimode definiri et prædicari : res, quæ diversimode definiri et prædicari possunt, possunt affirmari vel negari de eodem sine contradictione; cum hic non fiat affirmatio et negatio ejusdem de eodem; ergo formalis distinctio essentiam inter et paternitatem ac filiationem, item voluntatem inter et intellectum sufficit ad verificandas propositiones, quibus affirmatio et negatio cadit in eamdem rem, quin propositiones evadant contradictoriæ.

Nec evincis quidpiam, *si dicas,* ante operam mentis ac independenter ab intellectu essentiam communicari; Filium generari per intellectum, non per voluntatem : cum enim essentia, paternitas, filiatio, intellectus, voluntas sint voces rem cum præcisione rationis significantes; præcisio autem hæc non sit ante operam mentis et independenter ab intellectu, sed per mentis operam ac dependenter ab intellectu fiat; vel propositiones affirmativæ sunt falsæ, ob modum contradictorium terminis præcisis adjunctum, vel, si significatio terminorum sine præcisione accipiatur, negativæ falsificantur, ob negationis universalitatem cum statu reali essentiæ divinæ haud congruentem.

*Conf. utr. p.* Omnis reduplicatio vel est acceptio termini secundum præcisivum conceptum, vel præcisionem supponit, vel singularem saltem termini usurpationem a mentis opera profectam denotat ; sed ad salvandas, circa essentiam et proprietates in Divinis, propositiones contradictorias, Patribus semper visa est necessaria ac sufficiens reduplicatio; ergo actualis vel supposita præcisio, aut interveniens mentis opera, et hinc distinctio rationis Patribus semper visa est necessaria ac sufficiens ad salvandas, circa essentiam et proprietates in Divinis, propositiones contradictorias.

*Minor* ostenditur ex verbis Patrum 1°. reduplicatione formalitates deter-

minantium : Basil. L. 5. cont. Eunom. init. (opp. t. 1. p. 296. B.) inquit : *Quæcumque Patri, ut Deo, non ut Patri, insunt; et quæcumque Filio ut Deo, non ut Filio insunt; ea etiam Spiritui sancto insunt.* Chrys. hom. 1. (al. 2. n. 4.) in Joan. *Quonam pacto, nulla habita mentione Patris, de Filio sermonem aggreditur? quoniam omnibus constabat Patrem esse, si non ut Patrem, saltem ut Deum.* Aug. Serm. 38. de Temp. (al. Alcuin. de Trin. L. 1. c. 2.) *Quidquid est Pater, quo Deus est, quo substantia est, quo æternitas est; hoc Filius, hoc Spiritus sanctus est.* 2°. Reduplicatione distinctionem demonstrantium : Athan. Dial. 1. cont. Anom. (al. Dial. 1. de Trin. n. 11.) *Nequaquam differt* (Pater a Filio) *in eo quod Deus et Pater sit, sed in eo quod sit Pater et Filius; quoniam ille quidem genuit, hic vero genitus est.* Et in Or. 3. cont. Arian. n. 4. *Quanquam Filius est aliud, quatenus est genitus; attamen idem existit, quatenus est Deus.* Cyr. Alex. L. 7. de Trin. (opp. t. 5. p. 240. B. C.) : *Non in eo quod est Pater, Deus est Pater; neque in eo quod est Filius, Deus est Filius..., non enim Pater Deus est, quia genuit; neque Filius Deus, quia genitus est; sed Deus existens genuit Pater, et Deus existens genitus est Filius.* Aug. L. 5. de Trin. c. 6. *Non secundum hoc, quod ad Patrem dicitur, æqualis est Filius Patri; restat ut secundum id æqualis sit, quod ad se dicitur.* 3°. Reduplicatione vocis et mentis præcisionem declarantium : Nazian. Orat. 42. n. 15. postquam Filium appellasset *principium*, subjungit : *Nec principium, eo quod principium est, ab eo, quod principio caret, dirimitur : non enim principium ipsi natura est, quemadmodum nec illi, quod principii expers sit. Circa naturam enim hæc considerantur, non autem natura ipsa sunt.* Aug. in Psal. 68. Serm. 1. n. 5. *Pater non ad se, sed ad Filium dicitur; ad se autem Deus dicitur. Itaque eo quod Deus est, hoc ipso substantia est : et quia ejusdem substantiæ Filius, procul dubio et Filius Deus. At vero Pater est, quia non substantiæ nomen est, sed refertur ad Filium, non sic dicimus Filium Patrem esse, quomodo dicimus Filium Deum esse*; Sophronius in Epist. in Conc. IV. Act. 11. (Labb. t. 6. p. 861. A.) recitata : *Juxta quod Deus est, id ipsum existit unumquodque suppositum, dum seorsim consideratur, ipsa intelligentia, quod non separabile, separante.* Quæ verba a Greg. Nazianzeno (Orat. 23. n. 11.) mutuatus est Sophronius.

367. *Observa.* Personas vel personalitates divinas vocant *tres res* Alexander Ep. Alex. in ep. ad Alexandrum Constantinopolitanum, (Labb. t. 2. p. 11. D.) Aug. L. 1. de Doctr. Christ. c. 3. et 5., Anselm. L. de Incar. c. 3. init. cum Conc. Rhemensi (Labb. t. 10. p. 1108. C.); *tria quædam* Nazian. Orat. 23. n. 11. et 12. — 20. n. 5. — 31. n. 4. et 9. — 42. n. 15. et 16. et in ep. 101. ad Cledon., Aug. L. 6. de Trin. c. 9. et L. 7. c. 4. Greg. L. 29. Mor. c. 16. (al. 31. n. 70.) et L. 30. c. 5. (al. 4. n. 17.) cum Conc. Tolet. XI. in Præf. (Labb. t. 6. p. 542. E. et 543. B.); *tres unitates*, Boet. L. de Trin. unitat. c. 3. cum Conc. Rhemensi (Labb. t. 10. p. 1108. C.); *tria perfecta* Basil. hom. 24. cont. Sabell. n. 5. Epiphan. hær. 69. n. 67. Cyril. Alex. L. 4. Thes. (opp. t. 5. part. 1ª. p. 23. B.), Damasc. L. 1. de Fid. c. 15. (al. 12.), cum ep. synod. Conc. Constantinopolitani I. ad Damasum (Labb. t. 2. p. 964.). Dum tamen eorum multi itidem *unam rem, unum ens, unum verum bonum aut perfectum* in Deo dari enuntiant, nec sibi nec nobis con-

tradicunt : his enim prædicatis numerus singularis proprius est, si essentiæ aut attributis tribuantur; pluralis autem convenit, si ad Personas aut proprietates referantur : unde si obscuritas subinde adsit, aut periculum, vel suspicio erroris, juvabit quidem dicere res, entitates, veritates et perfectiones cum addito : *personales, relativas, notionales* etc. Quod ex ratione adjectum est, ex memoratis patet neutram sequelam tenere : præterquam quod etiam quælibet Persona aliarum Personarum perfectiones contineat tum *eminenter,* ratione essentiæ sibi identificatæ; tum *æquivalenter,* ratione propriæ personalitatis aliarum personalitati æquivalens; tum *formaliter,* ratione circuminsessionis, sive continentiæ specialis, qua quælibet Persona perfectionem alterius propriam continet, modo tamen et ordine distincto, ut Ruiz Disp. 30. Sect. 5. explicat.

Porro communius dicuntur perfectiones *simpliciter;* quia respectu ejusdem Personæ hæ perfectiones sunt incompossibiles, nec una melior altera : respective tamen ad essentiam dici possunt *simpliciter simplices;* quia essentiæ eidem identificantur, et melius est eas habere quam non habere. Quanquam, an illæ debeant dici tres, an una tantum perfectio simpliciter simplex, videat, qui volet, apud Ruiz Sect. 9. loc. laudato.

## ARTICULUS II.

### QUÆNAM SINT PRINCIPIA DIVINARUM PROCESSIONUM?

368. *Nota.* Processio in Divinis duo dicit, productionem scilicet Personæ, et communicationem naturæ. Ad utrumque comparata sumitur vel *active* seu pro principio, vel *passive* seu pro termino, vel *formaliter* seu pro actione. Prior acceptio est præcipua, utpote ad quam reliquas accommodare oportet; unde in una uberius versabimur. Principium cujuslibet actionis statuitur duplex, aliud *quod* seu denominationis, cui agentis denominatio tribuitur, illudque est suppositum agens, unde commune est axioma : *Actiones sunt suppositorum;* aliud *quo* seu actionis, cui convenit ipsum agere, et est vis ac virtus, per quam suppositum agit. Principium *quo* subdividitur in radicale seu remotissimum, quod radix est actionis, seu virtus agendi primordialis; in potentiale seu remotum, quod est potentia actionis, seu virtus agendi intermedia; in formale seu proximum, quod est forma aut vis actionis, seu virtus agendi immediata.

Porro certum ac receptum jam est 1°. Principium *quod* tam productivum, quam communicativum in Divinis esse idem; quia principium productionis in Divinis est productivum termini per se consubstantialis producenti, seu in eadem numero natura identificati : 2°. Idem principium in Divinis esse Personam, Patrem quidem respectu Filii, Patrem autem ac Filium respectu Spiritus sancti; cum Scriptura et Traditio declaret, Filium a Patre, et Spiritum sanctum a Patre Filioque accipere suum esse, suam substantiam et personalitatem : 3°. Naturam divinam, ut præintellectam intellectui et voluntati, esse quidem principium *quo,* sed radicale duntaxat ac remotissimum. Ratio *primi* est, quia est radix actionum omnium, requiritur simpliciter in productione, adest identice in communicatione : ratio *secundi* est, quia in

contraria Durandi sententia nequit assignari ratio, cur Filius sit Verbum, Spiritus sanctus amor? cur processio Verbi sit generatio, Spiritus sancti non? cur processio Verbi præcedat processionem Spiritus sancti? cur Filius ab una, Spiritus sanctus a duabus Personis procedat? cur Spiritus sanctus a Filio, Filius non vicissim a Spiritu sancto procedat? cur duæ sint processiones, non una aut plures? etc.4°. Nec intellectum aut voluntatem, nec intellectionem aut volitionem essentialem solam ac seorsim esse principium *quo* proximum, quamvis sint remotum. Ratio *primi* est, quia potentiæ et actus hujusmodi essentiales sunt omnibus Personis communes, quæ omnes, sicut non sunt principia *quod*, sic nec illæ possunt esse principia *quo* proxima, neque a producto secundum quid distingui; quod tamen ob rationem productionis et influxus necessum est evenire: ratio *secundi* est, quia Filium per intellectum, Spiritum sanctum per voluntatem procedere, jam dictum est.

Sequitur ex his, principium *quo* proximum productivum sine proprietate divina explicari non posse. Quomodo autem hanc dicat, an connotative tantum, an partialiter, an totaliter ac unice, prout diversa hic est Auctorum sententia, nunc inquiritur. Tandem, quid communius circa principium *quo* communicativum dicatur, paucis subjiciemus.

369. *Dico I.* Principium *quo* proximum productivum in divinis processionibus sunt solæ proprietates Personarum producentium.

*Prob.* Auctoritate. 1°. Juxta Conc. Later. IV. sæpe laudatum essentia divina neque generat, neque gignitur, neque producit, neque procedit; quæ tamen propositiones essent veræ, nisi proprietates solæ forent principium *quo* proximum. 2°. Juxta Cyrill. Alex. cont. Antropomorph. c. 6. (opp. t. 6. p. 374): *Id quod Patrem esse intellexeris, hoc etiam est Filius, præter id unum quod Pater est.* Athan. Dial. 1. de Trin. n. 4. Pater *hypostasi gignit, et mandato creat.* juxta Ambr. L. 4. de Fid. c. 8. n. 81. *Generatio paternæ proprietatis est, non potentiæ,* juxta Damasc. L. de 2. Christi volunt. n. 11. *Omnia, quæ habet Pater, sunt Filii, sola gignendi vi excepta* (1).3°. Juxta D. Thom. in 1$^{um}$. Dist. 7. q. 1. a. 2. *Essentia secundum quod est Paternitas, est principium hujus actus, qui est generare, non sicut agens, sed sicut quo agitur;* item p. 1. q. 36. a. 4. ad 2. *Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti: designatur una proprietas, quæ est forma signata per nomen,* scilicet principium; et Opusc. 72. *Unde essentia est quasi principium primum, proprietas vero proximum.*

*Prob.* Ratione. 1°. Quod convenit uni Personæ et alteri repugnat, debet illi formaliter convenire ratione illius quod ipsi proprium est, et in quo ab alio differt: sed esse principium *quo* proximum generandi convenit Patri et repugnat Filio; ergo formaliter convenit Patri ratione illius; quod ipsi est proprium, et in quo differt a Filio; atqui hoc est sola proprietas relativa Patris; ergo.

2°. Ubi distinctio fundatur in productione, ibi illud formaliter et immediate producit, quod formaliter ac immediate distinguit; quia principium

(1) Ita latina editio Billii; textus autem græcus habet: Πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ, τοῦ Υἱοῦ εἰσὶν, πλὴν τῆς ἀγεννήσιας. Omnia quæ Pater habet, sunt Filii, excepta *ingeniti proprietate.*

distinctionis habetur, quatenus id est principium productionis : sed sola proprietas, seu relatio Personæ producentis formaliter ac immediate distinguit ; ergo et formaliter ac immediate producit.

3°. Nullum absolutum in Divinis est realiter immediate distinctum a termino relativo : sed omne principium etiam *quo* proximum productivum est realiter immediate distinctum a termino producto et hinc relativo ; tum quia vere influit et proprie producit terminum, adeoque ab illo distinguitur ; cum nequeat idem producere seipsum, aut influere in seipsum : tum quia principium *quod* est distinctum propter principium *quo* influens ac producens ; propter quod autem unumquodque tale, illud magis tale ; ergo nullum absolutum in Divinis est principium *quo* proximum productivum.

370. *Dico II.* Principium *quo* proximum communicativum in divinis processionibus formaliter est natura divina, quatenus hæc terminos immanentes exigit sibi identificare, et se omnesque perfectiones absolutas illis communicare.

*Prob.* Principium *quo* proximum communicativum est illud, vi cujus Pater Filio, et uterque Spiritui sancto eamdem numero naturam communicat, ita ut tres Personæ sint unus, idemque numero Deus : sed tale principium est sola natura divina ; quia hæc ratione suæ simplicitatis, actualitatis et perfectionis in omni genere exigit sibi identificare, seque ei communicare quidquid est sibi immanens; termini autem producti sunt tantum immanentes naturæ divinæ, non vero personalitati seu relationi producenti ; ergo.

*Conf.* Sicut virtus qua producitur esse distinctum, non potest eadem esse cum distincto : sic e contrario virtus qua communicatur idem, non potest esse distincta; quia alias communicaret alteri aliquid aliud, non autem seipsam ; nec fieret communicatio per identitatem realem : atqui sola natura divina communicatur, et est eadem secum ipsa communicata; ergo eadem etiam est virtus, vi cujus communicatur idem.

371. *Obj. I.* Natura divina non potest excludi a ratione principii *quo* proximi productivi. Nam Bas. L. 5. cont. Eunom. (Opp. t. 1. p. 317. A.) ait, *Deum ex seipso, natura divina,.... genuisse genuinum Filium.* Cyrill. Alex. Thes. L. 5. et 32. (opp. t. 5. p. 37. et 273.) docet *generativam virtutem esse essentiæ divinæ;* et Ansel. in Monol. c. 52. inquit : *Non ex relationibus suis, quæ plures sunt.... sed ex ipsa essentia sua, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater et Filius tantum pariter bonum.*

R. *N. Ass.* Basilius et Cyrillus generationem tribuunt naturæ divinæ tanquam principio radicali et remotissimo, non autem tanquam formali et proximo : item tribuunt naturæ sumptæ identice, ac in concreto, non autem formaliter, et in abstracto : denique his verbis utebantur ad refutandum errorem Arianorum, qui Filium in Divinis, sicut creaturas, libere, non autem naturaliter et necessario, produci volebant. Anselmi scopus est probare unitatem principii spirativi : hoc autem non consistit in relationibus, quibus Pater et Filius distinguuntur et plures sunt, sed in potentia spirandi, qua inter se non distinguuntur, sed unum sunt, quamvis ea uterque a Spiritu sancto distinguatur. Hanc vero potentiam spirandi appellavit essentiam,

quia respectu Patris et Filii illa absolutum, necessarium et commune est prædicatum.

*Inst.* 1°. In Conc. Flor. JOANNES THEOLOGUS Sess. 18. et 19. declaravit, *principium, quo Pater generat, esse id solum, quod communicabile est*; ergo.

R. Verba allata non esse JOANNIS THEOLOGI, sed ista, Sess. 18. §. EGO AFFIRMAVI (Labb. t. 13. p. 251.) : *In divinis dicimus secundum intelligentiæ nostræ modum, personam Patris significari ut suppositum, ut Persona sit generans; naturam vero divinam esse principium, per quod Pater generat Filium.* Et Sess. 19. §. AD EXEMPLI DECLARATIONEM (p. 267.) : *Est ergo substantia Patris principium, per quod generat Pater.* Jam vero neutro in loco loquitur de principio proximo, ut omnibus facile vox essentiæ et substantiæ ostendit : nec loquitur tam de principio productivo, quam de communicativo; quia in textu primo statim addit : *Ita Pater generat Filium, et non communicat personalitate, sed natura, cum substantia seu natura communicetur Filio* : in secundo autem sic pergit : *Et res quæ datur et communicatur Filio per generationem, et quam Filius sibi accipit communicatam.*

Præterea advertendum est, Sess. 18. sæpius contestatum esse, quod ex Patre, aut ex Filio esse, idem sit, ac esse ex subsistentia Patris, aut ex subsistentia Filii : dum autem intelligeret a Marco Oratore Græco hanc doctrinam detorqueri ad id, ut duplex principium spirativum Spiritus sancti evinceretur; adjecit JOANNES utrobique explicationem relatam. Ne tamen hæc ipsa fraudi esse posset, Sess. 19. cavit imprimis §. jam laudato ita prosequens : *Quia essentia est nomen abstractum et non est suppositum, idcirco fieri non potest ut illi conveniat generationis actio : namque cum una numero sit, si generaret, oporteret in Divinis esse differentiam; siquidem seipsam non generaret, impossibile enim est; sed opus esset aliud quid generari ab ipsa.* Deinde vero ibidem §. LEGATUR ERGO LIBER, de spiratione agens, ad superiorem in ANSELMI locum explicationem nostram sic ait (p. 275. A.) : *Habet ergo Pater communem cum Filio per generationem ipsam essentiam, quæ est principium per quod illi communicat esse principium Spiritus sancti; esse enim principium sancti Spiritus in Patre, non opponitur relationi, seu proprietati Filii. Hæc substantia secundum commune et absolutum esse, est principium per quod; atque ita juxta considerationem hanc vocatur potentia productiva et communicata ipsi Filio; nec sequitur ex hoc quod sit substantia causans et causata. Sic omnes Doctores tradunt et explanant in illis disputationibus, an Filius sit ex substantia Patris, vel Spiritus sanctus ex substantia Patris et Filii.*

*Inst.* 2. S. THOM. p. 1. q. 41. a. 5. *potentiam generandi* in Divinis *principaliter tribuit naturæ, non relationi,* docetque naturam divinam esse, *quo generans generat*; id quod tum ex paritate generationis in creatis, tum ex ratione assimilationis in generatione requisitæ probat.

R. Opponi posse textus a nobis laudatos. Si vero auctoritas Summæ et Quæstionis posterioris præferatur illis, dici potest D. THOMAM hic agere maxime de principio formali communicativo; quod et ratio in assimilatione fundata et restrictio processionis ad generationem satis indicat. Si tamen mens S. Doctoris contraria forsan videatur, ejus auctoritas compensatur auctoritate D. BONAVENTURÆ nobis faventis; argumenta autem proxime solventur.

372. *Obj. II.* Principium *quo* proximum productivum 1°. non debet esse realiter distinctum; quia quamvis producens et productum realiter distinguantur, tamen virtus productiva potest esse realiter indistincta; sicut quamvis æqualia et similia inter se distinguantur, forma tamen denominans scilicet quantitas vel qualitas eadem potest esse in extremis : 2°. saltem non debet esse totaliter distinctum; quia nequidem principium *quod* totaliter distinguitur a principiato : 3°. potest esse in Divinis realiter indistinctum; quia hic principium hoc est potentia generans vel spirans; hæc autem potentia est intellectus vel voluntas; ista autem sunt prædicata absoluta, quæ realiter indistincta sunt a relativis.

R. *N. Ass.* 1um. Ad rationem *Disparitas* est, quia forma denominans duo extrema æqualia vel similia est unitas quantitatis, vel qualitatis, præcise extremum hoc referens ad illud; unde, cum unitas non tantum sit specifica, sed etiam numerica, et ipsa relationis cujuscumque ratio per se non exigat distingui aut in utroque, aut ab utroque, aut ab illo extremo, ad quod alterum refertur; eadem quantitas vel qualitas potest esse in ambobus extremis : forma autem denominans principium *quod* producens, illud non solum refert ad terminum productum, sed etiam, qua talis, in terminum realiter productive influit; adeoque realiter debet ab illo distingui, ne detur virtus realiter productiva sui ipsius et influxiva in seipsam.

Similiter *N.* 2um. Ad rationem *Disparitas* est, quia principium *quod* non est duntaxat productivum, sed simul communicativum, ut supra dictum est; ergo cum communicetur eadem numero, et indistincta natura, non potest etiam secundum eamdem et sic totaliter esse distinctum : principium *quo* proximum productivum autem non est simul communicativum, sed hoc est natura divina; quod autem solum et totaliter productivum est, tantum et totaliter distinctum esse a producto, ut tali, necesse est.

Denique *N.* 3um. Ad rationem *D.* Principium *quo* proximum in Divinis est potentia generans vel spirans immediata et proxima *C.* mediata et remota *N.* Intellectui autem, et voluntati non nisi posterius prædicatum convenire, insinuatum est in prænotatis.

*Inst.* 1. Principium *quo* proximum productivum debet esse activum : sed proprietas in Divinis non est activa *in genere*; tum quia nec hæcceitas in creatis est activa : tum quia proprietates divinæ in actionibus ad extra nihil operantur, sed natura : tum quia divina proprietas, ut personalis, est ultimus tantum terminus naturæ, iners et infœcundus; ut relativa autem ordinem duntaxat dicit unius ad alium, et processionem supponit, in qua fundatur.

R. *N. min. Ad prob.* quoad 1um. *Disparitas* est, quia hæcceitas vel subsistentia in creatis, aut merus existendi modus est, aut in negativo consistit; natura etiam potest esse principium *quo* productivum, quoniam producitur terminus secundum naturam etiam numerice saltem ac realiter distinctus : in Divinis vero proprietas seu subsistentia consistit in positiva perfectione, quæ ad intra debet esse activa; cum natura, quæ numerice est eadem in principio et principiato, non possit esse principium *quo* proximum productivum et consequenter distinctum.

Quoad 2um. *Disparitas est,* quia potest natura divina esse principium productivum termini ad extra, utpote ab illa totaliter distincti, personalitates autem hujusmodi principium esse nequeunt; quandoquidem actio ad

extra sit omnibus Personis communis, nulli specialis, et singulariter propria : in utroque contrarium habetur respectu actionum ad intra.

Quoad 3um. *N.* utrumque. Quamvis enim proprietas personalis, considerata ut constituens, formaliter non exprimat fœcunditatem vel actionem, ut tamen distinctiva et considerata ad terminum, iners et infœcunda dici nequit : et quamvis alterum dici possit verum, quantum ad relationem prædicamentalem qua talem ; falsum tamen est de relatione transcendentali. Sed plura de his in Art. sequenti.

*Inst.* 2. Proprietas personalis non est activa *in specie* ; tum quia proprietas divina proprietatem aliam nec continet formaliter, ut per se patet ; nec eminenter, cum ex hac continentia sequeretur major perfectio producentis, quam producti : tum quia proprietas non potest esse principium generativum, utpote quod est assimilativum ; quale proprietas distinctiva esse nequit : tum quia relationes duæ, utpote realiter inter se distinctæ, non possunt esse unicum ac indivisibile principium ; quale tamen respectu Spiritus sancti admitti debet.

*Quoad* 1um. R. Concedo equidem nec formaliter, nec eminenter contineri unam personalitatem ab altera ; Nego autem non contineri virtualiter aut æquivalenter : ex hac vero continentia nihil virtuti principiativæ detrahitur, nec quidpiam etiam ultra perfectionis simplicis terminos adjicitur.

*Quoad* 2um. R. In Divinis principium assimilativum in ratione naturæ non est productivum, sed communicativum ; quia natura hic non producitur, ut in creatis, sed communicatur : assimilativum tamen in ratione imaginis intentionalis et consubstantialis, quam præter naturæ identitatem dicit Verbum, est productivum, et per hoc etiam generativum ; ut in proxima quæstione pluribus docebitur.

*Quoad* 3um. R. *N. Supp.*, quod paternitas et filiatio sint principium *quo* productivum Spiritus sancti ; sed hoc est virtus spirativa ab utraque relatione formaliter distincta : quæ, cum sit eadem indivisibiliter in Patre et Filio, non constituit duo, sed unum indivisibile principium Spiritus sancti, prout dicetur inferius.

373. *Observa.* Plures nobiscum sentientes principium *quo* proximum productivum Filii dicunt esse naturam divinam, ut est in Patre, vel intellectum, aut intellectionem notionalem, similiter principium idem Spiritus sancti esse naturam divinam, ut est in Patre et Filio, vel voluntatem aut volitionem notionalem utriusque. Eadem phrasi, quoniam subinde congruentior est cum quibusdam testimoniis nobis in speciem contrariis, liberaliter ac sine metu licebit uti ; modo advertas his locutionibus non designari solitarie ac seorsim principium *quo* proximum, sed simul etiam, ac conjunctim, vel principium radicale ac remotissimum, ut fit in usurpatione vocis naturæ, vel potentiale aut formale etiam mediatum ac remotum, ut fit in dictionibus intellectus et voluntatis, aut intellectionis et volitionis. Quod diximus de principio, cum proportione etiam asserimus de termino. Terminus enim processionis *qui*, seu totalis, est Persona producta : terminus *quo*, seu formalis productus, est proprietas Personæ productæ : terminus idem communicatus est divina essentia. Quod demum processionem *formaliter* acceptam attinet, ea quidem non est simplex emanatio seu resultantia,

eo fere modo, quo proprietates rei cujuslibet dicuntur oriri ab essentia; cum illa, secundum rationem productionis, immediate non proveniat a divina natura : *active* tamen sumpta non est actio stricte ac in rigore; utpote quæ originem motus et exitum de potentia ad actum dicit, denotatque causam tanquam sui principium, et effectum seu causatum tanquam terminum etc. *passive* autem sumpta nequidem simpliciter dici debet passio; quia hæc formaliter ac primario refertur ad principium materiale ac receptivum mutationis, includitque potentialitatem, patibilitatem et alios hujusmodi defectus : unde non nisi grammaticaliter, et ad indicandam processionis terminationem usurpari potest : cum e contrario *active* sumpta simpliciter vocari possit actio; quia ab ejus nomine et conceptu resecare motum, mutationem et causalitatem licet, solamque retinere productionis rationem. Utriusque locutionis differentiæ congruit usus loquendi inter Theologos receptus.

Porro processionem formalem *primæ* originis dici generationem aut nativitatem, *secundæ* originis dici spirationem activam, aut passivam, et priorem utriusque originis identificari cum principio, posteriorem autem cum termino processionum, aut etiam cum principii vel termini relationibus, partim ex dictis, partim ex dicendis sequitur.

Quæres : *An et cur Processio Verbi, non autem Spiritus sancti, sit et dicatur generatio?*

374. *Nota.* Communius ex Philosopho L. 2. Phys. generatio definitur : *Origo viventis a vivente, ut a principio conjuncto, in similitudinem naturæ.* Præcipue sic definitam fuisse generationem creatam, facile constat ex fide, ut declaravit Aug. in Joann. Tr. 99. n. 9. scribens : *Filius nullus est duorum, nisi patris et matris : absit autem, ut inter Deum Patrem et Deum Filium aliquid tale suspicemur.* Unde patet, ea verba : *ut a principio conjuncto,* nec in divina, nec in communi divinæ ac creatæ generatione locum habere. Ex residuis autem definitionis terminis sequitur, ad veram *generationem* et *filium* proprie talem requiri 1°. ut in ea ratione, qua formaliter constituitur, filius debeat esse productus; quia origo viventis a vivente productionem formaliter significat : 2°. ut, in qua ratione producitur ac constituitur filius, in eadem sit similis patri; quia origo viventis a vivente terminatur in similitudinem : 3°. ut similitudo sit naturalis seu secundum naturam; quia origo hæc dicitur in similitudinem naturæ.

Hinc vero oritur difficultas duplex : *prima* quidem in ostendendo, quod Verbum divinum sit verus filius Dei, et solum quidem, ac cum exclusione Spiritus sancti; cum uterque Patri sit natura similis ac consubstantialis, neuter autem habeat naturam productam, sed mere communicatam; ex qua *Macedoniani* cum *Arianis* sumpserunt occasionem etiam negandi utriusque divinitatem : *secunda* autem in determinando rationem et causam formalem cur filiatio vera conveniat ita Verbo, ut Spiritui sancto sit neganda; ex qua nonnulli Patres cum quibusdam Scholasticis censuerunt, hanc rationem non esse quærendam, sed credendam. Quoniam tamen præter alios iidem Patres rationes quasdam discriminis postea protulerunt,

cum iisdem et plerisque Theologis, præter dogma fidei contra *Hæreticos* probandum, duximus quæstionem postremam non esse omittendam penitus, sed responsionem dandam, quæ videatur probabilior.

Pro qua supponimus interim 1°. secundæ Personæ, tanquam *Verbo*, convenire rationem imaginis et similitudinis intentionalis, Patrem, h. e. naturam hujus ac perfectiones repræsentantis; quæ Spiritui sancto, tanquam amori non competat : 2°. hanc similitudinem præcise intentionalem non sufficere ad rationem Filii constituendam; cum *generatio* similitudinem naturalem ex dictis postulet; neque in creatis verbum mentis, quo quis cognoscit se ipsum et intentionalem sui imaginem habet, unquam dicatur proles cognoscentis : 3°. similitudinem utramque, naturalem scilicet et intentionalem, posse secundum nostrum concipiendi modum ita componi velut in unam, ut utraque simul concipiatur tanquam adæquata et ultimata ratio formalis constituens et distinguens Filium in Divinis : unde ad quæstionem, *cur processio Verbi sit generatio?* daretur hæc responsio : quia actio ista est perfecte assimilativa, h. e. non tantum communicatio naturæ, sed etiam assimilatio termini secundum esse personale, seu in illa etiam ratione, in qua is producitur : 4°. hanc assimilationem perfectam oriri partim ac primo ex ratione principii, nempe intellectus notionalis, qui per se est potentia assimilativa et productiva Verbi consubstantialis; partim et ultimato ex ratione termini, qui non tantum est consubstantialis Patri et similitudo secundum naturam, sed etiam, secundum esse personale Verbo proprium, est intentionalis imago Patris.

375. *Dico I.* Processio Verbi est vera generatio, Verbum in divinis est verus filius Dei; processio autem Spiritus sancti non est generatio, nec ipse filius Dei.

*Prob.* 1ª. *p.* I. *Ex* Scriptura. 1°. Principium Verbi producens dicitur parere ac gignere; Isa. 66. 9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus : si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus.* Unde Aug. Ep. 66. (al. 170. n. 8.) ad Maxim. inquit: *Si temporalibus et passibilibus rebus Deus tribuit ut quod sunt hoc generent; quanto magis ipse æternus et impassibilis non aliud quam est ipse generavit, unus unicum?* cui Athan. de decret. Nic. Syn. n. 11. Cyril. Alex. Thesaur. L. 32. (opp. t. 5. p. 326.) et Hieros. Catech. 7. n. 3. cum Conc. Hispal. II. (Labb. t. 5. p. 1669. B.) consonant. — Item Psal. 2. 7. *Ego hodie genui te;* et Psal. 109. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te;* quæ testimonia Paulus ad Hebr. 1. 5. et cap. 5. 5. etiam Christo attribuit; Patres autem plerique de divina Verbi generatione accipiunt. 2°. Verbum dicitur concipi, parturiri ac gigni; Prov. 8. 24. *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram... ante colles ego parturiebar;* et Isa 53. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* quæ de Verbo et Christo dicta passim accipiunt et exponunt Patres ap. Ruiz Diss. 3. Sect. 1. laudati. 3°. Verus est in Divinis Filius, isque Jesus Christus. De priori Aug. ep. 49. (al. 102.) q. 5. et Beda in Comment. intelligunt illud Prov. 30. 4. *Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti?* posterius declaratur Luc. 1. 32. *Filius altissimi vocabitur;* et v. 35. *Vocabitur Filius Dei :* Matth. 16. 16. *Tu es Christus, Filius Dei vivi;* quod alibi repetitur : item ad Rom. 8. 32. *Qui proprio Filio suo non pepercit;*

et 1. Joan. 5. 20. *Ut simus in vero Filio ejus : hic est verus Deus et vita æterna* etc.

*II. Ex* Ecclesiæ definitione ; quæ in Symb. Nicæno dicit Christum *ex Patre natum, genitum, non factum ;* in Symb. Athan. autem a *Patre solo, non factum, nec creatum, sed genitum* etc.

*III. Ex* Traditione Patrum ; inter quos Basil. Hom. 24. n. 4. cont. Sabel. *Ex Patre Filius, non mandato factus, sed ex illius natura genitus :* Ambros. de Fid. Orthod. c. 2. ( opp. t. 2. part. 2ª. p. 348.) *Vides ergo hoc Verbum bonum Filium Dei esse, quem non aliunde, quam de paterno pectore, et ut ita dixerim, de utero cordis Dei credimus natum* (al. *extitisse*). Chrysost. Hom. 2. in cap. 1. ad Hebr. n. 3. *Certe si non esset germanus Filius, non ita locutus esset. Quare ? Quia germanus ob nihil aliud est quam quatenus est ex ipso..... Nam si est gratia Filius, non solum non est angelis præstantior, sed etiam minor.* Epiphan. Hær. 62. n. 3. *semper perfectus ille Pater est, atque subsistens, ut et perfectus semper Filius, semperque subsistens, vere a Patre genitus.*

*IV. Ex* Ratione Theologica. Sicut Christus in Scriptura dicitur filius hominis, sic dicitur filius Dei : sed fuit verus filius hominis et proprie genitus; ergo et verus filius Dei ac proprie genitus. *Item*, sicut verus est pater, ita verus est filius : sed in Divinis verus datur Pater; ergo et verus Filius. *Denique,* Verbum in divinis magis vere ac proprie est filius Dei, quam angeli aut homines justi; ergo naturalis omnino ut filius sit, oportet; quia excessus stat in eo quod illi accidentaliter et contingenter, hic substantialiter ac necessario; illi per participationem, hic per naturam; illi per productionem creatam, hic per communicationem increatam ejusdem substantiæ habeat filiationem.

*Prob.* 2ª. *p.* Sicut Filius in Divinis dicitur genitus, sic etiam dicitur unigenitus : Joan. 1. 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris;* Joan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* 1. Joan. 4. 9. *In hoc apparuit charitas Dei, quoniam Filium suum unigenitum misit* etc. Unde illud Joan. 1. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti,* nihil diminuit; sed exprimit tantam gloriam esse visam, quanta decebat unigenitum. Sed ratio unigeniti denotat, unum duntaxat esse filium seu genitum ac consequenter nec plures esse filios, nec Spiritum sanctum esse genitum. Unde cum Symb. Nicænum dicit : *Filium Dei unigenitum;* Symbolum Apostol. habet : *Filium ejus unicum :* inter Patres autem Cyrill. Alex. L. 25. Thes. (opp. t. 5. p. 239. C.) inquit : *Unigenitus est... quia ipse solus est fructus paternus.* Et paulo infra : *Non est igitur ea ratione unigenitus, quod solus existat, sed quod solus naturaliter genitus sit.* Fulgentius ad Obj. 3am. Arian. (opp. p. 56.) respondet : *In illa nativitate vere est unigenitus, in qua sine initio de solo Deo natus est Deus;* et Damascen. L. 1. Fid. c. 9. (al. 8. opp. t. 1. p. 135. A. ed. Venet.) *Unigenitus, quod solus ex solo Patre singulariter est genitus.* Ergo.

*Conf.* Spiritus sanctus in Scriptura nunquam vocatur Filius; nec dicitur gigni aut nasci, sed tantum procedere : in Symb. Athan. confitemur, Spiritum sanctum *a Patre et Filio, non factum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem;* quod idem Conc. Tolet. XI. in Præf. exponit : Athan. ep. 1.

ad Serap. n. 16. Cyrill. Greg. Naz. Orat. 31. n. 7. Epiphan. Hær. 62. n. 4. — 69. n. 18. — 74. n. 12. negant Spiritum sanctum esse Patris, sive *compatrem*, aut *confratrem*, sive *filium*, aut *nepotem*; negantque esse Filii, sive *avum*, aut *propatrem*, aut *patruum*, sive *fratrem*, aut *genitum*: denique nec duplex processio ejusdem ordinis est possibilis in Divinis; ubi propter divinitatem suam unus terminus adæquate correspondet principio; nec ratio formalis constituens ac distinguens *generationem* a non generatione reperitur in Spiritu sancto; ergo.

376. *Dico II.* Ratio, cur processio Verbi sit generatio, non item processio Spiritus sancti, stat probabilius in eo quod *actio* prior sit *perfecte assimilativa* termini cum principio, et Verbum secundum esse personale sit similitudo perfecta, seu *imago Patris*; qualis actio et imago non habetur respectu Spiritus sancti.

*Prob. I. Ex* Scriptura. Ratio Filii divini in Scriptura sicut reciprocatur cum ratione Verbi, sic etiam pro eodem plane sumitur cum ratione imaginis. Sicut enim dicitur Joan 1. 14. *et Verbum caro factum est... et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre*; et 1. Joan. 5. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus*; nec non Apocal. 19. 13. *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei*: sic etiam scribit Paulus ad Coloss. 1. 15. *Qui est imago Dei invisibilis*; et ad Hebr. 1. 3. *Qui cum sit figura* seu *character substantiæ ejus*; nec non ad Philip. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset*; ergo sicut ex hac reciproca acceptione ratio Verbi dari potest pro ratione Filii, sic et ratio imaginis, characteris ac formæ poterit.

*II. Ex* Traditione Patrum. Patres eodem prorsus modo ac Scriptura ipsa loquuntur. Aug. enim L. 7. de Trin. c. 2. inquit: *Eo Filius, quo Verbum; et eo Verbum, quo Filius. Quoniam igitur Pater et Filius simul non uterque unus Filius; consequens est, ut Pater et Filius simul, non ambo unum Verbum,* Hæc vero L. 6. c. 2. præmiserat: *Sic enim Verbum quomodo imago: non autem Pater et Filius simul ambo imago; sed Filius solus imago Patris quemadmodum et Filius.* Athan. de Decr. Synodi Nic. ait: *Si omnino Deus est Verbi pater: cur non et hoc, quod gignitur, filius est? Rursus vero Dei filius quis esse possit, nisi ejus Verbum?... Porro cum imaginem appellas, Filium significas: quid enim simile Deo esse potest, nisi orta ex ipso progenies.* Basil. Hom. 16. in init. Joan. n. 3. Ansel. in Monol. c. 53. etc.

*III. Ex* Ratione. 1°. Vera ratio generationis in rebus viventibus stat vel in eo, *quod id, quod generatur, a generante procedat ut similitudo ipsius et ejusdem naturæ cum ipso*; vel in eo *quod sit processio viventis a vivente ad repræsentandam naturam sui principii, cum quo eamdem naturam habet*; ut S. Thomas L. 4. cont. Gentes c. 11. scribit. Atqui *imprimis* actio perfecte assimilativa sui termini cum suo principio habet utrumque; quia vi ejusdem terminus procedit ut similitudo, ipsa autem actio ad principium repræsentandum tendit; eademque eamdem naturæ speciem vel identitatem desiderat.

2°. Formalis terminus processionis divinæ est hypostasis; quia *emanatio in his inferioribus et in Deo differt, quod in inferioribus terminatur ad essentiam vel substantiam, quæ multiplicatur; sed in Divinis terminatur ad hypostases,* ut D. Bonavent. in 1. Dist. 3. Quæst. 2. in Resol. dicit, et probat

etiam differentia inter personas humanam et divinam; quarum prior importat in recto naturam, quia humanitas ipsa producta est individua et incommunicabilis; posterior autem importat in recto personalitatem, utpote solam hic incommunicabilem.

3°. Hypostasis Verbi, quæ generatur, procedit ut similitudo Patris; quia *Verbum est conceptio intellectus; conceptio autem intellectus est similitudo rei conceptæ,* ut D. Thom. p. 1. q. 27. a. 2. asserit: nec minus procedit ad repræsentandam naturam Patris; quia hujus est imago, ut nuper dictum; *imago* autem *est similitudo ad repræsentandum expressa,* ut Theologi cum Aug. L. imperf. de Genes. ad lit. c. 16. n. 57. et L. 83. QQ. q. 74. docent.

4°. Verbum est ejusdem naturæ cum Patre, quia eamdem numero naturam habet, ut aliunde constat; imo et vi processionis generativæ obtinet, quæ in similitudinem naturæ tendit; ergo ratio, cur processio Verbi sit generatio, stat in eo quod sit actio perfecte assimilativa; ergo cum alia sit actio, qua procedit Spiritus sanctus, hæc ex illius defectu non est generatio. Quamvis enim is eamdem etiam numero naturam divinam obtineat, tamen procedit per voluntatem; *Processio* autem, ut D. Thomas p. 1. q. 27. a. 4. inquit, *quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid: et ideo, quod procedit in Divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel ut filius, sed magis procedit ut spiritus, quo nomine quædam vitalis motio et impulsio designatur:* item secundum hypostasin est amor; *amor* autem, ut supra Anselmus pronuntiat, *contemplanti se non exhibet perspicuam ejus a quo est similitudinem;* et juxta Bonaventuram sup. laudatum, *amoris ac nexus non est generari, sed spirari;* ergo.

*Conf.* 1. Nomen *filii,* si de vivente rationali est sermo, est nomen personæ; ergo dum in definitione filii requiritur viventis origo a vivente in similitudinem naturæ, illud supra quod cadit in recto denominatio personæ, debet esse similitudo subsistens producta ad repræsentandam naturam Patris; ergo sicut in creatis natura, et in Divinis hypostasis est id supra quod cadit in recto denominatio personæ; sic etiam natura in creatis, et hypostasis in divinis est similitudo subsistens, ad repræsentandam Patris naturam producta. Sed sola ratio Verbi vi suæ originis est similitudo, non autem ratio amoris aut spiritus; ergo.

2. Filiatio Dei adoptiva habetur ex imagine cum Verbo, ut notat Cyrill. cont. Anthropomorphitas c. 6. scribens: *Necesse erat nos, qui filii Dei appellandi eramus, ad imaginem filii potius fieri, ut et filiationis in nobis character exprimeretur;* ergo et filiatio Dei naturalis ex eadem imagine cum Patre, adjectis reliquis conditionibus, est repetenda.

3. Verbum mentis, quod homo se cognoscens format de seipso, esset filius, si assimilaretur perfecte, et foret imago substantialis; ergo quia Verbum Dei perfecte assimilatur, et substantialis imago est, est filius. Confer huc doctrinam D. Thomæ p. 1. q. 27. a. 2. ad 2. dicentis: *Verbum, quod secundum intelligibilem actionem procedit in nobis, non est ejusdem naturæ cum eo a quo procedit; unde non proprie et complete competit sibi ratio generationis; intelligere autem divinum est ipsa substantia intelligentis: unde Verbum procedens procedit ejusdem naturæ subsistens, et propter hoc proprie dicitur genitum et Filius.*

377. *Nec dicas* 1°. Similitudo Verbo propria est *intentionalis* : sed similitudo intentionalis ad generationem 1. non requiritur ; cum naturalis sufficiat in creatis : 2. non sufficit ; cum tantum sit metaphorica, qualis etiam est artificialis, picturæ vel statuæ, generatio autem ad propriam et naturæ similitudinem tendat : 3. non discernit ; cum eadem conveniat intellectioni essentiali, omnibus Personis divinis communi : 4. ad intentum non facit ; cum Verbum sit intentionalis similitudo vel solius Paternitatis, quæ a nobis statuitur principium *quo* proximum productivum ; vel etiam Spiritus sancti et creaturarum, ex quarum scilicet cognitione etiam Verbum procedit.

R. *D. M.* Similitudo Verbo propria est intentionalis, quæ tamen ob identitatem realem Verbi cum natura divina, una sit similitudo Patris consubstantialis et naturalis *C.* quæ ob hujus identitatis carentiam non una sit similitudo naturalis *N. M.* et sub simili distinctione *minor.* exposita, *N. C.* Singulariter tamen ad diversas assumptiones respondeo ulterius. Et quidem

*Ad* 1$^{um}$. *D.* Similitudo intentionalis non requiritur in creatis, ubi generatio non fit per intellectum, et ubi producitur ipsa etiam natura *C.* in Divinis, ubi per intellectum fit generatio, et non producitur natura, sed sola ratio Verbi *N.* Filius in sua ratione formali constitutiva debet Patri esse *similis,* et ab eo *productus* : utrumque in creatis habetur per naturam productam, in Divinis autem cum natura non producatur, sed sola ratio Verbi aut amoris, utraque similitudo, intentionalis nempe et naturalis, indivisibiliter requiritur, ut ambæ generationis conditiones adsint.

*Ad* 2$^{um}$. *D.* Non sufficit, et metaphorica tantum est similitudo intentionalis, quæ caret comite similitudine naturali, ut in exemplis aliisque creatis fit *C.* quæ habet sibi adjunctam similitudinem naturalem, ob consubstantialitatem unius Personæ cum altera *N.*

*Ad* 3$^{um}$. *N. Ass. et Rat.* Nec enim cognitio essentialis et Personis omnibus communis est similitudo hujus ipsius cognitionis, nec est producta : quod tantum utrumque Verbo est proprium.

*Ad* 4$^{um}$. *N. Ass. et Rat. primam.* Non enim sola paternitas est objectum cognitionis, ex qua procedit, sed etiam divina natura ; nec sola est principium adæquatum, quod una per naturam divinam constituitur. *Ad secundam D.* Verbum est similitudo qualiscumque Spiritus sancti et creaturarum *C.* perfecta seu imago, et generationi propria *N.* Ad imaginem enim non sufficit conformitas cum objecto ; sed ut sit a prototypo producta, si imago sit *naturalis,* aut illo dirigente ab artifice facta, si artificialis sit : ac præterea ut producta sit ex intentione repræsentandi prototypon.

378. *Nec dicas* 2°. Ad veram generationem non requiritur *perfecta similitudo* : quæ porro similitudo requiritur, propria etiam est Spiritui sancto. *Primum* patet ex definitione generationis, quæ similitudinem præcise naturalem requirit : *secundum* liquet ; quia terminus productus in processione Spiritus sancti 1. dicit relationem ad principium producens ; 2. etiam vi suæ processionis accipit cognitionem essentialem Patris, quæ est intentionalis similitudo ejus ac imago ; 3. communicat quoque in natura.

R. *Ad* 1$^{um}$. *D.* Definitio generationis in genere hoc non requirit *T.* in specie, ac divina *N.* Generationis definitio deprompta est a *gentilibus Philosophis*

ex genesibus creatis, in quibus haud alius modus producendi similitudinem substantialem, nisi per naturæ distinctæ productionem, reperitur: hæc vero, cum imperfecta sit, in divina generatione est depuranda ab imperfectionibus, talisque nihilominus statuenda, quæ retineat rationem illius formalem, scilicet productionem veram, similitudinem, et naturam eamdem.

*Ad* 2$^{um}$. *Quoad primum Assertum C.* sed *N.* id sufficere ad generationem; cum requiratur relatio similitudinis, et quidem perfectæ, seu imaginis. *Quoad secundum N.* Spiritum sanctum vi processionis, ut productio est, accipere cognitionem essentialem Patris: unde et *N.* hanc esse Patris imaginem; cum intellectus notionalis eamdem non producat (quod requiri ad imaginem diximus) sed potius præsupponat. *Quoad tertium C.* naturam communicari: communicatio autem formaliter non est processio, sed concomitanter se habet, et a processione divina in obliquo connotatur.

379. *Nec dicas* 3°. Etiam voluntas æque, ac amor dicunt similitudinem in suo termino. *Primum* colligitur; tum quia omne agens producit sibi simile in forma, per quam agit: tum quia voluntas simpliciter unit se cum objecto amato; voluntas autem infinita infinito modo: infinita autem unio est perfecta identitas amantis cum amato; adeoque plus quam similitudo. *Secundum* statuitur; tum quia similitudo est principium amoris: tum quia perfectissimus amor amicitiæ, qualis est Spiritus sancti, facit vel supponit similitudinem in natura.

R. *N. Ass.* Intelligendo similitudinem perfectam et cum suis requisitis.

*Ad* 1$^{um}$. R. *quoad primum D.* Omne agens producit sibi simile virtualiter, et secundum proportionem qualemcumque *C.* sibi simile formaliter, et secundum similitudinem specialem *N.* Postremum sola potentia assimilativa præstat. *Quoad secundum D.* Voluntas ex natura sua se unit objecto unione affectiva *C.* assimilativa sive naturali sive intentionali *N.* Identitas Spiritus sancti in natura cum Patre non provenit ex principio spirativo aut spiratione, utpote quæ terminum productum et personaliter distinctum exigunt; sed a simplicitate divina, quæ cum termino immanente unitatis identitatem postulat.

*Ad* 2$^{um}$. R. *quoad primum D.* Similitudo est principium amoris objectivum et motivum *C.* subjectivum et productivum *N.* Ob similitudinem, imo ob identitatem summæ bonitatis, quam in se invicem Pater et Filius cognoscunt, moventur ad se amandum et ad spirandum Spiritum sanctum: productivum autem hujus principium est voluntas notionalis, potentia non assimilativa termini producti. *Quoad secundum R.* Spiritus sanctus, dicto mox modo, supponit similitudinem, formaliter autem non facit; quia non est terminus suo principio productivo formaliter similis.

380. *Observa.* Sententia, quæ pro ratione cur processio Verbi sit generatio, assignat *fœcunditatem naturæ,* admitti etiam potest tanquam explicans proprietatem divinæ generationis ac secundariam rationem: simpliciter tamen admittenda nec videtur sententia ipsa, nec fœcunditas hujusmodi, tanquam ratio formalis et proxima generationis. Nam, ut omittam alia, ratio *generationis* debet importare relationem realem geniti ad generantem:

fœcunditas naturæ autem, seu potentia spirandi, hanc relationem geniti ad generantem non importat, sed relationem spiratoris tantum ad terminum spiratum. Præterea Filius, qua Filius, seu generatio passiva debet realiter produci, generari et distingui a Patre : sed Filius, *ut fœcundus,* seu ut principium spirativum, nec realiter producitur, nec generatur, nec distinguitur a Patre. Denique Pater non constituitur formaliter in ratione Patris per virtutem spirativam Spiritus sancti, sed per generativam Verbi; ideoque formalitas principii spirativi non est ratio formalis et proxima Patris, qua talis; ergo nec formalitas spirativi, seu fœcunditas Verbi, est ratio formalis ac proxima Filii, qua talis; cum hæc, tanquam relationis terminus, deberet habere principium ejusdem rationis.

Accedit postremo quod Patres Conc. *Florentini* non probaverint Verbum esse Filium, quia habet fœcunditatem ad producendum aliud suppositum, nec ad conceptum Filii, ut sic, requisierint fœcunditatem : sed e contra probarunt Verbum habere fœcunditatem ad producendum aliud suppositum, quia est Filius; et ad conceptum Filii postularunt, esse omnia, quæ Pater, præter esse Patrem; unde cum Pater in Divinis, præter esse Patrem, sit etiam spirator, etiam Filius spirator esse debeat : si autem per impossibile Pater spirator non foret, Verbum esset perfectissime Filius, quamvis aliud suppositum producere non posset. Sic enim in Litteris unionis cum Græcis (Labb. t. 13. p. 514. E.) definitur : *Quoniam omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem ; hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo æternaliter etiam genitus est.* Ex quo facile solvitur, quod a quibusdam tanquam oppositum ex Schedula Latinorum in Collat. ultim. ad Græcos missa adducitur; quodque alii, inserta particula *non,* aut commutata cum pronomine *eum,* dicunt corruptum, nos autem plane in Actis hujus Concilii reperire ac legere non potuimus.

## ARTICULUS III.

### QUIBUSNAM PROPRIETATIBUS CONSTITUANTUR PERSONÆ DIVINÆ?

381. *Nota.* Præter naturam divinam eamdem, unam et communem in omnibus, dari in Personis divinis prædicata alia ac propria, patet ex Personarum mutua inter se distinctione : hinc easdem constitui illa natura et his *proprietatibus* consequitur, propterea quod *tum* consurgat ex utroque naturæ rationalis individua substantia ; *tum* unamquamque personam, simul ac naturam divinam inconvertibiliter possidet, per proprietatem *figurari* Sophron. in ep. sub Act. 11. Conc. Constantinopol. III. recitata (Labb. t. 6. p. 861. E.), et ex divina substantia ac proprietate *constare* Joan. Theol. in Sess. 19. Conc. Florent. (Labb. t. 13. p. 279. A.) dixerint. Hanc porro divinarum Personarum constitutionem esse quidem realem ex parte constituti et constituentium, non tamen ex parte modi constituendi, facile intelligitur ex dictis tam de Personis et Relationibus realibus, quam de distinctione rationis tantum inter essentiam et proprietates constituta. Quænam tandem *proprietates* sint, quæ cum natura hanc constitutionem perficiant;

hic demum quæritur. Hujus vero quæstionis primus est sensus : An *proprietates* Personam constituentes sint aliquid absolutum, aut relativum? circa quem tamen magna nunc quidem nequit esse controversia; cum pro *relativo* contra antiquatam Joannis de Ripa et Guilelmi Parisiensis opinionem stet communis omnium et certa sententia.

Fundatur non tantum in modo loquendi Scripturæ, Conciliorum et Patrum, Personas divinas semper nominibus relativis exprimente; sed tum in disertis verbis Conc. Toletani XI. in Præf. (Labb. t. 6. p. 542. D.) sic loquentis : *In relatione Personarum numerus cernitur... hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt : et in hoc numero carent, quod ad se sunt :* tum in axiomate triplici Theologico. *Primum* expressit Boet. L. de Trin. c. 6. hoc tenore : *Relatio multiplicat Trinitatem*; Joannes autem Theologus in Conc. Florentino Sess. 18. (Labb. t. 13. p. 254. B.) *tanquam apud omnes Græcos et Latinos Doctores* pervulgatum protulit. *Secundum* edidit Ansel. L. de Incarn. ita scribens : *In Divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*; Eugenius IV. autem itidem in Florentino Decreto pro Jacobitis adoptatum inseruit. *Tertium* ratio manifesta persuadet, docens, omnem distinctionem oriri, *vel ex limitatione, vel oppositione relativa.* Prior modus, quo aliud limitatur in suo genere perfectionis ab alio intra idem genus, locum habere nequit in Deo, tanquam ente infinito in omni genere perfectionis : posterior, quo genus unius perfectionis differt et distinguitur ab alio genere, prædicatis quibusdam divinis non repugnat. Unde quæstionis sensus secundus hic est : Sub quanam formalitate aut consideratione *proprietas relativa* constituat rationem Personæ in Divinis?

Pro hujus erotematis intelligentia observanda sunt :

1°. Eadem proprietas potest esse personalis, seu *hypostatica, relativa* et *notionalis* : ideoque Paternitatem, Filiationem et Spirationem passivam in triplici hac proprietatum classe superius reposuimus.

2°. Cum *notionalis* proprietas serviat præcipue ad notificandum, et consideretur præcise ad distinctum rei conceptum mentibus cognoscentium ingerendum; ea ad præsentem controversiam, qua de constitutione Personæ intrinseca agitur, non admodum refert.

3°. Proprietas eadem spectari potest secundum *esse in,* sive quod dicit absolute et præcise ad naturam divinam, cui per identitatem est immanens; et secundum *esse ad,* sive quod dicit relative et ad terminum vel principium, cui opponitur.

4°. Processio et origo formalis in divinis, licet *communius* accipiatur vel principiative vel terminative, neque a principio vel termino distinguatur distinctione rationis ratiocinatæ, cum eadem cum illis connotata respiciat; potest tamen, juxta nostrum imperfectum concipiendi modum, etiam accipi omnino formaliter, *quasi in fieri,* et per modum viæ a principio ad terminum; sicque distinguitur distinctione rationis ratiocinantis.

5°. Posita hac conceptuum qualicumque differentia, potest *proprietas relativa producentis,* v. g. Paternitas, secundum originem formalem activam concipi in triplici signo rationis : et quidem in *primo,* ut vis generativa, vel ut principium summe determinatum ad habendum Filium; ubi intelligitur relatio transcendentalis : in *secundo,* ut actualis generatio, vel ut principium actu generans Filium; ubi intelligitur *quasi* prædicamentalis :

proprie enim prædicamentalis non est; cum omnia hic sint essentialia et necessaria : in *tertio,* ut completa generatio, vel ut principium habens Filium in facto esse ; ubi præsupponitur relatio quasi prædicamentalis.

6°. Ex adverso *proprietas relativa procedentis,* v. g. Filiatio, secundum originem formalem passivam accepta, cum essentialiter dicat Personam productam, concipitur secundum sequentia signa, in quorum *primo* est nativitas in fieri, in *secundo* nativitas actualis et constitutio Filii, seu relatio actu procedentis a Patre, in *tertio* nativitas in facto esse et jam peracta.

Ex his omnibus duo præsertim in controversiam vocantur : 1°. An Personæ constituantur per proprietates vel absolute et secundum *esse in,* vel relative et secundum *esse ad* acceptas ? 2°. An, si constituantur per proprietates relative acceptas, id fiat per propriam formalitatem relationis, an vero formaliter per rationem originis? ad utrumque breviter respondebimus; quia in *priori* afferuntur a quibusdam reliquiæ ex opinione, quam antiquatam diximus; in *posteriori* autem Patrum elogia evidenter ambigua.

382. *Dico I.* Personæ divinæ non constituuntur formaliter per proprietates sub ratione formalitatis absolutæ et secundum *esse in,* sed sub ratione formalitatis relativæ et secundum *esse ad* acceptas.

*Prob.* Juxta S. Aug. L. 5. de Trin. c. 5. in Deo non tantum nihil est, nisi substantia et relatio ; sed etiam, quidquid ad se et non ad aliud dicitur, ad essentiam, seu substantiam pertinet: unde etiam post subjungit : *Si, quod dicitur Pater, ad seipsum diceretur, non ad Filium ; et quod dicitur Filius, ad seipsum diceretur, non ad Patrem ; secundum substantiam diceretur et ille Pater, et ille Filius : sed quia et Pater non dicitur Pater nisi ex eo quod est ei Filius, et Filius non dicitur nisi ex eo quod habet Patrem, non secundum substantiam hæc dicuntur* ; et cap. 8. repetit : *Quidquid in Trinitate ad se dicitur, substantialiter dicitur.* Ergo, cum proprietas, sub ratione formalitatis absolutæ et secundum *esse in* accepta, dicatur ad se et non ad aliud, pertinet ad essentiam et substantiam, nec tanquam ratio substantiæ determinativa, et Personæ formaliter constitutiva haberi potest.

*Conf.* 1. Quod formaliter tribuit rationem *incommunicabilitatis*, Personam constituit formaliter; utpote quæ est substantia individua seu incommunicabilis : sed proprietas, sub ratione formalitatis relativæ, formaliter tribuit rationem *incommunicabilitatis* : quia ubi non obviat in Divinis oppositio relationis, manet communicabilitas, ut patet tum in virtute spirativa, Patri et Filio communi juxta omnes, tum in subsistentia Dei absoluta, juxta suos patronos Personis omnibus communi ; ac proinde neutris Personas formaliter constituentibus ; ergo.

*Conf.* 2. Principium rei formaliter constitutivum debet etiam illius esse formaliter distinctivum a re qualibet alia; quia quod formaliter rem constituit in sua entitate, debet eamdem sic etiam constituere in sua unitate, et hinc quoque in sua indistinctione in se et distinctione a quolibet alio, qui est unitatis conceptus : sed sola consideratio proprietatis secundum *esse ad* habet conceptum formaliter distinctivi; quia consideratio secundum *esse in* est conceptus non exclusivus, sed præcisivus ab opposito sive ut termino, sive ut correlativo ; ergo.

*Conf.* 3. Conceptus explicitus et distinctus Personarum divinarum est conceptus Patris, Filii et Spiritus sancti, seu spirati : sed hic conceptus est formaliter relativus ; ergo.

383. *Dico II.* Personæ divinæ formaliter constituuntur per proprietates relativas, prout hæ dicunt relationem, non autem ut originem formalem exprimunt.

*Prob.* Hæc enim est accuratior phrasis Patrum et Doctorum ; ex quibus Nazian. Or. 29. n. 16. ait : *Nec enim essentiæ nomen est Pater, nec actionis ; sed relationem eam indicat, quam Pater erga Filium habet, vel Filius erga Patrem ;* Basil. L. 2. cont. Eunom. n. 5. *Patris et Filii nomina solam, quam inter se habent, habitudinem ostendunt.* Bessarion autem in Oratione pro unione ad Græcos in Concilio Flor. habita c. 6. (Labb. t. 13. p. 426. C.) sic loquitur : *Relatio et origo, etsi secundum modum intelligendi differunt (siquidem origo significatur per modum actus, ut generatio ; relatio vero per modum formæ, ut Paternitas), re tamen non differunt. Ideo utroque quidem modo distinguuntur Personæ ; prius tamen et principaliter, secundum modum intelligendi, per relationes, per quas etiam constituuntur Personæ ; consequenter autem per diversum processuum modum sive originem. Non enim generare et genitum esse, quod est originis, constituit principaliter Personam ; sed paternitas et filiatio, sive Patrem et Filium esse, quod relationis est. Sed quia relatio et origo idem sunt re, et relatio consequitur originem ; ideo utroque quidem modo distinguuntur divinæ Personæ ; sed principalius relatione, sive proprietatibus* etc.

*Conf.* 1. Forma constituens Personam concipi debet ut aliquid Personæ intrinsecum, fixum et permanenter existens, quod ipsa perseitas æque ac subsistentiæ ratio videtur exigere : sed nihil hujusmodi apparet in conceptu *originis formalis ;* quæ vel ut via a principio, vel ut via ad terminum, ideoque tanquam aliquid principio ac termino extraneum repræsentatur, et per modum actionis aut fluxus concipitur ; nullum tamen eorum abludit a conceptu relationis, quæ in Persona producente supponitur ante originem, in procedente autem post originem habetur ; ergo.

*Conf.* 2. Ratione Personarum *producentium* universim : Theologorum axioma, in Sess. Flor. 19. adoptatum, dicit: *Actiones sunt suppositorum*; ergo origines, quæ actiones sunt, non constituunt, sed, secundum nostrum intelligendi modum, supposita jam supponunt. *Speciatim de Paternitate :* hæc enim in Divinis, ut relatio transcendentalis, ab actione ipsa non constituitur ; et ut principium *quo* proximum generationis ante originem præsupponitur ; et ut subsistens forma antecedit terminum ejusque productionem. De spiratione autem activa, cum constet ne hanc quidem constituere Patrem aut Filium, sed secundum rationem supponere jam constitutos per paternitatem ac filiationem, multo minus origo vel actio spirativa tanquam illarum Personarum forma constitutiva cogitari poterit.

*Conf.* 3. Ratione Personarum *procedentium :* hæ enim in conceptu formali universim dicunt rationem termini et producti ; speciatim autem rationem vel Verbi, vel Spiritus subsistentis : sed certum est viam ad terminum, productionem in fieri, actionem dictionis aut amoris adhuc quasi fluentem,

anteire, non constituere terminum ipsum, productum completum, et Verbum ac Spiritum perfectum ; ergo.

384. *Obj. cont.* 1um. Persona divina non exigit constitui *relativo;* tum quia in definitione personæ nulla importatur relatio : tum quia persona creata absoluto constituitur : imo non patitur constitutionem sui *ex relativo;* tum quia, ut unum et existens per se, nequit ex prædicato duplicis generis, absoluto scilicet, qualis est natura, et relativo, qualis foret proprietas, fieri : tum quia ut subsistens seu existens in se, dicit formam, quæ naturam ultimo complet, et hinc ad se, non vero ad aliud esse intelligitur.

R. *Ad* 1ae *p. prob.* 1am. *D.* In definitione personæ ut sic, seu communi tam creatæ quam increatæ, non importatur relatio *C.* in definitione personæ in specie, scilicet increatæ, seu divinæ *N.* Distinctionis hujus *ratio,* et ad *prob.* 2am. *Disparitas* est, quia persona *creata* est finita ac limitata, adeoque distingui propter limitationem potest, et hinc etiam per absolutas perfectiones, ob hanc rationem se invicem excludentes, constitui ; Persona autem *divina* infinita ac illimitata est, in eaque omnia absoluta sunt communia, adeoque per illa distingui nequit ; ergo sicut ad distinctionem hic requiritur relationis oppositio, sic et ad constitutionem Personæ, quæ incommunicabilis substantia definitur ; ergo in divinæ Personæ definitione debet saltem formaliter implicite importari relatio, utpote incommunicabilitatem hic unice efficiens.

*Ad* 2ae. *p. prob.* 1am. *D.* Unum per se constitui nequit ex absoluto et relativo prædicamentali *C.* et relativo transcendentali, quale etiam in creatura relate ad Deum invenitur. *N.* Relatio autem, divinas Personas formaliter constituens, est transcendentalis, utpote essentialis, necessaria, æterna ; et quasi prædicamentalem vel præcedit, vel sequitur in signis rationis supra propositis. *Ad prob.* 2am. *D.* Dicit formam, quæ naturam ultimo complet, complemento personæ cuilibet proportionato, et hinc in Divinis relativo *C.* semper absoluto *N.* Complementum autem *relativum* non est ita ad se, ut non sit ad aliud.

*Inst.* 1. Relatio præsupponit suppositum jam constitutum ; tum quia exigit extrema jam distincta, et consequenter constituta : tum quia, sicut terminatur ad absolutum, cum juxta Philosophum L. 5. Phys. *non sit motus per se ad aliquid,* sic etiam absolutum refert.

R. *N. Ass. Ad prob.* 1am. *D.* Relatio prædicamentalis et accidentalis exigit extrema jam distincta et hinc constituta, utpote quæ velut accidens his tanquam entibus completis supervenit *C.* transcendentalis et essentialis *N.* Hæc enim extrema sub conceptu respectivo formaliter constituit, distinguit ac refert ; uti etiam in abalietate respectu creaturæ manifestum est. Similis resp. tenet *ad prob.* 2am. in qua Philosophus loquitur de mera relatione prædicamentali, et quæ purus est respectus, per se ab agente non intentus.

*Inst.* 2. Quod refertur, prius est ad se, quam ad aliud ; tum quia, juxta S. Aug. L. 7. de Trin. c. 1. n. 2. *Si Pater non est aliquid ad se ipsum, non est omnino, qui relative dicatur :* tum quia esse ad se dicit intrinsecum, esse autem ad aliud connotat extrinsecum ; ergo cum referatur suppositum constitutum, non autem natura sola, aut sola proprietas, illud per proprietatem

secundum *esse in* seu ad naturam, aut ad se acceptam formaliter constituitur.

R. *D.* Quod refertur relatione prædicamentali, et tanquam ens in suo conceptu primario absolutum, prius est ad se, quam ad aliud *C.* quod refertur relatione transcendentali, et tanquam ens in conceptu primario relativum *subd.* prius est ad se secundum aliquid sui *C.* secundum se totum *N.* Pater autem, Filius et Spiritus sanctus formaliter et secundum conceptum primarium sunt quid respectivum, et hinc qua tales non sunt prius ad se, quam ad aliud; quamvis possint prius ad se dici secundum aliquid sui, scilicet secundum essentiam divinam.

*Ad prob.* 1am. R. Augustinum hoc modo intelligendum, eumque loqui de essentia, secundum quam, velut aliquid sui, dicitur Pater ad se, patet ex verbis subjunctis : *Ullo modo ita putandum est, Patrem non dici aliquid ad seipsum, sed quidquid dicitur ad Filium dici; eumdem vero Filium et ad seipsum dici et ad Patrem, cum dicitur magnitudo magna et virtus potens, utique ad seipsum, et magnitudo atque virtus magni et potentis Patris, qua Pater magnus potens est.*

*Ad prob.* 2am. *D.* Esse ad se absolutum dicit intrinsecum *C.* relativum *subd.* dicit intrinsecum, excludendo terminum *N.* excludendo aliquid impertinens vel accidens *C.* Extrinsecum autem, quod hic connotatur, est terminus *incommunicabilitatis,* non complementum qualecumque.

385. *Obj. cont.* 2um. Patres constitutionem ac distinctionem Personarum divinarum tribuunt originibus; uti Athan. Or. 4. cont. Arian. n. 24. ita loquens : *Quod ex Patre est, Filius utique est*; Hilar. L. 9. de Trinit. n. 38. Filium vocat nativitatem : *Reddenda,* ait, *apud seipsum Patri erat unitas sua, ut naturæ suæ nativitas in se rursum glorificanda resideret;* Damasc. Or. 1. de Nat. B. V. n. 5 : Filio *gigni personalis sola proprietas est;* et alii ap. Ruiz hic Disp. 38. et 84. etc. ergo.

R. 1°. Præter plerosque alios, iidem Patres oppositi proprietates relativas assignant tanquam constitutiva Personarum. Sic Athan. Dial. 1. de Trin. n. 15. inquit. *Quando tres hypostases dicimus Patris, Filii et Spiritus sancti, vere dicimus proprietatum differentias in hypostasi, non autem in essentia;* Hilar. L. 11. de Trin. n. 1. *Unicuique proprium est ut unus sit, vel Patri esse quod Pater est, vel Filio esse quod Filius est : et id quod uterque in proprietate sua unus est;* Damasc. L. 1. de fid. c. 11. (al. 8. opp. t. 2. p. 139. D. ed. Venet. 1748.) : *Unum agnoscimus Deum, in solis quidem proprietatibus paternitatis, filiationis, processionis secundum causam et causale; et personalem perfectionem differentiam intelligimus.*

R. 2°. *D.* Patres originibus in sensu reali tribuunt constitutionem et distinctionem Personarum *C.* in sensu formali *subd.* tribuunt originibus, tanquam conditionibus necessariis ad multiplicationem Personarum *C.* tanquam formis propriis et intrinsece constituentibus quamlibet Personam in suo esse personali *N.* Priores modos indicant Patres, dum de originibus loquuntur, idemque D. Thom. p. 1. q. 34. et seqq. intelligit, cætera nobiscum consentiens.

*Inst.* Per id formaliter constituitur persona, quod secundum nostrum modum concipiendi primum illius est prædicatum relativum, differentiale ac proprium : sed hujusmodi prædicatum respectu Patris est origo activa,

respectu Filii et Spiritus sancti passiva; quia prius concipitur Pater generare Filium, quam habere paternitatem in generatione activa fundatam : et prius est generari et spirari passive, quam genitum aut spiratum in facto esse; ergo. *Conf.* Relationes genitoris et geniti saltem formaliter habentur per origines; ergo sicut Filius non constituitur per rationem generabilitatis, sic nec Pater constituitur per rationem generativi; ergo.

R. *D. M.* Per illud persona formaliter constituitur, quod secundum nostrum concipiendi modum est illius prædicatum relativum, differentiale ac proprium, habens se per modum formæ stantis ac permanentis, seu in ratione principii vel termini *C.* habens se per modum viæ a principio ad terminum, seu in ratione actionis vel passionis *N.* Postremum, non autem prius congruit *originibus*. Quod additur de paternitate fundata in generatione activa, non est is conceptus primarius Patris, sed secundarius duntaxat et consequens.

*Ad Conf.* R. Quoad 1um. Genitoris quidem, h. e. actu generantis ratio per *originem* habetur; hæc tamen formaliter non constituit Patris personam, sed id præstat vis generativa, quæ *originem* præcedit : e contra ratio geniti constituit quidem personam Filii, ea tamen non habetur formaliter per originem passivam, quam scilicet nativitas actualis præsupponit. *Ratio* utriusque, et hinc ad 2um. *Disparitas* est, quia generatio activa præsupponit suppositum producens, cum actiones sint suppositorum; præterea etiam generativum, qua tale, est quid reale : generatio autem passiva non supponit suppositum jam productum; et generabile adhuc necdum est actu quid reale : adeoque Pater per prius constitui potest, non autem Filius per posterius.

386. *Observa.* Quanquam ex dictis omnis proprietas personalis, seu hypostatica, sit relativa; tamen nec omnis relativa, nec omnis notionalis proprietas est hypostatica seu personalis. Cum enim hæc per modum determinantis ad esse personale, proprium ac incommunicabile, concurrere debeat; illius ratio et formalitas nec innascibilitati, nec spirationi activæ congruit. Non innascibilitati; quia juxta Aug. L. 5. de Trin. c. 6. *Nec ideo quisque pater quia ingenitus; nec ingenitus ideo quia pater* : adeoque ab innascibilitate Pater in esse Patris ac Personæ nec determinatur, nec constituitur. Neque etiam spirationi activæ; quamvis enim hæc propria sit Patri et Filio : tamen nec illum in esse Patris, nec hunc in esse Filii determinat; alioqui, cum utrique sit communis, Pater esset Filius, et vicissim Filio paternitas conveniret. Unde habet se respectu utriusque, sicut essentia, commune pluribus, et determinabile : dumque constituit Patrem et Filium in esse spiratoris distincti a Spiritu sancto, illis suppositis in sua Persona jam constitutis concipitur supervenire hæc relatio, tanquam perficiens explicitam eorum distinctionem. Sed de his forsan inf.

Quæres : *An præter tres subsistentias relativas detur in Deo subsistentia absoluta, tribus Personis communis?*

387. *Dico.* Præter subsistentias relativas, non datur in Deo subsistentia absoluta.

*Prob. I.* Auctoritate. 1°. Patres 1. ejusmodi subsistentiam diserte negant;

sic Cyr. Alex. L. 8. Thes. (opp. t. 5. p. 61. B.) ait: *Si voluntas Dei substantia sit, et per se subsistat, quomodo Filius unigenitus erit, cum sit tertius a Patre? præcedit enim eum voluntas talis secundum vos;* Hilar. L. de Syn. n. 64. *Confitemur sane in Spiritus sancti dono..... non unum subsistentem, sed substantiam non differentem;* Damasc. in ep. de Trisagio (opp. p. 725. D. ed. Billii, Paris. 1619.) : *Particularia non communificantur; communia autem ab unoquoque particularium participantur, sed unice et communiter : non est autem ipsorum communis una hypostasis; Deitas autem communiter est trium hypostasium una existens;* Sophron. in ep. nuper laudata (Labb. t. 6. p. 857. C.) scribit. *Neque secundum quod Trinitas unus Deus est et agnoscitur, et subsistentiæ tres pronuntiantur, et tres obsecrantur Personæ... dicitur coarctatus, sive compositus, vel confusus, et in unam seipsum colligens subsistentiam, in unamque coercens non numerandam Personam;* ergo.

2°. Iidem omnem subsistentiam volunt esse quid speciale, proprium, ac distinctum; sic Nyssen. in Or. Catech. c. 1. (opp. t. 3. p. 47. D.) *Dei Verbum eo quidem, quod per se consistit, distinctum est ac divisum ab illo, ex quo habet quod consistat;* Theodoret. Dial. *Immutabilis* 1. (opp. t. 4. p. 4. D. 5. edit. Sirmondi) : *Si Patrum doctrina spectetur, quam habet differentiam commune et proprium, vel genus et species ac individuum, eamdem habet substantia et hypostasis.*

3°. Præter hypostases, personas et relationes non admiserunt Patres aliud in Deo, quam essentiam, naturam et substantiam. Sic Cyr. Alex. Dial. 3. de Trin. (opp. t. 5. p. 491. C.) inquit : *Omnis fidei nostræ sermo huc tendit, ut unam quidem videamus Deitatis naturam, quæ sit in tribus subsistentiis propriis;* Sophron. in ep. cit. *Trinitatem pro tribus subsistentiis, unitatem autem propter singularitatem Deitatis.* Cujus verba usurpavit Theodorus Hieros. in litteris synodic. infra citandis. In Nicæn. II. Tarasius in Prof. fid. (Labb. t. 7. p. 163. B.) confitetur, *unam Deitatem in tribus subsistentiis indivisim discretam, et distinctim unitam;* et ibidem (p. 178. B.) Theodor. Patr. Hierosol. in litteris scribit : *Trinitatem in tribus inconfusis subsistentiis, nec alium Deum unum, præter tres personas, cognoscimus* etc.

*Prob. II.* Ratione. Effectus formalis subsistentiæ est reddere naturam ultimo completam, constituere suppositum, et facere illud incommunicabile alteri supposito : sed nihil istorum facit subsistentia illa *absoluta.* Nam 1°. naturam non complet ultimo; nam communicata ipsa Personis tribus ulterius per illas compleretur. 2°. Personam non constituit; cum quaternitas Personarum alias in Deo foret admittenda : 3°. non reddit naturam, etiam ut absolute subsistentem, incommunicabilem; quia sicut reliqua in Divinis absoluta, sic etiam hæc subsistentia foret communis Trinitati; ergo.

388. *Observa.* Haud meliora sunt argumenta, quæ a quibusdam pro *absoluta* in Deo subsistentia ex Traditione colliguntur. Eorum enim alia fundantur in lectione *mendosa.* Hujusmodi est illa pericope epistolæ Agathonis ad Legatos : *Confitemur non trium nominum subsistentiam, sed trium personarum unam subsistentiam;* rectius enim alia exemplaria, contextu hujus et collatione alterius epistolæ id exigente, habent *unam substantiam.* Item, dum in latina versione fragmenti epistolæ, quam Liberius ad Athan. dedit, ponitur *una substantia,* interpres vocem *hypostasis* græcam exponere

debuerat per *subsistentiam*, si ad sensum et usum hujus vocabuli attendisset. Denique dum ex Bas. hom. 27. recitatur : *Spiritus ex Deo promanans ejusdem cum illo subsistentiæ*; in proprio textus loco, qui est L. 5. cont. Eunom. sub finem legitur : *Verum ipse*, (Spiritus) *a Deo manans subsistit.*

Alia ortum habent ex *ambigua* significatione vocabuli. Sic enim unam tantum in Deo hypostasin statuerunt Athan., Epiph., Hieron., Sardicenses et alii, dum necdum explorata fuerat significatio hujus vocis, ac singulariter applicata supposito; ipsi autem intelligebant ea voce essentiam, et hinc tres hypostases negabant. Sic rursus Hilar. L. 5. et 7. de Trin., Boet. L. de duab. Natur., Anastasius Patr. in compend. fidei expositione Deitati tribuunt subsistentiam, usurpando hanc vocem pro existentia vel a se, vel per se seu substantia : similiter Aug. L. 7. de Trin. c. 4. et 5. Deum *ad se ipsum subsistere* dixit, non probando subsistentiam in Deo absolutam, sed unicam Deitatis substantiam, seu entitatem substantialem. Denique Concilii Rhemensis professio : *Credimus simpliciter naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, et Deus divinitas*; damnat errorem Gilberti, inter concreta et abstracta divina ante intellectus operam distinguentis; neutiquam vero per *Deum* intelligi absolutam subsistentiam indicat.

---

# CAPUT II.

## DE PERSONIS DIVINIS IN PARTICULARI.

—

### ARTICULUS I.

#### QUÆNAM SPECIALIA NOMINA PERSONIS DIVINIS TRIBUANTUR?

389. *Dico I.* Prima Persona proprie dicitur *Pater* respectu *secundæ Personæ*; *principium, fons, origo* aut *caput* respectu Personarum *secundæ ac tertiæ*; quin et *causa*, vel *auctor* respectu earumdem : *Pater* autem respectu *creaturarum* appropriative; *fons, origo, radix*, aut *caput Deitatis* tantum improprie.

Ratio *primi*. Scriptura hoc nomen ad designandam primam Personam usurpat sæpius, maxime autem Matth. 28. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti* : Fides autem docet Personam primam solam generasse Personam secundam, ac generare posse. Ratio *secundi*. Vocabulum primum ab Athan. Or. 1. cont. Arian., n. 14., Basil. hom. 24. cont. Sabel. n. 4., Aug. L. 5. de Trin. c. 14., Conc. Lugdun. II. et Florent., reliqua vero a Tertul. L. cont. Prax., Athan. Or. cont. Greg. Sabel., Basil. hom. cit., Ambr. L. 4. de fid. c. 5. et aliis fuerunt attributa Patri : notio autem vocabulorum eidem convenit, tanquam a quo Personæ reliquæ suam ducunt originem. Ratio *tertii*. Utrumque nomen a plerisque Græcis; inter Latinos autem ab Hilar. LL. de Trin. ac de Synod., et ab Aug. L. 83. QQ. q. 16. et L. 2. cont. Maximin. c. 5. et 14. Patri adscribuntur : *Causæ* etiam

vocabulum diserte in Decreto Unionis cum Græcis a Conc. Florentino probatur; utpote quod productionem sine dependentia significare possit, et sic *principio* æquivaleat : quæ eadem ratio pro nomine *Auctoris* pugnat. Ratio *quarti*. Creaturarum productio, quæ ob naturæ diversitatem propriam generationis rationem non habet, est actio essentiæ et tribus Personis communis; appropriatur autem Patri sicut omnipotentia. Ratio *quinti*. Appellatio postrema, ab Auctore L. de divin. Nom. c. 2. et Conc. Tolet. XI. in Præf. prodita, solum convenit Patri, ut est principium Filii et Spiritus sancti; non autem, quasi ipsius divinitatis; hæc enim juxta Later. IV. nec gignitur, nec procedit. V. Petav. de Trinit. L. 5. c. 4. et 5.

390. *Dico II.* Secunda Persona proprie dicitur *Filius, Verbum, Imago;* appropriative *Sapientia* : ad priorem classem revocari possunt *Species, Figura, Forma, Speculum, Character* etc.; ad posteriorem *Via, Veritas, Vita, Virtus,* et alia nomina secundæ Personæ in Scripturis nonnunquam attributa.

Ratio *primi*. Hæc omnia nomina indicant proprietates Filii personales ac relativas. Ratio *secundi*. Sapientia æque ac essentia, magnitudo, potentia, et hujusmodi prædicata, est communis omnibus, ut patet; et non est relativa, sed absoluta : unde Aug. hanc propositionem : *Pater est sapiens sapientia genita,* L. 1. Retract. c. 26. revocavit : specialem tamen convenientiam habet cum notione Verbi, utpote quod procedit per intellectum, cujus est sapere. Ratio *tertii* et *quarti*. Priora nomina metaphorica quidem sunt; sed ad exprimendam tamen *imaginem* usurpantur : posteriora autem sunt essentialia; sed cum Verbo analogiam quamdam habent. V. Petav. L. 6. c. 1. 5. 6.

391. *Dico III.* Tertia Persona dicitur *Spiritus sanctus, Amor* ac *Donum;* et quidem proprie, si nomina accipiantur relative; appropriative autem, si absolute accipiantur. Postremi quoque generis sunt, *Fons vivus, Ignis, Unctio, Digitus Dei,* et *Paracletus* ; quæ nomina in Scripturis sacris et libris Ecclesiasticis ubique prostant.

Ratio *primi*. *Spiritus* ut terminus spiratus, *amor* ut a voluntate productus, *donum* ut vi amoris procedens, propria et singularia sunt tertiæ Personæ : quod patet tum ex Matth. 28. cit., et 1. Joan. 5. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus;* tum ex ep. ad Rom., ut Hier. in Psal. 17. v. 1. commentans inquit : *Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio, quam habet Pater in Filio et Filius in Patre. Unde Paulus Apostolus dixit : Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum :* tum quia, quod Christus Joan. 4. 10. *Si sciret donum Dei,* dixit de aqua, deinde Joannes 7. 39. exposuit de Spiritu sancto, ut Aug. L. 15. de Trin. c. 19. ostendit.

Ratio *secundi*. Juxta Joan. 4. 24. *Spiritus est Deus,* et 1. Joan. 4. 16. *Deus charitas est;* item ad Rom. 8. 32. Filius dicitur *donatus;* et Pater etiam, *quod dedit majus omnibus,* Joan. 10. 29. appellatur : unde Aug. L. 15. de Trin. c. 16. n. 37. inquit : *Hoc sanius creditur vel intelligitur, ut non solus Spiritus sanctus charitas sit in illa Trinitate, sed non frustra proprie charitas nuncupetur; sicut non solus est in illa Trinitate, vel Spiritus, vel sanctus;*

*quia et Pater spiritus, et Filius spiritus; et Pater sanctus, et Filius sanctus, quod non ambigit pietas : et tamen iste non frustra dicitur Spiritus sanctus :* cui simile aliquid de *dono* ad Spiritum sanctum appropriato ibid. n. 33-36. præmiserat.

Ratio *tertii*. Præter *Paracleti*, h. e. Consolatoris nomen, reliqua metaphorica, *Fontis* quidem *vivi*, diffusionem gratiarum, *Ignis*, efficaciam accendendi, purificandi et transformandi, *Unctionis*, vim sanctificandi et consecrandi, *Digiti Dei*, potestatem scribendi leges, ac virtutem operandi designant : quæ dotes et munia, sicut communia sunt Personis reliquis; sic, quoniam ad sanctitatem Ecclesiæ, Legis et animæ pertinent, Spiritui sancto appropriantur. V. Petavium L. 7. c. 12. L. 8. c. 3.

392. *Observa*. Personæ primæ non tribuimus nomen *Genitoris*, sed Patris; quia priori voce communius relatio duntaxat prædicamentalis, vel via ad filium exprimitur : quorum *primum* vim generativam sequitur ; *secundum* præcedit filium genitum ; et hinc neutro in sensu propriam Patris notionem assequitur. Neque nomen *Initii* damus, sed principii ; quia id in duratione primum indigitat, quæ prioritas, tanquam Arianorum error a Trinitatis mysterio abesse debet. Haud magis voces *Causæ* vel *Auctoris* usurpandæ sunt absque cautela; qua illic dependentia, hic subjectio excludatur. Phrasis Conc. Wormatiensis, qua Pater *fons et origo Trinitatis* appellabatur, sensu obvio falsa est; cum Patrem sui ipsius fontem esse non posse, abunde constet. Excusari tamen potest, si accipiatur simili modo, quo illa intelligitur, dicens, Adamum totius humani generis fuisse caput.

Quoad secundam Personam, vocabulo *Verbi* potius utimur quam *sermonis ;* ad exprimendam scilicet cognitionis divinæ unitatem, ac simplicitatem, quam posterius, secundum etymologiam ex vocibus compositum, non exprimit. *Verbum* autem, non externum, et prolatitium, sed internum intelligitur : cui non obstat alia Patrum nonnullorum usurpatio, propterea quod non ad declarandam naturam, sed ad denotandam *Verbi* manifestationem, aut officium ea obtinuerat. Neque internum etiam *verbum*, ut mera cogitatio accipitur, sed ut terminus intellectionis productus, et subsistens; *ne*, ut Aug. L. 15. de Trin. c. 16. scribit, *aliquid esse quasi volubile credatur in Deo, quod non accipiat, nec recipiat formam, eamque possit amittere*. Cf. Petav. de Trinit. L. 6. c. 1. et seqq.

Denique nomen Spiritus sancti, grammaticaliter commune reliquis Personis, usurpatur in sensu Theologico pro nomine tertiæ Personæ proprio, ex defectu termini aliter spirationem exprimentis; sicut ex eodem defectu productionem ejusdem Personæ, non speciali vocabulo, sed communi processionis indigitamus. Denominatio tandem *Amoris* et *Doni*, grammaticaliter etiam magis convenit tertiæ Personæ, quam reliquis; cum nec charitas, quæ est ad alium et duorum, in conceptu earum speciali deprehendatur : nec ratio doni aliter quam tropice Patri conveniat; vi processionis autem Filio per intellectionem producto neutiquam respondeat.

## ARTICULUS II.

### AN ET SUB QUA RATIONE COMPELLATIO INGENITI CONVENIAT SOLI PERSONÆ PRIMÆ?

393. *Nota.* Nulla fere circa primam in Trinitate Personam Theologis aut occurrit, aut visa est examine digna difficultas, quam quæ de nomine *Ingeniti,* seu *innascibilis* movetur. Nomen hoc quoad litteras non extat in sacris elogiis,ut notat Ambr. L. de Incarn. c. 8. n. 80. scribens: *In Scripturis Ingenitum nusquam invenio, non legi, non audivi;* suspectum id etiam Athanasio Or. 1. cont. Arian. n. 30 et seqq., Basil. L. 1. cont. Eunom. n. 5. (opp. t. 1. p. 215. A.), Epiphan. hær. 73. n. 19. et 76. obj. 5. et aliis fuit ob ambiguam significationem; quin et ab iisdem repudiatum aliquando est ob Arianorum abusum, qui duce præcipue *Aetio* et *Asterio* sophista, significatione nominis vel diminuta, vel permutata, vel a Patre ad divinitatem translata, aut Filii divinitatem abolere, aut Trinitatem Deorum fidei Catholicorum imputare contendebant. Patres nihilominus tum iidem, tum reliqui una cum sequentibus Scriptoribus Ecclesiasticis, exposita melius, ac tandem determinata vocis significatione, id nomen tanquam characteristicum Patris prompte admiserunt, vindicarunt fortiter a cavillationibus, et abusu sublato constanter ac inoffense usurparunt.

Porro inter varias hujus vocis acceptiones tres erant præcipuæ. Sumebatur enim *Ingenitum* 1°. pro eo quod *non* est *creatum* aut *factum* a principio extraneo; et græce ἀγένητον dicebatur: 2°. pro eo quod *non* est *genitum,* seu per propriam generationem productum; et littera ν geminata ἀγέννητον scribebatur: 3°. pro eo quod *nulla ratione,* nequidem origine aut emanatione reali, est *productum,* seu caret quocumque principio. Postrema hæc acceptio propria est, de qua in præsens loquemur; sed etiamnum duplicem sensum habere potest, quatenus hujusmodi Ingenitum est *cum positiva repugnantia,* seu excludit omnem originem tam a se, quam a suo supposito, qua ratione brutum v. g. a sua specie excludit rationale; et hæc acceptio est antonomastica: vel quatenus est Ingenitum *sine* hujusmodi *repugnantia,* sed quasi *per indifferentiam,* sicut animal est irrationale; quia, quamvis animalitas ratione sui non dicat rationale, indifferens tamen est ad rationale, ac irrationale, et a rationali in speciem hominis contrahi potest. V. Petav. L. 5. c. 1.

Percurrendo jam varias Ingeniti acceptiones aliunde certum est, *primum* Ingeniti modum congruere tam essentiæ divinæ, quam omnibus Personis: certum item est, excepta Persona secunda, modum *alterum* adeo reliquis non denegandum, ut etiam Adamo et angelis, quin et rebus aliis vita carentibus concedi debeat. Certum denique est modum *tertium per indifferentiam* tribuendum esse naturæ divinæ. An vero eadem Ingeniti ratio conveniat etiam Personis omnibus, et *Ingenitum antonomastice* sumptum divinæ naturæ, quæstio est ad dogma pertinens: ad quam magis dilucidandam subjungitur quæstio scholastica perquirens, quidnam vox Ingeniti in Patre formaliter dicat.

394. *Dico I.* Ingenitum antonomastice dictum nec est de essentia naturæ divinæ, nec naturæ divinæ congruit.

*Prob.* 1ª. *p.* Faustus Rheg. in ep. 16. sic inquit : *Genitus et Ingenitus significatio est Deitatis, non ipsa Deitas; naturæ est appellatio, non natura, Ingeniti et geniti nuncupatio. Ad hoc valet ut quis ex quo subsistat intelligas, et non Patrem ex Filio, sed Filium ex Patre esse cognoscas... Genitus ergo et Ingenitus, et ex utroque Procedens personas indigitant, non naturas* etc.

*Conf.* Quidquid est de essentia naturæ divinæ, debet se habere vel per modum definitionis, vel instar generis, aut differentiæ, vel proprie aut substantive prædicari : sed *Ingenitum* 1°. non est definitio Deitatis ; cum tantum dicat quid non sit, non vero, quid sit; ac præterea cum divinitate non convertatur, ut Cyr. Alex. L. 31. Thesaur. (opp. t. 5. p. 261. E.) et 2. Dial. de Trin. latius edisserit; unde nec species dici potest. 2°. Non est genus, aut differentia; cum prius de Ingenito antonomastico per se pateat; posterius autem non faciat differre a Patre essentiam, quæ etiam genito, scilicet Filio communicatur. 3°. Nec est proprium; cum nequidem convenire divinitati, in altera parte ostendatur. 4°. Nec substantive prædicari ostendit Aug. L. 5. de Trin. c. 7.

*Prob.* 2ª. *p.* Basil. L. 4. cont. Eun. n. 3. (opp. t. 1. p. 286. C.) inquit: *Ingenitum si quis concedet de solo Deo dici, non statim si quid Deus, id est ingenitum : nam Filius cum sit Deus, ingenitus non est. Nec definitio igitur, nec proprium Dei est ingenitum esse : non enim convertitur* etc.

*Conf. Ingenitum* antonomastice dictum excludit a subjecto quamlibet processionem a principio, sive per productionem sui formaliter, sive per productionem alicujus suppositi, cui communicatur, vel de quo essentialiter prædicatur; sicut incorporeum, ut spiritui proprium, excludit corpus ab omni supposito, de quo spiritus prædicatur essentialiter : sed Deus hac ratione non excludit quamlibet processionem a principio : cum essentialiter prædicetur de Filio, qui gignitur; et de Spiritu sancto, qui procedit : ut adeo, propter communicationem sui cum his suppositis productis, a Patribus etiam aliquando dicatur *essentia genita* vel *nata,* aut *procedens* ; ergo.

395. *Dico II.* Patri in Divinis soli Ingenitum antonomastice tale est proprium.

*Prob.* 1ª. *p.* Patres communi suffragio hoc prædicatum primæ Personæ attribuunt : sic Alexander Ep. Alex. in ep. ad Constantinopolitanum scribit (Labb. t. 2. p. 19. D.) : *Unus est ingenitus Pater*; Nazianz. Or. 25. n. 16. *Patris proprietas hæc est, quod ingenitus sit* : Fulgent. ad obj. 7. Arian. *Ingenitus Pater nunquam in Scripturis canonicis legitur, et tamen secundum fidei veritatem ingenitus prædicatur* etc.

*Conf.* Imprimis aliqua in Trinitate Persona debet esse *ingenita* ; cum alias vel sui ipsius vel mutua duarum productio daretur; si quamlibet oporteret esse productam ab aliqua Persona : vel Persona realiter distingueretur a Deitate ; si qua ab essentia divina produceretur. Deinde non potest esse ingenita, nisi *una;* quia alias etiam forent plures Dii, cum natura divina non communicetur, nisi per productionem Personæ, ideoque numero saltem distincta natura existeret in distinctis Personis : quin infinitæ sequerentur Personæ; cum ratio Trinitatis jam nulla foret, et multiplicata semel Divi-

nitas nullos patitur limites. Demum alia præter Patrem Persona non est ingenita, ut statim probabitur. Tandem convenit Patri esse ingenitum; cum non procedat ex Filio, cujus ipse est Pater; nec a Spiritu sancto, cujus est cum Filio principium : neque a natura divina producitur, vel realiter emanat; cum præter distinctionem realem, quæ inde naturam divinam inter et Paternitatem sequeretur, divina natura aliquod notionale, scilicet emanationem paternitatis realem haberet, quod Personis non communicat. Ergo Ingenitum Patri proprie convenit.

*Prob.* 2ª. *p.* Testantibus Patribus nec Filius nec Spiritus sanctus est proprie, multo minus antonomastice, ingenitus. Nam Hilar. L. 2. de Trin. n. 11. inquit. *Ab uno ingenito Deo unus unigenitus Deus; non Dii duo, sed unus ab uno; non ingeniti duo : quia natus est ab innato;* Fulg. ad obj. 5. Arian. *In duobus ingenitis diversa divinitas invenitur : in uno autem genito ex uno ingenito naturalis unitas demonstratur;* Conc. Syrmien. Can. 19. ap. Hilar. L. de Syn. n. 38. definit : *Si quis Spiritum sanctum paracletum dicens, innascibilem Deum dicat, anathema sit;* et Conc. Tolet. XI. in præfat. (Labb. t. 6. p. 541. E.) *Spiritus sanctus nec ingenitus nec genitus creditur* etc.

*Conf. Ingenitum* hactenus usurpatum excludit productionem quamcumque realem : sed Filius, utpote genitus, et Spiritus sanctus, tamquam procedens, productionem realem dicunt, non excludunt; ergo.

396. *Dico III.* Ratio Ingeniti convenientis Patri, juxta communem SS. Patrum phrasin, *formaliter* significat meram negationem omnis productionis, *fundamentaliter* aliquod positivum excludens productionem, quod est paternitas, saltem secundum conceptum inadæquatum.

*Prob.* 1ª. *p.* Ingenitum imprimis formaliter non significat aliquid positivum; quia juxta Athan. Dial. 2. de Trin. n. 19. *Nos dicimus ingenitum significare non esse genitum, quoad substantiam, quemadmodum mendacii expertem esse non mentiri, quoad substantiam.* Nazianz. Or. 29. n. 11. *Vox ingeniti significat generationis expertem, non autem declarat, quidnam natura sua sit id quod generatione caret*; et juxta Aug. L. 5. de Trin. c. 6. *Cum vero ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit dicitur.* Deinde negat omnem productionem, dicente Basil. L. 1. cont. Eunom. n. 15. (opp. t. 1. p. 237. B.) : *Vox ingenitus, non quid sit, sed eum ab alio non esse significat;* et Conc. Tolet. XI. profitente (p. 541. A.) : *Patrem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur; ipse enim a nullo originem ducit.* Denique tantum negat, ut docet Aug. L. 5. de Trin. c. 7. scribens : *At si quantum valet quod dicitur filius, tantumdem valet quod dicitur genitus : tantumdem ergo valet quod dicitur non genitus quantum valet quod dicitur non filius..... Ingenitus porro quid est, nisi non genitus?* Ergo Ingenitus formaliter significat meram negationem omnis productionis.

*Prob.* 2ª. *p.* Negatio per *Ingenitum* importata provenit ab intrinseco Patris, nec est mera duntaxat conceptus extrinseci inficiatio ; est *incommunicabilis* Personis aliis, indicat specialem dignitatem Personæ primæ, ratione distinctam a dignitate Patris: atqui quod ab intrinseco rei provenit, dicit aliquid positivum, et in eo fundatur: quod est incommunicabile, ratione affirmativi *communicationem* excludit: quod dignitatem indicat, perfectio-

nem, qualis mera negatio non est, inducit aut supponit; ergo ingenitum ac ejus negatio in positivo, affirmativo et perfectione fundatur, seu ea fundamentaliter significat.

*Prob.* 3ª. *p.* Nihil positivum est in PATRE præter essentiam et relationes tum Paternitatis, tum Spirationis: sed fundamentum negationis, quam *Ingenitum* formaliter dicit, non est essentia; cum hæc communis sit tribus Personis: neque spiratio activa; cum eadem, vel inadæquata, similiter sit in Filio; ergo debet esse Paternitas, tum quia præter hanc nihil positivi in Patre superest; tum quia hæc constituit principium originis primæ, seu ante quam non potest esse origo; adeoque ex intrinseca ratione sua exigit esse ante et extra originem.

*Prob.* 4ª. *p.* Si Paternitas secundum ea, quæ in se complectitur, concipiatur conceptibus inadæquatis, potest spectari vel secundum explicatam rationem generativi, quam dicit ad Filium, vel secundum implicitam rationem sufficientis sibi ipsi seu ad suum esse: sed Paternitas secundum rationem *generativi* quam dicit ad Filium, non est fundamentum negationis ab Ingenito significatæ; cum negatio hæc possit esse sine Paternitate, et Paternitas sine hac negatione, ut non solum Theologi ex AUG. L. 5. de Trin. c. 6. et EPIPHAN. hær. 76. ad confut. c. 5. Aetii colligunt, sed et Gentiles in sua Theogonia produnt; ergo debet esse secundum rationem sibi ipsi sufficientis.

Dixi: *Juxta communem Patrum phrasin.* Cum enim *Aetius* et *Eunomius* Ingenitum esse privationem generationis docerent, privativum autem in reali entitate reponerent, ut inferrent naturæ divinæ essentiam repugnare Filio, tanquam genito; Patres ad hanc sequelam avertendam *Ingenitum* in negatione, et quidem mera, formaliter constituerunt. Hoc tamen non impedit, quominus exposita Ingeniti significatione, Theologi jam Ingenito attribuant gradum privationis saltem infimum, quo negetur forma h. e. productio in subjecto, cujus rationi genericæ aut communi, qualis in Divinis est natura, non repugnat habere eam formam, quamvis repugnet rationi specificæ aut singulari, qualis hic est persona Patris: præsertim cum juxta BASIL. L. 1. cont. Eun. n. 10. (opp. t. 1. p. 223. B.), non repugnet *Ingenitum dici sive ablativum, sive exclusivum, sive negativum,* et NAZ. Or. 29. n. 12. dicat: *Ingenitum et genitum sibi opponuntur, ut habitus et privatio.* Neque etiam prohibet *Ingenitum* accipi formaliter positive, seu sub ratione formæ excludentis productionem passivam, et non sub ratione exclusæ productionis passivæ, sicut accipi solet immensitas, infinitas, immutabilitas et similia; sub quo conceptu Ingenitum formaliter consistit in positivo, connotante negationem in obliquo.

397. *Observa.* Præ natura divina, ut diximus, habet PATERNITAS, quod sit ingenita cum repugnantia productionis, sed præ Paternitate habet NATURA DIVINA, quod nulla ratione ab altero emanet; dum e contra Paternitas, quamvis a natura non emanet realiter, tamen secundum nostrum intelligendi modum inde emanare concipiatur. Nam 1°. ubi est natura substantialis, per se etiam est personalitas illi connaturalis. Natura hæc secundum rationem prior est sua personalitate; sicut commune proprio, subjectum modo, materiale formali, saltem intentionaliter præsupponitur. 2°. Eadem

natura sufficiens et proximum fundamentum est suæ personalitatis ; cum si illa producatur vel fiat, eadem actione ista etiam ponatur : ideoque naturæ existentia quæcumque sit determinativum personalitatis. Quod vero ratione posterius est, et fundatur in altero, secundum rationem ab illo emanat ; ergo a natura divina secundum nostrum concipiendi modum emanat saltem aliqua personalitas.

Cur autem ex tribus personalitatibus, quas ob naturæ fœcunditatem fides in Divinis docet, PATERNITAS sola sit illa quæ intentionaliter emanet, breviter ita colligitur : inter plures personalitates ea videtur sic emanare, quæ est magis connaturalis Deitati : ea videtur magis connaturalis, quæ modum existentiæ conformem cum natura h. e. aseitatem habet : ea modum existendi a se obtinet, quæ a nullo principio producitur : ea nullatenus producitur, quam origo vel via productionis nulla præcedit : eam via hujusmodi non præcedit, quæ ipsa primam originem ac productionis modum exercet erga personalitatem aliam : atqui hoc præstat PATERNITAS respectu Filii, quem per intellectionem, seu primam immanenter agendi rationem, producit; ergo PATERNITAS immediate et intentionaliter emanat a divina natura. Accedit, quod personalitates aliæ realiter producantur vel adæquate vel inadæquate a Patre, et hinc secundum rationem emanare solum a natura nequeant.

## ARTICULUS III.

### EX QUARUM RERUM COGNITIONE PROCEDAT SECUNDA PERSONA ?

398. *Nota.* Equidem secunda in Divinis Persona convertibiliter dicitur *Filius* et *Verbum* : hæc tamen omnia non sunt synonyma. Nam relatio Filii diserte enuntiat ordinem viventis a vivente in similitudinem naturæ; Verbi autem relatio magis explicite prodit ordinem procedentis a dicente. Multo minus synonyma sunt intelligere, ac dicere, seu loqui. Prius enim simpliciter enuntiatum solam habitudinem denotat ad objectum cognitum; quæ præcise stat in tendentia vitali ad objectum sine ratione originis, et hinc solum grammaticalis est actio : posterius vero importat habitudinem ad verbum prolatum, seu concipiendo productum. Quare dum vel verbum Psal. 32. 7. sumitur pro imperio intellectus, aut decreto voluntatis, vel dicere, aut loqui Gen. 1. 26., Psal. 148. 5. et 6., et apud ANSEL. in Monol. c. 30. 40. 60. pro intelligentia, aut judicio communi, aut consensu accipitur; ubique improprie usurpatur.

Quamvis autem ex eodem capite *intellectio* essentialis non sit formaliter ipsa dictio, seu locutio; tamen supponitur vel ad eamdem pertinet : sicut quamvis intellectus non sit principium quo formale proximum, tamen tanquam principium potentiale ac remotum ad generationem Verbi spectat : ut adeo actio *active* sumpta dicatur cognitio notionalis importans relationem verbi, seu producti a dicente. Ex quibus intelligere datur, varias phrases a Patribus in hoc argumento usurpatas. Nam solus *Pater* in Divinis proprie loquitur ; quia solus Verbum producit : loquitur *Verbum* ut objectum, et ut terminum locutione productum : loquitur per suam *proprietatem*, velut per os et facultatem locutivam ; cum illa sit principium quo formale proximum : loquitur *soli Filio;* quia is solus per Verbi productionem red-

ditur intelligens : loquitur etiam Verbo ut *personæ*, cui manifestat Verbum ut cognitionem : loquitur denique per *Verbum*, inadæquate sumptum, sive pro locutione et generatione passiva, sive pro essentia communicata, tanquam manifestativo formali.

Porro præter relationem *originis* realem hactenus memoratam, in verbo et dictione non minus, ac in cognitione invenitur alia adhuc relatio, scilicet *rationis*, quæ est repræsentatio objecti, seu ordo verbi ac dictionis ad objectum repræsentatum. Atque de hoc objecto hic quæritur, quale sit respectu cognitionis notionalis illius, ex qua Persona secunda tanquam *Verbum* procedit. Circa quam quæstionem imprimis observandum est, objectum hujusmodi duplicis esse generis : aliud *divinum*, quod complectitur essentiam, attributa, et relationes divinas ; item cognitiones et decreta Dei, tum necessaria, tum libera : aliud *creatum*, quod complectitur possibilia et futura, seu absoluta, seu conditionata.

Deinde cognitionem Dei, utpote essentialiter perfectissimam, esse comprehensivam et intuitivam rerum omnium cognoscibilium; posse tamen, secundum nostrum intelligendi modum et objectorum distinctionem, concipi aliquem cognitionis divinæ ordinem pro *signis originis* ad Filium, seu Verbi productionem, ita ut in *primo* comprehendatur essentia cum attributis, ideoque videatur esse radix trium Personalitatum secundum originem, et creaturarum secundum causalitatem : in *secundo* ex utriusque comprehensione cognoscatur emicare virtus generativa Verbi, qua Pater constituitur, et jam ut existens proponitur : in *tertio* conspiciatur Verbum jam ut ex virtute illa generativa existens : in *quarto* videatur etiam Spiritus sanctus ut ex Patre et Filio existens, et sic natura divina jam ut perfecte in tribus Personis subsistens intelligatur : in *quarto* habeatur scientia media reflexa : in *quinto* scientia media directa ponatur : in reliquis decreta Dei libera et scientiæ illa excipientes sequantur.

Denique Verbum posse procedere ex cognitione objectorum, vel per se ac formaliter, vel per accidens tantum et concomitanter. *Primum* fit, si cognitio tanquam ratio formalis conducat ad Verbi productionem : *secundum*, si cognitio non ita conducat, licet identice ac realiter ad eamdem concurrat; sicut cum proportione realitas dicitur conducere ad ratiocinationes, animalitas autem non conducere tanquam ratio formalis ; unde

Tandem *sensus quæstionis* est, quænam ex objectis, sive divinis sive creatis, attingat cognitio, quam Pater divinus in signo priori originis ad Filium seu productionem Verbi habet ? sive ex quorumnam objectorum cognitione Verbum procedat sive *formaliter* et per se, sive *concomitanter* et per accidens? De cognitione essentiæ divinæ tanquam formali ratione processionis nemo est qui ambigat : de cognitione aliorum non tam diversitas sententiarum videtur, quam difficultas subtilitatis metaphysicæ; in qua ad apices discutienda cum non appareat vel necessitas, vel tanta utilitas, quæstionem brevibus duntaxat assertis resolvemus.

399. *Dico 1.* Verbum divinum per se procedit ex cognitione attributorum et trium Personarum.

*Prob.* Quod procedit *per se* ex intuitiva et comprehensiva cognitione essentiæ divinæ, per se procedit ex cognitione attributorum et Personarum

Dei; quia hujusmodi cognitio attingit rem, ut est *in se*, et totam totaliter cognoscit; adeoque saltem ea, quæ formaliter rei insunt, et qualia sunt prædicata necessaria tam relativa quam absoluta, complectitur : sed VERBUM procedit per se ex intuitiva et comprehensiva cognitione essentiæ divinæ; hujusmodi enim cognitionem exigit tum objectum, quod est primarium : tum producens, qui se ipsum cognoscit : tum procedens, qui est VERBUM perfectissimum, et perfectissime repræsentans; ergo procedit per se ex cognitione attributorum et trium Personarum.

*Conf.* 1. Verbum per se procedit ex cognitione, qua Pater se ipsum comprehendit; tum quia Verbum, vi suæ processionis, tanquam perfecta Patris imago hunc repræsentat et exprimit : tum quia Patri alias non foret per omnia æquale; quod insinuavit AUG. L. 15. de Trin. c. 14. scribens : *Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia : non enim seipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo, quam in seipso.* Sed cognitio, qua Pater seipsum comprehendit, eadem non tantum comprehendit attributa, sed et Filium ac Spiritum sanctum : tum quia correlativa, qualia sunt tres Personæ, sunt simul natura et cognitione : tum quia Pater in sui cognitione comprehensiva vim suam generativam et spirativam intuetur, quæ sine terminis correspondentibus Filii et Spirati nequit cognosci; ergo.

*Conf.* 2. In signo priori originis ad generationem Filii, Filius et Spiritus sanctus reipsa jam existunt; tum quia sunt entia plane necessaria : tum quia illud originis instans non est temporis, nec naturæ, nec prioritatis *in quo*, sed tantum *a quo*. *Deinde* in eodem signo Filius et Spiritus sanctus cognoscuntur; quia cognitio tum divinitatis, tum paternitatis comprehensiva nequit carere notitia Filii et Spiritus sancti, ut ex dictis constat. *Præterea* hæc cognitio non est *abstractiva*, sed intuitiva; quia nec est cognitio per species alienas; cum Deus ad se cognoscendum non indigeat specie intelligibili; et, si essentia divina foret species, non tamen aliena esset : neque est cognitio *absentis*, aut ut formaliter absentis; cum ex memoratis Personæ jam existant; et quamvis in illo priori non cognoscantur ut existentes in se ipsis, cognoscuntur tamen ut existentes in essentia : neque est cognitio rei duntaxat in alio; quia Personæ cognoscuntur in se ipsis, licet ut exercite existentes in posteriori signo attingantur. Ergo etiam VERBUM ex cognitione tum sui ipsius, tum Spiritus sancti procedere potest, quamvis non possit esse sui ipsius principium, aut habere esse suum a suo termino; cum ad prius non requiritur motivum physicum, aut determinativum, sed sufficiat objectum, et quidem pure terminativum, quale hic solum adest : ad posterius autem necessaria foret prioritas originis in Filio respectu sui, et in Spiritu sancto respectu Filii; quod utrumque repugnat.

400. *Dico II.* Idem procedit etiam per se ex cognitione possibilium, per accidens autem et concomitanter tantum ex cognitione futurorum tam conditionatorum, quam absolutorum.

*Prob.* 1ª. *p.* Verbum per se ac formaliter procedit ex cognitione essentiæ divinæ ac attributorum, ut constat ex num. priore et ex auctoritate FULGENTII et ANSELMI; quorum prior L. 3. ad Monim. c. 7. inquit : *Nec minus aliquid habet verbum quod ex mente nascitur quam est mens, de qua nascitur;*

posterior autem in Proslog. c. 23. ait : *Non potest aliud quam quod es, aut aliquid majus vel minus te esse in Verbo, quo te ipsum dicis : quoniam Verbum tuum sic est verum, quomodo tu verax* : ex quo patet hunc S. Doctorem in Monol. c. 30. loqui de futuris; aut, si de possibilibus intelligatur, asserere quidem Verbum esse ac manere, non tamen idem, sed diversæ rationis, si possibilia forent impossibilia. Sed cognitio comprehensiva essentiæ attingit ejus participabilitatem, et similis cognitio attributorum, præsertim omnipotentiæ, attingit rerum producibilitatem; adeoque possibilia, utpote quæ sunt essentiæ participabilia et omnipotentiæ producibilia; ergo.

*Conf.* 1. Juxta Aug. L. 6. de Trin. c. 10. n. 11. Verbum procedit a Patre, *tanquam Verbum perfectum, cui non desit aliquid, et ars quædam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium.* Sed quod procedit ut *ars* et ut *plena omnium rationum incommutabilium,* debet repræsentare artefacta secundum esse ideale, seu possibile, et secundum rationes essentiales, seu prædicata non repugnantia; adeoque ex horum cognitione procedere; ergo.

*Conf.* 2. Quamvis ipsa possibilia non sint principium Verbi, sicut nec Verbum sui ipsius, nec Spiritus sanctus Verbi est principium : tamen ex cognitione illorum, æque ac istorum procedere potest; cum, quæ inter utraque intercedit differentia, nihil impediat. Non enim in possibilibus obstat ratio *creati* ac *finiti*; quia, quamvis Pater essentiam cognoscat principalius ac directius, quam creaturas ut possibiles; cognoscit tamen utraque pro eodem signo naturæ : et ipsa etiam essentia prius movet ad repræsentationem objecti, licet *creati* et *finiti,* quam ad productionem Verbi; cum essentialia sint priora notionalibus : Nec ratio *producibilis simpliciter*; quia possibilia ut simpliciter producibilia, quamvis nequeant produci, nisi a divina essentia per suas personalitates completa; tamen cognosci possunt ut producibilia ab essentia, priusquam hæc intelligatur sic completa; cum cognosci possunt ut essentialiter respicientia essentiam, ut participabilem et omnipotentem, non autem ut subsistentem in tribus personalitatibus, vel ut personam : Nec ratio *producibilis per Verbum*; quia licet non possint cognosci prius esse quam Verbum sit, aut productione sua per Verbum facienda antecedere ipsam Verbi productionem; prius tamen cognosci possunt ut objecta producibilia per Verbum, quam ipsum Verbum intelligatur productum.

*Prob.* 2ª. *p.* Juxta S. Aug. L. 15. de Trin. c. 14. *Novit omnia Deus Pater in se ipso, novit in Filio : sed in se ipso tanquam se ipsum, et in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in se ipso* : adeoque tam cognitio Patris comprehensiva, quam ratio Verbi, quod est hujus cognitionis terminus, omnia repræsentantis exigit cognosci a Deo res omnes cognoscibiles, quas inter etiam sunt futura quæcumque; quod ipsum probant etiam Patrum dicta nonnulla, ad plus evincendum alias prolata. Quo minus tamen ex cognitione Dei, ut terminata ad futurum creatum quodcumque, probetur procedere Verbum *formaliter* ac *per se,* sic efficitur : cognitio, ex qua formaliter procedit Verbum, debet esse necessaria; cum ipsa Verbi productio *per se* et *absolute* necessaria sit, quæ a contingente dependere nequit : sed cognitio futurorum creatorum qualiumcumque non

est necessaria; quia hæc sive conditionata sive futura sunt contingentia; ergo.

*Conf.* 1. Similiter cognitio, ex qua Verbum procedit, debet esse prior secundum rationem, productio Verbi autem posterior : atqui cognitio futurorum creatorum nequit esse prior, et productio Verbi posterior; sed res habet se vice versa : cum futurorum cognitio sit *contingens,* productio autem Verbi *necessaria;* necessaria autem in Deo priora sint contingentibus; ergo.

*Conf.* 2. Cognitio *per se* non concurrit ad productionem Verbi, quæ non est perfectio, sed prædicatum neutrum; quæ non connectitur essentialiter cum objecto repræsentato; quæ, si non daretur, adhuc idem et eodem modo existeret Verbum; prout fere ex terminis patet. Sed cognitio futurorum imprimis non est *perfectio,* sed prædicatum neutrum; quia, quamvis perfectio sit cognoscere quodlibet cognoscibile, tamen perfectio non est cognoscere hoc potius, quam illud; cum ab objecto in cognitionem divinam ex se perfectissimam et motivo physico carentem, nulla refundatur excellentia : item essentia divina cognitioque essentialis cum nulla re *creata* ut futura connectitur essentialiter; quandoquidem Deo libera est non tantum existentia, sed et hypothesis, aut conditionatum futurorum : tandem Verbum nihil mutationis haberet, aut aliud foret, si nulla existeret creatura, aut nullo modo esset futura; ergo. Idem argumentum tenet etiam pro decretis Dei liberis.

401. *Observa.* Appendix hujus Articuli et prodroma sequentis est quæstio : Ex quarumnam rerum amore procedat Spiritus sanctus? Resolutio cum proportione est eadem, et quidem communis; quod *formaliter* ac *per se* Spiritus sanctus procedat ex amore essentiæ, attributorum et Personarum; concomitanter autem et per accidens tantum ex amore creaturarum futurarum; cum amorem hic partim perfectissimum, partim necessarium requirant omnes, ut de cognitione in superioribus est dictum; notionalis etiam ac necessarius terminus a principio contingente, aut libero dependere nequeat. Dissidium tamen movetur circa amorem possibilium, quem *Thomistæ* hinc exclusum volunt, quoniam possibilia nullatenus a Deo amari contendunt. Cum vero contrarium in Tr. *de Deo uno* insinuaverimus, etiam hic cum aliis communiter repugnamus, ac possibilium amori, conformiter ad dicta de cognitione, formalem concursum attribuimus.

## ARTICULUS IV.

### AN TERTIA IN DIVINIS PERSONA PROCEDAT A PATRE ET FILIO?

402. *Nota.* Dogma Catholicum de tertia in Divinis Persona gemino hactenus errore fuit lacessitum. *Primus Arianos* et *Macedonianos* habuit auctores, qui, detracta Spiritui sancto divinitate, cum a solo Filio, itidem creatura, factum seu creatum dicebant. Sed brevi extinctus hic error jacuit, Patribus Concilii Œcumenici II. agentibus, qui Symbolo Nicæno post has voces: *Credimus in Spiritum sanctum,* addiderunt: *Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit. Secundus* pertinacior fuit, ac etiamnum apud *Græcos*

*Schismaticos* perseverat. Quidam Theodoretum in sua Anathematismorum S. Cyrilli confutatione auctorem illius volunt: alii ejus initia ad seculi septimi medium revocant; nec tam ejus editorem nominant, quam oppugnatorem S. Maximum in ep. *ad Marin.* laudant. Illud certum, seculo jam octavo acriorem fuisse circa dogma de Spiritu sancto controversiam, de eaque jam celebratas per Galliam, Italiam et Germaniam Synodos, quas in Chronologica Conciliorum serie notatas reperies. Qua porro vicissitudine sub tempora Photii, Michaelis Cerularii, Josephi Constantinopolitani, et Marci Ephesini, eadem disputatio exarserit et resederit, recruduerit et quieverit, resuscitata fuerit, et eatenus compressa, ut publicam saltem fidei erroneæ confessionem recens non obtinuerit, ex historia *Concil. Œcumenicorum*, Constantinopolitani et Later. IV., Lugdun. II. ac Florentini discere licet.

Cum dissidentium pars utraque Spiritus sancti et divinitatem et processionem a Patre crederet, *Græcorum* partim imperita obstinatio, partim persuasio erronea dissidium effecit perpetuum. Quamvis ipsi concederent, Spiritum sanctum esse a Patre per Filium, quin et a Filio esse, effluere, scaturire, emanare, ac spirari; negabant tamen ab illo procedere: vel quod dicerent processionem connotare principium, quod ab alio non procedit; vel quod existimarent, exinde statui *duo principia* Spiritus sancti quorum prius ignorantiam pertinacem prodit; cum processionis verbum universalissimum sit, ac minus quam quodvis aliud, modum originis determinet: posterius autem errorem credulitatis ostendit; cum in gemina Persona unum duntaxat principium unicamque spirationem *Latini* palam ac sincere profiterentur. Omisso itaque errore altero, qui Disp. 1ª. jam est refutatus, alterum secundum duas has partes distinctis assertionibus profligabimus.

403. *Dico I.* Spiritus sanctus procedit, non a solo Patre, sed etiam a Filio divino. Pars 1ª. ex dictis etiam certa est apud Schismaticos, manifesta est ex Scripturis; a quibus Spiritus sanctus 1. ad Cor. 2. 10. *Spiritus Dei*, Matth. 10. 20. *Spiritus Patris*, Joan. 15. 26. *a Patre procedens* dicitur: definita est in Conciliis, ac in Symbolis plerisque proposita; et plerisque Traditionis monumentis demonstratur, quæ pro parte 2ª. afferuntur. Unde hæc speciatim

*Prob. I. Ex* Scriptura. 1°. In Divinis dare aut tradere, idem est ac producere, ut patet ex Joan. 5. 26. Matth. 11. 27. et alibi; ergo et accipere idem est ac procedere; tum quia hoc sequitur ex relativa oppositione: tum quia quidquid Persona una accipit ab altera, non est accidens aliquod utpote a Deo alienum, sed ipsa Dei substantia. Sed Spiritus sanctus accipit a Filio, dicente Christo, Joan. 16. 13. et 12. *Spiritus veritatis non loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet et annuntiabit vobis*: quibus verbis ipsam divinitatem communicatam denotari, colligitur ex v. 15., ubi Christus ait: *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*; ergo. Ita colligunt ex hoc loco Athan. in ep. 3. ad Serap. n. 1., Epiphan. in Ancor. n. 67., Ambros. de fide Orthod. c. 8. (opp. t. 2. part. 2. p. 356.), Hilar. L. 8. de Trin. n. 20. et alii.

2°. Qui mittitur missione propria a Filio, procedit ab eodem; sed Spiritus

sanctus mittitur a Filio, juxta Joan. 14. 16. *Paracletus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo;* c. 15. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui a Patre procedit;* et c. 16. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et hæc missio est propria, quia est personalis; cum ubique tribuantur effectus, personis duntaxat convenientes, scilicet in primo : *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia;* in secundo : *Ille testimonium perhibebit de me;* in tertio : *Arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio;* ergo. Haud absimili modo argumentantur Nazianz. Or. 31. n. 26., Aug. L. 4. de Trin. c. 10. n. 29., Greg. M. hom. 26. in Evang. n. 2., Ansel. de Proc. Spiritus sancti c. 9. etc.

3°. Qui in Divinis dicitur esse alterius, ab illo procedit; quia cum una Persona sit alteri æqualis, non dicitur alterius esse ratione subjectionis, aut servitutis, sed ratione originis; quomodo Matth. 10. 20. dicitur : *Spiritus Patris vestri loquitur in vobis* : sed Spiritus sanctus dicitur spiritus Filii; tum verbis disertis ad Galat. 4. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra* : tum æquivalentibus, Joan. 15. 26. *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit,* Act. 16. 7. *Non permisit eos Spiritus Jesu,* ad Rom. 8. 9. *Si quis Spiritum Christi non habet* etc. Ergo. Utuntur hoc argumento Cyril. Alex. in ep. ad Nestor. c. 10. (Labb. t. 3. p. 405. D. E.), Athan. in ep. 1. ad Serap. n. 25., Epiphan. hær. 74. n. 7. cum aliis.

*II. Ex* Patribus. Et quidem ex Græcis, quorum hic auctoritas plurimum valere debet, Greg. Nyssen. L. 1. cont. Eun. (opp. t. 2. p. 428. D.) inquit : *Ut Patri conjunctus est Filius, et cum ex illo esse habeat, non tamen posterius existit; sic etiam Spiritus sanctus proxime hæret Filio, qui sola cogitatione, secundum rationem principii, prius consideratur productione Spiritus..... adeo ut detracta principii ratione, nulla re sancta Trinitas a se ipsa dissideat;* Athan. ep. 1. ad Serap. n. 20. 21. *Quemadmodum unigenitus est Filius, sic et Spiritus qui a Filio datur et mittitur, unus item est, non multi..... Quia enim unus est Filius, qui et vivens est Verbum, unam quoque esse necesse est perfectam et plenam, sanctificantem et illuminantem, viventem ejus efficaciam et donum; quod ex Patre procedere dicitur, quia ex Verbo, quod ex Patre esse conceditur, effulget, et ab eodem mittitur et datur. Filium quidem a Patre mitti verissimum est..... sic etiam Filius Spiritum mittit..... Filius dicit : quæ audivi a Patre, hæc loquor in mundo. Spiritus autem ex Filio quoque accipit..... Igitur eumdem ordinem, eamdemque naturam habet Spiritus erga Filium, qualem Filius erga Patrem.* Didym. L. de Spiritu sancto n. 34. *Non ex se est* (Spiritus sanctus), *sed ex Patre et me est. Hoc enim ipsum, quod subsistit et loquitur, a Patre et me* (Filio) *illi est;* et ibid. n. 37. *Neque enim quid aliud est Filius, exceptis his, quæ ei dantur a Patre; neque alia est substantia Spiritus sancti, præter id, quod datur ei a Filio.* Bas. L. 3. cont. Eunom. (opp. t. 1. p. 272. B. et apud Petav. de Trinit. L. 7. c. 3. n. 15.) : *Ut Filius ordine est secundus a Patre; quoniam ab eo est : et dignitate; quoniam principium et causa existendi ipsi Pater est... eodem modo Spiritus sanctus posterior Filio est ordine, et dignitate;* et L. 5. cont. eumd. (opp. t. 1. p. 302. A. et 304. E.) vocat Spiritum sanctum *verbum et imaginem Filii.* Epiphan. in Ancor. n. 8. *Spiritus Dei, et Spiritus Patris, et Spiritus Filii, non compositione aliqua, ut in nobis anima et cor-*

*pus, sed inter Patrem et Filium medius, ex Patre Filioque procedens, et appellatione tertius;* et n. 67. *Jam vero cum Christus ex Patre credatur, Deus ex Deo; et Spiritus ex Christo, sive ab ambobus; ut Christus his verbis asserit: quia a Patre procedit et, hic de meo accipiet.* Idem hær. 62. n. 4. *Non alienus est a Patre et Filio, sed ex eadem substantia, ex eadem divinitate, ex Patre et Filio, cum Patre et Filio subsistens semper Spiritus sanctus;* Cyr. Alex. L. 34. Thes. (opp. t. 5. part. 1ª. p. 358.) : *Necesse est fateri Spiritum e substantia esse Filii : Nam, ut ex ipso naturaliter existens, et in creaturam ab ipso missus, renovationem efficit, complementum nempe sanctæ Trinitatis;* et L. 1. de adorat. (opp. t. 1. part. 2ª. p. 9.) : *Mutabilis nullo modo est Spiritus, aut, si mutationis morbo laborat, ad ipsam Dei naturam hæc labes pertinebit. Siquidem est Dei et Patris et Filii, ille qui substantialiter ex utroque, nimirum ex Patre per Filium, profluit Spiritus.*

Eamdem veritatem verbis metaphoricis enuntiant, qui *Filium fontem esse Spiritus sancti,* et hunc ab illo *proflucre, prodire, scaturire* dicunt; ut Athan. de Incarn. et cont. Arian. n. 9., Cyrill. Alex. in Joann. L. 2. (opp. t. 4. p. 182. D.) et epist. ad Nestor. c. 10.; vel qui dicunt Spiritum sanctum esse *ex substantia* Filii : ut Cyrill. Alex. in Joann. L. 10. (p. 926. A.) et Thesaur. L. 31. (opp. t. 5. p. 334. D.), Epiph. in Ancor. n. 7.; vel qui prædicant Spiritum sanctum esse Spiritum *Filii proprium,* ut Athan. ep. 1. ad Serap. n. 25., Cyrill. Alex. in Joann. L. 9. (p. 810.) et L. 10. (p. 910.) vel qui Spiritum sanctum appellant aut *odorem,* aut *vaporem* aut *halitum* Filii, ut Athan. epist. 3. ad Serap. n. 2., Cyrill. Alex. in Joann. L. 11. (p. 930.) et Thesaur. L. 33. (p. 338. B.) et alii. V. Petav. de Trinit. L. 7. c. 3. 4. 5.

Porro ex Latinis Patribus laudasse sufficiat Tertull. cont. Praxeam c. 4. Hilar. de Trinit. L. 2. n. 29. et L. 8. n. 20. Ambros. de Spir. sancto L. 1. c. 11. n. 120. August. de Trinit. L. 4. c. 20. n. 29. et L. 15. c. 17. n. 29. alibique, Marium Victor. adv. Arium L. 1. c. 12. et 13. Leon. M. ep. 15. c. 1. Fulgent. L. de fide ad Petrum. c. 11. Greg. M. Moral. in Job. L. 1. c. 7. (al. 22. n. 30.) et in Evang. L. 2. hom. 26. n. 2. cum aliis plurimis, quos sibi adversari Græci haud ægre fatentur. V. Petavium L. 7. c. 8.

*III. Ex* Conciliis. Epistola Cyrilli, et Concilii Alexandrini data ad Nestorium, lecta et approbata fuit a Conc. Ephesino Act. 1.; deinceps etiam a Chalced. Act. 5., Constantinopolitano II. Collat. 6. et 8., III. Act. 18., et IV. Sess. ult. est confirmata : sed in hac diserte dicitur Spiritus sanctus *a Filio et a Deo Patre procedere* (Labb. t. 3. p. 405. D.). Præterea Conc. Lateran. IV. c. 1. de fid. Cath. (Labb. t. 11. part. 1ª. p. 242. C.) sic profitetur : *Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus sanctus ab utroque pariter, absque initio semper et fine.* Lugdunense II. autem in Constitutione synodica de processione Spiritus sancti (Labb. ibid. p. 974. E.) inquit : *Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedat.* Secundum quam professionem ibidem Symbolum Patrum, cum addito *Filioque* a Græcis græce, a Latinis latine in Missis solemnibus decantatum fuisse, Acta Concilii perhibent.

Tandem Concilium Florentinum in Litteris Unionis (Labb. t. 13. p. 514. D.) primo quæstionem definit his verbis : *In nomine S. Trinitatis, Patris, Filii et*

*Spiritus sancti, hoc sacro universali Concilio Florentino approbante definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit.* Mox sinistram interpretationem prævertens subjungit: *Declarantes, quod id, quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut et Patrem.* Denique rationem adjiciens ita finit: *Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem; hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius æternaliter habet, a quo etiam æternaliter est genitus.*

*IV. Ex* Ratione, et quidem ex duplici axiomate Theologico. *Primum,* et velut a priori, est: Quæcumque habet Pater in Divinis, excepta ratione *Ingeniti* et *Paternitate,* communia etiam sunt cum Filio. Ita loquuntur Nazianz. Orat. 41. in Pentec. n. 9. et Orat. 31. n. 9. Cyr. Alex. L. 2. Dial. (Opp. t. 5. p. 422. C. et seqq.), et Thesaur. L. 12. (Opp. t. 5. p. 110. D. E.), et alii plerique: statuunt Patres Florentini in periocha ultimo laudata: insinuat Scriptura verbis Christi: *omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Sed Pater in Divinis habet potentiam spirandi, distinctam a ratione Ingeniti et Paternitatis, seu vis generativæ; ergo potentia spirandi communis est cum Filio. *Secundum,* et velut a posteriori, est: Distinctionis fundamentum in Divinis sola est processio, seu relationis oppositio: constat id ex Patrum dictis, et usu Florentini num. 381. indicatis: sed Spiritus sanctus non minus distinguitur a Filio, quam a Patre; ergo et ab eodem æque ac ab isto procedit.

*Conf.* 1. Sententia est Patrum ac Theologorum consensu firmata, Filium per *intellectum,* et Spiritum sanctum per *voluntatem* procedere; ideoque ille Verbum, hic Amor compellatur: sed quod procedit per voluntatem et ut amor, non tantum a cognoscente, sed etiam ab ipso verbo, si hoc sit subsistens, procedit; quia nihil amamus, nisi secundum quod conceptione mentis apprehendimus, h. e. nisi præcognitum; ergo.

*Conf.* 2. Filius, dum ei communicatur voluntas a Patre, pro priore originis non supponit terminum voluntatis, seu Spiritum sanctum productum; ergo accipit a Patre voluntatem fœcundam et productivam Spiritus sancti, sicut Filius et Spiritus sanctus omnipotentiam fœcundam ex simili capite accipiunt, dum eis communicatur; ergo Spiritum sanctum æque producit cum Patre ad intra, sicut cum eodem et Spiritu sancto creaturas producit ad extra.

*Conf.* 3. Esse spiratorem, nec repugnat Filio, ut est Deus; cum et Pater spirator sit Deus: neque ut est Filius; quia processio per spirationem alia est, quam illa per generationem; ideoque, cum Filius sit genitus, non autem spiratus, Patri ut spiratori non opponitur, nec repugnat. Præterea vero ordo in Divinis non alius est, quam *originis;* adeoque, nisi Persona tertia simul procedat a secunda, præter primam erunt tantum duæ secundæ, non autem secunda et tertia ordine. Ergo cum spiratio activa Filio non repugnet, quin ab ordine exigatur, eadem Filio est asserenda.

404. *Dico II.* Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti; cujus contrarium nunquam admisit Ecclesia Latina. Constat utraque pars ex *definitionibus Conciliorum* proxime relatis. Nihilominus

*Prob.* 1ª. *p.* Nihil frequentius est in Scripturis, quam Spiritum sanctum designari, vel per *spiritum Dei,* vel per *spiritum Domini,* vel per *spiritum, qui ex Deo est.* Sed hujus locutionis ratio non apparet alia, quam ut significetur ordinem Spiritus sancti ad Patrem et Filium terminari, quatenus hi sunt unus Deus et unum principium, non autem quatenus sunt distincti, ut simili modo usurpari locutionem de actionibus ad extra Patres pronuntiant; ergo.

*Conf.* 1. Inter modos *monarchiam* in Divinis stabilitam explicandi geminos, alter est, quod unum, sicut in creatione, sic et in processione sit principium; ut videre est apud Græcos Athan. Or. 4. cont. Arian. n. 1., Greg. Nyssen. Or. 1. in verba : *Faciamus hominem* (opp. t. 1. p. 141. C.), Nazianz. Or. 20. n. 7., Basil. hom. 24. cont. Sabell. n. 4. et Latinos, Aug. L. 5. de Trin. c. 14., Ansel. in L. de Process. Spiritus sancti c. 9. et alios. Ergo cum iidem asserant Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedere, hujus processionis unum duntaxat principium in utroque reponunt.

*Conf.* 2. Sicut se habet omnipotentia respectu trium Personarum in ordine agendi ad extra, sic se habet *potentia spirativa* respectu Patris et Filii in ordine agendi ad intra; cum ex dictis proportio sit eadem in ratione agentium et actionis; ergo sicut in agendo ad extra tres Personæ sunt unum principium, sic Pater et Filius unum principium sunt in agendo ad intra. Præterea Pater et Filius in esse spiratoris non distinguuntur a se invicem; quia in hac ratione sibi non opponuntur *relative*: ubi autem non intercedit relationis oppositio, non est distinctio, sed unitas in divinis; ergo. Denique in concretis *substantivis*, qualia sunt spirator, vel principium, æque ac Deus, vel creator, non est multiplicatio, nisi multiplicata forma, quæ scilicet per modum per se stantis hic habetur : sed nec virtus, nec actio spirativa hic multiplicatur; tum quia hæc sunt voluntas et amor Patris et Filii: tum quia nec multiplicatio, aut numerus in Divinis locum habet circa relationis oppositionem; ergo. Qui aliter subinde loquuntur, uti Hilar. L. 2. de Trin. n. 29. *Patrem et Filium* vocans *auctores Spiritus sancti,* sumunt substantivum concretum adjective.

*Prob.* 2ª. *p.* Præterquam quod nullum extet in *Ecclesia Latina* documentum authenticum, quod erroris hujus criminationem probet; eadem non tantum in Synodis particularibus, præsertim Forojuliensi an. 791., Aquisgranensi an. 809. et Barensi an. 1097. contestata est dogma omnino Catholicum : sed etiam amolita est a se omnem suspicionem in Synodis Œcumenicis, Lugdunensi II. c. 1. (Labb. t. 11. part. 1ª. p. 975. A.) : *Sacro approbante Concilio, damnamus et reprobamus omnes qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedere, sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio tanquam ex duobus principiis, et non tanquam ex uno procedat;* et Florentina, in decreto Unionis (Labb. t. 13. p. 514. B.) : *Latini vero affirmarunt, non se hac mente dicere, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons ac principium totius Deitatis, Filii scilicet ac Spiritus sancti; aut quod id, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre*

*non habeat, sive quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes : sed unum tantum asserant esse principium, unicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerunt.*

405. *Obj. I.* Imprimis *Scriptura* agens de processione Spiritus sancti, facit mentionem Patris duntaxat, non autem Filii. Etiam Concil. *Constantinopolitanum I.* in simili occasione de processione ex Filio altum silet. Quin in Concil. *Ephesino* symbolum Nestorianum, quo negabatur Spiritus sanctus per Filium procedere, Act. 6. publice lectum, quoad hoc caput non est reprobatum a Patribus. Eadem dissimulatione usus est Cyrillus Alex. ad impugnationem sui anathematismi noni, qua Theodoretus idem inficiabatur.

R. *Quoad* 1$^{um}$. *D.* Scriptura agens de processione Spiritus sancti non facit mentionem Filii implicite, et quoad sensum *N.* explicite, et quoad verba *C. primum* patet ex probationibus : *secundum* non obest; tum quia mos est Scripturæ, quæ pluribus Personis sint communia tribuere uni, sine tamen aliarum exclusione, ut ex Joan. 1. 9., Act. 1. 7. aliisque locis constat : tum quia facti ratio suppetit, quam indicavit Aug. Tr. 99. in Joan. n. 8. scribens : *Si ergo de Patre et de Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit ; De Patre procedit cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre, et quod ipsius est, de quo et ipse est. Unde illud est, quod ait : Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris : quanto magis illic intelligendus est et de ipso procedere Spiritus Sanctus ; ubi sic ait, de Patre procedit, ut non diceret, de me non procedit.* Adde, quod, si verbum scriptum deforet, traditum sufficeret.

*Quoad* 2$^{um}$. *D.* Concilium hoc altum silet de Filio, ob fidem contrariam *N.* ob necessitatis absentiam *C.* Pro more Conciliorum, quæ definitiones non edunt, nisi occasione hæresum subnascentium, tam Nicænum de ipsa Spiritus sancti divinitate, quam Constantinopolitanum de ejus processione a Filio siluit : ut tamen illud opposite errori *Arianorum* divinitatem Verbi, ita hoc accommodate ad damnandos *Macedonianos* negatam Spiritus sancti divinitatem et processionem a Patre definivit.

*Quoad* 3$^{um}$. *D.* Symbolum Nestorianum, quoad caput de processione Spiritus sancti erroneum, non fuit reprobatum æquivalenter *N.* formaliter *subd.* ex consensu in errorem *N.* ex neglectu quæstionis ad scopum non pertinentis *T.* Non approbatum, sed *æquivalenter* saltem reprobatum fuisse caput illud erroneum, patet ex eo quod Synodus tanquam Catholicam confirmarit epistolam Cyrilli. Alex. ad *Nestorium,* qua dogma orthodoxum de Spiritu sancto aperte pronuntiatur. Quod examen de processione Spiritus sancti ad scopum disputationis non pertineret, constat ex controversia inter *Nestorium* et Cyrillum agitata, quæ circa substantialem Christi divinitatem et personam unicam versabatur. Quod demum impune negligi etiam ac dissimulari censura potuerit, inde liquet; quia negatio *Nestorii* accipi poterat in sensu præcise opposito *Macedonianis :* quæ excusatio nisi valeat, difficultas premet Græcos etiam ipsos; cum Nestorius negarit, Spiritum sanctum per Filium procedere.

*Quoad* 4$^{um}$. est eadem responsio, utpote in eadem controversia. Præterea vero Cyrillus in declaratione Anathematismi noni, quem Theodoretus oppu-

gnavit, diserte asserit, tum Filio, præter paternitatem, omnia esse communia cum Patre; tum Spiritum sanctum Filio esse proprium, ipsi substantialiter inesse, ac esse ex ipso.

*Inst.* 1. Ex Patribus *Græcis* : Dionys. L. de divinis Nom. c. 2. §. 5. Athan. L. de Incarnat. et cont. Arian. dicunt *solum Patrem* esse *fontem divinitatis*, vel *causam duarum personarum* : Athan. refut. hypocr. Melet. Euseb. et Paul. Samos. Basil. cont. Eun., et Damasc. L. 1. de fid. c. 11. (al. 8.), cum aliis Spiritum sanctum non dicunt *ex Filio* procedere, ut de Patre loquuntur, sed duntaxat *per Filium*.

R. *Quoad* 1$^{um}$. *C. A. N. C.* Filius equidem nec est fons omnis divinitatis, nec causa duarum Personarum; est tamen, juxta Epiphan. hær. 76. in confut. c. 18. Actii (opp. t. 1. p. 959. D.), *fons de fonte* : juxta Athan., Cyril., supra laudatos, *fons Spiritus sancti* : juxta Græcos plerosque in Synodo Florent. loquentes, *causa Personæ tertiæ*.

*Quoad* 2$^{um}$. R. *Græci* hi Patres cum aliis omnibus dixerunt Spiritum sanctum, non ex Filio, sed per Filium *N.* cum pluribus *subd.* negando per hoc actionem principii, et significando solam rationem medii *N.* negando duntaxat actionem principii carentis alio principio, et denotando ordinem etiam Filii ad Patrem *C.* Spiritum sanctum procedere *ex Filio*, dixerunt etiam Epiphan. in Ancor. n. 8. Cyril. Alex. in ep. ad Nestor. c. 10. Maxim. in ep. ad Marin. (opp. t. 2. p. 70.) et alii.

Præterea præpositionem *per* non minus actionem causæ significare, quam alteram *ex*, tum ex Scriptura Joan. 1. 3., ad Coloss. 1. 16. et alibi, tum ex Patribus Greg. Nyssen. L. 1. cont. Eunom., Cyr. Alex. in ep. ad Theodos. et aliis manifestum est. Rationem autem diversæ usurpationis reddit Basil. L. de Spiritu sancto c. 5. scribens : *Hæ voces ex et per, non præscribentis legem sunt, sed hypostases discernentis : non enim ut naturæ diversitatem introducat, sed ut minime confusam Patris et Filii notionem præbeat, pronuntiavit Apostolus.* Ex quo D. Thom. p. 1. q. 36. a. 3. inquit : *Cum enim Filius a Patre habeat, quod ab eo Spiritus sanctus procedat, Pater per Filium spirare Spiritum sanctum dicitur.* V. Petav. L. 7. c. 17. n. 2. et seqq.

*Inst.* 2. Quamvis Patres Græci concedant eumdem etiam ex Filio procedere, negant tamen Filium esse *principium* Spiritus sancti; ut fecit Maxim. in ep. ad Marin. supr. cit., Nazianz. Orat. 34. in Ægyptior. advent. n. 10. et Damasc. de fide L. 1. c. 15. (al. 12. in fine). Similiter Theodoretus in ep. ad Monachos (opp. t. 3. p. 1021.), in reprehens. Anathem. 9. Cyrill. Alex., vel Spiritum sanctum et L. ult. hær. fab. vel silet de processione Spiritus sancti a Filio, vel eam negat (opp. t. 4. p. 718. C.) asserit tantum produci *per* Filium.

R. *D.* Nazianz., Maximus et Damascen. negant Filium esse principium Spiritus sancti, sumendo principium speciali modo, pro fonte Personarum, seu principio sine principio *C.* accipiendo principium simpliciter et modo communi, pro eo, a quo est origo ac processio *N. Principii* autem vocem a Græcis aliquando usurpatam fuisse pro *causa characteristica*, monet L. 7. de Trin. c. 17. Petavius. Theodoretum errasse, quin auctorem hujus erroris fuisse, docent Viri nonnulli insignes. Probabilius tamen vindicatur ab aliis; tum quia nec Cyrillus, quocum disputabat; nec Synodus IV., a qua fuit restitutus, nec Syn. V., a qua ejus scripta sunt damnata; hunc in illo erro-

rem notarunt : tum quia pleraque ejus dicta simili modo exponi possunt, quo aliorum Patrum verba (etiam DAMASCENI, quem pauci quidam contra communem aliorum sententiam erroris insimulant) hactenus declaravimus : tum quia in locis etiam objectis, maxime Lib. fabul. hæret., ponit principia processioni Spiritus sancti ex Filio valde faventia.

406. *Obj. II.* In hypothesi processionis ab utroque non potest dici 1°. an virtus spirandi, quæ reperitur in Patre, sufficiat, vel non sufficiat? cum in *primo* casu superflua sit virtus Filii ; in *secundo* autem inadæquata sit virtus Patris : 2°. An productio Spiritus sancti activa sit personalis, vel substantialis? cum prius nequeat esse commune pluribus personis ; posterius autem tribuendum foret ipsi etiam Spiritui sancto : 3°. An productio Spiritus sancti passive per se exigat pro principio suo duo supposita distincta, Patrem scilicet et Filium, an vero non? cum *primum* videatur carere fundamento, et oppositam habeat paritatem in creatione ; *secundum* autem obsit dogmati.

R. *Quoad* 1um. Virtutem *spirativam,* quæ est in Patre, sufficere; nec ideo tamen virtutem, quæ in Filio est, superfluam esse, aut inutilem ; quia eadem omnino et unica virtus est in utroque. Paritas et declaratio dicti extat in virtute *creativa* omnibus Personis communi.

R. *Quoad* 2um. Productionem *activam* posse dici personalem, et negari quod ea duabus Personis nequeat esse communis. Videtur tamen potius dicenda nec personalis, nec essentialis, sed *notionalis;* quia scilicet, quamvis non constituat Patrem et Filium in esse Personæ, ut de innascibilitate respectu Patris diximus; nec etiam incommunicabilis sit Filio, cum filiationi relative non opponatur ; ad distinctionem tamen a Spiritu sancto, et notificationem utriusque Personæ pertinet.

R. *Quoad* 3um. Productionem Spiritus sancti *passivam,* prout reipsa est, per se exigere pro principio supposita duo distincta, seu Patrem et Filium ; quia Spiritus sanctus, prout nunc procedit, ex vi suæ proprietatis procedit ex amore mutuo, ut AUG. Tr. 99. n. 6. in Joan. appellat, *uno amborum,* ideoque dicit habitudinem relativam ad Patrem et Filium, seu duo supposita, per suam utrinque subsistentiam ad spirandum ultimo completa ; ergo per se respicit et exigit utramque Personam ; quia Personæ per se convenit sua proprietas ; et proprietati divinæ essentialis est habitudo relativa ; tali autem relationi tale principium debetur. Ex quo etiam colligitur dispar ratio a *creaturarum relatione,* quæ solum respicit et per se requirit principium a se existens et virtutis infinitæ ; quæ duo essentiæ divinæ etiam a subsistentiis præcisæ congruunt.

*Inst.* Dici non potest, an Spiritus sancti productio formalis, respectu utriusque Personæ, sit *æqualis* aut *inæqualis, mediata* aut *immediata?* cum alterutri parti repugnet ratio vel auctoritas ; ergo.

R. Dogma catholicum de æqualitate exprimit ANSEL. in opusc. de process. Spiritus sancti c. 22. scribens : *Non est Spiritus sanctus prius de Patre quam de Filio, nec de Filio, quam de Patre : nec major nec minor est existens de Patre quam existens de Filio : nec magis nec minus est de uno quam de altero.* De termino *principaliter* autem, idem, quod AUG. L. 15. de Trin.

c. 17. scripserat, addit Ansel. ibidem : *Si ergo dicitur quod Spiritus sanctus principaliter a Patre sit, non aliud significatur quam quia ipse Filius, de quo est Spiritus sanctus, a Patre habet hoc ipsum, ut Spiritus sanctus sit de illo : quoniam id, quod est, habet a Patre : non sicut in rebus creatis, cum aliquid asserimus esse principaliter, volumus significare quod magis sit hoc, quod dicitur esse principaliter, quam illud ad quod refertur.* De quantitate autem productionis formalis Spiritus sancti a Patre, quoad rem ipsam dubitari nequit, eam esse *immediatam*; cum et Pater ipse spiret, et eadem omnino ac unica spiratione qua spirat et Filius : quoad vocis usurpationem tamen dixerunt subinde Patres Græci, præsertim Greg. Nyssen. ep. ad Ablab. (opp. t. 3. p. 27. B.) et Basil. L. 2. cont. Eunom. (a Petav. cit. L. 7. c. 11. n. 1.), eamdem esse mediatam, seu Filio interveniente fieri; ut indicarent scilicet Filium hanc virtutem habere communicatam a Patre, qui hujus etiam spirationis principium est sine principio.

407. *Observa.* Occasione argumenti nostri secundi ex ratione propositi, quo usus est Joannes Theologus in Concilio Florentino Act. 18. contra Græcos, introducta est in Scholas quæstio : An, si Spiritus sanctus a Filio non procederet, ab illo nihilominus distingueretur? *Scotistis,* cum aliis nonnullis, id affirmantibus; *Thomistis* e contra illud negantibus cum reliquis. Habet quidem ea controversia utilitatem; quoniam et *Græci* olim agnoscebant, et nunc etiam Schismatici agnoscunt Spiritum sanctum reipsa distinctum a Filio, etsi negent illum ab hoc procedere : unde, parte negante stabilita, et vis argumenti a *Latinis* usurpati demonstratur, et systema Schismaticorum evertitur : sed veritate dogmatis aliunde satis manifestata, non opus ducimus ei inhærere diutius. Itaque observamus breviter, sensum quæstionis posse esse duplicem; 1$^{um}$. an si Spiritus sanctus non procederet a Filio, et tamen idem omnino tunc foret qualis jam est, adhuc distingueretur? sed hic, utpote assumens quod quæritur, et hinc illusorius, a nobis non attingitur. 2$^{um}$. vero sensum : an, si Spiritus sanctus non procederet a Filio, et consequenter tunc non foret idem qui nunc est (cum eamdem habitudinem essentialem haud diceret, quam dicit de facto) an, inquam, etiam tum adhuc distingueretur a Filio; cum possit tunc alius esse quam nunc est, et tamen non esse idem cum Filio?

Ad hunc quæstionis sensum, conflatum licet ex hypothesi omnino impossibili, resolvendum, nec opus est, nec decet abire a principio theologico alibi statuto, quo sumus certi non aliud distinctionis fundamentum esse in Divinis, aut cogitari posse, quam *relativam oppositionem originis,* seu producentis et producti; quæ cum in data hypothesi nullatenus adesse ponatur inter Filium et Spiritum sanctum, consequens est neque distinctionem intercedere posse. V. Petav. L. 7. c. 9.

Ne quis porro axioma laudatum in dubium revocare possit, Conciliis Toletano XI. et Florentino, nec non Boetio et Anselmo, nuper productis, addere juvat et alios ex Patribus quatuor viros, idem statuentes. Sunt autem Greg. Nyssen. qui ep. ad Ablab. (Opp. t. 3. p. 27. A.) de divinis Personis universim ait : *Per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus, nimirum eo quod credimus aliud quidem causam esse, aliud vero ex causa, aliud ex eo, quod ex causa est.* Greg. Nazianz. autem Or. 31. n. 9. *Mutuæ personarum rela-*

*tionis differentia diversa ipsis nomina procreavit*; paulo post addit: *Ex his verbis, quod genitus non sit, quod genitus, quod procedat, hoc effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur; atque ita inconfusa trium Personarum distinctio in una divinitatis natura conservetur.* Cyrill. Alex. Thesaur. L. 7. (Opp. t. 5. p. 60. C.): *Est Pater in sua proprietate, et est Filius in peculiari sua proprietate; hanc solam a Patre differentiam habens, quod Pater quidem per se est, neque est Filius; Filius etiam per se est, neque est Pater; sed hac quidem sola differentia a Patre distinctus.* Et ibid. L. 11. (p. 85. c.): *Simplex itaque et non composita Deitatis natura, nunquam in dualitatem Patris et Filii secta fuisset, nisi prius aliqua differentia fuisse visa esset, non secundum essentiam, sed extrinsecus* (i. e. extra essentiam) *intellecta, per quam utriusque Persona inducitur, peculiari quidem hypostasi constans, sed in unitatem Divinitatis per naturalem identitatem constricta.* Aug. L. 11. de civit. Dei c. 10. n. 1. *Ideo simplex dicitur* (Deus) *quoniam quod habet, hoc est, excepto quod relative quæque Persona ad alteram dicitur.* His consentiunt Fulgent. L. de Trin. c. 2. et Damascen. L. 1. de fid. c. 11. (al. 8. opp. t. 1. p. 139. D. edit. Venet.) cum aliis. Accedit quod, sicut de facto, præter *oppositionem relativam originis,* in Divinis non datur distinctio, aut ex limitatione, aut ex repugnantia disparata; sic nec in hypothesi illa exinde distinctio proveniret.

*Primum* constat ex infinitudine prædicatorum divinorum: *secundum* autem colligitur: 1°. quia in illa hypothesi, sicut *disparate* non repugnarent Paternitas et Spiratio activa, sed eadem Persona generaret et spiraret; sic etiam disparate non repugnarent Filiatio et Spiratio passiva, et una persona generaretur et spiraretur, Filiusque foret indistinctus a Spiritu sancto. 2°. Quia non magis tum opponeretur Filiatio et Spiratio passiva, quam nunc opponitur Paternitas et Filiatio ex una, et Spiratio activa ex altera parte: adeoque sicut spirator nunc non est persona distincta a Patre et Filio, sic Spiritus sanctus tunc non foret persona a Filio distincta. 3°. In systemate *Græcorum* Filiatio et Spiratio passiva haberent se ordinate; sicut intellectus et voluntas, intellectio et volitio in Divinis: haberent etiam se ut termini pertinentes sequela, ita ut valeat illatio: Producitur Spiritus sanctus, ergo generatur Filius; sicut valet illa: Pater amat, ergo intelligit: quin haberent se ut mutuo convertibiles, ita ut valeat: Generatur Verbum, ergo producitur Spiritus sanctus; quia voluntas et intellectus divinus sunt realiter idem: uterque etiam necessario ad intra operatur: et principium non tantum quod, sed etiam quo formale proximum, scilicet Paternitas et Spiratio activa, realiter quoque identificatur; ergo et Filius et Spiritus sanctus non forent disparata; ergo nulla inter Filium et Spiritum sanctum potest intercedere distinctio, nisi quæ sit aut formaliter aut radicaliter oppositio relativa originis.

Atque hac ratione oportet explicare locutiones quasdam Patrum, qui Filium dicunt distingui a Spiritu sancto, vel quia prior procedit *ex utero,* posterior *ex ore*; ut ait Athan. Dial. 1. cont. Anom. n. 6. vel quia alter exit *quomodo natus,* alter *quomodo datus;* ut Aug. L. 5. de Trin. c. 14. scribit: vel quia ille procedit *generationis modo,* hic *modo processionis;* ut Nazianz. Or. 39. n. 12. loquitur: vel quia is *filialiter* (γεννητῶς), iste *processibiliter* (ἐκπορευτῶς) prodit; ut Damascen. L. 1. de fid. c. 9. (al. 8. opp. t. 1. p. 135. B.) et seqq.

repetit; cui consentit ANSELMUS, L. de Process. Spiritus sancti c. 2. in fine. Harum enim processionum differentiæ non asseruntur, nisi ut fundatæ in relativa oppositione, sine qua *uterus* ab ore, *nativitas* a datione, *generatio* a processione non distingueretur, æque ac intellectus et voluntas, intellectio et volitio non cognoscuntur distincta, si distincta personalitas ac persona ab iisdem præscindantur.

Quod ANSELMUM attinet, eadem illi aptari responsio potest. Præterea vero, ubi opusc. de Process. Spiritus sancti cap. 1. et tribus seqq. Filium *nascendo* et Spiritum sanctum *procedendo* distinguit; non loquitur ex sententia propria, sed tantum explicat, qua ratione Græci, negantes processionem ex Filio, defendant distinctionem personarum; ideoque sub finem c. 2. ait: *Ut interim aliam causam dicam, quoniam nondum constat quod Spiritus sanctus de illo sit et procedat* etc.; ibidem tamen supponit hunc ipsum explicandi modum fundari in oppositione relativa: unde eod. cap. 2. addit: *Hæc sola causa pluralitatis est in Deo, ut Pater, et Filius, et Spiritus sanctus dici non possint de se invicem, sed alii sint ab invicem: quia prædictis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio.* Et c. 3. *Supradicta relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supra dictis modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum de se invicem dici, et propria singulorum aliis attribui.*

Denique in capp. postremis proponit suam sententiam, et repetit axioma, quod ex ejus L. de Incarn. supra retulimus: *In Divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Ad illa quæ ex ratione obmoveri solent advertendum est, non solum Spiritum sanctum, sed et Filium haud fore in ea hypothesi eumdem qui nunc est; cum careret spiratione activa: item nec habiturum perfectam Patris similitudinem, ex eadem ratione: denique nec Filii constitutivum fore aliud a Spiritu sancto, nec ejus productionem haberi prius, nisi secundum solam cogitationem nostram; nullo autem modo realiter et secundum originem. De quibus et aliis vide, si lubet, Theologos utriusque Scholæ.

QUÆRES: *Quo jure ac tempore particula* Filioque *addita fuerit Symbolo Constantinopolitano?*

408. *Nota.* Partem quæstionis *primam* per priores Concilii Florentini Sessiones, acri et diuturna disputatione versarunt Græci et Latini; illi quidem non negantes Symbolum explicari posse, sed contendentes tamen, quamcumque additionem, et hanc etiam *Filioque* inseri Symbolo non potuisse ob vetitum Conciliorum; atque causam schismatis inde fuisse datam utrique Ecclesiæ: hi vero pugnantes, additionem licite meritoque fieri potuisse, per id scilicet neutiquam violata Conciliorum lege, neque data schismati occasione, quod Græci nimirum aliunde moti excitarint.

*Secundam* partem inter Theologos ambiguam fecerunt diversæ Auctorum opiniones. Nam *Calceas* et *Genebrardus* auctorem hujus additionis nominant DAMASUM: nullum tamen pro hac sententia extat documentum authenticum; cum symbolum hujus Papæ inter opera S. HIERONYMI relatum, tanquam pseudonymum et supposititium rejiciatur ab eruditis plerisque. D. THOMAS p. 1. q. 36. a. 2. ad 2. indicat additionem factam in magna Occidentalium

Synodo; quam tamen cum nec nomine, nec loco, nec tempore determinaverit, nihil certi nos docuit. *Julianus* Cardinalis Sess. 5. et *Andreas Colossensis* Sess. 7. Conc. Florentini contendebant insertam symbolo fuisse illam particulam jussu Concilii generalis septimi. Atque hanc in rem allatus est Codex vetustissimus hujus Concilii, symbolum cum adjecta voce continens: provocatur etiam ad antiquissimum Concilii textum græcum, et versionem latinam ab Anastasio Bibliothecario ad *Joannem VIII.* missam; nec non ad Capitulare adversus Synodum Nicænam missum a *Carolo M.* per Engilbertum, ex quo constat, *Tarasium* ab adversario fuisse reprehensum, quod secundum Nicæni symboli fidem non dixerit Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere.

Verum nec hæc sententia satis firma apparet plerisque; cum incredibile videatur, contra authenticam adeo, obviam ac recentem veritatem *Græcos* paulo post et deinceps, ob illam additionem, tot criminationes et calumnias in *Latinos* conjicere potuisse : præsertim cum nec græcus Conciliorum codex, nec Anastasii versio, a curiosis consulta, additionem illam exhibeant : Capitulare autem *Caroli* videatur sermonem Athanasii in Act. 4. Conc. Nicæni II. lectum pro Symbolo accepisse; in quo sermone tamen, æque parum ac in Symbolo, vox illa addita reperitur. Unde vehemens suppositionis suspicio aspergitur Codici quantumvis vetusto per Cardinalem prolato; quæ plurimum augetur ex facto *Leonis III.*, quem etiam a Concilio Aquisgranensi sollicitatum, ut Symbolo insertam *Filii* vocem probaret cantarique vellet, id non tantum constanter recusasse, sed Symbolum etiam illa additione carens, tabulis argenteis inscriptum, in Confessione tum S. *Petri*, tum S. *Pauli* collocasse, historia prodit. Hoc ipsum autem factum priores quoque universim opiniones refutat.

Quid nos cum communiori jam, sive certum, sive probabile in *Facti* controversia opinemur, expedita breviter *Juris* quæstione, distinguendo inter Ecclesias, et secernendo additionem ab usurpatione, paucis exponemus.

409. *Dico I.* Particula *Filioque* jure optimo addita fuit Symbolo.

Patet non solum ex decantato sub Missam solemnem per utriusque Nationis Patres Concilii Lugdunensis Symbolo hac additione aucto; sed etiam ex Concilii Florent. definitione, seu Decreto Unionis inter Græcos et Latinos, ubi (Labb. t. 13. p. 515. A.) dicitur : *Definimus insuper explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.* Præterea vero

*Prob.* Ut jure optimo fiat additio, ea debet esse *explicatio* veritatis jam latentis in eo, cui adjicitur; debet proficisci ex *justa causa,* maxime ex *necessitate*; debet fieri ab auctoritate legitima : hæc enim plane requiruntur, sed et sufficiunt. Requiruntur quidem; ne ex defectu *primi,* dogma inseratur aut veritati contrarium, aut alienum, aut impertinens : ne item ex defectu *secundi* promiscue aut temere inter fidei articulos primarios referatur veritas etiam qualiscumque : ne denique cuilibet fiat facultas pro libitu mutandi, vel ampliandi formulam fidei. Eadem vero sufficere, ex eo persuadetur; quia nec ex parte rei, nec ex parte modi, nec ex parte causæ, plus aliquid desiderari merito potest. Sed facta in Symbolo additio vocis *Filioque* triplici hac conditione gaudet.

Nam 1°. hac additione explicatur veritas fidei de processione Spiritus sancti, ut ex præced. art. patet : et dogma hoc jam latebat in his Symboli verbis : *Qui ex Patre procedit,* a Concilio Constantinopolitano additis, ad ostendendam processionem, non solum ex Filio, sed etiam ex Patre. 2°. Occasionem præbuit error tum latius grassans adversus processionem Spiritus sancti ex Filio : *causam justam* ostendit cura Ecclesiæ commissa servandi illæsam fidem, et profligandi hæresin : necessitatem imposuit abusus Symboli, cujus scilicet silentium de processione ex Filio urgebatur tanquam argumentum fortissimum contra catholicam veritatem. 3°. Intervenit *Ecclesiæ auctoritas,* quæ tanquam columna et firmamentum veritatis, depositi custos fidelis, et magistra fidei audienda, omnino legitime potest sive in doctrinæ summam redigere, sive huic constitutæ addere articulos; ad quorum notitiam et professionem instituantur Catechumeni, probentur Catholici, et discernantur hæretici : qui scopus est Symbolorum.

Horum *primum,* jure a nemine negato, fecerunt Apostoli, tanquam Ecclesiæ Pastores, in brevi qua utimur fidei formula : *secundum* congregati Ecclesiæ Patres in Concilio Nicæno I., præter alia, addito *consubstantialis* vocabulo, et in Concilio Constantinopolitano I. adjecto de Divinitate Spiritus sancti articulo, præstiterunt.

*Conf.* Nullum Ecclesiæ vetitum aut factum obstat, quominus Symbolo potuerit addi vox *Filioque;* cum, quæ in contrarium afferuntur, agant duntaxat de additione, cui una vel altera conditionum deest, quas ad legitimam additionem desideravimus; ut ex numeris duobus, ea omnia complexis, continuo patebit. Nam

I. Concilium Ephesinum 1°. dum Act. 6. edidit hanc definitionem (Labb. t. 3. p. 690. A.) : *Alteram fidem nemini liceat proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam a sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu sancto congregati fuerunt;* prohibuit duntaxat additionem contrariam, seu falsi dogmatis, non autem consentaneam fidei, et veritatis ejusdem declarationem, vel explicationem. *Primum* dignoscitur ex occasione hujus definitionis, quam dedit Charisius, exhibens Ephesinis Patribus tum symbolum a se factum, non quidem Nicænum aut Constantinopolitanum, sed pium tamen et orthodoxum; tum *symbolum Nestorianum,* seu fidei formulam ab Anastasio et Photio Nestorianis editam. Hanc enim, intacto Charisii symbolo, damnavit Synodus, adjecto deinceps decreto recitato. *Secundum* elucet; quoniam, licet hic caveatur, ne altera fides, quam Nicæna proferatur, non rejicitur tamen professio Charisii; multo autem minus *symbolum Constantinopolitanum* Nicæno superadditum; quod tamen fieri oportuisset, si additio quæcumque, etiam fidei consona ac necessaria, foret Ecclesiæ illicita.

2°. Idem Concilium dum ibidem addit : *Qui vero ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre....; hos quidem, si sunt Episcopi, aut Clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, et Clericos a Clericatu decrevit : si vero Laici fuerint, anathemati subjici :* vel rursus intelligitur de additione contraria, et falsæ doctrinæ : vel si accipiatur etiam de veri dogmatis expositoria, ad eam pertinet, quæ fit sine auctoritate legitima a privatis; non ad factam ab Ecclesia ipsa additionem. Colligitur hoc tum ex auctoribus symbolorum oblatorum, inter quos vel ipse orthodoxus, scilicet Charisius, erat duntaxat presbyter : tum ex recensione personarum in decreto vel

privatarum, vel solitariarum : tum ex pœna, quæ singulares duntaxat, non Ecclesiam universam afficere potest.

3°. Quod itidem ab eodem Concilio vox *Deipara* non fuerit inserta symbolo, factum est; quia Patribus non apparebat necessitas, propterea quod ex divinitate Christi et hujus nativitate ex Beatissima, in symbolo Constantinopolitano diserte enuntiata, sat constaret Mariam esse Deiparam. Poterat etiam Patribus hujus vocis adscriptio videri periculosa : quoniam, ubi Nestorius B. Virginem appellans *Christiparam* negabat Dei matrem, Eutyches eam dicens *Deiparam* volebat ejus quoque secundum divinitatem esse matrem, naturam scilicet divinam cum humana confundens.

4°. Ex datis responsionibus una quadrat in Cyrilli Alex., qui Ephesino intererat, epistolam, sive quam ad Joannem Antiochenum, sive quam ad Acacium Melitensem dederat. Dum enim sensum Decreti nuper relati repetit, utrobique agit contra symbolum Anastasii et Photii Nestorianorum. Præterea vero, quamvis Joannes Antiochenus cum Orientalibus ampliorem fidei confessionem symbolo, quod ipsi etiam intactum volebant, adjunxissent; Cyrillus tamen in ep. cit. hanc ipsam mire laudat et commendat.

II. Similiter 1°. in Conc. Chalcedonensi Act. 2., ubi Judices postulabant fieri expositionem fidei, responderunt Patres (Labb. t. 2. p. 340. A.) : *In scriptis expositionem non facimus. Regula est quæ prædicat sufficere quæ sunt exposita. Regula vult aliam expositionem non fieri. Ea quæ sunt Patrum teneantur.* Et paulo supra (ib. p. 337. D.) *Clamaverunt Episcopi : Expositionem alteram nullus facit, neque tentamus, neque audemus exponere. Docuerunt enim Patres, et in scriptis custodiuntur, quæ ab iis sunt exposita, et circa ea dicere non possumus.* Sed neque ista obsunt. Non enim hic agitur de *symbolo*, sed expositione fidei; ut verba diserte indicant : et quod recusarunt Patres Act. 2ª., fecerunt deinceps in 5ª.; ubi concinnatam quidem fidei definitionem primam repudiarunt; in aliam tamen longissimam deinde convenerunt, quæ præter symbola antiqua, epistolas Cyrilli ac Leonis, nec non expositionem controversi tum dogmatis complectebatur : quin et tergiversatio prior præmaturam tantum Judicum postulationem rejiciebat, negatio autem posterior, tum dissidium Episcoporum de formula prima, tum consensum de retinenda formula secunda indicabat.

Cæterum facultatem Ecclesiæ circa symbolum assertam satis contestata est hæc Synodus. Cum enim Act. 1ª. legerent gesta pseudo-synodi Ephesinæ, quibus Flaviani symbolum contra Eutychetis hæresin additamento auctum, a Dioscoro, velut contrarium Nicænæ prohibitioni, damnatum narrabatur; dixerunt Patres omnes : *Anathema Dioscoro, quia male judicavit.* Patres item in allocutione ad Imperatorem ita disserunt : *Si omnes contenti essent fidei instituto, et pietatis sententiam nulla innovatione turbarent; deceret Ecclesiæ filios nihil amplius excogitare, quam symbolo constat esse determinatum. Sed, quia multi a recta linea per anfractus erroris exorbitant, necesse nobis est, veritatis eos inventione convertere; commenta quoque eorum devia salutaribus adjectionibus refutare; non ut novum ad pietatem, quasi fides desit, semper aliquid exquirentes, sed ut contra ea, quæ ab illis innovata sunt, excogitantes, quæ salubria judicantur.*

2°. Haud absimilis prohibitio vel addendi, vel adimendi aliquid fit in ep. Vigilii ad Eutychium Patr. Constantinopolitanum, et in ep. Agathonis ad

Synodum generalem VI. nec non in ipso Nicæno secundo; sed ubique tantum excludendo contrarium, et a fide alienum, vel minus necessarium ob veritatem alias jam abunde declaratam. Hinc VIGILIUS etiam provocat ad symbolum, quod articulum de resurrectione palam proponat: ipsa AGATHONIS epistola referebat symbolum, cui plura inserta fuerant, in antiquis formulis non reperienda. Synodus denique VII. subnectit symbolo varias fidei expositiones, præsertim circa Iconomachos.

3°. Ad querelas demum *Græcorum*, quod se non vocatis additio illa facta fuerit, responderunt in Concilio Flor. Latini: imprimis non constare, Græcos haud esse vocatos: dein Ecclesiam Romanam nulla adstringi lege ad illos vocandos: demum Latinis et numerum et dignitatem suffecisse ad illam additionem faciendam.

410. *Dico II.* Certum est particulam *Filioque* fuisse additam vel symbolo, vel professioni fidei in Ecclesiis *Hispaniarum* jam a seculo quinto et deinceps; indeque ad *Galliarum* et *Germaniæ* Ecclesias sub finem seculi octavi transisse: Probabile autem est, in Ecclesia *Romana* hanc additionem esse receptam post medium seculi noni; obtinuisse tandem usum publicum inchoato seculo undecimo.

*Prob.* 1ª. *p.* Symbolum Constantinopolitanum cum particula *Filioque* decantatum est a Concilio Hispanico seu Gallaciensi an. 447. (Labb. t. 3. p. 1465. et t. 2. p. 1227.), et Toletano III. an. 589. (Labb. t. 5. p. 1000.) Expositioni fidei autem inserta fuit eadem particula a Toletano IV. an. 633. (ib. p. 1703.) Symbolo pariter ac professioni fidei addita eadem vox legitur a Toletano VI. anno 638. (ib. p. 1741.), quem morem deinceps secuta sunt Concilia itidem Toletana VIII. XII. XIII. et XV.

*Prob.* 2ª. *p.* Synodus Forojuliensis an. 791. et Francofordiensis an. 794. definierunt dogma de processione Spiritus sancti ex utroque; in quarum prima sic dicitur (Labb. t. 7. p. 994. D.): *Sed et postmodum, propter eos videlicet hæreticos, qui susurrant Spiritum sanctum solius esse Patris, et a solo Patre procedere, additum est: Qui ex Patre Filioque procedit.* Aquisgranensis autem Synodus, Patrum nemine contradicente, an. 809. Legatos misit ad Leonem III. Pontificem, postulaturos, tum ut probaretur additio symbolo facta; tum ut Symbolum cum hoc adjuncto Romæ quoque cantaretur inter missarum solemnia.

*Prob.* 3ª. *p.* Nicolaum I., qui an. 858. Petri cathedram conscendit, recepisse in Symbolum particulam *Filioque*, suadet 1°. expostulatio Photii contra hunc Pontificem scribentis: *Sacrum etiam Symbolum, cui synodica omnia œcumenica suffragia inexpugnabile robur addiderunt, adulterinis sermonibus falsare aggressi sunt, Spiritum sanctum non ex Patre solum, sed etiam ex Filio procedere, vanissime prædicantes.* 2°. Refutatio Græcorum a Ratramno Corbejensi, qui sub an. 867. edito contra Græcos Opere L. 2. c. 2. inquit: *Sed neque Episcoporum centum quinquaginta tanta fuit auctoritas, ut, quod illis licuit, non liceat tam Romano Pontifici, quam universis Christi Ecclesiis.* 3°. Consensio eam in rem Calecæ L. de Process. Spiritus sancti, Divi Antonini in Chron. Par. 3. Tit. 22. c. 3., Pithœi in Opusc. de Spiritu sancto, et nunc Recentiorum plurium.

*Prob.* 4ª. *p.* Impetravit hoc S. Henricus Imperator a Benedicto VIII. Pon-

tificatum an. 1012. adepto. Cum enim Romani Symbolum in Missa cantare non solerent, causati, *non sibi, quibus fides nulla aliquando hæreseos labe infecta fuerit, sed illis necessarium esse illud Symbolum cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerint maculari : Dominus Imperator,* ut Berno Augiensis L. de Ritibus ad missam pertinentibus c. 2. scribere pergit, *non antea desiit, quam omnium consensu id Domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam missam illud decantarent.*

411. *Observa.* Quod Leo III. postulatum Aquisgranensis Synodi utrumque abnuerit, amor custodiendæ antiquitatis, et studium servandæ cum Græca Ecclesia pacis fuerat; non autem abhorrentia animi, aut fidei a dogmate. Constat id ex Actis Collationis Legatorum cum Leone, quæ a Smaragdo Abbate seculo nono conscripta sic habent : *Lectis enim a prædictis missis per ordinem testimoniis de processione Spiritus sancti a Patre et Filio, atque a Domino Apostolico diligenter auditis, ait : Ita sentio, ita teneo, cum his Auctoribus et sacræ Scripturæ auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire vel docere voluerit, defendo; et nisi conversus fuerit, et secundum hunc sensum tenere voluerit, contra sentientem funditus abjicio.* Quod Nicolaus dein, ac Benedictus aliud fecerint, non fuit variatio doctrinæ, aut neglectus constantiæ; sed indulgentiæ prudentia, et œconomiæ necessitas. Cum enim ex dictis eadem fuerit omnium Pontificum fides, abstinentia autem professionis a Symbolo non conciliaret Græcos, Latinos etiam irritare posset, ad notam, tum conniventiæ nimiæ, tum pertinaciæ amovendam hoc medio uti oportuit. Quod denique Concilia generalia definiverint, particulam *Filioque* licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam, permiserint Græcis tamen Symbolum, omissa ea additione, pro more suo antiquo recitare; horum primum vigilantia erat pro integritate fidei, alterum prudens amor concordiæ et unitatis : quam alibi scissam feliciter redintegrare, alibi integram perpetuo conservare in sua Ecclesia benignissime velit pacis auctor ac Deus, Pater, Filius et Spiritus sanctus. Amen.

# DE ANGELIS.

Actum hactenus de Deo, prout Unus est in Essentia, et Trinus in Personis; agendum nunc de Deo tanquam auctore creaturarum, quas inter Angeli ex genere suo perfectissimæ sunt. Tradit autem D. Thomas in Parte 1ª. Summæ Theol. multa de Angelorum Natura, Intellectu et Voluntate, de Gratia et Gloria bonorum, de Lapsu et Pœna malorum, a q. 50. ad 65. De Potentiis ad actus externos, de bonorum Custodia et malorum Infestatione, a q. 110. ad q. 115.

## CAPUT I.

### DE EXISTENTIA ET NATURA ANGELORUM.

#### ARTICULUS I.

##### AN EXISTANT ANGELI?

1. *Nota I.* Angelus *vi nominis* idem sonat, ac missus vel nuntius : quippe cœlestes spiritus sæpe mittuntur a Deo ad enuntianda vel Dei mandata vel mysteria; proin *officii* nomen est, non *naturæ*, S. Aug. teste (in Ps. 103. serm. 1. n. 15.). Inde est, quod etiam Sacerdotes verbi divini præcones, quin et Unigenitus Dei, in Scriptura *Angeli* appellentur. Porro nomen angeli *latius* ex Scripturæ ac Ecclesiæ usu accipitur pro omni et qualibet substantia spirituali completa, hominibus quidem superiore, Deo autem inferiore, quam Philosophi a sua principali operatione *Intelligentias*, alii *Dæmones*, sive *Genios* compellarunt, sive boni, sive mali essent. *Strictius* autem usurpatur pro solis angelicis spiritibus infimum ordinem constituentibus.

Angelus *secundum naturam* definitur, *Substantia creata completa et pure spiritualis* : τὸ *substantia* habet rationem generis, proximi quidem respectu Dei, remoti autem respectu animæ rationalis ac hominis : per τὸ *creata* differt angelus a Deo, qui est ens a se et increatum : per τὸ *completa* differt ab anima, quæ est pars hominis essentialiter incompleta : per τὸ *pure spiritualis* differt ab homine, qui ex corpore et anima componitur.

2. *Nota II.* Angelos *existere* negarunt 1°. nonnulli Veteres *Philosophi*.

2°. E Judæis *Sadducæi*, Act.. 23. 8. — 3°. Seculo 16. *Quinctinus* et *Coppinus*, Libertinorum Duces, et hodie *Anabaptistæ*, quibus non datur nisi unicus spiritus, scilicet Deus; angelos vero et animas inter figmenta abjiciunt.

Quæritur 1°. An *Existentia angelorum* possit *probabiliter* suaderi? 2°. An ex sola ratione naturali *demonstrari?* 3°. An ex fide *certa* reddi? *Primum* facile omnes concedunt ob miras *Energumenorum* operationes. *Secundum* a Theologis communius negatur, quia demonstratio nec a priori, nec a posteriori efferri potest. Nos utraque hac quæstione, plurimam partem philosophica, prætermissa, quid contra SADDUCÆOS, LIBERTINOS et ANABAPTISTAS doceat fides, potissimum indagamus.

3. *Dico.* Existere Angelos fide certum est.

*Prob. I. Ex* SCRIPTURA Gen. 22. 11. *Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens: Abraham,* etc. Exod. 23. 20. *Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te... audi vocem ejus.* Tob. 12. 15. *Ego sum Raphael angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum.* Psalm. 8. 6. *Minuisti eum paulo minus ab angelis.* Matth. 18. 10. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei;* ergo ex his et innumeris aliis textibus manifestum est, *existere* angelos tanquam *veras personas intelligentes,* quibus dicta et facta tribuuntur.

*II. Ex* CONCILIO LATER. IV. sub INNOC. III. cap. *Firmiter* (Labb. t. 11. part. 1ª. p. 142.): *Unum,* inquit, *universorum principium, Creator omnium invisibilium et visibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.*

*III. Ex* UNANIMI CONSENSU SS. PATRUM. Loco omnium sint S. GREG. homil. 34. in Evang. n. 7. *Esse angelos,* inquiens, *pene omnes sacri Eloquii paginæ testantur;* et S. AUG. in Psal. 103. serm. 1. n. 15. *Quamvis non videamus apparitionem angelorum... tamen esse angelos novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus et tenemus, nec inde dubitare fas nobis est.* Atque hinc Ecclesia SS. angelos ceu Dei ministros et hominum custodes, beatifica Dei visione fruentes, veneratur et invocat.

4. *Obj. I.* MOYSES in descriptione creationis Universi initio *Genesis* nihil meminit de *creatione angelorum;* ergo angelos tunc non cognovit.

R. *T. A.* Quia S. THOM. 1. p. q. 61. a. 1. ad 1. docet, angelos non omnino fuisse prætermissos, sed nominibus rerum corporalium, *Cœli* aut *Lucis,* significatos fuisse. *N. C.* Nam quod MOYSES initio *Genesis* de creatione angelorum siluerit, factum est ob rationes varias a SS. Patribus allatas, nempe vel quia susceperat solum originem rerum corporearum describere, vel quia volebat ea duntaxat exprimere quæ erant facta in *obsequium hominum,* vel quia sibi fas putabat, apud Judæos carnalibus et sensibilibus inhiantes de *spiritualibus* tacere. Postea vero Moyses frequenter meminit angelorum, videlicet ut prius unum Deum affirmando, dein et *angelos ejus ministros* ac nuntios declarando, idololatriæ occasionem a Judæis in illam pronis removeret.

*Inst.* 1. Textus Scripturæ citati possunt intelligi de *divinis inspirationibus internis,* quibus velut *nuntiis* divina voluntas hominibus indicatur; ergo.

R. *N. A.* Ineptam hanc et violentam esse detorsionem, patet ex eo quod, quæ in Scriptura angelis tribuuntur, de *inspirationibus* intelligi nequeant, qualia sunt de angelis Abraham et Loth invisentibus, de Raphaele chirographum in Rages deferente, angelis semper *faciem Patris videntibus* etc.

*Inst.* 2. Angelis nomen est *officii,* non *naturæ*; ergo in Scriptura per angelos non designantur substantiæ intellectuales *per se subsistentes.*

R. *N. C.* Scriptura ex dictis, uti et Patres tam *Græci,* quam *Latini,* τὸ *angelus* usurpant pro substantia spirituali, vocabulo *officii* ad *naturam* significandam translato; alioqui ex *Legati* vel *Oratoris* nomine pariter inferam, eum, qui hoc munere fungitur, non esse substantiam per se subsistentem.

*Inst.* 3. Si de fide est existere angelos; ergo etiam de fide erit existere angelos *talis naturæ,* qualem nos tribuimus, scilicet quod sint *substantiæ simplices completæ* et *omnino incorporeæ.*

R. *N. seq.* Sunt enim qui dicunt, ex Scriptura non patere, an *Spiritus* exprimat totam angeli naturam, an vero partem tantum; cum Scriptura soleat etiam *partem* ponere *pro toto,* ut fecit de homine, quem Gen. 6. 12. *carnem* dicit, et de filiis Jacob, quos Gen. 46. 26. *animas* vocat. Porro aiunt, Concilium Later. nihil voluisse definire, quam Deum esse Creatorem omnium omnino creaturarum; reliqua autem non *animo definiendi,* sed ex occasione et juxta communiorem Patrum sensum addidisse.

5. *Obj. II.* Veteres Philosophi, Socrates, Plato, Aristoteles haud obscure pertractant de angelis; ergo non ex *sola fide,* sed ex *ratione* etiam *naturali* existentia illorum ostendi potest.

R. *D. C.* Ostendi potest probabiliter *C.* Evidenter et demonstrative *N.* SS. PP. Justinus cont. Græc. Orat. n. 40. Clemens Alex. Strom. L. 1. et 5. (Opp. p. 312. C. et 550. A. edit. Paris. 1629.) aliique testantur, Gentiles illos Philosophos id ex SS. libris hausisse, quos sciendi percupidi avide legerant. V. Baltus, *Défense des SS. Pères* L. 3. c. 15.

*Inst.* 1. *Ornatus et perfectio Universi* evidenter postulat ut existant angeli: quia alias Universum non esset perfectum, si non darentur uti substantiæ *pure corporeæ,* et *partim corporeæ, partim spirituales,* ita etiam substantiæ creatæ *pure spirituales;* ergo evidens est existere angelos.

R. *N. A. et Prob. D.* Universum non esset perfectum perfectione proportionata fini, quem Deus libere intendit *N.* Alia perfectione *C.* Cum Deus sit liberrimus in operationibus ad *extra,* quæcumque voluit fecit, fuissetque mundus sine angelis perfectus *formaliter,* id est, juxta ideam Dei; et ratio naturalis id solum dictare potest, quod Deus ad intentum finem semper agat perfectissime.

*Inst.* 2. Deus sine angelis non satis manifestaret *suas perfectiones;* ergo cum in omnibus necessario intendat gloriam suam, evidenter angeli existunt.

R. *N. A.* Sane si Deus omne illud producere deberet, quod ad augendam Universi perfectionem conducit, omnemque intendere gloriam *extrinsecam,* quam obtinere potest; necessaria etiam fuisset Incarnatio Verbi, neque hoc mundo perfectiorem condere potuisset. Certe sine angelis obtinuisset gloriam suam in gradu a se libere intento, ipse sibi sufficientissimus.

*Inst.* 3. Ea sane, quæ a *Magis* et *Energumenis* fieri experimur, evidenter

ostendunt angelorum existentiam. Opera enim eorum evidenter superant vires totius naturæ, et Deo salva infinita sanctitate sua tribui nequeunt; ergo.

R. *N. A.* Effectus illi mirabiles aut Deo immediate, si nullam inordinationem contineant, aut animabus a corpore separatis bonis vel malis tribui possunt, maxime cum animæ a mortali corpore solutæ plus possint in corpora, et proxime ad virtutem angelorum accedant. Adde, quod *speciali virtute* a Deo instrui possint. Denique falsum est quod eorum opera vires totius naturæ superent.

*Inst. 4.* Naturaliter constat *moveri cœlos*, non a propria forma sive anima; ergo ab *Intelligentia,* quæ angelus est.

R. Non fert hodie Genios cœlorum navarchos sanior Philosophia, quæ docet astra moveri a principio motus naturalis, uti aliis corporibus, ita et cœlestibus a primo Motore inditi.

## ARTICULUS II.

### A QUO, QUANDO ET UBI ANGELI SINT PRODUCTI?

6. *Nota. Manichæi* et *Priscillianistæ* docuerunt, angelos extitisse ex substantia Dei: *Platonici* et *Avicenna* somniarunt, a Deo solam aliquam intelligentiam primam esse productam, ab hac secundam, et sic deinceps. Circa tempus creationis angelorum variant sententiæ. Auctores alii *ante*, alii *post,* alii *cum mundo visibili* creatos esse angelos decernunt. Magis dubius est locus creationis; siquidem nec clare sit revelatum, nec ab *Ecclesia* definitum, nec consensu SS. Patrum sancitum, productos esse angelos aut in *cœlo empyreo,* aut in *alio inferiore*; hinc

7. *Dico I.* Angeli omnes sunt *creati* a Deo; est de fide.

*Prob.* 1°. Ex Apost. ad Coloss. 1. 16. *In ipso* (Christo) *condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive* Throni *sive* Dominationes, *sive* Principatus, *sive* Potestates. 2°. Ex Symb. Nic. *Credimus in Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium.* 3°. Ex Concilio Later. IV. cap. *Firmiter* supra laudato.

8. *Dico II.* Angeli non sunt producti *ab æterno,* nec *ante* vel *post,* sed *cum mundo corporeo.*

*Prob.* 1um. Coloss. 1. 16. et 17 dicitur: *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes. Conf.* ex cap. *Firmiter;* id tamen de fide esse negant *Cajetan., Bannez, Sixtus Sen.* et alii.

*Prob.* 2um. 1°. Ex Gen. 1. 1. *In principio creavit Deus cœlum et terram,* id est, juxta S. Epiph. loco infra cit., S. Aug. de Civit. Dei, L. 11. c. 9. et alios, in principio temporis, vel antequam quidquam creasset: ubi sub nomine *cœli* comprehensos fuisse *angelos* cœli incolas, existimat *Procopius,* ne substantiæ increatæ viderentur, si eorum productionem Scriptura plane tacuisset. 2°. Ex verbis cap. *Firmiter : qui sua omnipotenti virtute* simul ab initio temporis *utramque de nihilo condidit creaturam.* 3°. Ex SS. PP. Epiphan. hæres. 65. n. 5. *Illud evidenter Divinus sermo declarat, neque post sidera*

*productos angelos, neque ante cœlum terramque constitutos. Est enim certa illa et immutabilis sententia : ante cœlum ac terram nihil omnino conditarum rerum exstitisse : quoniam in principio creavit Deus cœlum et terram, ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit.* Idem docent S. Greg. L. 28. Mor. c. 7. (al. 14. n. 34.). D. Thom. hic q. 61. a. 3. in 0. S. Aug. L. 11. de Civ. c. 9. Oppositum tamen dicit c. 32. posse defendi, quin aberretur a regula fidei. V. Petav. de Angelis L. 1. c. 15.

*Si ais.* Multi PP. Orig. hom. 1. in Gen. n. 2. et in Matth. t. 15. n. 27., Basil. homil. 1. in Hexam. n. 5., Greg. Naz. tum Or. 38. n. 9. et 10., tum Or. 45. n. 5. et 6., Chrysost. L. 1. ad Stagirium n. 2. (opp. t. 1. p. 158. A.), Damasc. de fide Orthod. L. 2. c. 3. et alii docuerunt angelos ante mundum corporeum fuisse creatos.

R. Patres illi in hoc lapsi videntur : nam imprimis plures Patres sentiunt nobiscum, imo *Latini* omnes qui post S. Aug. scripserunt. Dein prævalet illis auctoritas C. Later., quod aperte favet nostræ sententiæ, imo juxta multos eam definivit. Saltem post illud Concilium sine nota temeritatis negari non potest assertio nostra.

9. *Dico III.* Angeli omnes creati sunt in cœlo.

*Prob.* Luc. 10. 18. dicitur *dæmon cecidisse de cœlo :* Apocal. 12. 7. *factum fuisse prælium magnum in cœlo etc.*

*Conf.* Juxta D. Thomam hic q. 61. a. 4. in 0. *Conveniens fuit, quod angeli in supremo corpore crearentur, tanquam toti naturæ corporeæ præsidentes.* Utrum autem in *cœlo empyreo* creati sint; alii negant, ex eo quod non decuerit beatorum sedem inquinari peccato et turbari prælio; minus etiam locus termini conveniret statui viatorum. Alii affirmant, eo quod cœlum supremum primitus creatum fuerit : neque obstare dicunt illud Isa. 4. v. 13. et 14. *In cœlum conscendam..... ero similis Altissimo*, cum hæc verba solum metaphorice exprimant superbiam Luciferi, ad litteram de *rege Babylonis* intelligenda : alioqui etiam v. 14. ibidem, *ascendam super altitudinem nubium,* probaret angelos infra nubes creatos fuisse. Verum, quia cum Scriptura quoque SS. Patres silent, supersedemus multa desuper altercari.

## ARTICULUS III.

### AN SINT ANGELI OMNINO INCORPOREI?

10. *Nota.* SS. Patres *corporeum* aliquando sumunt *latius* pro omni eo, quod veram ac realem entitatem habet, uti S. Aug. ep. 28. (al. 166. n. 4.) ad Hier.; aliquando pro eo, quod loco determinatur finito, ac mutationi obnoxium est : utroque hoc sensu angelos dicere *corporeos* nil vetat. Corporeum autem *proprie* et *stricte* dicitur, quod habet molem, sive partes extra partes diversis loci partibus correspondentes; et de hoc est quæstio, ac duplex quidem, *prima :* An sint angeli *pure* corporei? *secunda :* An sint *ex parte* corporei, sive compositi ex corpore et ex spiritu? Quamvis autem nonnulli Patres *Platonem* secuti primum videantur asserere; tamen facile explicantur ad secundam sententiam, et gemina ratione convincuntur : 1°. Quia *pure* corporeum nec aliquid intelligere, nec velle potest. 2°. Quia

in Scriptura, ubi angeli dicuntur spiritus, notio *spiritus* opponitur rei proprie corporeæ, v. g. ad Ephes. 6. 12. *Non est nobis colluctatio* etc. Proin de altero solum quæstio est, an scilicet angeli nequidem *ex parte* sint corporei, nec corpus tenuissimum ac subtilissimum habeant?

11. *Dico.* Angeli sunt omnino incorporei.

*Prob. I.* Angeli tum boni, tum mali passim in Scriptura vocantur simpliciter spiritus, Psal. 103. 4. *Qui facit angelos suos spiritus...* Hebr. 1. 14. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus?* Luc. 10. 20. *Spiritus subjiciuntur vobis,* et c. 11. 26. *Assumit septem spiritus nequiores se* etc. Atqui nomen spiritus, quando in Scriptura *simpliciter* usurpatur, et præcipue quando rebus intellectivis, aut his, quæ opponuntur corporibus, attribuitur, significat rem *pure* spiritualem et incorpoream; ergo. *Min. patet.* Ut dum tribuitur Deo et animæ rationali, Joan. 4. 24. *Spiritus est Deus:* Matth. 26. 41. *Spiritus promptus est, caro autem infirma;* cum tamen Scriptura neget, homines etiam post resurrectionem esse spiritus Luc. 24. 30., quia non sunt *pure* spirituales.

*II.* In Conc. Constantin. III. Act. 11. in epistola Sophronii (Labb. t. 6. p. 881. C.) animæ rationales et angeli statuuntur in ordine *intellectualium,* id est, spiritualium substantiarum. In Nic. II. Act. 4. (Labb. t. 7. p. 735. E.) angeli vocantur *intellectuales virtutes.* In Later. IV. cap. *Firmiter* dicuntur *creaturæ spirituales,* ut oppositæ corporeis et compositis ex corpore et spiritu; ergo.

*III.* S. Basil. cont. Eunom. L. 5. init. (opp. t. 1. p. 296. C.): *Cum,* ait, *creatura in duo dividatur, in corporea et incorporea; mutatio quoque illius divisa est... Incorporea et rationalia secundum operationem et voluntatem admittunt mutationem, secundum illud, angelis peccantibus non pepercit.* S. Joan. Damasc. L. 2. de fide c. 3. *Angelus est essentia intelligens, perpetuo motu atque arbitrii libertate prædita, corporis expers.* S. Greg. Nyss. hom. 4. de Orat. Dominica. (opp. t. 1. p. 743. B.): *Omnis creatura rationalis partim in corpoream, partim in incorpoream naturam divisa est: est autem angelica quidem incorporea: altera vero species, nos homines sumus.* S. Greg. M. L. 4. Dial. c. 3. *Spiritus est qui carne non tegitur, angelorum.* Idem docent Lactantius, L. 7. c. 21. init., Ambros. in Luc. L. 7. c. 12. v. 27. 28. n. 126., Leo epist. 15. ad Turribium, c. 6. etc. V. Petavium, de Angelis, L. 1. c. 3.

*Conf.* Si angeli naturaliter sibi juncta habent corpora; ergo animæ rationales essent angelis præstantiores, et homines illis similes in natura: cum tamen Psal. 8. 6. dicatur: *Minuisti eum paulo minus ab angelis,* ex quo infert Apost. Hebr. 2. 9. Christum secundum *naturam humanam* præcise angelis *inferiorem* esse: neque concipi posset, quomodo Luc. 8. 30. tota *legio dæmonum* unum obsidere hominem potuisset; denique dici non posset, ad quem usum membra et partes haberent, cum intellectiones et volitiones eorum his non indigeant, et motus etiam localis sine his explicari queat; ergo.

12. *Obj. I.* S. Scriptura et Historiæ profanæ tribuunt angelis *naturam corpoream;* ergo non sunt incorporei. *Ant. prob.* 1°. Gen. 6. 4. dicitur quod ingressi sint *filii* Dei, id est, juxta antiquam versionem, quam sequuntur

multi Patres, *angeli ad filias hominum*, illæque genuerint gigantes. 2°. Testantur Scriptores sacri et profani, *maleficos* et *lamias* carnaliter commisceri cum dæmonibus, quin et ex dæmone incubo subin prolem esse natam; ergo.

R. *Ad prob.* 1am. Scriptura tum *Vulgata*, tum *Hebraica*, tum *Versio* 70. *Interpr.* correctior legit *filios Dei*, ut notant SS. Aug. et Cyrill.; erronee vero nonnulli Patres per *filios Dei* intellexerunt *angelos*: non enim intelliguntur angeli boni, tum jam beati, qui, pronuntiante Christo Matth. 22. 30., *non nubunt, neque nubuntur*; non mali, qui non filii, sed inimici Dei in Scriptura vocantur; intelliguntur ergo filii Seth et Enos, quos Scriptura dicit *filios Dei*, quia apud ipsos vigebat verus Dei cultus; et per *filias hominum*, filiæ Cain sive Cainitarum, ex quibus gigantes prognati sunt. Ita exponunt SS. Chrys. Aug. Cyrill. Alex. et D. Thom.; idque evincunt verba contextus v. 5. et 6. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra... pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra.*

R. *Ad prob.* 2am. *D. A.* Commiscentur cum dæmonibus in corpore proprio *N.* In alieno, scilicet vel corpore defuncti assumpto, vel novo ex aere aliisve elementis ad similitudinem carnis effecto *C. Sexum* etiam, quem dæmones non habent natura, artificiose exhibere possunt. Item: ex dæmone nascitur proles vi propria et nativa dæmonis *N.* per semen aliunde furtive sublatum *C.* Unde etiam hæc generatio non tribuitur dæmoni tanquam patri, sed homini, cujus est semen, ut advertit D. Thom. Quæst. 6. *de Miraculis* a. 8. ad 7.

*Inst.* 1. Angelis conveniunt actiones et passiones corporeæ; ergo sunt corporei. *Prob. A.* 1°. Certis limitibus circumscribuntur. 2°. Possunt ligari, ut Asmodæus a Raphaele in deserto Tob 8. 3.—3°. Torquentur igne corporeo; ergo.

R. *Ad prob.* 1am. *D. A.* Circumscribuntur limitibus essentialibus *C.* localibus sive corporalibus. *N.* Quælibet nempe creatura *circumscriptionem naturæ* habet, quamvis non omnes quantitative *locis corporalibus contineantur*, ut cum S. Thom. 1. q. 50. a. 1. ad 3. ait D. Ambr. de Sp. S. L. 1. c. 7. n. 81.

*Ad prob.* 2am. *D. A.* Possunt ligari proprie, physice, seu vinculo corporeo *N.* improprie, moraliter, seu Dei imperio *C.* Eodem sensu dæmones dicuntur *detracti rudentibus* in tartarum 2. Petr. 2. 4.

*Ad prob.* 3am. *D. A.* Torquentur igne corporeo, vi naturaliter et physice agente *N.* supernaturaliter vel moraliter agente *C.* De hoc infra.

*Inst.* 2. Angeli habent aliquam antipathiam et sympathiam cum rebus corporeis: nam dæmon ad cytharæ pulsum recessit a Saule, 1. Reg. 16. 23. Fugatus est fumo jecoris, Tob. 6. 19. Delectatur *locis humidis* et palustribus, Job. 40. 16.; ergo.

R. *Ad prob.* 1am. *D. A.* Habent antipathiam et sympathiam ortam ex temperamento humorum, vel appetitu sensitivo *N.* aliunde ortam *C.* Fugatio dæmonis facta est vel vi sacri hymni, vel musica directe egit in Saulem, temperando pravos humores, indirecte in dæmonem his abutentem ad turbandum Saulem.

*Ad prob.* 2am. Fumus ille jecoris fugavit dæmonem *moraliter*, ut religiosa fumigatio conjuncta precibus et exercitio castitatis, Christum amoris igne combustum præsignans, uti exponunt SS. Aug. et Prosper.

*Ad prob.* 3am. Per loca humida et palustria *tropice* intelliguntur animæ voluptatibus et luxuria diffluentes, ut exponit *Glossa* : his quippe dæmones maxime delectantur; sic etiam juxta S. Aug. de Civit. Dei. L. 10. c. 19. delectantur *fumo* non sensibiliter, sed *intelligibiliter,* quia scilicet signum est sacrificiorum, quibus delectantur, dum sibi ab idololatris offeruntur : ita S. Thom. hic q. 115. a. 5. ad 3.

*Inst.* 3. Angeli videntur, tanguntur, hospitio excipiuntur, et comedunt, uti patet in angelis Abrahamo et Jacobo apparentibus, in Raphaele Tobiæ comite etc. ; ergo. *Conf.* Teste S. Aug. Epist. 49. (al. 102. q. 1. n. 5.) in his operationibus vere locuti sunt, comederunt etc. ; quod fieri non potuit sine principio interno vitaliter corpus informante.

R. *D. A.* Videntur, tanguntur etc. in specie sibi propria et corporibus sibi naturaliter unitis *N.* In specie aliena et assumpto corpore adscititio *C.*

*Ad Conf. D. A.* Vere locuti sunt, comederunt etc., hoc est, in corporibus assumptis veras ac reales operationes exercuerunt *C.* Hoc est, actiones vitales et proprie exercuerunt *N. Non ficto et inani phantasmate,* ut loco cit. ait Aug. *sed manifestissima veritate* angeli actiones secundum speciem externam similes locutioni, comestioni et aliis faciebant, cum per assumpta corpora sonum articulatum in aere excitarent, cibum frangerent et comminuerent, motum conficerent etc. ; non tamen vera omnino locutio, comestio et bibitio erant, quæ de sui ratione postulant fieri a principio vitaliter informante; unde et Raphael, Tob. 12. 19. inquit : *Videbar quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili utor.*

13. *Obj. II.* In Syn. Gener. VII. Act. 5. definitum est, angelos pingendos esse, quia corporei sunt : recitato enim Dialogo Joannis Thessal. (Labb. t. 7. p. 354.) : *De angelis et archangelis..... intelligibiles quidem eos Catholica et Apostolica novit Ecclesia, non tamen incorporales omnino et invisibiles.... subtiles autem corpore et aereos, et igneos :* Tarasius Patr. Const. Concilii Præses sic est locutus (ib. p. 355. B.) : *Ostendit Pater* (Joannes Thessal.) *quod et angelos oporteat pingi, quoniam circumscripti sunt, et veluti homines multis apparuerunt :* cui universa Synodus statim respondit : *Etiam Domine;* ergo sensus Ecclesiæ est angelos esse corporeos.

R. *N. C.* Nam 1°. Deceptus est Joannes, dum aliquorum Patrum sententiam *Ecclesiæ sensum* dixit. 2°. Non definivit Concilium, angelos esse corporeos, sed tantum posse depingi, quin Tarasius hac conclusione rationem corporeitatis angelicæ afferret, errore Joannis prudenter suppresso : aut quin Concilium illam rationem approbaret, prout liquet tum ex scopo Concilii, qui fuit, ut statueretur *usus SS. Imaginum,* ad quem sufficiebat, licitum esse pingere angelos : tum quia Act. 4. Concilium jam retulerat et probaverat sententiam S. Athanasii asserentis angelos esse incorporeos.

*Inst.* Joannes Thess. docuit angelos esse corporeos, atque ideo posse depingi : sed Concilium probavit hanc illationem per illa verba, *Etiam Domine;* ergo probavit angelos esse corporeos.

R. *D. M.* Docuit duntaxat angelos esse corporeos *N.* Docuit esse corporeos, et *humana specie* multis *apparuisse,* ideoque pingendos esse *C.* Ut vero Concilium probaret hanc illationem, *angeli pingi possunt,* sufficit veram esse aut unam aut alteram partem propositionis hypotheticæ. Sed angelos

constare *proprio corpore*, et in proprii corporis specie apparuisse, id quidem nec Synodus approbavit, nec ad quæstionem propositam de pingendis SS. angelorum iconibus spectabat. Demum verba illa, *Etiam Domine*, non continent definitionem, quia solum inter consultandum prolata. V. Petavium L. 1. c. 2. n. 7.

14. *Obj. III.* Veteres Ecclesiæ Scriptores, Iren. Tertul. Hil. Ambr. et alii constanter docuerunt angelos esse corporeos; et SS. Aug. et Bern. de hac re dubitarunt; ergo.

R. 1°. Fateor aliquos Patres in ea sententia fuisse, quam tamen non ex Scriptura, neque ex Traditione, sed ex *Platonis* Philosophia hauserunt, iisque oppono auctoritates *num.* 11. pro nobis relatas; unde liquet quod pars sanior ac melior stet pro nostra sententia.

R. 2°. Multi ex illis Patribus, qui angelis tribuunt corporea aerea, loquuntur non de propriis, sed assumptis eorum corporibus. Alii negant angelos esse incorporeos, non absolute, sed comparative ad Deum, qui solus ita est incorporeus, ut sit infinitus, immensus, expers omnis compositionis. Aliqui tantum volunt angelos esse veras et reales substantias in sensu *num.* 10. indicato, prout Apost. dicit, Divinitatem in Christo habitare *corporaliter*, id est, *vere realiter*. Demum alii solum dubie, non assertive loquuntur.

*Inst.* 1. Si angelorum natura extra omnem omnino materiam est; ergo etiam excludet omnem compositionem : sed id negant SS. Patres et Theologi; ergo.

R. *D. seq. M.* Omnem compositionem physicam, essentialem et integralem *C.* metaphysicam et accidentalem *N.* Compositionis essentialis nullum in angelis vestigium est, nulla necessitas, sive ad vitales operationes intelligendi et volendi, sive ad motum localem et actus potentiæ executivæ; idem est de integrali, cum nulla substantia spiritualis sit divisibilis in partes integrantes. Metaphysicam non excludit, quia definiri potest : nec accidentalem ex subjecto et accidentibus, quia recipit suos actus, cum natura angelica non sit actus purus; atque sic differt satis a simplicitate Dei.

*Inst.* 2. Attamen dici non potest, quod *de fide* sit angelos esse incorporeos.

R. Quamvis contrariam opinionem primo millenario toleratam fuisse inter Christianos, ex Hist. Eccl. colligat Natalis Alex.; tamen secundo millenario, præsertim post C. Later. IV. Theologi duce Magistro Sent. uno velut ore (si Eugubinum et Cajetanum excipias) naturam angelicam extra omnem utut subtilissimam materiam collocant, adeo ut contrarium censeatur error temerarius, quamvis dicere hæreticum aut hæresis proximum, graves Auctores renuant.

Quæres: *Sintne Angeli incorruptibiles ac immortales?*

15. *Nota.* Quod nunquam desinit existere, si non est vivens, dicitur *incorruptibile* : si est vivens, *immortale* dicitur. Immortalitas triplex est : 1°. *Essentialis*, sive omnimoda et absoluta existendi necessitas : hanc solus Deus habet. 2°. *Naturalis*, vi cujus ens creatum, ex hypothesi semel acceptæ existentiæ, exigit in perpetuum conservari, licet per absolutam Dei potentiam sit destructibile : talis competit animæ rationali. 3°. *Gratuita*, quæ quidem in

se habet principium destructionis, sed ex sola Dei gratia vindicatur ab interitu: talem habuisset Adam, si non peccasset. De naturali immortalitate quæritur.

16. *Respondeo*: Angeli sunt naturaliter immortales.

*Prob. I.* Ex iis omnibus Scripturæ textibus, qui angelis bonis æternam gloriam, malis æterna supplicia statuunt: Sic Luc. 20. 36. dicitur, homines angelis æquales in resurrectione ultra mori non poterunt; ergo angeli *boni* nunquam sunt desituri. De *malis* idipsum constat ex Matth. 25. 41. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et angelis ejus.*

*II.* Ex Concilius. Act. 11. Synod. VI. lecta et approbata est epistola Sophronii Patr. Hier. (Labb. t. 6. p. 881. C.) in qua tum angeli, tum animæ hominum immortales esse dicuntur.

*Conf.* Ex paritate cum anima rationali, de qua in C. Lat. V. sub Leone X. Sess. 8. (Labb. t. 14. p. 187.) definitur, quod sit *immortalis;* ergo a potiori angelus natura perfectior.

*III.* Ex Patribus quorum plures, præcipue SS. Cyrill. Alex. et Damasc. recitantur apud Suarez, de Angelis, L. 1. c. 9. qui angelos *immortales,* et in eadem naturæ substantia *immutabiles* dicunt.

*Conf. ratione*: Substantia pure spiritualis et incorporea, quales esse angelos diximus, debet dici *naturaliter immortalis*: cum quælibet res naturaliter appetat sui conservationem; et nihil est intrinsecum sive extrinsecum, quod angelorum destructionem natura sua exigat etiam pro bono universi; neque ab ullo agente creato destrui possunt; neque cessat finis eos conservandi.

*Si ais* 1°. In epist. Sophron. Act. 11. Syn. VI. dicitur: *Angeli immortales perseverant, non naturam revera incorruptam proprieve immortalem habentes essentiam, sed gratiam a Deo sortiti;* ergo angeli non sunt naturaliter immortales.

R. *D. A.* Non habent immortalem essentiam, immortalitate absoluta, essentiali et independente *C.* Participata et dependente *N.* Concilium duntaxat angelos negat immortales *essentialiter,* de quo 1. Tim. 6. 16. dicitur: *Solus Deus habet immortalitatem.*

*Si ais* 2°. SS. Patres Cyrill. Alex. Thesaur. L. 20. (Opp. t. 5. p. 204. C.), et Damasc. de fide L. 2. c. 3. dicunt angelos natura non esse immortales, quia, quidquid initium habet, etiam suapte natura finem habet.

R. *D. A.* Non esse immortales natura, id est, ex vi essentiæ suæ, a se et independenter a divina productione ac conservatione *C.* Natura, id est, ex suis principiis naturalibus, participatis quidem a Deo, sed perpetuo durare appetentibus *N.* Hanc duplicem *immortalitatis* notionem a SS. Patribus admissam fuisse, constat ex eorum verbis et adjectis rationibus.

*Si ais* 3°. SS. Iren. L. 2. c. 64. (al. 34. n. 3.), Ambr. de fide L. 3. c. 3. n. 19. 20., Aug. ep. 59. (al. 118. n. 15.), Hil. in Ps. 148. n. 5. angelos dicunt immortales per *voluntatem, bonitatem* et *gratiam* Creatoris: Iren. loco supr. cit. et alii, angelos ex se esse mortales: Tatianus, Orat. cont. Græc. n. 14. angelos jam esse mortuos asseverat.

R. *Ad* 1$^{um}$. *D. A.* Per gratiam, qua voluit Deus angelos creare et conservare immortales *C.* Qua tanquam beneficio aliquo ordinis supernaturalis angelos

ab intrinseco mortales vindicat ab interitu *N*. Creationis ac conservationis beneficium etiam a SS. Patribus vocari gratiam, constat ex Aug epist. 95. (al. 117. n. 7.).

*Ad* 2um. *D. A.* Angelos ex se mortales asserunt nixi falso supposito, quo statuerunt esse corporeos *C*. Ex vero supposito, angelos esse spirituales ac incorporeos. *N*.

*Ad* 3um. *D.* Angelos asseverat mortuos moraliter, peccando *C*. Physice per dissolutionem vel interitum *N*. Vide Petav. de Angel. L. 1. c. 5. et L. 3. c. 4. n. 12. Reliqua, quæ hic objici possunt, sunt philosophica, quæ discutit *Psychologia*.

## ARTICULUS IV.

### QUIS SIT NUMERUS, QUÆ DIVISIO ET DISTINCTIO ANGELORUM?

17. *Nota*. Quam est incertum dicere, quantus sit angelorum numerus: tam est indubitatum, dari diversos ordines sive Choros angelorum; id tamen negant Erasmus et Beza. Circa quæstionem de angelorum differentia, triplex sententia est: 1a. D. Thom. et *Thomistarum*, omnes omnino angelos inter se differre specie: 2a. S. Basilii L. 3. contra Eunom. (opp. t. 1. p. 272. C.) omnes omnino angelos tantum numerice inter se differre: 3a. Angelos diversorum ordinum differre inter se specie, quæ differentia consistat in naturali potentia simplicius et universalius objecta intelligendi: angelos vero ejusdem ordinis *solo numero* distingui. Demum *Hierarchia* vi nominis sacer principatus est, quoad rem certus angelorum numerus, qui sibi invicem, ac uni tanquam principi, in ordine ad cœlestes actiones, subordinantur.

18. *Dico I.* Angelorum numerus est longe maximus.

*Prob.* Quia Hagiographi, Job 25. 3. Daniel 7. 10. S. Paulus Hebr. 12. 22. S. Joann. in Apocal. 5. 11. eumdem per millenarios denariis et centenariis multiplicatos exprimere conantur, substituto quippe hoc numero finito pro quovis indefinito. D. Thom. hic q. 50. a. 3. in 0. dicit numerum angelorum incomparabiliter superare numerum substantiarum materialium, idque confirmat auctoritate S. Dionysii c. 14. de cœl. Hier., aut quicumque Auctor hujus antiquissimi libri fuerit. V. Petav. L. 1. c. 14. n. 8.

19. *Dico II.* Novem sunt angelorum Ordines sive Chori.

*Prob.* Isa. 6. 2. dicitur: Seraphim *stabant, sex alæ uni, et sex alæ alteri*. Ezech. 10. 3. Cherubim *autem stabant a dextris domus*. 1. Thess. 4. 15. *Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli etc.* Rom. 8. 38. *Certus sum, quia... neque* Angeli, *neque* Principatus, *neque* Virtutes. Coloss. 1. 16. *sive* Throni, *sive* Dominationes, *sive* Principatus, *sive* Potestates; sunt ergo septem enumerati ab Apostolo angelorum ordines, quibus si addantur Cherubim et Seraphim ex *Prophetis*, novem stant ordines cœlestis exercitus.

*Conf.* Ex constanti traditione SS. Patrum, quos inter S. Greg. hom. 34. in Evang. n. 7. ita scribit: *Novem angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro Eloquio, scimus* Angelos, Archangelos, Virtutes, Pote-

STATES, PRINCIPATUS, DOMINATIONES, THRONOS, CHERUBIM atque SERAPHIM. V. PETAV. de Ang. L. 2. c. 1.

20. *Dico III.* Hi novem angelorum Ordines distribuuntur in tres Hierarchias.

*Prob.* Ex mirabili consensu Patrum et Theologorum, post S. DIONYS. L. de cœl. Hier. c. 8. §. 2. Prima et suprema Hierarchia continet CHERUBIM, SERAPHIM et THRONOS : Secunda DOMINATIONES, PRINCIPATUS et POTESTATES : Tertia, VIRTUTES, ARCHANGELOS et ANGELOS. SS. Patres si quando quatuor tantum ordines recensent, reliquos non excludunt, et alibi referunt. Dum Can. *Hi duo,* D. 1. de Consec. decimum angelorum ordinem per superbiam corruisse memorat; sensus est, tantum fuisse lapsorum numerum, ut potuisset decimum ordinem constituere; qui decimus ordo dicitur ex hominibus reparari: *Glossæ* autem, quæ ait : *Nomen decimi ordinis non habemus* ; respondet alia *Glossa* his verbis : *Nec habere possumus, cum non fuerint, nisi novem.* V. PETAV. L. 2. c. 3.

21. *Dico IV.* Angeli aliqua ratione inter se discrepant.

*Prob.* Diversis Hierarchiis, quin et angelis diversorum ordinum conveniunt diversæ proprietates tum ratione diversarum perfectionum intrinsecarum, gratiarum et charismatum : tum ratione ministeriorum, dignitatum et officiorum, prout diversa illorum nomina indicant; ergo inter se differunt : qua ratione, an omnes specie, an omnes numero tantum, an partim specie, partim numero : nec exploratum est, nec scire admodum necessarium; ita sentit S. AUG., qui L. ad Oros. contra Priscillian. c. 11. ait : *Esse itaque* SEDES, DOMINATIONES, PRINCIPATUS, POTESTATES *in cœlestibus apparatibus, firmissime credo, et differre inter se aliquid, indubitata fide teneo ; sed... quænam ista sint, et quid inter se differant, nescio ; nec ea sane ignorantia periclitari me puto.* V. PETAV. L. 1. c. 14. n. 1. et seqq.

22. *Observa.* SS. GREG. hom. 34. in Evang. n. 8. 9. 10. et BERN. de Consid. L. 5. c. 4. n. 8. diversas angelorum perfectiones ac functiones ita exponunt ; SERAPHIM Deo maxime conjuncti summa ardent charitate, quam in alios transfundunt : CHERUBIM mira pollent scientia, qua et cæteros illuminant : THRONI speciales sunt inhabitantis Dei Sedes, unde pax et securitas, quam et aliis communicant : DOMINATIONES mira in res creatas potentia eminent : POTESTATES peculiari gaudent auctoritate in dæmones : PRINCIPATUS Omnipotentis majestatem ac dignitatem referunt : VIRTUTES in recipiendis Dei illuminationibus maxime sunt constantes : ARCHANGELI sublimium Dei arcanorum præ aliis conscii et nuntii sunt : ANGELI minima nuntiant. Præterea in dæmonibus etiam permansit quædam subordinatio : nam Matth. 9. 34. dicitur de Principe dæmoniorum, et Luc. 11. 18. ait CHRISTUS : *Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?*

# CAPUT II.

## DE POTENTIIS ANGELORUM.

—

### ARTICULUS I.

#### DE POTENTIIS AD ACTUS INTERNOS.

§ I.

*Quænam angeli naturaliter cognoscant?*

23. *Nota.* Angelos pollere *virtute intellectiva,* indubium est ex Scriptura, quæ illis Psal. 96., Matth. 8., Psal. 90., Zach. 1., 2. Petr. 2. operationes tribuit, soli naturæ intelligenti proprias. Et vel ipsi gentiles Philosophi idcirco angelos per antonomasiam vocarunt *Intelligentias.* Quænam objecta, ac potissimum an secreta cordium angeli naturaliter cognoscant, hic quæritur. Sub arcano cordium, id est, voluntatis angelicæ et humanæ, non tantum intelliguntur ipsa decreta voluntatis, sed et judicia eorum directiva, consilia, deliberationes, dictamina practica, et omnes actus intellectus ita cum illis connexi, ut hi non possint cognosci, quin illa etiam cognoscantur : qualia sunt actus reflexi, species intentionales ex illis acquisitæ, et habitus relicti; et de his procedit quæstio, utrum angeli naturaliter certo et evidenter ea cognoscant sine manifestatione naturæ rationalis; de *modo cognoscendi* angelico, plus philosophica, et minus utilis videtur disquisitio esse.

24. *Dico I.* Angeli naturaliter cognoscunt Deum abstractive.

*Prob.* Cognitio *quidditativa* Dei repræsentat clare quidditatem Dei, ac proin magnum post se amorem ac gaudium trahens, angelum valde beatum faceret naturaliter : sed hæc non potest esse connaturalis angelis, alias permanens etiam in diabolis, in quibus omnia naturalia sunt integra, beatitudo tamen nulla; ergo angeli naturaliter non cognoscunt quidditative Deum, sed, sicut homo ex creaturis, *abstractive.* Neque ut Trinum cognoscunt Deum naturaliter : nam creaturæ non pendent essentialiter a Personis divinis, ut in proprietatibus distinguuntur, sed ut in essentia unum sunt.

25. *Dico II.* Angeli seipsos, alios angelos, ac substantias omnes ordinis naturalis quomodolibet præsentes cognoscunt quidditative.

*Prob.* Omnia hæc objecta sunt per se et naturaliter intelligibilia, angelico intellectui proportionata, eique sufficienter applicata vel per se, vel per species; species autem objecti vicariæ sunt superfluæ, ubi ipsum objectum præsens est, ac proportionatum; ergo ea omnia quidditative cognoscunt. My-

steria autem fidei et dona supernaturalia, nec ut jam existentia, nec ut futura, determinate ac certo cognoscunt angeli, quia simpliciter excedunt omnes vires totius naturæ creatæ; insuper etiam futura dependent a libera Dei voluntate. Aliud est de supernaturalibus duntaxat quoad modum et actu jam positis, ob diversitatem rationis.

26. *Dico III.* Angeli naturaliter cognoscunt Futura necessaria, non item Futura libere contingentia.

*Prob.* 1ª. *p.* Angeli naturaliter cognoscunt omnes causas naturales : atqui hæ jam existentes et sufficienter applicatæ sunt medium sufficiens cognoscendi earum effectus necessarios; ergo futura a causis naturalibus semper eodem modo se habentibus dependentia, v. g. ortum, occasum, eclipsin solis, physice, non tamen absolute *certo* cognoscunt : cum Deus ordinem naturæ *absolute* turbare possit. Futura vero alia a causis naturalibus stabilem adeo legem non habentibus dependentia v. g. tempestates, pestem etc. nequidem certo, sed probabiliter tantum præsciunt naturaliter.

*Prob.* 2ª. *p.* Angeli non possunt *Futura libera* præscire in suis causis, quæ sunt indifferentes : non in se ipsis, quia nondum existunt : nec in decretis Dei, quæ soli Deo patent, et indifferenter applicantur; ergo.

*Conf.* S. Hil. L. 9. n. 61. de Trin. inquit : *Proprium Deo quid aliud, quam futurorum cognitio est?* Tertull. Apol. c. 20. *Idoneum, opinor, testimonium divinitatis, veritas divinationis;* hinc Isa. 46. 9. et 10. dicitur : *Ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei, annuntians ab exordio novissimum, et ab initio, quæ necdum facta sunt;* et Isa. 41. 23. *annuntiate, quæ ventura sint in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos;* ergo soli Deo competit certa cognitio libere et contingenter futurorum.

27. *Dico IV.* Angeli non cognoscunt naturaliter certo Secreta cordium.

*Prob.* 2. Paralip. 6. 30. dicitur: *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* 1. Reg. 16. 7. *Homo videt ea, quæ parent; Deus autem intuetur cor.* Ps. 43. 22. *Ipse novit abscondita cordis.* Jerem. 17. 9. et 10. *Pravum est cor omnium, et inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes;* in quem locum S. Hier. scribit : *Nullus cognitionum secreta cognoscit, nisi solus Deus.* 1. Cor. 2. 11. *Quæ sunt hominis, nemo novit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est;* in quem locum D. Thomas addit : *Nec angelus bonus, nec malus, ea, quæ in corde hominis latent, scire potest.* Idem sentiunt alii SS. Patres, qui, uti ipsa etiam Scriptura, divinitatem Christi inde probant, quod *secreta cordium* cognoverit. V. Petavium L. 1. c. 7. n. 2. seqq.

*Conf.* 1. *Negative,* quia gratis asseritur angelis tanta intellectivitas et scientia etiam secretorum, præsertim ubi auctoritas repugnat. 2. *Positive,* quia naturæ intellectuali connaturaliter debetur dominium in suos actus liberos perfectum et expeditum ab omni impedimento tum physico, tum morali, ut suadet paritas in utroque : tale autem non foret, si ejusmodi actus absque elicientis consensu aliis ita paterent, ut occultari non possent; ergo.

28. *Obj. I. cont. IV.* Juxta S. Greg. in beatitudine resurgentium unus homo erit perspicabilis alteri, sicut ipse sibi; ergo idem de angelis dici poterit.

R. *D. A.* Idque, quia unus alteri se manifestat *C.* Secus *N.* Quippe in patria corpus erit perspicuum et lucidum, et animi perpetuo charitatis vinculo conjuncti ultro sua secreta invicem pandent.

*Inst.* 1. S. Basil. L. de Virgin. n. 29. hortatur puellas, ut angelorum præsentiam revereantur, eo quod ii percipiant quidquid virgo cogitat; ergo.

R. *D. A.* Si affectus internus signis, corporeisque impressionibus foras erumpat *C.* Si non erumpat, neque a Deo iis manifestetur *N.* S. Pater pie sancteque loquitur, sed pro more hortatoriæ orationis.

*Inst.* 2. Dæmones in *Energumenis* produnt cogitationes aliorum; ergo illas cognoscunt.

R. *D. A.* Produnt vel per conjecturam tantum longa experientia firmatam, uti prædicunt etiam nonnunquam futura; vel quia signis externis manifestantur; vel quia alii volunt suos actus cognosci; vel quia Deus ob bonum finem suæ providentiæ *permittit*, ut cognoscant; vel denique ex phantasmatibus, quæ ipsi sæpe excitant, et deinde revelant *C.* Secus *N.*

*Inst.* 3. Diabolus introit in cor hominis, Joan. 13. 2. *Cum diabolus jam misisset in cor ejus*, et Act. 5. 3. *Anania! cur tentavit Satanas cor tuum?* ergo scrutatur secretas cogitationes ibi latentes.

R. *D. A.* Introit in cor hominis suggestione *C.* Perceptione alienarum cogitationum *N.* ita S. Aug. Tr. 55. in Joann. n. 4.

29. *Obj. II.* Secreta cordium sunt actus ordinis naturalis, et intellectui angelico proportionati; ergo ab altero angelo naturaliter cognosci possunt.

R. 1°. *D. A.* Sunt ordinis naturalis, ita tamen, ut substent dominio et juri secreti *C.* Quomodocumque *N.*

R. 2°. *D. C.* Ergo ab altero angelo naturaliter cognosci possunt facta manifestatione *C.* Ea non facta *N.* Causa, cur secreta naturaliter cognosci nequeant, *proxime* habetur a negato Dei concursu, sic exigente creatura intellectuali et ejus recta gubernatione, ut ad istorum actuum cognitionem suum Deus concursum non exhibeat: *remote* a jure, quod agenti libero competit in actus suos, exigendo ne actus liberi absque proprio consensu ab alio, præterquam a Deo, cognoscantur.

*Inst.* 1. Actus interni angelorum possunt cognosci, iis consentientibus; ergo etiam ante consensum, quia consensus naturam actus non mutat.

R. *D. C.* Ergo etiam ante consensum cognosci possunt remote *C.* Proxime *N.* Ad potentiam enim *proximam* requiritur alterius consensus tanquam conditio.

*Inst.* 2. Consensus ipse manifestanti est æque actus liber, ac alius qui fuerat occultus; ergo si ille, etiam hic potest cognosci.

R. *N. C.* Consensus ille revelandi *exercite* per seipsum, est quasi donatio et communicatio sui quoad cognitionem respectu alterius, quod aliis actibus nequaquam convenit; quod autem voluntas claudat et aperiat *mentis secreta*, illustrari potest per actus aliarum potentiarum, quæ, nonnisi per applicationem voluntatis vel appetitus, suis possunt e potentiis egredi.

*Inst.* 3. Homo non habet ejusmodi dominium in sua phantasmata; ergo nec in actus intellectus et voluntatis.

R. *T. A. N. C.* Quia dominium illud debetur homini ut creaturæ rationali: phantasmata autem illa non sunt operationes hominis ut creaturæ rationalis;

ergo. Dixi *Trans.* si enim sint phantasmata ejusmodi, ex quibus potest deveniri in cognitionem secretorum, falsum est antecedens.

*Inst.* 4. Angelus superior potest cognoscere hominem, et angelum inferiorem *comprehensive;* ergo eum cognoscit intensive et extensive quoad omnes effectus naturales.

R. *D. A. et C.* Cognoscit comprehensive et quoad omnes effectus etiam dominio secreti subjectos *N.* Quoad alios actus *Tr.* Nam comprehensio proprie dicta, qua distincte cognoscuntur omnia prædicata rei, omnesque termini naturales ac obedientiales tam in specie, quam in individuo, soli Deo competit.

*Inst.* 5. Angelus hominem cognoscit perfectius, quam homo seipsum; ergo si homo sua secreta cognoscit, magis angelus cognoscet.

R. *D. A.* Perfectius cognoscit quoad esse substantiale et accidentale physicum *C.* Quoad esse morale et liberum hominis *N.* Equidem primum cognoscit angelus intuitive, homo tantum abstractive: at secundum homo cognoscit certo et experimentaliter, angelus tantum arguitive, aut ad summum probabiliter.

*Inst.* 6. Homines sagaciores aliorum sæpe cogitata introspiciunt; ergo potiori jure angeli.

R. *D. A.* Aliorum cogitata, quæ exterioribus indiciis, vultu, oculis, fronte, nutibusque se produnt *C.* Quæ nullo se signo produnt *N.* S. Aug. per illa verba L. 2. Retract. c. 30. *Rem dixi occultissimam audaciore asseverantia quam debui*, non dubitat quod angeli cognoscant secreta cordium signo quodam manifestata: sed dubitat an ea percipiant sensibili, an spirituali virtute, siquidem dubium sit an possint angeli corporea sensatione sentire ad instar hominum, et si habeant corpora non sibi unita substantialiter, sed tantum assumpta.

*Inst.* 7. Constat ex historiis, quod dæmones vel per se, vel per homines a se edoctos, vel per gentilium oracula multa libere futura prædixerint; ergo non minus arcana cordium scire possunt.

R. *D. A.* Prædixerint multa naturali suo lumine cognita certo et infallibiliter *N.* Multa vel a Deo, vel aliis signis manifestata, vel quæ ipsi facturi erant, vel certe fallibiliter, uti et prædictiones idolorum pleræque erant amphibologicæ *C.* Atque ita etiam possunt angeli ex dispositionibus corporum, passionum motibus, occasionibus aliisque circumstantiis seu conjecturaliter prævidere, ad quid agens liberum se sit determinaturum. Ipsi adeo Ethnici oraculorum vanitatem agnoverunt, inter quos *Porphyrius* rei apprime consultus librum scripsit de *Philosophia* ex oraculis petita.

## § II.

### *Quæ sit Voluntas ac Libertas angelorum.*

30. *Nota.* In angelis esse *voluntatem*, consequitur ex virtute eorum intellectiva, et manifestum redditur ex Scriptura, in qua angelis tribuuntur actus voluntatis. Quæritur autem 1°. An hæc voluntas sit vere libera? 2°. Etiam in primo creationis instanti ad peccandum? 3°. An sit *in suis decretis,* id quod *Thomistæ* docent, omnino immutabilis, ac inflexibilis?

31. *Dico I.* Voluntas angelorum est libera.

*Prob.* Angeli sunt capaces *justitiæ, meriti, præcepti* et *peccati*; ergo in iis datur liberum arbitrium ad merendum et demerendum necessarium: ita SS. Patres et Theologi unanimiter.

*Conf.* Angeli sunt præditi perfecta ratione seu intelligentia; ergo et libertate arbitrii, quæ illam sequitur, uti patet in Deo et homine; atque ita arguit S. Joan. Damasc. L. 2. de fid. c. 3.

32. *Dico II.* Libera etiam fuit ad peccandum in primo creationis instanti.

*Prob.* Voluntas angelorum in primo instanti habuit omnia requisita ad agendum libere, scilicet objectum præsens et cognitionem indifferenter proponentem objectum cum facultate eligendi alterutram partem; ergo potuit eo instanti libere agere, cum ad libere agendum non requiratur cognitio tempore prior, sed sufficiat prioritas rationis, vel naturæ seu dependentiæ: nec requiritur deliberatio aut inquisitio, ubi objectum clare apparet.

*Conf.* 1. Ex D. Th. angeli peccare potuerunt in sequentibus instantibus, ut eventus docuit; ergo etiam in primo: non enim minus in primo ac in sequentibus instantibus habuerunt libertatem de se labilem in malum, neque aliunde necessitatam ad non peccandum.

*Conf.* 2. Angelus in primo instanti fuit liber ad *merendum,* cum de facto meruerit; ergo etiam ad demerendum, cum par sit utriusque ratio, nec solidum fundamentum id negandi.

*Si ais* 1°. Peccatum angeli in primo instanti imputaretur Deo, ceu auctori naturæ angelicæ. 2°. Actum secundum malum debet præcedere actus primus malus. 3°. Primum instans creationis angeli est instans gratiæ, non ergo peccati.

R. Negando singula: nam 1°. operatio prima tribuitur auctori in *necessariis,* non item in *liberis*: alioquin angelus non potuisset mereri in primo instanti suæ existentiæ. 2°. Ad actum peccati non aliud supponitur necessario, quam *potentia indifferentiæ* ad bene vel male operandum cum sufficiente objecti cognitione: et angelus in actu existentiæ libertatis constitutus, habitis omnibus requisitis, sine alio actu formaliter ipsamet sua volitione se movet ad volendum. 3°. Primum instans fuit quidem *instans gratiæ* naturalis, quatenus angelum Deus produxit libere, non vero supernaturalis; hanc quippe sibi, attenta præcise natura, haud debitam, accepit dependenter a merito et libera dispositione; si ergo meriti fuit, cur non et demeriti esse potuit primum illud instans?

33. *Dico III.* Voluntas angelorum non est, facta semel electione, absolute et physice inflexibilis ac immutabilis.

*Prob.* Ex Patribus: Joan. Damasc. L. 2. de fid. c. 3. ait: Angeli boni sunt *natura ita comparati, ut ad malum ægre moveri, non tamen omnino non moveri possint: nunc vero ea jam conditione, ut ne vix quidem moveri atque inflecti queant. Quod tamen non eorum naturæ, sed gratiæ, eique, qua Deo unice bono adhærent, constantiæ tribuendum est.* S. Isidor. Sent. L. 1. c. 10. n. 2. inquit: *Gratia dicimus, non natura esse immutabiles angelos: nam si natura incommutabiles essent, diabolus utique non cecidisset.*

*Conf.* Ex Ratione. Angeli mali, aliquamdiu boni, reipsa mutarunt suam voluntatem; ergo angeli non sunt ex *conditione naturæ suæ* immutabiles.

*Si ais* 1°. Certum est angelos bonos esse confirmatos in bono, et malos obstinatos in malo; ergo sunt absolute immutabiles.

R. *N. C.* Hæc enim immutabilitas non est physica, ex ipsa naturæ conditione orta : sed habetur a *ratione status* vel beatitudinis, vel damnationis; et in bonis quidem illa oritur ex efficacia luminis gloriæ, et invincibili attractione objecti beatifici : in malis autem ex consummata malitia vi tormentorum, et desperatione concepta ob æternam suam damnationem, atque ex defectu et subtractione gratiæ divinæ : utrumque docent SS. Patres.

*Si ais* 2°. S. Thomas et *Thomistæ* omnes hic adversantur : nam docent *primo* quod arbitrium hominis flexile sit ad oppositum ante et post electionem, angeli autem ad utrumque oppositum ante, non post electionem. *Secundo* quod angelus per intellectum apprehendat immobiliter, homo per rationem mobiliter : ac proin voluntas etiam hominis adhæreat mobiliter, angeli vero fixe et immobiliter, cum vis appetitiva in omnibus proportionetur apprehensivæ, a qua movetur.

R. *Ad* 1$^{um}$. *D. A.* Angeli arbitrium post electionem non est flexile comparative ad homines *C.* Absolute *N.* Nempe, ut Greg. Naz. Orat. 38. n. 9. ait: *Ut angelos non omnino immobiles, sed ægre mobiles existimem ac dicam, mihi persuadet Lucifer etc.*

R. *Ad* 2$^{um}$. *D. A.* Vis appetitiva, id est, instinctus naturalis proportionatur apprehensivæ *C.* Vis appetitiva, hoc est, liberum arbitrium *subd.* Proportionatur universaliter in sensu absoluto *N.* In sensu accommodo, et secundum proprium tendendi modum *C.* Voluntas ceu potentia libera ex natura sua tendit in objectum cum indifferentia actus ad oppositum, in quo differt ab intellectu ceu potentia ad unum determinata. Ad hæc angelus apprehendit quidem immobiliter res evidentes, et eas, quæ essentiam ac proprietates rerum naturalium spectant, non item res contingentes et eligibiles : Sic dæmon primo judicavit passionem Christi procurandam, impellendo Judam ad proditionem, dein vero impediendam, cum laboravit Pilatum per uxorem a condemnatione deterrere.

## ARTICULUS II.

### DE POTENTIIS ANGELORUM AD ACTUS EXTERNOS.

### §. I.

*An Potentiam motricem habeant Angeli?*

34. *Nota.* Potentia motrix dicitur vis illa, qua angelus se, vel alias substantias de loco ad locum transfert. Quidam ex Recentioribus Philosophis ausi sunt nuper definire angelum, quod sit *substantia tantum cogitans, quæ nihil cum motu commune habet*; nimirum ut ad denegandam angelis omnem in corpora potestatem commodius sese accingant. Verum hæc angeli descriptio quantum a sana Theologia abhorreat, hoc loco demonstrandum. Alii non quidem omnem movendi ac operandi vim denegant angelis, ita tamen debilem, humana plane inferiorem, nec superiori

naturæ sat congruentem attribuunt, ut vel cum *Tartarottio* dicant, quod fluida duntaxat movere angelus possit, non item solida : vel cum *Scipione Maffæo,* quod angelus ciere quidem possit præstigias et sensuum illusiones, non autem efficere quidpiam insolitum et quod mereatur admirationem.

Porro angelum esse *in loco,* certum est, tum quia substantia existens non potest nullibi, sed debet alicubi existere ; tum quia in Scriptura vel cœlum, vel infernus, vel terra, locus angelorum assignatur; neque controversum est admodum, locum angeli esse finitum et limitatum, quamvis illius peripheriam describere nemo ausit. Denique ex philosophia constat, angelum non existere in loco *circumscriptive,* sed *definitive* ; atque inde etiam desumi debet, per quid formaliter dicatur esse in loco.

35. *Dico I.* Angeli possunt se ipsos movere motu locali.

*Prob.* Ex Gen. 28. 12. Tob. 5. 8. Luc. 1. 28. Matth. 8. 32. etc. constat, angelos *accedere, recedere, ascendere, descendere, intrare, ambulare* : atqui hæc motum localem probant; ergo.

*Conf.* Potentiam motricem in angelo ipsum nomen loquitur, quod nuntium non sane immobilem significat : hoc figura, quamvis analoga, refert, quæ sub alarum schemate pernicitatem adumbrat : hoc officium declarat, quo tanquam administratorii spiritus perhibentur : hoc natura exigit in angelis perfectior, quam in homine et aliis entibus, vere tamen mobilibus.

36. *Dico II.* Angeli possunt movere corpora.

*Prob.* Nihil est quod hunc motum reddat angelo impossibilem ; non ratio physica, cum possit angelus producere impetum; nec desunt vires; nec obstat Deus, cum extent innumera divinæ permissionis exempla, ut Dan. 14. 35. de Habacuc translato : Act. 8. 39. de Philippo a spiritu in Azotum delato : Joan. 5. 4. de aqua per angelum commota : Matth. 4. 5. de Christo assumpto in sanctam civitatem, et statuto super pinnaculum templi a diabolo : de Simone Mago in aere sublato ope dæmonis, prout testatur Hist. Eccl. etc. Unde negandum non est, nonnunquam evenire veram Sagarum translationem de loco ad locum, præsertim ad conventus nocturnos, ut communior est Theologorum et Jurisconsultorum, *Turrecrematæ* L. 2. Sortilegiorum q. 7. *Bassini* de Artibus Magicis prop. 9. *Remigii* L. 1. de Dæmonolatria, *Pennæ* in Directorio Inquisitionum p. 1. Attamen ultro fatemur, sæpe intervenire *illusionem dæmonis,* et Sagas sola duntaxat imaginatione translatas se putare, dum interim dormientibus vel vigilantibus ope dæmonis imagines gestorum repræsentantur.

37. *Dico III.* Angeli possunt etiam movere spiritum.

*Prob.* Tob. 8. 3. Raphael legitur transtulisse dæmonium et ligasse : Luc. 16. 22. anima Lazari ab angelis deportata est in sinum Abrahæ : quæ postrema narratio, quamvis dicatur tantum parabolica, tamen rei gestæ veritatem aperit. Quod ad modum explicandi attinet, variant Auctores. *Thomistæ* solo imperio fieri motum dicunt : Recentiores quidam tantum occasionaliter ab angelis, et a Deo efficienter : alii verius, vel applicando mobili substantiam suam, ut illud secum deferat, aut retineat in loco, ubi

ipse est : vel si impulsum producat in mobili proportionatum corpori vel spiritui.

38. *Obj. cont. I.* Etiam Deus dicitur *ascendere, descendere, ambulare etc.* sed metaphorice; ergo et angeli.

R. *N. C.* Nam Deus est immensus, angelus vero ens limitatum, cui proin ex natura sua convenit, sicut non esse ubique, ita de loco in locum transire. Motus autem angelorum an sit *continuus, discretus, instantaneus,* et an sine transmisso medio fieri possit, philosophice hic discutere, non vacat.

*Inst.* Vim motricem physicam et efficientem nullam, moralem tamen et occasionalem angelis competere, quatenus suis votis Deum ceu unicam causam effectricem ad motum producendum determinent, multis videtur verisimilius; ergo.

R. Idipsum hodie confutat valide quoad spiritum humanum sanior *Psychologia.* Si fas est ita torquere sensum Scripturæ, atque adeo violentum in modum litteram distrahere, actum est de *sensu litterali,* ludibrioque exponitur veritas et auctoritas Divinarum Scripturarum. Advertant hi, qui esse volunt *Sacræ Hermeneuticæ* callentissimi, dictatum olim a S. Aug. canonem, qui proprietatem locutionis sacræ retinendam cavet, nisi opposita SS. Litterarum enuntiatio, aut Ecclesiæ auctoritas, aut ratio manifesta repugnent. Sane quod ab orthodoxis pro veritate *ignis corporei* in inferno asserenda contra heterodoxos usurpari consuevit momentum, idem hic locum obtinet : incredibile scilicet videri, quod canonici Scriptores omnes, quantumlibet ætate, tempore, loco, lingua, morum ac populorum consuetudine a se invicem distantes, unanimem tamen et perpetuam metaphoram contra usurpationem semper ac ubivis receptam de motu angelorum invexerint, quin de figurato hoc sermone lectorem ullibi admonerent.

39. *Obj. cont. II.* cum *Tartarottio.* Anima hominis omnem vim suam in fluida exercet, quia nonnisi mediante liquore nerveo ac spirituum vitalium impulsu agit, aut potest agere in corpus; ergo idem de angelo sentiendum.

R. 1°. Inest sua cuivis fluido gravitas, potens fluentibus urgensque pressio : ruentibus deorsum auctus accepit impetus, impulsuque externo vehementius acceleratur motus, quibus aut sustentandis, aut ferendis, aut excipiendis, aut inhibendis sæpius nulla aggerum moles, nullum robur corporum, nullus virium conatus par sit ac sufficiat; ergo ex eo quod liquida vel minimo cedant impulsui, vel obice remoto profluant sponte sua, non ideo, inquam, aut nullæ, aut tenues admodum vires angelis suppetunt ad corpora movenda.

R. 2°. *N. C.* Nam anima, cum in cerebro resideat ac proin haud præsens sit partibus omnibus, non aliter ac per impulsum spirituum suas operationes exercere potest. Dein anima est forma corporis, pars compositi, et operandi principium dependens, quamdiu materiæ immersa vivit; angeli autem, quo sunt ab inerti materia magis secreti, et natura superiores homine, eo majori activitate pollere dicendi sunt. Atque hæc effecerunt, ut sectatores *Tartarottii* non difficulter jam admittant, vigere in angelis movendorum etiam *solidorum* potentiam.

*Inst.* 1. Tota vis dæmonis adversus Jobum furentis fluidorum experimento definitur; ergo. Tota enim vis illa vel *ventorum* turbine, vel *flammarum* procella, vel *aquarum* in grandines compactarum tempestate exerta fuit; ergo.

R. *N. A.* Quia hæc facta solitudinem commoti fluidi non ostendunt; multo minus vires angelorum maximas infringunt aut minuunt, utpote quibus et grandia ædificia molesque vastissimæ repentina concussione eversæ succumbebant. Porro nihil frequentius, nihil exploratius est, quam spiritus tam bonos, quam malos in *assumptis corporibus* apparuisse; has vero apparentiæ machinas sive vera fuisse corpora, sive simulacra corporum statuat *Tartarottius*, videlicet ex materia subtili compacta; certum tamen et compertum est eadem et ob quantitatis exigentiam impenetrabilia, et materiæ condensationem gravia, et ob firmitatem nexumque solida fuisse, adeo ut non solum actiones humanas rite imitarentur, sed et humana corpora, non quidem pro veritate vitæ, sed proprietate substantiæ a Patribus dici mererentur.

*Inst.* 2. Canone *Episcopi* 12. Caus. 26. q. 5. translatio corporum *delusionibus dæmonum* tribuitur; ergo angeli non *vere* movent aut transferunt corpora.

R. *D. A.* Nonnunquam tribuitur delusionibus dæmonum *C.* Semper ac universaliter *N.* Potius in cit. c. 12. damnantur varia falsa, qualia sunt, *Dianam* Deam paganorum, et *Herodiadem* in illis Sagarum conventibus adesse, ut proin errore paganorum involuti *a fide* devient, et aliquid Numinis extra unum Deum arbitrentur.

*Inst.* 3. Per rapidissimum Sagarum motum impediretur, imo elideretur facultas respirandi; ergo illarum translatio plerumque *celerrima* non videtur possibilis.

R. *N. A.* Quia translatio Philippi in N. T. magnam, et Prophetæ in V. T. translatio plane stupendam *motus celeritatem* indicat, tum ob locorum distantiam, tum ob temporis brevitatem: salva tamen utriusque vita iter aereum percursum; ergo corpus etiam humanum absque jactura vitæ moveri *celerrime* potest ab angelis sive bonis, sive malis, quia juxta communem Theologorum quoad potentias naturales manserunt pares.

*Inst.* 4. Explicari non potest, *quomodo* dæmones vere transferant Sagas per aera; ergo.

R. *N. A.* Nam 1. dæmones sunt spiritus perspicacissimi, de illorum scientia et dexteritate hac in re non est ambigendum: poterunt quippe condensare aerem, eique condensato, quam libuerit formam vehiculi inducere, et impositum hominem attollere, ac rapidissime provehere. 2. Equidem plures sunt hujusmodi itinerum et concursuum nocturnorum narrationes, quæ fidem non merentur, cum *frequens illusio* strigibus objiciatur; tamen ut omnia figmentis anilibus, et deceptionibus ac illusionibus tribuantur, non sinunt hominum istiusmodi diversa ætate, conditione et sexu, diversis item locis, annis et religionibus editæ confessiones concordes, deponentibus licet noxiæ, constantes tamen, atque in equuleo et rogo perseverantes: non sinunt alienorum ab hac superstitione hominum fortuiti in congregationes maleficas interventus aut illationes: laniarum vel in loco conventus relictarum, vel in cursu deciduarum, vel ob nuditatis verecundiam in dissita statione se continentium comprehensiones: tabularum insu-

per strata, supellexque pretiosa in sylvis et alibi inventa : cantus et tripudia a vicinis vel itinerantibus audita, aut vestigia collectæ multitudinis diversa, terræ impressa et conspecta : non sinunt *Pontificum* et *Conciliorum* non minus, quam *Imperatorum* aliorumque *Principum* Decreta, Tribunalium tam sacrorum, quam profanorum lata judicia, et pœnæ inflictæ : non denique *Theologorum* et *Jurisconsultorum* conspirans sententia; ergo facta hæc universim pro fabulis, aut testes laudati omnes pro male credulis haberi non possunt.

40. *Obj. II.* Christi adventus, et perfecta generis humani redemptio nihil virium et potestatis reliquit malignis spiritibus ad opera magica, sive præstigias, sive portenta præstanda; ergo. *Prob. A.* Isaiæ 44. 25. *Ego sum Dominus irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem convertens ;* Michææ 5. 11. dicitur : *Auferam maleficia de manu tua, et divinationes non erunt in te;* ergo jam tum Prophetæ prænunciarunt omnem diaboli potentiam sub Christi adventum tollendam esse.

R. *N. C.* Nam Isaia teste, Deus irrita facit signa divinorum, sed eo modo, quo ibidem convertit sapientes retrorsum, et scientiam eorum facit stultitiam vers. cit.: sed eo tempore, quo habitabitur Jerusalem, quo ædificabuntur civitates Juda, v. 27.: sed eo duce, de quo additur v. 28. : *Qui dico Cyro : pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis;* nihil ergo de adventu Christi hic. Michæas etiamsi, quod plures volunt, sermone converso ad Babylonem loquitur, pro materia præsenti nihil enuntiat; si vero de Messiæ ætate prophetat, vitiis omnibus, ac *idololatriæ* non minus quam *magiæ* exilium prædicit, superante scilicet Numinis gratia, non abolita dæmonis naturali potestate.

*Inst.* 1. Christus ipse dicit Joan. 12. 31. *Nunc,* post opus redemptionis consummatum, *princeps hujus mundi ejicietur foras;* ergo nihil jam potest amplius in homines.

R. *D. A.* Ejicietur foras ex arce et possessione sua, quam in hominum cordibus per peccata et infidelitatem maxime obtinuerat *C.* Ejicietur ex mundo, ita ut plane cesset grassari in mundo *N.* Id certe experimur omnes, quod adhuc non jam domini, sed hostis instar infensissimi fideles quotidie oppugnet.

*Inst.* 2. S. Petrus 1. c. 3. v. 22. addit, *Filium Dei subjectis sibi angelis et potestatibus et virtutibus,* profectum esse in cœlum : et 1. Cor. 15. 24. S. Paulus pronuntiat finem futurum, *cum Christus tradiderit regnum Deo et Patri, atque evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem,* id est, spiritus damnatos, uti patet ex contextu et aliis textibus; ergo adempta est diabolo omnis potestas.

R. *N. C.* Et 1°. quidem neque angelorum beatorum juxta et damnatorum subjectio : neque illa etiam formula ad Philip. 2. 10. : *In nomine Jesu omne genu flectatur* etc. probat excisas plane vires angelorum esse. 2°. Tam *exspoliatio,* quam *evacuatio principatuum* et *potestatum*, adjunctusque a Paulo triumphus sonant equidem plus quidpiam, non tamen evincunt id, quod adversarii intendunt.

*Inst.* 3. Juxta Scripturam Christus per mortem suam *perfregit inferorum portas, vicit fortem armatum, captivam duxit captivitatem,* et trium-

phum egit de inferno; ergo post redemptionem nostram diabolo nihil virium relictum est.

R. *N. C. vel D. A.* Perfregit inferorum portas etc. ita ut exin sedes diaboli sit convulsa, regnum ejus in hoc mundo, nempe *idololatria,* victum destructumque *C.* Ita ut virtus nocendi, potentia ac potestas omnis sit erepta ac dissipata *N.* Idque ex ipsis Apostoli verbis suadetur, quia hæc *exspoliatio* et *evacuatio* diabolicæ potestatis, quam Paulus Corinthiis prædixerat, locum habebit tunc, quando finis erit seculi, quando Filius regnum tradiderit Patri et Deo, quando ita desinent maligni dæmonum conatus, sicut officia et beneficia angelorum cessabunt.

*Inst.* 4. S. Joan. Apoc. 20. 1. et 2. testatur : *Et vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi et catenam magnam in manu sua, et apprehendit Draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille.* v. 7. *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes.* Sed illud spatium mille annorum plerique eruditi accipiunt pro tempore indefinito, et finem illorum SS. Patres conjungunt cum Anti-Christi adventu, illis forsan Apostoli verbis persuasi 2. Thess. 2. 9. : *Cujus adventus est secundum operationem Satanæ, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus;* ergo.

R. 1°. Fateor, hunc textum esse obscurissimum, ita ut, sive *tempus* ligati solutique Satanæ spectes, sive ligandi solvendique *modum,* plerosque Interpretes in varia distraxerit : sed hæc ipsa probabilium opinionum diversitas enervat vim oppositionis.

R. 2°. Parum item roboris perstabit sententiæ oppositæ ex cit. loc., ubi cum Catholicis non paucis et aliis pluribus dixero, Satanam ligatum sub Constantino M., quo imperante gentilium superstitio et tyrannis concidit, fides Christi effloruit, crevitque Ecclesiæ ac Martyrum gloria : solutum autem rursus sub ortum Mahumetismi in Asia et Græcia prævalentis.

R. 3°. Si tandem cum communiore Catholicorum Epochæ initium a prædicatione Christi, finem ab Anti-Christo repetam, quid evincitur demum, ubi ligamen et vinculum Satanæ injectum exposuero in hunc sensum, ut non adempta diabolo vis, sed duntaxat imminuta : libertas nocendi non illimitata amplius et arbitraria, sed adstricta et a voluntate Dei suspensa : potestatis etiam dominatus ac in nolentes tyrannis ablata, permissa autem in volentes et incautos opportuna usurpatio intelligatur? Ita D. Aug. L. 20. de Civ. c. 8., S. Leo Serm. 19. de Pass. Dom. c. 5. et communior Patrum ac Interpretum, qui diabolum cani catenis innexo comparant, non tamen unguibus et dentibus exuto.

41. *Observa.* Ex ipsis hactenus objectis liquet congenia dæmonibus potestas a nobis asserta : num enim *ligari* et *auferri* potuit, quæ nulla fuit et impossibilis? Adhæc post mille annos solvetur rursus Satanas, atque, ut prius, seducet gentes; ergo hæc vis ei indita et propria est. Dein actiones dæmonum, quas recitat *Maffæus, tentatio, obsessio* et *Magia* sunt, quæ singulorum duntaxat hominum nocumentum spectant : cum illa Apocalyptica recensio universitatem hominum respiciat, molimina dæmonis illuc referri pronuntians, ut Ecclesiam vi et persecutionibus, mundum arte et illusionibus perdat.

Porro *Maffæi* divisio non est exacta, siquidem præter *Magiam* etiam addenda

erant falsorum Numinum oracula et prodigia, quibus sane duobus *Idololatria* incrementi plus capiebat, quam omnibus Magorum artibus sive veris, sive falsis. Nec demum juvat quidquam adversariis dicere, non quidem vim omnem tentandi ac obsidendi homines, dæmonibus per Christi mortem esse ademptam, sed *Magiæ,* sive potestatem juvandi Magos, operaque stupenda patrandi : nam detecto multiplici errore adversariorum, justior hæc veriorque pro nobis conficitur argumentatio : post reparatum genus humanum, diaboli potestas, sive tentandi animas, sive obsidendi corpora, sive persequendi Ecclesiam, sive mundum oraculis fallendi dempta non est penitus et destructa, prout litteratus Marchio Scip. Maffæus una cum Tartarottio fatetur; ergo pari ratione potestas etiam magica tantum coercita fuit, et nullatenus extincta. Id vero neutiquam inficiamur, multoties intervenire delusionem phantasticam, dæmoni, qui pater mendaciorum est, et ab imposturis διάβολος dicitur, per quam familiarem ac consentaneam.

## § II.

### *Quænam opera Angeli facere possint?*

42. *Nota.* S. Aug. L. 3. de Trin. c. 9. n. 18. ait : *Quid* (angeli) *possint per naturam, nec possint per prohibitionem, et quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur; homini explorare difficile est, imo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod commemorat Apostolus dicens : Alii dijudicatio spirituum.* Quæritur autem hic 1°. Utrum miracula proprie dicta, quæ excedant vires totius naturæ creatæ, ab angelis sive bonis sive malis vi propria effici queant? 2°. An semper facere ea quæ de se possunt, a Deo permittantur? 3°. An et quomodo angeli assumant corpora? De singulis acturi affirmamus duntaxat, quæ vel Scriptura nobis manifestat, vel historiæ, aut Doctorum communior sensus declarant.

43. *Dico I.* Angeli non possunt patrare miracula proprie dicta.

*Prob.* Psal. 135. 4. dicitur de Deo : *Qui facit mirabilia solus.* Idem asserit S. August. L. cit. c. 8. Cf. Toletum Comm. in Joann. c. 3. v. 2. annot. 2. Consentit Ecclesia, dum a *veris miraculis* veritatem Catholicæ fidei probare consuevit : quod non posset, si angelis miraculorum potestas competeret. Demum ratio probat, quia omnia, quæ fiunt ab angelis, vires naturæ non excedunt, siquidem fiant per motum localem, vel per applicationem naturalium activorum; ergo. Possunt tamen facere *mira* seu *mirabilia* respectu nostri; sunt enim rerum naturalium peritissimi, ac præterea robore ac celeritate pollent, quibus habent, ut multa præter morem et consuetudinem mira operari possint, quamvis hæc naturæ vires non superent; patet hoc ex effectibus, qui diabolo et Magis tum in Scriptura, tum in historia profana adscribuntur.

*Si ais* 1°. cum *Tartarottio* : Si angeli non possint patrare *miracula;* ergo translatio Prophetæ in Babylonem, Philippi in Azotum etc. non viribus angeli, sed ipsi Deo tribui debent, siquidem in utroque *miraculum* intervenerit.

R. *N. seq.* Quia miraculi necessitatem, illiusque præsentem interventum pro arbitrio potius fingunt, quam probant *Tartarottii* sequaces; sane id non

evincit motus velocitas sive ex parte angelorum, sive ex parte corporum : nam quoad primum divinant Adversarii in determinanda pro libitu velocitatis mensura, et abjecte nimium de scientia perspicacissimorum spirituum sentiunt; quoad secundum vero refutantur a pernicitate orbium cœlestium, quorum cursus per amplissima spatia regionis supremæ mobilitate multum superat raptum geminum supra cit. per infimas aeris plagas. Quod si demum ex conditione angelorum beata fundamentum pro miraculo quærant; ergo ubicumque spiritus beatos quidpiam egisse legerint, agnoscere miraculum, nihilque ab illis vi congenita actum dicere debebunt.

*Si ais* 2°. cum *Maffæo* : vis naturalis angelorum nonnisi ad *præstigias*, ac mentis sensuumque illusiones valet, idque ex communi Patrum judicio; ergo angeli nequidem vere præstant *mirabilia* naturæ, et portentosos effectus.

R. *N. A.* Tametsi enim angelis non insit a natura potestas, ultra naturæ vires efficiendi quidpiam, et quod propriam miraculi notionem habeat : tametsi magna etiam portio mirabilium dæmonibus adscriptorum fallaciis adnumeranda sit : tametsi artes diabolicæ a SS. Patribus recte vanitatis insimulentur, tum quod ad veritatem *miraculi* nunquam pertigerint, tum quod sæpius eventu caruerint, sive ob dæmonum suos cultores deludentium perfidiam, sive ob supremi Numinis ab aliis exorati voluntatem oppositam; attamen omnia angelorum opera dici præstigiæ atque fallaciæ non possunt, siquidem plura sint vel solerti *artis* industria ad naturam efformata, vel ingenio naturæ tarditatem juvante in lucem producta, plura, quæ sive ob suam insolentiam, sive ob scientiæ nostræ defectum aut ignorantiam, mira ac portenta recte censentur, nec tamen præstigiæ sunt, aut miracula proprie dicta : quis enim angelicis mentibus neget artium naturæque arcana penitus inspecta, aut rerum causas, combinationes, habitudines etc. perfecte cognitas, vires humanis majores, celeritatem actionis nullatenus impeditam, ac certitudinem ab experimentis plurimis enatam?

44. *Dico II.* Angeli nil possunt, quo mutatur ordo vel lex Universi : imo nec omnia, quæ de se possunt, facere permittuntur.

*Prob.* 1ª. *p.* S. Chrysost. in ep. ad Hebr. c. 2. ad hæc Pauli verba, *non enim angelis subjecit Deus orbem terræ futurum*, commentans ait : *hunc ergo qui erat futurus, non subjecit angelis, sed Christo.* Ita Theophyl. et S. Thomas ibid. proin non possunt angeli cœlos aut siderum motus sistere, aut eorum cursum retroagere.

*Prob.* 2ª. *p.* Quia sapientissima Dei gubernatio non sinit, quidlibet pro libitu angelos præsertim malos efficere; hinc juxta S. Aug. de Trin. L. 3. c. 9. n. 18. Dæmones cyniphes producere non poterant. Possunt tamen *ordinarie* ventos excitare, fulgura, tonitrua, grandines, imbres, tempestates et similia meteora ciere, aerem inficere, vel purificare etc.

45. *Dico III.* Angeli possunt assumere corpora.

*Prob.* Angeli tum boni, tum mali sæpissime apparuerunt in *figura corporea* et visibili; ergo possunt vel ex aere aliave materia efformare simulacrum, vel etiam corpus verum, scilicet humanum cadaver aut belluinum corpus induere; certum siquidem est, hujusmodi apparitiones omnes non esse

tantum imaginarias, et turbata phantasia effici. Uniuntur autem his corporibus, et quidem angeli boni de novo formatis, mali autem etiam aliis: non *formative,* quod implicat: non *hypostatice,* cum id quoque vel repugnet, vel pro honore Mysterii Incarnationis non permittatur: non *inhæsive,* quod est contra naturam substantiæ: sed faciunt cum assumpto corpore unum respective, quatenus ita uniuntur corpori, ut illud non tantum moveant, sed in eo etiam suam personam proprietates vel actiones aliquo modo repræsentent: ita D. Thom. q. 6. de Miraculis a. 7. ad 1.

## § III.

### *Quid possint angeli in animas et corpora hominum?*

46. *Nota.* Posse angelos movere et transferre corpora, dictum hactenus; quid præterea in homines valeant, ac quidem in triplici genere vitæ: quid circa animam hominis corpori conjunctam; possintne hominem mutare in bestiam, et vicissim; an defunctorum animæ ad nos ope dæmonis evocari possint? restat explicandum: ait quippe S. Greg. M. mortuorum animas posse, et nonnunquam etiam divina virtute ac potentia, atque singulari consilio et voluntate Dei apparere, idque fidei Catholicæ scitis, et veræ germanæque Philosophiæ placitis consentaneum est. Idem sentit D. Aug. L. de cura pro mort c. 16. et B. Felicem Nol. Episc. Nolanis, dum a barbaris vehementer oppugnarentur, apparuisse et subvenisse affirmat; quæritur autem, an id etiam ope dæmonis fieri possit?

47. *Dico I.* Angeli in genere *vitæ vegetativæ* possunt 1°. Corpus *nutrire* et augere, nutritionem impedire, et efficere ut vivens nullo cibo ad tempus aliquod sumpto vivat: 2°. Morbos mortemque conciliare, aut *sanitatem* restituere ac mortem differre: 3°. Assumpto semine idoneo et in uterum transmisso perfectum animal generare.

*Prob.* 1um. Quia idoneum pabulum dare vel subducere possunt, vim nutritivam sublatis vel appositis impedimentis vegetiorem vel debiliorem reddere, fermenti acrimoniam famis excitatricem inhibere, et pabulum illi ex humoribus tenacioribus e corpore collectis diuturnum præbere, quo fit, ut plura etiam animalia, item ægroti diu inediam ferant.

*Prob.* 2um. Quia possunt temperiem corporis tum locali humorum transumptione invertere, tum adhibitis principiis corruptivis depravare; ex intemperie autem ejusmodi morbus, ex morbo mors oritur, ut patet ex Luc. 9. 39. et Marc. 9. 17. E contrario autem, si arte medica humores noxii possint educi, et activa insignia adhiberi, multo magis angeli rerum naturalium peritissimi his mediis sanitatem restituere mortemque ad tempus arcere poterunt.

*Prob.* 3um. Ita constare ait S. Aug. L. 15. de Civit. c. 23. n. 1. ut negare impudentiæ esse videatur.

48. *Dico II.* Angeli in genere *vitæ sensitivæ* possunt 1°. In appetitu sensitivo voluptatem vel dolorem causare, motus carnis excitare vel reprimere,

iram provocare vel sedare, memoriam juvare vel hebetare, sensuumque internorum et externorum operationes varie afficere : 2°. Deludere sensus *externos,* maxime visum, et indirecte etiam phantasiam : 3°. Perfecte imitari voces et hominum et brutorum.

*Prob.* 1um. Quia hæc naturaliter eveniunt mutato objecto vel medio, aut ex motu spirituum, ac humorum temperie, variaque constitutione, quæ omnia ab angelis fieri posse, ex dictis constat.

*Prob.* 2um. Quia potest mutare objectum per celeriorem agitationem, occultationem aut substitutionem, item mutare medium, ac denique ipsum organum, prout dictum de humoribus.

*Prob.* 3um. Quia hæ voces oriuntur ex certa aeris vibratione, nec facultatem angeli superant, qua ratione S. Cyrill. Glaphyr. in Gen. L. 1. (Opp. t. 1. p. 6.) dæmonem in serpente locutum Evæ existimat.

49. *Dico III.* Angeli in genere *vitæ rationalis* possunt 1°. Ingenii vim acuere, et disciplinas etiam abstrusiores tradere : 2°. Movere intellectum mediate, quatenus nempe impressione phantasmatum, vel specierum excitatione aut remotione, vel objecti extrinseci admotione intellectum excitant : 3°. Voluntatem necessitare et ab intrinseco mutare non possunt, sed tantum indirecte, et ab extrinseco inclinare.

*Prob.* 1um. Quia vis hæc dependet plurimum ab humoribus, et organorum habitudine.

*Prob.* 2um. Quia cogitationes bonæ principaliter a Deo, malæ principaliter ab hominis voluntate mala et inordinate agente sunt, et non nisi instrumentaliter utræque ab angelis vel bonis vel malis oriuntur.

*Prob.* 3um. Habetur a natura voluntatis ac liberi arbitrii, unde S. Cyrill.: *Liberum arbitrium habet anima, et potest diabolus incitare, cogere autem non potest;* et S. Aug. serm. 20. de diversis (al. 32. n. 11.) : *Si diabolus aliquando aliquid suggerit, consentientem tenet, non cogit invitum.* Dein Prov. 21. 1. *Cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit, inclinabit illud;* ergo soli Deo hoc convenit. Postremum liquet ex dictis de appetitu et intellectu, quos sequi solet voluntas.

50. *Dico IV.* Angeli non possunt revera mutare hominem in bestiam, aut vicissim.

*Prob.* 1°. Quia juxta Philosophiam *generatio* est processio viventis a vivente ut principio conjuncto in similitudinem naturæ; tale autem principium non est angelus.

2°. Anima bruti naturaliter impotens est eliciendi operationes hominis; ac præterea omnis anima saltem naturaliter aptum sibi et accommodatum corpus requirit, in quo sit et operetur; denique *corpus organicum* hominis non est accommodatum ad functiones animæ bruti, nec vicissim. Possunt tamen vel ipsi dæmones corpus v. g. lupinum ex aere assumere, vel eo humanum corpus circumdare, aut pellem lupinam sibi vel sagis injicere, aut hominum sensibus illudere, aut ipsam vim imaginatricem turbare, ut sic sagæ sibi videantur esse ejusmodi animalia, vel aliis appareant : hæc enim omnia non superant angelorum potentiam.

51. *Dico V.* Defunctorum animæ non possunt ope dæmonis ad nos evocari.

*Prob.* Nec animæ in purgatorio aut cœlo sunt sub potestate diaboli aut necromantæ, cum fas non sit credere Sanctorum animas, quæ in manu Dei sunt, alterius quam Dei potestati subjici : nec animæ damnatorum sine Dei nutu ex inferno egredi vel educi possunt, cum in eum locum tanquam, meritum suis sceleribus carcerem et pœnæ locum, sint a Deo detrusæ, quod per voces *divitis Epulonis* Luc 16. 26. relatas confirmatur; unde quæ per necromantiam factæ narrantur mortuorum apparitiones, vel illusiones fuerunt, vel fallaces dæmonum ipsorum simulationes, vel mendacia a necromantis conficta.

*Si ais* : 1. Reg. 28. 14. Samuel Pythonissæ opera suscitatus apparuit Sauli.

R. Quamvis enim cum probabiliori admittatur, verum Samuelem ibi comparuisse, et non fuisse phantasma a dæmone assumptum, ut alii probabiliter tenent; tamen ab iisdem Auctoribus negatur, id a diabolo vel *Pythonissa* esse effectum : sed Deus suscitavit Samuelem, prævenitque magicas incantationes ; unde etiam turbatam sagam ibidem legimus.

52. *Observa.* Angelus angelo *loquitur,* suos conceptus ad alterum dirigendo, ita ut, qui alias naturaliter secreti sunt, respectu illius desinant esse secreti, et sic ab illo, non vero ab aliis cognoscantur ; et dum *clamare* ad invicem dicuntur, per hunc clamorem magnitudo rei vel affectus significatur. Angeli superiores *illuminant* inferiores, veritates divinas hic incognitas, a Deo vel alio angelo superiore acceptas, iis manifestando, plerumque in ordine ad eos dirigendos in suo ministerio. Angeli etiam homines illuminant, idque ex clarissimis Scripturæ textibus patet. De hac vero *locutione angelica* constat ex Scriptura Zach. 2. 4., Is. 6. 3., Apocal. 7. 2. etc. De eadem agunt SS. PP. Dion., Chrys. in 1. ad Cor. c. 13. v. 1., Theophyl. et Theodoret. ib., Greg. M. Moral. L. 2. c. 4. (al. 7.), Damasc. de fide L. 2. c. 3. et alii : hanc ipsam deposcit perfecta societas, respublica et *Hierarchia spiritualis* angelorum, nihil ergo aut ira aut risu dignum in Theologo est, si eamdem duobus prope verbis definiat.

---

# CAPUT III.

## DE GRATIA ET MERITO, PECCATO ET POENA ANGELORUM.

—

### ARTICULUS I.

#### DE GRATIA ET MERITO ANGELORUM.

53. *Nota.* Triplex a Theologis solet discerni status angelorum, *Creationis, Perseverantiæ, Defectionis.* Via angelorum dicitur illa temporis mora, quæ fluxit ab eorum creatione usque ad beatitudinem et damnationem malorum. Instans aliud physicum est, v. g. momentum temporis : aliud angelicum,

quod non est indivisibile punctum temporis nostri, sed una invariata unius operationis angelicæ duratio usque ad aliam a priore diversam ; et horum tria statuunt Theologi pro via angelorum, ita ut *primum instans angelicum* sit actus congrue meritorius, et status primæ gratiæ habitualis : *secundum* sit actualis inter eos diversitas operationum et pugna, dum boni condigne merebantur augmentum gratiæ et gloriam, mali per peccatum excidebant a gratia sanctificante : *tertium* spectet ad terminum, et designet in illis beatitudinis, in his damnationis initia : atque id indicant verba Ezech. 28. 15. *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Neque operatio una hic ita stricte sumitur, ut ab ea dividatur prævia cognitio, deliberatio et alia operationem ipsam ordinarie præcedentia vel consequentia. Quæstio autem duplex est : 1°. An omnes angeli aliquando in via fuerint in statu gratiæ sanctificantis ? 2°. An et quando angeli gloriam meriti sint ?

54. *Dico I.* Angeli omnes in via aliquando fuerunt in statu gratiæ sanctificantis : ita D. Thomas q. 62. a. 3. et Theologi fere omnes.

*Prob.* Ex Ezech. 28. 15. supra cit., ubi Lucifer sub typo Regis Tyri dicitur *perfectus in viis suis, donec inventa sit iniquitas* in eo. Judæ v. 6. dicuntur angeli mali *non servasse suum principatum.* Joann. 8. 44. dicitur diabolus *in veritate non stetisse.* Idipsum docent SS. Patres Basil. in Psal. 32. n. 4. (opp. t. 1. p. 136. A.). et epist. 141. (al. 8. n. 10.), Aug. L. 12. de Civ. c. 9. n. 2. et L. 11. c. 11., etc.

*Conf.* Adam statim in sua creatione accepit gratiam sanctificantem, quæ includitur in justitia originali : nam Deus *fecit hominem rectum.* Eccl. 7. 30. et Trid. Sess. 5. dicit, Adamum per peccatum justitiam et sanctitatem perdidisse, in qua fuerat constitutus ; ergo probabilius etiam angeli gratiam tum acceperunt : non enim videtur Deus erga creaturas nobiliores fuisse in prima creatione parcior, quam erga homines.

55. *Dico II.* Angeli sancti gloriam meriti sunt, et antequam illam acceperint.

*Prob.* 1ª. *p.* S. Aug. L. de Corr. et Grat. c. 11. n. 32. sic ait : *Quia noluit* Adam *permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset : sicut fecerunt angeli sancti, qui, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et hujus permansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros.* Idem sentit D. Thom. 1. q. 62. a. 4. et Theologi omnes.

*Prob.* 2ª. *p.* Ab eodem consensu Theologorum.

*Conf.* Ex D. Thom., quia meritum habet rationem viæ ad finem ; ei autem, qui jam est in termino, non convenit moveri ad terminum ; et sic etiam nullus meretur, quod jam habet. Adhæc dilectio Dei non potest simul informari gratia imperfecta, quæ est principium meriti, et gratia consummata, quæ est principium fruitionis. Demum repugnat tum ratione meriti, tum ratione potentiæ proximæ peccandi, esse in eodem instanti meritum cum potentia peccandi, et simul beatitudinem.

56. *Obj. cont. 1. Ille homicida erat ab initio,* dicitur de diabolo Joan. 8. 44. et 1. Joan. 3. 8. *Ab initio diabolus peccat;* ergo nunquam habuit gratiam.

R. τὸ *ab initio* in utroque textu non sumitur mathematice pro primo instanti creationis : sed moraliter pro tempore ab eo instanti parum distante, ut docet S. Aug. L. 11. de civ. c. 15. ; hinc in textu additur : *in veritate non stetit,* quod supponit diabolum aliquando stetisse. Simili sensu de iis, qui a prima juventute peccarunt, Psal. 57. 4. dicitur : *erraverunt ab utero.*

*Inst.* 1. S. Jud. v. 6. non loquitur de principatu gratiæ, sed *naturæ*: et Joan. 8. 44. sermo est, non de perseverantia, sed de *veracitate,* ut patet ex contextu, *quia non est veritas in eo : cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax est* : denique τὸ *stetit* in Scriptura idem est ac *fuit*, aut opponitur casui ; ergo ex hisce testimoniis nihil probatur.

R. *N. A.* Nam 1. Angeli habuerunt quod amiserunt et dereliquerunt : sed amiserunt principatum gratiæ, non *naturæ;* ergo eumdem habuerunt : hinc inter se comparant SS. Patres lapsum Adami et angelorum. 2. Expositio de veracitate non excludit nostram, sed, ut ait Haunoldus, virtualiter includit, cum diabolus dicatur *in veritate non stetisse*, non quia veritatem ante non dixerat, a qua postea recesserit : sed quia ante in virtute veritatis stetit, dum erat innocens, et virtutibus infusis a Deo donatus. 3. Quod hic loci in Scriptura τὸ *stetit* denotet perseverantiam, docent Orig. in Joann. tom. 20. n. 22., Aug. in Joann. Tract. 42. n. 13. et de Civit. Dei L. 11. c. 13., Euthym. in c. 8. Joann. v. 44., Leo Serm. 9. (al. 8.). c. 1. et confirmatur ex verbis Jobi 4. 18. *Ecce, qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem.*

*Inst.* 2. Textus hebr. Job 4. 18. non dicit : *reperit pravitatem,* sed in angelis suis *non posuit laudem vel lucem* : sed in Scriptura per lucem intelligitur gratia v. g. Eph. 5. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino : ut filii lucis ambulate.*

R. *D. M.* Non posuit lucem perfectam et consummatam *C.* Nullam *N.* Angeli boni cooperatione sua perfecerunt et consummarunt ipsi gratiæ suæ lucem, unde Job 38. 7. dicuntur *astra matutina* Deum laudantia : hoc vero non convenit angelis malis ex propria defectione, non ex defectu gratiæ.

*Inst.* 3. Can. *Visis litteris,* caus. 16. q. 2. diabolus dolere dicitur, quod in cœlo nequiverit habere charitatem, quam homines in terris habent : sed charitas conjuncta est cum gratia ; ergo.

R. Diabolus dolet, quod non habuerit charitatem perseverantem, quam videt habere multos homines ; aut potius, quod non possit recuperare amissam, ut possunt homines : ita *Glossa* et communis *Scholasticorum.* Dein etiam intelligi potest per charitatem concordia cum bonis, non vero gratia habitualis, quia in hoc Can. agitur de *litibus* et *seditionibus Clericorum,* quæ instigatione versuti hostis factæ dicuntur, qui utique discordiarum parens est, et angelos rebelles a bonis avulsos in suam sectam traxit.

*Inst.* 4. S. Greg. M. moral. L. 32. c. 18. (al. 23. n. 48.), in hæc Ezech. verba : *Foramina tua* (Lucifer) *in die qua conditus es, præparata sunt,* ait : *Habuit lapis iste foramina : sed per superbiæ vitium charitatis auro non sunt repleta;* ergo.

R. Intelligendum esse de charitate consummata, sive perseverantia in

charitate et gratia, ut patet ex immediate anteced., ubi ait : *Hujus lapidis in die conditionis suæ foramina præparata sunt, quia videlicet capax charitatis est conditus. Qua si repleri voluisset, stantibus angelis tanquam positis in Regis ornamento lapidibus potuisset inhærere.*

*Inst.* 5. SS. Patres solum videntur dicere contra Manichæos, diabolum non esse natura malum : sic Aug. L. 11. de Civ. c. 13. eos qui putant diabolum ab initio creationis suæ libere peccasse, non consentire dicit cum Manichæo; quin et L. 1. de Gen. ad lit. c. 4. et 6. ait, angelos primo creatos fuisse *informes* et in tenebris, deinde formatos; ergo.

R. S. Aug. ibidem subdit, omnes angelos ab initio accepisse bonam voluntatem sive gratiam; quod ipsum dicunt Patres alii plures; unde Rupertus, Mag. Sent. et quidam alii Scholastici veteres negligendi sunt. Præterea loco cit. S. Aug. loquitur vel de formatione per gloriam, quæ fuit tempore posterior : vel de formatione per gratiam, quæ tamen natura tantum posterior fuit.

57. *Obj. cont. II.* S. Aug. de Corr. et Grat. c. 10. n. 27. docet, angelos malos ante lapsum (et sic in primo instanti) fuisse beatos; ergo et angeli boni tunc erant beati, ac proin beatitudinem non meruerunt.

R. *D. A.* Esse beatos beatitudine radicali, quia habebant gratiam sanctificantem, quæ radix gloriæ est, et quædam beatitudo inchoata *C.* Formali, perfecta et consummata, quæ dat visionem Dei intuitivam *N.* Hinc Aug. l. c. addit : *Erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent.*

*Inst.* 1. Dux sæpe anticipata præbet militibus stipendia, præcipue si fortiter prius certarunt; ergo etiam Deus angelis gloriam, præsertim quia alias ministeria eorum futura erant sine omni præmio.

R. *N. C.* Quia de simili voluntate Dei non habetur fundamentum ab auctoritate, quod in *quæstione facti* requiritur. Porro meriti ratio non amplius habetur in statu beatitudinis; ergo nec propter ministeria ut meritoria dari poterat præmium beatitudinis.

*Inst.* 2. Non repugnat simul *esse beatum et mereri*, ut patet in Christo : neque repugnat præmium dari in eodem instanti physico, quia contritionem eliciens statim accipit gratiam sanctificantem, et justus augmentum gratiæ; ergo.

R. *Ad* 1$^{um}$. *D. A.* Esse beatum, et mereri beatitudinem essentialem, non repugnat *N.* Accidentalem vel aliud quidquam *C.* Christus autem essentialem beatitudinem non meruit, et nisi angelo statuatur beatitudo tanquam terminus ac finis meriti, plane nullus assignari poterit, ut tamen assignatur in homine et Christo mors.

*Ad* 2$^{um}$. *D. A.* Quando præmium non repugnat qualitati actus meritorii, aut principiis ad eum requisitis *C.* Quando repugnat *N.* Repugnat autem tendentia desiderii vel spei in ipso actu, et cognitio indifferens in prærequisitis, utpote quæ excluduntur a visione Dei.

58. *Observa.* Juxta communiorem Theologorum angeli fere sicut adulti homines, per actus de *congruo* meritorios se disposuerunt ad primam gratiam

sanctificantem : perfectius quippe ac honorificentius est, per merita habere gratiam, quæ aliunde non debetur. Dixi, *de congruo,* quia ante gratiam sanctificantem dari non potest meritum *de condigno* : nec principium meriti cadit sub meritum. Quæ in contrarium afferuntur, vel congruentiæ tantum sunt, vel spectant potentiam operandi in primo instanti necdum expeditam, sed quibus facile satisfit.

## ARTICULUS II.

### DE PECCATO ANGELORUM.

59. *Nota.* Graviter peccasse angelos malos, intelligitur ex Job. 4. 18., 2. Petr. 2. 4., Judæ v. 6. Magno eos numero, minore tamen, quam sit is angelorum bonorum, lapsos fuisse, communis Patrum et Theologorum sententia est. Iidem, *nonnullis exceptis,* Luciferum ordine Seraphinum dicunt, eumque aliis angelis omnium fere ordinum causam ruinæ fuisse. Itidem juxta communem Luciferi peccatum fuit *Superbia* in eo sita, quod voluerit esse *ut* Deus, non quidem secundum æqualitatem naturæ, quod vix ullus docet, sed per similitudinem. In assignando medio ad hanc obtinendam, discrepant auctores. Qui sentiunt cum Suaresio, superbiam Luciferi reponunt in eo quod inordinate *Unionem Hypostaticam* ambierit, ac inviderit Humanitati Christi, eique se noluerit submittere : Sequaces D. Thomæ, in eo quod Lucifer ex inordinato affectu erga suam perfectionem et felicitatem naturalem, eadem contentus neglexerit beatitudinem supernaturalem, et sic ipse sibi sufficere voluerit, atque eatenus esse *similis Altissimo;* hinc

60. *Dico I.* Primarium Luciferi et angelorum ejus peccatum fuit superbia.

*Prob.* Ex Script. 1°. generatim : Eccli. 10. 15. *Initium omnis peccati superbia.* Tob. 4. 14. *Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim sumpsit initium omnis perditio.* 2°. Speciatim : Juxta communem sensum Patrum, Propheta diabolum sub nomine Regis Babylonis sic alloquitur Is. 14. v. 11. 12. 13. 14. *Detracta est ad inferos superbia tua... quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer... qui dicebas : in cœlum conscendam... similis ero Altissimo?* Job. 41. 25. de Lucifero dicitur : *Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Luc. 10. 18. Christus dehortatur Apostolos a superbia : *Videbam,* inquiens, *Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.*

*Conf.* Ex SS. Patribus, August. de Civit. Dei, L. 14. c. 13. n. 1. et L. 22. c. 1. n. 2., Cyril. Hieros. Catech. 2. n. 4., Euseb. de Præpar. Evang. L. 7. c. 16. (p. 328.) Greg. Nazianz. Orat. 38. n. 9., Cyril. Alex. in Isaiam, L. 2. (opp. t. 2. p. 235. B.), Leo. M. serm. 9. (al. 8.) c. 1. etc. apud Petav. L. 3. c. 2.

Dixi, *primarium* : nam reipsa non uno superbiæ peccato, sed multiplici, et virtualiter saltem distincto peccavit: qua ratione facilius conciliari possunt variæ Patrum et Doctorum de hac re sententiæ, et melius intelligitur gravissima diabolicæ superbiæ militia.

61. *Dico II.* Superbia angelorum erat in eo, quod sua naturali felicitate contenti vellent sibi ipsis sufficere, simulque affectarent potestatem excellentiæ in res mundanas a Deo quoad actuale imperium independentem.

*Prob.* Illud in re dubia tanquam probabilius videtur statuendum, quod cum Scriptura et Patribus consonat magis, omniaque explicat hic afferri solita; atqui hæc nostræ sententiæ conveniunt: nam 1°. S. Aug. L. 14. de Civ. c. 11. n. 2. ait: *Superbus ille angelus quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis, quam esse subditus* elegit; idem pronuntiant alii SS. Patres. 2°. Explicari potest, quomodo voluerit habere beatitudinem sine meritis, et sibi velut debitam. 3°. Qua ratione ad sui sequelam induxerit *alios Angelos,* quibus scilicet etiam majorem excellentiam proponebat, si eorum princeps haberet independentiam. 4°. Cur oderit maxime Christum, cui nempe data est omnis potestas, quam Lucifer sibi arrogare volebat. Denique cur ab orbe condito homines in *dæmonolatriam* inducere conatus fuerit, et etiamnum inducat.

62. *Obj. cont. I.* Scriptura et SS. Patres aliud Luciferi peccatum assignant: nam 1°. ad Tim. 1. c. 6. v. 10. dicitur: *Radix omnium malorum est cupiditas.* 2°. Gelasius vocat peccatum Angelorum *luxuriam spiritualem.* 3°. S. Cypr. de Zelo et livore, n. 3. et 4., S. Basil. Hom. 11. de Invid. n. 4. aliique *invidiam;* ergo.

R. *D. A.* Assignant aliud peccatum primarium *N.* Concomitans aut subsequens superbiam *C.*

*Ad* 1am. *prob. D.* Radix est cupiditas, hoc est, inordinata propensio ad bonum sibi indebitum qualecumque *C.* Hoc est, avaritia *N.*

*Ad* 2am. *prob. D.* Et per hoc ipsum intelligit superbiam proprie dictam, complacentiam scilicet in naturali perfectione, sine subjectione ad Deum *C.* Superbiam improprie dictam, aut aliud quiddam *N.*

*Ad* 3am. *prob. D.* Invidia fuit peccatum primarium et primum *N.* Secundarium et consequens *C.* S. Aug. sententiam Cypriani disertis verbis L. 11. de Gen. ad litt. c. 14. refellit: *Invidia sequitur superbiam, non præcedit: non enim causa superbiendi est invidia, sed causa invidendi superbia.*

*Inst.* S. Ambr. (al. Leo M. vel Prosper), ait, epist. ad Demetriad. c. 9. (opp. S. Leonis t. 2. p. 268. edit. Baller.): *Sive itaque in lapsu diaboli, sive in prævaricatione hominis initium peccati superbia est*: et tamen hominis peccatum primarium non fuit superbia, sed *inobedientia;* ergo et angelorum.

R. *N. C.* Quia constat, homini datum esse præceptum, ne comederet fructum arboris scientiæ boni et mali, et hoc etiam ab eo violatum: de præcepto angelis dato nihil constat.

63. *Obj. cont. II.* Joan. 8. 44. dicitur de diabolo: *Ille homicida erat ab initio,* nempe quia Christum, cui Unionem Hypostaticam invidebat, jam tum occidere decreverat; ergo in hoc fuit superbia angelorum.

R. *N. A.* Sed ideo dicitur homicida ab initio, quia ab initio mundi sua suasione causavit mortem corporis et animæ totius generis humani.

*Inst.* 1. Hebr. 1. 6. dicitur: *et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: et adorent eum omnes angeli ejus*; ergo sicut angeli actu debuerunt adorare Salvatorem in hunc mundum introductum per Incarnationem; sic olim propositum per revelationem jussi sunt adorare affectu et voluntate: quod cum renueret Lucifer cum suis, cecidit.

R. *N. C.* Juxta Cornelium a Lap. Filius Dei primo introductus est in Orbem, non per revelationem angelis factam, sed per Incarnationem, iterum autem per Resurrectionem gloriosam, aut in die judicii introducendus. SS. Chrys., Ambr., Cyrill. et alii Patres primam introductionem dicunt factam per generationem æternam Christi qua Dei, secundam vero per temporalem Christi qua hominis. Alii dicunt S. Paulum, per τὸ *iterum* significare tantum iteratam citationem textus ex V. Testamento. Demum, si etiam per hoc probetur, Luciferum noluisse adorare Christum, tamen hoc ipso quod Christus tanquam Deus Homo fuerit propositus, et Decretum Incarnationis revelatum, Lucifer non potuit sibi appetere Unionem Hypostaticam, ac proin aliud objectum positive appetitum assignari debet. Sane Patres qui pro illa sententia afferuntur, rari sunt, et solum dicunt, quod dæmon naturæ humanæ inviderit Unionem Hypostaticam.

*Inst.* 2. Illa independentia a Deo evidenter repugnat creaturæ, cum omnis creatura evidenter et essentialiter sit subjecta Deo; ergo non potuit efficaciter appeti a Lucifero, sed potius Unio Hypostatica.

R. *D. A.* Est subjecta Deo physice *C.* Quia physice non potest alium habere auctorem seu conservatorem, quam Deum. Moraliter *subd.* In actu primo *C.* In actu secundo *N.*

## ARTICULUS III.

### DE PŒNA ANGELORUM.

### § I.

*An pœna dæmonum sit verus et corporeus inferni ignis?*

64. *Nota.* infernum negant *Athei, Libertini,* et impii fere omnes. Præter quosdam antiquos dubie locutos, et e Catholicis *Catharinum* L. de præm. et suppl., negarunt ignem verum dæmones torquentem *Origenes* Periarch. L. 2. c. 10. n. 4. seqq., *Albigenses, Lutherus, Calvinus* ,aliique *Novatores* apud Coccium Tom. 2. L. 10. qui pœnam *ignis* dicunt intelligendam esse *metaphorice,* nihilque aliud ejus cruciatum esse, quam dolorem, vel ex privatione bonorum, vel ex recordatione peccati provenientem, licet non negent verum ignem inferni, qui cruciet corpora hominum. Priusquam autem de pœna dæmonum nunquam satis timenda statuamus, paucis stabilienda est veritas Catholica.

65. *Dico I.* Certissima fide tenendum, quod sit vere infernus aliquis a Deo constitutus, in quo reprobi omnes, tum angeli tum homines detineantur et torqueantur.

*Prob. 1.* Scriptura sacra Vet. et Novi Testamenti asseverat dari infernum : Is. 30. 33. dicitur : *Præparata est ab heri Tophet, a Rege præparata, profunda et dilatata, nutrimenta ejus ignis et ligna multa, flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam;* est autem *Tophet* vallis filiorum Enon, ubi cremabant Judæi filios suos idolo *Moloch,* designans locum, ubi perduelles filios Deus æternum cremat ; *Præparata ab heri,* id est, ab initio

mundi. V. *Exegesin Hebr.* Psal. 9. — 18. Is. 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Psal. 48. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos etc.* Marc. 9. 44. et 45. Christus dicit : *Bonum est tibi, claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Luc. 16. 22. et 24. *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno; elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis etc.* Idem Judæ v. 6. Apoc. 12. 9. — 14. 19. — 20. 9. — 21. 8. etc. exprimitur.

*II.* Concilia, Patres, et totius Ecclesiæ sensus idipsum docent : Symbola Athanas. Apost. et Nicænum *vitam* et *ignem æternum* memorant; idem definitum in Conciliis Tol. IV. c. 1. (Labb. t. 5. p. 1703.), Florent. in litteris union. (Labb. t. 13. p. 515. D.) et in aliorum omnium professione fidei. Instar omnium SS. PP. sit Cypr. qui L. de laud. Mart. n. 20. ait : *Sæviens locus, cui gehenna nomen est..., eructantibus flammis per horrendam spissæ noctis caliginem, sæva semper incendia camini fumantis exspirat.*

*Conf.* Evidens conjectura, et ipsorum gentilium auctoritas suffragantur : injustus quippe Deus esset, si hominum crimina manerent impunita, quæ cum in hac vita sæpe non puniantur, necesse est ut puniantur in altera : sed peccati tanta enormitas est, ut nulla pœna, nisi *æterna,* satis illud punire queat. Demum innumeræ tum dæmonum, tum hominum apparitiones, quibus omnibus fidem negare, teste S. Aug. supr. cit. nimiæ impudentiæ est; multorum item hominum raptus ad videndos inferos, montes ignivomi, quos Tertull. (Apolog. c. 48.) vocat *Testimonium ignis æterni, exemplum jugis judicii pœnam nutrientis* ; Platonis, Trismegisti, aliorumque gentilium notitia et consensus, de quo testantur S. Clem. Alex. Strom. L. 5. (opp. p. 592.), et Minutius Felix in Octavio, satis probant, omnino stultum esse, negare infernum : cum pro re, quæ sensibus non patet, et a sola Dei voluntate pendet, nequeat afferri efficacior, quam multiplex ratio nostra.

66. *Dico II.* Ignis paratus diabolo et angelis ejus est ignis corporeus, dæmones vere torquens.

*Prob.* Diabolo paratus est ignis idem, in quem ibunt homines : atqui hic est *corporeus* et *verus,* 1°. Quia Scripturæ multis in locis, nempe Eccli. 7. 19., Is. 33. 14., Matth. 3. 12. etc. appellatur ignis, et distinguitur a *remorsu* seu *verme conscientiæ* ; verba autem Scripturæ sumenda sunt in sensu proprio, ubi sine inconvenientia ita sumi possunt, accedente etiam consensu Patrum. Dein Christus in illis pronuntiat *sententiam judicialem:* hæc autem debet esse maxime aperta, plana, et verbis proprie significantibus efferri : quod non fieret, si *ire in ignem* significaret privationem bonorum, vel recordationem peccati. 2°. SS. Patres hanc veritatem diserte exprimunt, Justin. in 2. Apol. n. 7., Arnob. L. 2. cont. gent. c. 14., Auctor epist. ad Diognet. n. 10., Paulin. epist. 31. (al. 44. n. 6.), Cyprian. de laude Martyr. n. 20., Cyrill. Hieros. Catech. 18. n. 19., Cyrill. Alex. in Isaiam, L. 3. (opp. t. 2. p. 459. A.), Prudentius cont. Symmach. L. 2. v. 182. seqq., Hilar. in Matth. c. 15. n. 12., Chrysost. ad Theod. lapsum, L. 1. n. 10., Aug. L. 21. de Civ. c. 10., Greg. M. L. 4. Dial. c. 28. et 29. et alii quos citant Suarez, de Angelis L. 8. c. 12. n. 11. seqq. et Petav. L. 3. c. 5. His accedunt cum Mag. Sent. Theologi

omnes, atque a S. Aug. temporibus habetur tanquam clara et certa Ecclesiæ sententia, quamvis ea non sit expresse definita, ut Vasquez advertit.

67. *Obj. I. cont. II.* Ignis in Scriptura sæpe sumitur *metaphorice,* pro gravi afflictione, Psal. 65. 12. *Transivimus per ignem et aquam* : pro gratia Matth. 3. 11. *Ipse baptizabit vos in spiritu et igne;* ergo etiam hic metaphorice sumendus est.

R. *N. C.* Nam in allatis textibus nec textus adeo clari, nec circumstantiæ textus, nec Patrum ac Theologorum consensus ita sensum litteralem indicant, sicut de igne inferni corporeo. Ex ipsa sane historia alius non fuit prædictorum textuum, quam metaphoricus; nihil autem id exigit in nostris textibus.

*Inst.* 1. Luc. 16. 24. refertur de *divite Epulone* quod dixerit : *Crucior in hac flamma,* et ad Abraham : *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti suiaquam, et refrigeret linguam meam* : ubi digitus, lingua, oculi intelliguntur *tropice,* cum non conveniant animabus separatis; ergo etiam flamma et ignis.

R. *T. A. N. C.* Quia etiamsi digitus, lingua, et oculi accipiantur *metaphorice* : ita tamen haud accipi posse ignem, probant rationes nostræ : neque infrequens est in Scriptura, veris *metaphorica* inspergere in eadem narratione, ad meliorem hominum captum. Dixi *Transeat,* quia si ut communius censent Patres, non sit historia, sed parabola de Epulone et Lazaro, possunt omnia proprie accipi de homine integro, ut erit post resurrectionem.

*Inst.* 2. Job. 24. 19. dicuntur etiam nives esse in inferno : *ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius* : sed aquæ nivium sumuntur metaphorice ; ergo et ignis inferni.

R. Hæc verba non sunt intelligenda de *pœnis inferni;* esset enim levis in tormento ignis pœna, imo refrigerium : quamvis nonnulli Patres et Theologi de illis intelligant, ut scilicet ex alternante frigoris et caloris cruciatu damnati acerbius torqueantur; sed est tantum imprecatio pœnæ temporalis in adulteros, ut de peccato uno ad aliud transeant : vel intelligitur sub hac vocum allegoria pœnarum temporalium in peccatores statuta multiplicitas et vicissitudo, ut secundum contextum plurimi interpretantur.

*Inst.* 3. Is. 66. 24. et Marc. 9. 45. dicitur : *Ubi vermis eorum non moritur, et ignis eorum non extinguitur* : sed juxta communem vermis sumitur metaphorice; ergo et ignis.

R. *T. m.* Quia S. Aug. L. 21. de Civ. c. 9. n. 2. ex Eccli. 7. 19., Is. 66. 24. fundamentum desumit dicendi, quod damnati in corporibus resumptis passuri sint proprios vermes. *Disparitas est,* quia duplex est damnatorum pœna, alia proveniens *ab intra,* nempe recordatio peccatorum et tristitia ob amissam beatitudinem, sicut vermis nascitur ex ipso corpore, et arrodit ejus intima; alia ab *extrinseco* adhibetur, scilicet ignis. Quamvis autem prior cruciatus per vermem explicatus, hic *metaphorice* sumi possit: non tamen ideo etiam ignis sic sumi debet, quia instrumentum extrinsece crucians potius dicitur vere tale, quale nominatur. Ex eodem desumitur responsio, dum objicitur *fletus et stridor dentium* a Christo Luc. 13. 28. prædictus.

68. *Obj. II.* SS. PP. LACTANT. Instit. L. 7. c. 21. THEOPHYLACTUS in c. 9. Marci, v. 44. 45. et DAMASC. L. 4. de fide c. ult. Item TERTULL. negant ignem inferni esse corporalem, quem dicunt spiritualem, seu metaphoricum; ergo.

R. *D. A.* Negant corporalem simpliciter *N.* Comparative *C.* Item dicunt spiritualem proprie *N.* improprie *C.* Nempe non absolute negant esse materialem et corporeum, sed tantum ita materialem, qualis apud nos habetur, qui nutritur ligno aliaque materia, cui etiam adhæret: dicunt autem *spiritualem*, quatenus eum volunt esse subtilissimum et incorruptibilem, quo sensu etiam S. AUG. ex D. PAULO corpora hominum post resurrectionem spiritualia fore dicit. TERTULLIANUS docuit animam hominis non pati sine corpore, et sic non ante resurrectionem esse passuram, in quo erravit; nihilominus docet, ac tanquam communem Ecclesiæ doctrinam, quæ a gentilibus deridetur, ponit, quod *ignis inferni* sit *corporeus.*

*Inst.* 1. S. HIER. in Is. 66. 24. ait: *Vermis, qui non moritur, et ignis, qui non extinguitur, a plerisque conscientia accipitur peccatorum:* et ibidem addit quædam verba ORIGENIS, quæ non reprobat.

R. S. HIER. hic refert sententiam aliorum, non suam. Dein quamvis hic ORIGENIS verba non reprobet, tamen ea per hoc non approbat: tum quod in relatione aliorum similem modum sæpius teneat: tum quod alibi (ep. 59. ad Avitum, al. 124. n. 7.) aperte ORIGENIS errorem reprobet.

*Inst.* 2. S. AMBR. in Luc. L. 7. n. 205. ait: *Neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis;* et S. GREG. M. L. 15. Mor. c. 17. (al. 29. n. 35.) aperte dicit *ignem gehennæ incorporeum*; ergo.

R. *Ad* 1$^{um}$. Si non possit dici, hæc velut referendo ex aliorum opinione locutus, aut accensionem spirituum per flammas negare voluisse; excusari debet locutio S. PATRIS, quia sub ejus tempora nondum erat hæc veritas ita declarata in universa Ecclesia.

*Ad* 2$^{um}$. Locus hic GREGORII est corruptus, uti SIXTUS SEN., PETAV. et alii recte contendunt; et manifeste probant MSS. codices, in quibus loco cit. *ignis gehennæ* dicitur *corporeus, non autem incorporeus;* uti videre est in nova S. GREGORII operum editione, a RR. PP. Benedict. concinnata.

*Inst.* 3. S. AUG. L. 21. de Civ. c. 10. de divite Epulone dicit, *responderi posse, talem fuisse flammam, quales oculi et lingua fuerint:* et L. 20. c. 16. *qui ignis cujusmodi et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit*; ergo.

R. *Ad* 1$^{um}$. AUG. eod. L. 21. probat ignem inferni esse corporeum, eoque animas ac dæmones torqueri; unde verbis allatis tantum insinuat, quod ex hoc Scripturæ loco non velit probare ignem corporeum, quia videt *convenienter responderi posse* etc.

*Ad* 2$^{um}$. Licet ignis ille dicatur corporeus, incertum tamen manet, cujusmodi et ubi sit. Communior tamen sententia cum D. THOMA est, quod sit ejusdem speciei cum nostro, licet quibusdam accidentibus differat. Plerique etiam dicunt, eum esse in medio terræ. Universim ergo SS. Patres solum indicare volunt ignis infernalis et nostri differentiam, quia scilicet non eget materia, quam consumat: non destruit corpora, quæ cremat: extingui non potest, lucidus non est, etc.; cum vero cruciet corpora, certum est, eum non esse spiritualem, sed corporeum.

69. *Observa I.* Sicut *ignem*, ita et *locum materialem*, puniendis reprobis destinatum, tenet communis Catholicorum contra Calvinum et alios Novatores, tum quia Scriptura infernum dicit esse locum a sepulchro distinctum, inferiorem superficie terræ, abyssum quæ clauditur etc. tum quia id in *Symb. Apost.* profitemur, et C. Florent. l. supr. cit. dicit, animas defunctorum peccatorum in infernum descendere. Consentiunt SS. Patres. Quamvis autem S. Aug. scripserit neminem scire, in qua mundi parte sit infernus, tamen L. 2. Retract. c. 24. n. 2. ait: *De inferis magis videor docere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem ejus reddere.... quasi non ita sit.* Atque hic locus prope centrum terræ effossus ex communi Theologorum divisus est 1°. in *Infernum damnatorum* pro pœna damni et sensus æterna: 2°. in *Purgatorium* pro pœna damni et sensus temporali: 3°. in *Limbum puerorum*, sive infantium sine baptismo decedentium pro pœna solius damni æterna: 4°. in *Limbum Patrum*, qui moriebantur ante passionem Christi, pro pœna solius damni temporali. Ita Bellarm. Tom. II. L. 2. de Purgat. c. 6. et Tom. 1. L. 4. de Christo c. 10., ubi hanc rem contra Calvinum, Bucerum etc. copiose ac erudite pertractat.

70. *Observa II.* Quod dæmones et animæ damnatorum *vere* torqueantur ab *igne corporeo*, ita ut ignis infernalis, tanquam instrumentum justitiæ divinæ a Deo elevatum, actione reali dæmonibus alligatis inferat dolorem cum ustione analogum, recentior ac verior est sententia: siquidem Scriptura et Patres cruciatum igni infernali attribuant similem ei, quo corpora naturaliter cruciantur ab igne; attamen *modum* et alligationis et ustionis doloriferæ satis explicare haud possumus, ut ingenue fatendum sit cum S. Aug. L. 21. de Civ. c. 10. *Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna ignis corporalis affici?* et S. Greg. L. 4. Dial. c. 29. dicit, *ex igne visibili invisibilem pœnam animas trahere*, vocans invisibilem pœnam, quia occulta et incognita est.

## § II.

### *An pœna dæmonum in inferno sit æterna?*

71. *Nota.* Dæmonum ac damnatorum hominum pœnas non fore *æternas*, sed finem aliquando habituras, error fuit Origenis: eumdem nonnulli tribuunt *Armenis*, et nostris temporibus amplectuntur *Sociniani*. In eumdem errorem propensiores fuisse videntur doctrinæ Origenianæ æstimatores, Greg. Nyss. et Naz. quamvis nonnunquam Catholico dogmati eos favisse ostendat Petav. L. 3. de Ang. c. 7. Idipsum præstat etiam de S. Hier. et S. Ambr., qui alicubi dixerant, Christianos saltem pœnas æternas non subituros. Demum et hæc questio, utrum dæmones *statim* post peccatum sint detrusi in infernum, hic paucis resolvenda est, cum plures SS. PP. Just., Iren., Epiph. atque Œcumenius docuerint, dæmones non esse torquendos pœna gehennæ ante diem judicii.

72. *Dico I.* Dæmones statim post peccatum sunt detrusi in infernum.

*Prob.* Ex Script. 2. Petr. 2. 4., Is. 14. 11. etc. Item ex C. Flor. quod loco

supr. cit. ita definit: *Hoc sacro universali approbante Concilio definimus... illorum animas, qui in actuali peccato mortali, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas*; ubi licet nihil de dæmonibus definit Concilium, tamen ad illos extendi debet, cum nulla sit ratio id asserendi potius de hominibus, quam de angelis, qui etiam sunt extra viam, et objectum ultionis divinæ.

*Conf.* Angeli boni statim post perseverantiam admissi sunt in cœlum ad videndam faciem Patris; ergo etiam mali statim post peccatum detracti sunt *rudentibus inferni* in tartarum, æternum cruciandi, tortores et ipsi damnatorum, non quidem ipso instanti quo peccarunt, sed post aliquam perseverantiam in malo, et post commissum prælium inter bonos et malos. Idem communiter sentiunt SS. Patres apud Tournely hic. Cf. Petav. L. 3. c. 4.

73. *Dico II.* De fide est, pœnas dæmonum ac reproborum hominum esse æternas.

*Prob.* Scriptura ubique pœnas inferni *æternas* fore dicit, Is. 33. 14., Dan. 12. 2., Marc. 9. 44., Apoc. 20. 10., 2. Thessal. 1. 9., Matth. 25. 41.

*Conf.* 1. Ex unanimi consensu Patrum: Justin. Apol. 1. (al. 2. n. 8. 9.) et Apol. 2. (al. 1. n. 8. et 52.), Theophil. ad Autolyc. L. 1. n. 14., Iren. L. 4. c. 47. (al. 28. n. 2.), Tertull. Apolog. c. 45. et de Testim. Animæ. c. 4., Minucius Octav. c. 35., Lactant. Instit. L. 7. c. 5., Hilar. in Matth. c. 27. n. 2., Cyrill. Hieros. Catech. 15. n. 26. et Catech. 18. n. 19., Chrysost. ad Theod. lapsum. L. 2. n. 3. (opp. t. 1. p. 29. A.), Hieronym. in Matth. c. 10. v. 28., S. Aug. de Civit. L. 21. c. 27. n. 6. et alii quos vide apud Petav. L. 3. c. 8.

*Conf.* 2. Ex judicio Ecclesiæ, quod S. Aug. exponit L. de Hær. c. 43. his verbis: *Quis enim Catholicus vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat... diabolum atque angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos... regno Dei lucique restitui?* Unde Fulg. L. de fid. ad Petrum c. 43. ait: *Iniqui semper arsuri cum diabolo, justi autem regnaturi sine fine cum Christo.* Atque ita post CC. Generale V. (apud Niceph. Hist. Eccles. L. 17. c. 28.), Later. IV. cap. *Firmiter*, et Trid. Sess. 6. can. 25. et Sess. 14. can. 5. Catholici omnes.

74. *Obj. cont. I.* Constans Patrum sententia est, dæmones versari in *aere* super terram: dicit enim S. Hier. in c. 6. v. 12. epist. ad Eph. *Hæc autem omnium Doctorum opinio est, quod aer iste, qui cœlum et terram medius dividens, inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus*: et S. Aug. L. 11. de Gen. ad litt. docet, *hoc pertinere ad fidem apost.*; ergo non sunt in inferno.

R. *D. A.* Vagari in aere tanquam in loco suis suppliciis destinato *N.* Ex permissione divina *subd.* Ita ut supplicium suum secum ferant *C.* Secus *N.* Permittit hoc Deus, tum ad excitandam electorum sollicitudinem, tum ad puniendam peccatorum socordiam et impietatem. Falsum autem est quod, teste S. Thoma, nonnulli autumabant, dæmones tum esse liberos a pœna: nam quocumque volitant, ubique suam gehennam circumferunt, ait Ven. Beda in c. 3. v. 6. ep. Jacob.

*Inst.* 1. Scriptura suffragatur Patribus, docens quod sententiæ in dæmo-

nes executio dilata sit ad diem judicii : nam Matth. 8. 29. dæmones dicunt Christo : *Venisti ante tempus torquere nos* : Christus in extremo judicio dicet reprobis : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* : juxta S. Petrum ep. 2. c. 2. v. 9. et Judam v. 6. *in judicium magni diei reservantur angeli rebelles cruciandi* : 1. Cor. 6. 3. dicitur : *Nescitis, quia angelos judicabimus;* ergo nondum sunt judicati, neque in inferno torquentur.

R. *D. A.* Sententiæ executio quoad nonnullas pœnas accidentales, et quoad externam confirmationem dilata est in diem judicii *C.* Quoad pœnam essentialem et executionem simpliciter *N.* Pœnæ essentiali damni et sensus, cui ex justa Dei irati sententia statim post peccatum subjecti sunt dæmones, accedet in extremo judicio accidentalis : 1. Quia tunc inferorum carcere includentur sine ulla egrediendi, et hominibus nocendi potestate : 2. Quia non amplius extorquebunt ab ullo cultum Deo debitum, ut modo faciunt, dum ab Ethnicis adorantur : tunc enim patebunt eorum fraudes et debilitas, cum omnes intelligent, eos a viris, fœminis, pueris superatos : 3. Quia non solum a Deo, sed etiam ab hominibus judicabuntur. Ex his patet explicatio textuum.

*Inst.* 2. Multi SS. Patres dicunt, dæmones non esse torquendos pœna gehennæ ante diem judicii, nempe S. Just. S. Iren. S. Epiph. etc. ; ergo.

R. SS. Just. Iren. Epiph. Œcumenius non videntur posse excusari ab errore, adeoque deserendi sunt. Reliqui SS. Patres loquuntur in sensu ante explicato de pœna accidentali.

75. *Obj. cont. II.* Pœna, aliaque, quæ in Scriptura vocantur *æterna,* sæpe tantum significant durationem *longi temporis;* uti Psal. 88. 5. semen Davidis dicitur in *æternum* mansurum ; aut denotant tantum *conditionate* æternum ; ergo.

R. *D. A.* Si enuntiatio fuerit pro statu vitæ præsentis *Tr.* Si pro statu vitæ alterius *N.* Pro hoc enim statu, ubi scilicet *nox est, in qua nemo amplius potest operari,* nihil pendet e conditione meriti, aut satispassionis meritoriæ. V. *Exegesin Hebr.* Ps. XLIV. 18.

*Inst.* 1. SS. Greg. Nyss. Catech. Orat. c. 26. (opp. t. 3. p. 84. C.) et Dial. de anima et resurr. (opp. t. 3. p. 211. D. 212.), Greg. Naz. Or. 39. n. 19. et 40. n. 36., Hieron. L. 1. cont. Pelag. n. 28., Ambros. in Ps. 118. Serm. 20. n. 22. 23. Videntur negare æternitatem pœnæ infernalis; ergo.

R. S. Greg. Nyss. explicari vix potest ; alii loquuntur de igne *Purgatorii.* Sane Patres, Concilia, totaque Ecclesia æternitatem pœnarum infernalium aperte docent, ac ita intelligunt, ut nunquam finem sint habituræ ; idem Scriptura Apocal. 14. 11. et aliis in locis sæpissime exprimit.

*Inst.* 2. Prudent. Cathemer. 5. v. 125-136. August. Enchirid. c. 112. Chrysost. in ep. ad Philipp. hom. 3. n. 4. innuunt quod damnatorum animæ, si non penitus solvantur, saltem in pœnis suis subleventur fidelium orationibus et sacrificiis ; ergo.

Quamvis de hoc nihil adhuc sit definitum, maximum tamen *præjudicium* contrarium est Ecclesiæ, quæ nunquam pro damnatis orare consuevit. Unde, quæ referuntur historiæ de liberatis animabus ex inferno, vel fabulæ sunt, vel animæ illæ necdum sententia divina inferno fuerant addictæ, ut videre est apud Bellarm. L. 3. de Purgat.

*Inst.* 3. Pœna *æterna* non videtur proportionata delicto momentaneo : Dei etiam misericordia infinita est; ergo.

R. Etiam justitia Dei est infinita, quæ post viæ statum sola quasi dominatur, juxta meritum finalis impœnitentiæ. Quomodo *pœna æterna* non excedat culpam mortalem, dicetur in Tr. de Peccat. : quippe peccatum mortale tamdiu puniri debet, quamdiu integer manet reatus pœnæ, qui per illud contractus est : atqui hic integer manet per totam æternitatem, cum homo vel angelus per illud peccatum in eo statu constituatur, in quo non potest satisfacere Deo offenso.

76. *Observa I.* Quadruplex pœna est, quæ juxta communem peccatum angelorum subsecuta constituitur : 1°. *Cæcitas mentis,* ob quam dæmones simpliciter dicuntur *tenebræ* Luc. 22. 53. et Eph. 6. 12. hanc statuunt Auctores esse carentiam omnis prorsus lucis supernaturalis, non vero naturalis : 2°. *Obstinatio voluntatis* in malo, ob quam vocantur *spiritus mali et nequam* 1. Reg. 16. 14. et 15. tanta hæc ab omnibus asseritur, ut nunquam dæmones bene operentur : 3°. *Exclusio a gloria* : 4°. *Tormentum ignis,* quæ utraque pœna intelligitur ex verbis Christi Matth. 35. 41. Inde colligitur, quod pœna damni consistat in privatione visionis beatificæ, et mediorum ad illam obtinendam, correspondente aversioni a Deo, quæ est in peccato mortali; hæc quamvis sit omnibus communis, tamen ratione boni, cujus est privatio, damnum est inæquale, quatenus unus præ altero per majorem gratiam destinatus erat ad majorem gloriam. Idem de pœna sensus : idem de aliis damnatis judicium esto.

77. *Observa II.* Nullus angelorum egit *pœnitentiam,* quia generaliter dicitur, tum 2. Petr. 2. 4. *Deus angelis peccantibus non pepercit* : tum Apoc. 12. 8. eorum *locus non est inventus in cœlo;* nec facere potuit, Deo ex justissima causa angelis lapsis denegante *auxilia sufficientia* ad salutarem pœnitentiam, et *spatium,* quo illam agerent. Et sane cum tanta fuerit angelorum peccantium multitudo, vix est credibile, quod nullus egisset, si eam omnes agere potuissent, pœnitentiam; tota autem ratio, ob quam Deus homini, non angelis peccantibus pepercerit, est *voluntas* Dei : rationem congruentiæ dat S. Greg. L. 9. Mor. c. 28. (al. 50. n. 76.) *quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis commixtio non tenebat, sicut homines.* S. Aug. Tr. 95. n. 4. in Joann. dicit : *Ne sibi parci existimet superbia dura mortalium, de superborum supplicio terrenda est angelorum.* Adde, quod homo peccaverit ex *suggestione;* atqui si Deus etiam homini non pepercisset, tota natura periisset.

# CAPUT IV.

## DE OFFICIIS ET OPERATIONIBUS ANGELORUM.

—

### ARTICULUS I.

#### DE OFFICIIS, SEU DE CUSTODIÂ SS. ANGELORUM.

78. *Nota*. Angelis *missionem* convenire, probat ipsum angeli nomen ; eos a Deo sæpe missos esse, testatur Scriptura Luc. 1. 26., Act. 12. 11. etc. Est autem *missio* hæc duplex, *exterior* ad aliquod ministerium extra cœlum exercendum : *interior* competit angelis superioribus intra cœlum, dum ex mandato Dei angelos inferiores circa hæc ministeria illuminant. Disputatur inter Theologos, num angeli ex omnibus ordinibus mittantur? Affirmativa videtur Scripturæ Hebr. 1. 14., Is. 6. 6., Dan. 10. 13. convenientior ; negativam tamen communius tuentur Theologi cum D. Thoma. Angelos aliquando deputari ad aliquorum saltem hominum custodiam, est de fide, et fatetur *Calvinus* ipse, quia hoc satis expresse revelatum est in Scriptura de *Jacob* Gen. 48. 16. de *Judith* c. 13. 20. de *fidelibus* Psal. 33. 8. et 90. 11., Hebr. 1. 14. Sed pro singulorum hominum custodia totidem angelos deputari, non æque certum esse, imo falsum dicit commentum *Calvinus*. Quamvis vero id non sit ab Ecclesia definitum, aut in Scriptura clare expressum, tanto tamen universalis Ecclesiæ consensu illud receptum, ait Suarez, ac in Scriptura, prout a Patribus intellecta, tam magnum habere fundamentum, ut sine insigni temeritate, ac fere errore negari non possit.

79. *Dico*. Suus cuique hominum, excepto Christo, a Deo datus est angelus ad tutelam.

*Prob*. Christus Matth. 18. 10. ait : *Videte, ne contemnatis unum ex pusillis istis : dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris;* ubi nota 1°. in ipso textu dici, *angeli,* non angelus : et *angeli eorum,* non angeli simpliciter, quo significatur, cuilibet parvulorum datum fuisse proprium angelum custodem : 2°. in eumdem sensum interpretantur hunc locum Hier. et Theophyl. in Matth., Isid. Hispal. Sentent. L. 1. c. 10. n. 21., Paschas. Radbertus in Matth. aliique; cum quibus quoad thesin consentiunt Justin. qq. ad Orthod. q. 30. Clem. Alex. L. 5. Strom. ab Euseb. cit. (Præpar. Evang. L. 13. p. 670. A.), Euseb. ipse Demonst. Evang. L. 4. (p. 156.), Greg. Nyss. de vita Mosis (opp. t. 1. p. 194. D. 195.), Cyrill. Alex. cont. Julian. L. 4. (opp. t. 6. p. 122. seqq.), Theodoret. q. 3. in Gen. S. Anselm. Elucid. c. 54. et alii, apud Suarez L. 6. de Ang. c. 17., omnesque Catholici Interpretes et Scholastici.

*Conf*. Ex communi persuasione *Ethnicorum* et *Judæorum,* apud Petav. L. 2. c. 6. item fidelium Christianorum, quæ intelligitur ex verbis eorum

Act. 12. 15. ubi de Petro e carcere inopinato adveniente dicebant : *Angelus ejus est.* Dixi, excepto Christo, partim quia angelorum custodia datur ob intelligentiam hominum valde imbecillium ad finem ultimum consequendum, quæ nulla est in Christo : partim quia Christi Humanitas alteri excellentiori tutelæ, nempe Verbi Divini, cui hypostatice unitur, est commissa. Attamen Christum habuisse plures angelos tanquam ministros, patet ex Scriptura in Mysteriis Nativ., Passion., Resurr., et Ascensionis.

80. *Obj. I.* Sententia hæc originem habet ab *Ethnicis*; ergo indigna est Catholicis : ita *Calvinus.*

R. *N. A.* Injuriosam hanc obtrectationem jam prævertit Euseb. Cæsar. L. 13. de præpar. Evang. ( p. 670.) qui cum dixisset, nos didicisse ex Scriptura angelum unicuique ad custodiam datum, probat Platonem et alios Ethnicos a Judæis accepisse pleraque, si quæ dogmatibus Christianis similia tradiderunt.

*Inst.* 1. Cum *Calvino.* Hæc sententia extenuat gratiam Dei, cum majus beneficium Dei sit, et fiduciam hominum magis excitet, si dicatur, quod omnes angeli singulorum hominum curam habeant ; ergo.

R. Dum propriam cujusque hominis curam quasi ex officio peculiari angelo tribuimus, non excludimus aliorum auxilium, qui ex munere universaliore aut charitate communi etiam eosdem homines juvent, ut ex Gen. 19. 17. Dan. 10. 13. aliisque locis Scripturæ constat. Unde Origen. hom. 4. in Ps. 36. n. 3. ( opp. t. 1. p. 673.) *Nunquam solus est justus ; sed ne unius quidem, duorum vel trium tantummodo angelorum societate subnixus est ; sed exercitus ei Virtutum cœlestium præsto est.*

*Inst.* 2. Omnes homines possunt simul ab uno tantum angelo custodiri, sicut plura regna ab uno homine regi ; ergo necesse non est singulis hominibus singulos dare angelos.

R. *D. A.* Spectando præcise virtutem angelicam *C.* Spectando convenientiam et suavem Dei providentiam, item auctoritatem Scripturæ et Patrum *N.* Sane unius homo non per se ipsum, sed per ministros suos regna gubernat.

81. *Obj. II.* Apostolus Hebr. 1. 14. aperte significat, solis prædestinatis deputari angelos, dum dicit : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis ;* ergo non omnibus etiam infidelibus, ac reprobis dantur.

R. *D. A.* Et Apostolus his verbis significat finem unicum *N.* Finem et intentionem principalem *C.* Hæc quippe custodia juxta D. Thom. est unum ex mediis ordinariis, ad salutem etiam reproborum sufficientibus, quos omnes Deus voluntate antecedente vult salvos fieri. Quamvis autem illi pereant ex sua malitia, tamen per angelos a multis malis retrahuntur, quibus aut sibi, aut aliis etiam prædestinatis et justis magis nocuissent. Adhæc sicut S. Paulus 2. Tim. 2. 10. dixit : *Omnia sustineo propter electos,* licet omnibus serviret ; ita potuit dicere, angelos esse missos propter *salvandos.*

*Inst.* 1. Basil. in Psal. 33. v. 8. Hilar. in Matth. 18. 10., Chrys. ibid. (Hom. 60. n. 4.) et Cyrill. Alex. cont. Julian. vel tantum dicunt, Sanctis

dari angelos custodes, vel eos a peccatoribus recedere juxta illud Jerem. 51. 9. *curavimus Babylonem... derelinquamus eam.*

R. Prædicti Patres aliis in locis de custodia angelorum circa omnes universim loquuntur, unde dum alibi tantum meminerunt Sanctorum, non addunt exclusivam; aut dum dicunt, angelos a peccatoribus *fugari,* vel *recedere,* sensus non est, ac si curam eorum omnino relinquant, sed quod actualem operationem et exercitium custodiæ interdum remittant propter eorum incapacitatem vel indispositionem : id quod constat ex eo, quia Deus hos peccatores non deserit quoad auxilia sufficientia.

*Inst.* 2. Saltem Anti-Christo non dabitur custos angelus, cum a S. Paulo 2. Thessal. 2. 3. dicatur *homo peccati* et *filius perditionis,* atque a S. August. *totus a diabolo possessus;* ergo.

R. *N. A.* Nam, ut ait S. Thom., quantacumque Anti-Christi malitia et familiaritas cum diabolo futura sit, dabitur ei tamen custos angelus, qui illum abducat a multis malis fidelibus inferendis, ne noceat quantum vellet; et hoc modo angeli custodes reproborum *indirecte* cooperabuntur ad bonum electorum.

*Inst.* 3. Si omnibus omnino hominibus sui sunt tutelares angeli, ergo etiam infantibus.

R. Et hoc colligitur a SS. Patribus ex Matth. 18. 10.; an vero jam detur singularis custos existenti adhuc in *utero materno;* an præsit custos matris? disputant nonnulli. Porro, homines in *statu innocentiæ* etiam habituros fuisse angelos, affirmat D. Thom., eo quod ibi saltem insidiis dæmonum expositi fuissent.

*Inst.* 4. Dici non potest, *quinam angeli* mittantur in custodiam hominum, civitatum et regnorum; ergo eos mitti, pariter incertum est.

R. *N. C.* Major certitudo consequentis sat liquet ex allatis testimoniis; dein conveniunt Theologi custodiam particularem singulorum hominum angelis postremi ordinis infimæ Hierarchiæ commissam esse : aliqui *Archangelis* tribuunt curam personarum munere vel dignitate insignium; *Principatibus* autem communitatum tutelam; *Virtutibus* etiam et *Potestatibus* universalem quamdam custodiam concedunt : *reliquis* vero *superioribus* tam particularem, quam universalem negant, qui eos mitti a Deo nolunt. Quod autem singulis civitatibus, regnis et Ecclesiis deputentur angeli, colligi videtur ex Dan. 10. 13. et communis fidelium sensus est, S. Michaelem esse custodem Ecclesiæ Catholicæ, sicut fuit Synagogæ. Demum definit hæc custodia post mortem, quia tum cessant pericula, ut asserit D. Thom.; quamvis non videatur negare, quod clientum suorum animas in Purgatorio solentur.

82. *Observa. Beneficia custodiæ angelicæ* ex Scriptura et Patribus collecta his præcipue continentur : quod excitent intellectum et voluntatem ad prosecutionem boni et fugam mali: quod pericula avertant: quod compescant dæmones tentatores, aut aliud malum machinantes : quod Deo offerant clientum suorum preces, reddendo illas suis precibus efficaciores: quod clientes pœna medicinali per morbos, infortunia etc. corripiant : quod clientum animas solentur in purgatorio, et plane purgatas ad cœlum deducant.

## ARTICULUS II.

### DE OPERATIONIBUS ANGELORUM MALORUM.

### §. I.

*Quid, Quotuplex et Quomodo dignoscenda sit Tentatio diabolica?*

83. *Nota.* Communiter receptum, ait SUAREZ, deputatum a Lucifero esse cuilibet homini angelum, Deo id permittente. Fundari id videtur in Scriptura, 2. Cor. 12. 8. *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet*: Joan. 13. 2. dicitur de Juda : *Cum diabolus jam misisset in cor*: Psal. 108. 6. *Diabolus stet a dextris ejus* etc. Idipsum asserunt plura SS. Patres et Scriptores Ecclesiastici. *Tentare* juxta S. THOM. est, sumere experimentum de aliquo : unde pro fine proximo habet scientiam, quam quis cupit per experimentum capere : pro fine ulteriore bonum quodpiam vel malum haberi potest ; sic homo dicitur tentare, subinde tantum, ut sciat ; subinde, ut juvet vel noceat : Deus tentare dicitur, ut sciat, eo scilicet modo loquendi, quo dicitur scire : caro et mundus dicitur tentare instrumentaliter, in quantum, scilicet, ex eo quod homo sequitur vel contemnit concupiscentias carnis, et prospera aut adversa mundi, potest cognosci qualis sit homo : diabolus tentat, explorando interiorem hominis conditionem, ut noceat, scilicet alliciendo ad vitium, ad quod homo magis pronus est.

84. *Dico I.* Tentatio diabolica est conatus occultus dæmonis in animam, quo ipsam sollicitat impellitque ad malum. Dicitur 1°. *Conatus occultus,* quia sæpe occulta est tentatio ratione principii, an scilicet a Deo, vel a diabolo procedat. 2°. *Dæmonis,* quia non omnis sollicitatio ad malum proxime et immediate procedit a diabolo, cum quis sæpe tentetur a propria sua concupiscentia aut homine ; quamvis dici possit, omnem tentationem habere ortum a dæmone, quatenus fuit causa, cur primus homo laberetur, ex quo lapsu omnia alia peccata et tentationes tanquam pœnæ primi peccati ortum traxisse dicuntur. 3°. *In animam,* quia licet immediate per homines aut per concupiscentiam mala homini externa inferat, ut Jobo factum legimus ; tamen illius animam petit. 4°. *Quo sollicitat ad malum* : licet enim non semper aperte mala proponat, tamen, dum adoritur homines vel sub specie necessitatis, vel etiam sub specie boni, quarum prima humana, altera pseudo-angelica tentatio dicitur, semper malum intendit, et ad illud hominem tandem deducit ; inde Joan. 8. 44. *homicida ab initio,* et Matth. 4. 33. *tentator,* per antonomasiam appellatur.

85. *Dico II.* Tentatio Diabolica est quadruplex : 1°. Ratione *finis,* alia est tentatio probationis, quæ fit ad experiendum præcise quid in homine sit, vel lateat ; et talis est diabolica ex fine immediato : alia subversionis, quæ ad seducendum hominem in peccatum spectat, et talis est omnis diabolica ex fine mediato et ultimo : alia probationis et subversionis simul, et talis fuit, qua Christum diabolus tentavit. 2°. Ratione *objecti,* alia est bona, mala, indifferens, prout nempe de se objectum est ; diabolica tamen nun-

St. Albert's College Library

quam est bona vel indifferens, cum semper intendat saltem ultimato peccatum. 3°. Ratione *principii* est vel immediata per ipsum dæmonem, vel mediata, mediante homine, aut hominis concupiscentia propria a diabolo commota. 4°. Ratione *modi* est vel violenta, quæ fit cum impetu ac vehementia quadam, ita tamen, ut tentationis nomen retineatur : vel illusoria, quæ cum arte et astutia fit, qua animus sub specie boni subtilius in malum inducitur.

Ad utramque reduci solet *apparitio* seu manifestatio spiritus homini se insinuantis : alia est *intentionalis*, qua spiritus in solam mentem illabitur; hæc Deo tantum competit, et habetur in visione beatifica : alia *imaginaria*, qua spiritus formas et imagines sensibus interioribus objicit; sic Deus sæpe viris sanctis in somno per angelum apparuisse legitur in Scriptura, et dæmones magis ac veneficis inter dormiendum sæpe illudunt : demum alia *corporalis*, qua sensibus externis sese ingerit spiritus, ac vero corpore utitur, diciturque assumptio corporis : hac usum fuisse dæmonem in tentatione Christi communiter docent Interpretes, etiamnum subinde uti referunt historiæ plurimæ.

86. *Dico III.* Ad dignoscendum, an cogitatio aliqua a bono vel malo angelo immissa sit, servire possunt regulæ, quas S. Ignatius in libello Exercitiorum de *spirituum Discretione* tradit, quarum 1ª. est vera lætitia spiritualis et consolatio sine ulla prævia causa a Deo infusa animo; distinguendum tamen inter hoc tempus consolationis et illud, quod eam subsequitur, quia in posteriori sæpe ex habito discursu et judicio proprio, boni aut mali spiritus instinctu quædam sentire possumus; unde ante discutienda, quam recipienda sunt. 2ª. Ubi aliqua causa consolationis præcessit : ea tam a malo, quam a bono angelo advenire potuit; quinam auctor fuerit, cognosci debet ex fine, qui si bonus, bonum, si malus, malum designat. 3ª. In omni cogitatione examinanda sunt, principium, medium et finis, quæ tria si recte habeant, boni angeli inspirantis argumentum præbent. 4ª. Moris est diabolo, ut in *angelum lucis* se transfigurans, cognitis piis animæ votis primum obsecundet, mox animi sanctitatem amoveat, et demum ad perversa illam alliciat; quod ubi quis adverterit, juvat totam actionem retexere, et ordinem ac methodum notare, ut hoc experimento cognitæ fraudes facilius deinceps cognoscantur. 5ª. Uterque spiritus diversimode animis in via virtutis progredientium se insinuat, *bonus* quidem leniter, placide ac suaviter : *malus* implacide ac violente. Oppositum evenit illis, qui ruunt in dies in deterius.

87. *Dico IV.* Apparitiones dæmonum ab apparitionibus angelorum bonorum distingui optime possunt ex operatione, oratione, causa et religione; hinc 1°. Commercium carnale, voces blasphemæ, abusus rerum vel verborum sacrorum, perturbatio animi relicta, aliaque mala malum spiritum arguunt. 2°. Sermo arrogans, fastuosus, jactabundus, falsa veris permiscens, prava vel bona non bene consulens, dæmonem prodit. 3°. Si spiritus se fingat ab hominibus coactum, si finem denique malum proferat, vel inducat, est annumerandus malis. 4°. Si ad signum Crucis, invocationem Dei, Sanctorum reliquias aliaque sacra fugiat etc. Dixi, *optime* : quamvis enim

ex historiis pateat, quod dæmones ordinarie animalium diversissimorum, non tamen agni vel columbæ specie appareant : vel si in forma humana se exhibeant, vel defectuosum, vel discrepans, vel deforme præseferant; tamen eos in forma pulcherrima et perfectissima, imo sub schemate angeli aut Christi apparuisse legimus.

## § II.

### *Quid, Quotuplex et Quomodo dignoscenda sit Possessio diabolica?*

88. *Nota.* Certum est 1°. contra *Levinum Lemnium,* dæmones vere possidere quosdam homines, ut non tantum ex *Judæorum* opinione, et *historiarum* fide, sed ex plurimis locis Evangelii constat. 2°. Potestatem ejiciendi dæmones datam fuisse Apostolis et Discipulis Christi, ut constat Luc. 9. 1... 10. 17. : imo omnibus Christi fidelibus, sub nascentis Ecclesiæ initium, ut constat ex Marc. 16. 17., et testatur Tertull. Apolog. c. 23. et ad Scapul. c. 2. 3°. Contra Calvinum. L. 4. Inst. c. 19. peculiare munus ordinis Ecclesiastici ad hoc opus fuisse institutum, quo insigniti Exorcistæ vocantur; prout testantur SS. Patres apud Baron. Porro sicut arreptitii energumeni ac dæmoniaci pro iisdem sumi consueverunt, sic etiam *possessio, obsessio* ac *insessio* pro eodem sæpe usurpantur, quamvis in utrisque differentia sit.

89. *Dico I.* Possessio dæmoniaca est potestas dæmonis ad nocendum homini, cum actuali vel habituali vexatione, tum negativa, tum positiva conjuncta. Dicitur 1°. *Potestas* sive dominium in hominem permissum illi a Deo. 2°. *Ad nocendum homini,* quia si ejusmodi possessio non semper in damnum animæ, saltem in corporis detrimentum vel dolorem cedit. 3°. *Cum actuali vel habituali vexatione conjuncta,* tum quia nocumentum infert, tum quia non continuo actualis vexatio requiritur. 4°. Vexatione tum *negativa,* tum *positiva* : ubi per primum intelligitur impedimentum quoddam facultatum sive internarum sive externarum hominis : per secundum dolores interdum graves facultatibus utrisque a dæmone impressi, quibus etiam potest addi impulsio quædam vehemens ad malum in quibusdam.

90. *Dico II.* Possessio dæmoniaca dividitur in *obsessionem* vel *circumsessionem,* et *insessionem* sive *possessionem stricte* talem. *Obsessio* vel *circumsessio* est possessio dæmoniaca modo explicata, sine inhabitatione dæmonis in energumeno, ita ut, quamvis in ejusmodi homine habeantur iidem fere effectus, qui sunt in dæmoniaco, tamen illi procedant a principio extra corpus commorante; et hinc dæmon aliquando sub specie sensibili canis, lupi, felis, serpentis corpus implicantis, vel auræ blandioris carnem demulcentis se exhibet obsessis; Deus tamen plerumque in hoc statu ita moderatur dæmonis potentiam, ut libertatis usum homini non adimat.

*Insessio* vel *possessio* stricte talis dicit inhabitationem dæmonis in energumeno : ad hanc autem pertinet : 1°. Ut revera et αὐτοπροσώπως adsint et insint homini dæmones, non quidem ut accidentia, aut ut partes totius, sed ut motores. 2°. Ut habeant vim et facultatem utendi facultatibus hominis, quæ quamvis pro Dei permissione jam major, jam minor est, plerumque

homini libertatis usum saltem in quibusdam adimit. Ut id tamen, quod in dæmoniaco fit, non ab anima naturaliter, sed a spiritu corpus occupante oriatur: ut cum spiritus ille adventitius lingua energumeni loquitur et respondet etc.

91. *Dico III.* Possessio ratione adjunctorum varie dividitur: 1°. Ratione *principii* in simplicem, ubi unicus dæmon hominem possidet, et in multiplicem, ubi plures dæmones insunt, quemadmodum de Magdalena constat Luc. 8. 2., eam habuisse septem dæmonia. Quamvis enim S. Greg. P. et Theophyl. hæc dæmonia metonymice pro vitiis sumant, tamen contextus et alia Scripturæ loca de dæmone *assumente septem spiritus nequiores se,* et nomen *legionis* habente, sermonem proprium hic esse testantur. 2°. Ratione *subjecti* in particularem, ubi dæmon unam tantum hominis partem invadit, et in totalem, ubi totum hominem invadit. Huc referri etiam potest possessio spiritualis et corporalis: et *spiritualis* quidem dicitur illa, qua mens et anima hominis tantum impletur malitia diabolica; quæ possessio Judæ post acceptam buccellam panis tribuitur: *corporalis* vero dicitur, qua homines quidem vexantur in corpore, secundum mentem autem et voluntatem non sunt diabolo obnoxii; et hujusmodi videtur fuisse illius Corinthii, de quo 1. Cor. 5. 3. et 5. Paulus: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum, qui sic operatus est... tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. J. C.* Imo hoc genus diabolicæ vexationis permissu Dei nonnunquam etiam justis et sanctis contigisse, Scriptores testantur. 3°. Ratione *temporis* in continuam, ut habetur in muliere incurvata Luc. 13. 11. et interpolatam, v. g. in Saule. 1.Reg. 16. 23. 4°. Ratione *modi* in violentam, e. g. in filia Chananæa Matth. 15. 22. et in illo Lunatico Marc. 9. 17. et in mitiorem, v. g. Luc. 8. 2. in Magdalena, quantumvis septem dæmoniis subdita.

92. *Dico IV.* Possessi a dæmone per *certa signa* dignosci possunt: eorum quædam tantum suspicionem pariunt, qualia sunt mores ferini et agrestes, somnus gravis, consecratio sui facta dæmoni, invocatio dæmonis ad se auferendum, furiæ, etc.: nam possunt ista convenire etiam non possessis. Quædam conjecturam vehementiorem faciunt, ut barbaræ et insolitæ vociferationes, ululatus belluini, horribilis vultus, stupor membrorum, ingens inquietudo, vires corporis facultatem hominis excedentes, varia contorsio et projectio, queis sibi adimere vitam possessus tentat. Quædam aliquam certitudinem habent, ut si extra suspicionem miraculi linguas peregrinas loquantur, legant, scribant, cantent artificiose, aut de rebus sublimibus erudite respondeant, quas nunquam didicerunt: si secreta, peccata occulta, res in distantia *gestas* sine suspicione pacti diabolici manifestent: si ubi vexatio desinit, nesciant respondere de iis, de quibus locuti sunt antea: si omnino, ne loquantur, prohiberi nequeant: si jussi invocare nomen Dei, Jesu, alicujus Sancti, aut recitare orationem devotam, id non valeant: si terreantur, aut impatientes fiant, adhibitis *SS. Reliquiis, Agno Dei, Cereo benedicto etc.*: si non ferant exorcismos, ad ingressum Ecclesiæ tumultuentur, Evangelium audire horreant, Divinis interesse vix cogi possint etc.

93. *Observa.* Causa Possessionis est triplex: *Moralis* vel peccatum, vel defectus baptismi, vel naturæ conditio, quæ cum fuerit dæmoni subdita, non statim in integrum liberatur; unde teste AUGUSTINO homines nunquam sine propria vel aliena culpa a dæmone corripiuntur; *Physica* est Deus dæmone tanquam ministro justitiæ utens: subin viri Sancti, ut Paulus 1. Cor. 5. 5., nonnunquam etiam magi, qui Deo permittente dæmones immittunt; *Finalis* a Deo intenta, est bonum et emendatio Energumeni, vel ejus probatio ad meritum, item confirmatio existentiæ spirituum, virtutis Eucharistiæ et Sacramentalium, ac quandoque potestatis Ecclesiasticæ: a dæmone autem intenta, est odium in Deum et hominem ac ruina salutis humanæ. Quid Exorcistæ sive adjuratori dæmonum sit observandum, docent *Libri Rituales* Diœcesium ac Theologi, inter quos uberrime hanc materiam tractat PETRUS THYRÆUS S. J. in libro, qui inscribitur: *Dæmoniaci cum locis infestis et terriculamentis nocturnis.*

## § III.

### *An dentur veri Energumeni?*

94. *Nota.* Veteres Religionis Christianæ hostes cum negare non valerent, dæmones a Christo, Apostolis aliisque Sanctis sæpe depulsos, id operationi cuidam magicæ, vel arcanorum verborum aut rerum naturalium virtuti tribuebant, ut prodigiorum vim eluderent. Moderni vero *Critici* Heterodoxi et Orthodoxi *Energumenorum* credulitatem rident, omnia, quæ de iis in Scriptura referuntur, phantasiæ ludibriis, vulgi præjudiciis, morbis aut aliis causis naturalibus adscribentes. Hos quidem ex parte supra confutavimus, hic quoque validius refellendos.

95. *Dico.* Dantur veri Energumeni.

*Prob.* Potestas expellendi dæmones ab obsessis, a CHRISTO, APOSTOLIS, et in ECCLESIA semper exercita, supponit dari reipsa obsessos: atqui hæc potestas a CHRISTO, APOSTOLIS et ECCLESIA vere fuit exercita; ergo dantur veri Energumeni.

*Prob. min.* I. Luc. 11. 14. etc. Christus in argumentum divinitatis suæ adducit potestatem pellendi dæmones, et eamdem Apostolis communicaturum se profitetur Marc. 16. 17. *In nomine meo dæmonia ejicient*: quam etiam non Christus solum, sed et Apostoli palam exercuerunt, Luc. 10. 17. Et Christus quidem ipsos dæmones allocutus, illis imperavit, minatus est, silentium indixit, jussit e corporibus facessere, vereque expulsos restitutæ valetudinis, quam mali illi hospites corruperant, indicio ad sensum demonstravit: sed hæc omnia non possunt sine summa temeritate ad mentis ludibria, vitium cerebri, aut errantis phantasiæ sinistram persuasionem refundi, tum quia alioqui Christus et Apostoli scientes et volentes reliquissent populum in communi et erronea persuasione: tum quia verba Scripturæ clara et aperta in sensu proprio et obvio accipi debent, quando, ut hic, possunt sine absurdo: tum quia alias Ecclesiæ maximum decus, et nota characteristica, atque argumentum veritatis fortissimum sine fundamento criperetur.

II. Hoc ipso, quod potestas hæc in *Energumenos* data sit a Christo Apo-

stolis, data fuit Ecclesiæ, quod asseverant SS. Patres : Justin. in Dial. cum Tryph. n. 30. ait : *Adjutorem et redemptorem eum* (Christum) *vocamus. Cujus quidem vel nominis potentiam dæmonia ipsa perhorrescunt, ac hodie per nomen Jesu Christi..... adjurata subjiciuntur.* Cypr. in L. ad Demetr. n. 15. inquit : *Si audire eos velles et videre, quando a nobis adjurantur et torquentur spiritualibus flagris, et verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur.*

III. Quod Ecclesia exercere possit, exercuerit et exerceat hanc potestatem, patet ex ordinario et antiquissimo munere *exorcizandi*, et coercendi dæmones : de quo testantur antiquissima Concilia, Antioch. can. 10. (Labb. t. 2. p. 566.), Carthag. IV. cap. 7. (ibid. p. 1200.) etc. atque in hunc finem Exorcismi in *Ritualibus* ab Ecclesia præscripti sunt.

96. *Obj. I.* Dæmones agere non possunt in corpus, cum sint *spiritus*; ergo nec possibiles sunt veri dæmoniaci.

R. *N. A.* Actio dæmonis in corpus, quando Deus eam permittit, non magis repugnat, quam unio *animæ spiritualis* cum corpore, ac mutua motuum et sensuum inter utrumque affinitas. Numquid Deus etsi *simplicissimus spiritus*, movet corpora? ergo non repugnat notio spiritus et activitas in corpus : imo hæc tanquam perfectio spiritui creato omnino tribuenda est. Vide supra num. 36.

*Inst.* Si dæmones vere possunt agere in corpora hominum, ergo in uno eodemque homine duo essent principia agendi, indole ac voluntate contraria : hoc dici non potest ; ergo.

R. *D. M.* Ita tamen, ut dæmones nec cogere possint voluntatem dæmoniaci, neque is semper a dæmone agatur et moveatur *C.* Secus *N.* Dæmones tantum sollicitant voluntatem obsessi, sicut passiones et objecta eamdem ad diversa trahunt, manente semper potentia resistendi.

*Inst.* 2. Deus nequit permittere dæmoni tantam potestatem sine scandalo pusillorum, maxime in *infantes* statim post baptismum, et *justos*, quorum tamen plures obsessi leguntur ; ergo.

*R. N. A.* Permittit Deus ejusmodi infestationes ex causis sæpe occultis, semper tamen justissimis : subin ut manifestentur opera Dei, prout Christus dixit de *cæco nato* Joan. 9. 3. Potentia etiam et misericordia Dei in liberandis ejusmodi miseris : præterea ad exercendam subin virtutem obsessorum ; inde ergo nullum timendum est scandalum.

97. *Obj. II.* Energumeni, quorum meminit Evangelium, laborarunt vel pertinaci quodam morbo, vel phantasiæ vitio, vel anxietate conscientiæ ob peccata commissa : atqui hos, salva Evangelii veritate, Christus a dæmonio liberasse dicitur, curando morbum, corrigendo phantasiam, peccata remittendo, quia Scriptura se accommodat communi persuasioni vulgi, quam utpote saluti haud noxiam corrigere Christus non debuit ; ergo.

R. *N. M.* Si ita licet pro arbitrio torquere Scripturam, maxima prodigia in eadem relata redigi poterunt in censum rerum naturalium, e. g. *transfretatio maris Idumæi, resuscitatio Lazari*, dicendo, Hebræos alveum duntaxat in æstu maris *arentem* transiisse, *Lazarum* symptomate quodam apoplexiæ credulis spectatoribus imposuisse ; hoc si negent Adversarii propter

circumstantias in Scriptura expressas, nos propter easdem pariter rejicimus novam hanc et inauditam explicationem. Sæpe, non semper, *obsessio* conjuncta est cum ejusmodi malis physicis, Melancholia et Hypocondria : sed diversa sunt et separabilia mala; unde Christus semper dæmonem tanquam mali auctorem prius expulit, dein et malum sustulit : e. g. Luc. 9. 43. increpavit Jesus spiritum immundum, et sanavit puerum.

*Inst.* 1. Exorcismi Ecclesiæ sunt tantum *piæ preces* cum invocatione nominis J. C. ad ferendum ægris solatium in corpore, et recte sentiendi facultatem in mente; ergo ex illis nil probatur. R. *N. A.* Exorcismi in *Rit. Rom.* ponuntur hoc titulo : *de Exorcizandis obsessis a dæmonio*; in iis adjurantur ipsi dæmones, non morbi : virtus expellendi dæmones a vere obsessis, etiam ab Ecclesiæ hostibus agnita, semper fuit in Christi Ecclesia tanquam nota veræ Ecclesiæ; ergo Ecclesia judicat, utique non erronee, dari Energumenos; et quis Ecclesiæ filius, nisi perduellis, neget?

*Inst.* 2. Sententia negans *Energumenos,* magis restringit potestatem dæmonis, vulgi superstitionibus minus favet, et ambigua prodigia summovet e religione, ut veris probatisque firmior fides asseratur; ergo est præferenda.

R. *N. A.* Nam potestas dæmonis satis est restricta per hoc, quod nihil possit Deo non permittente : quod ad solum Christi, Apostolorum et Ministrorum Ecclesiæ imperium abscedere cogatur; atque de his plura vide supra *num.* 40. et 41.

# APPENDIX.

## DE DEO CREATORE

EX OPUSCULIS

R. P. LEONARDI LESSII S. J.

---

### PROPOSITIO I.

DEUS EST RATIO OMNIS POSSIBILITATIS INTRINSECÆ ET EXTRINSECÆ.

Infinitudo divinæ essentiæ est omnis perfectionis et entitatis simplicissima et eminentissima complexio. Dico *omnis perfectionis*, non solum increatæ, sed etiam creatæ. Quidquid enim est bonitatis, pulchritudinis, perfectionis, entitatis in creaturis, id totum multo perfectius et copiosius continetur in Deo. Unde merito D. Greg. Naz. Orat. 38. in Natalitia n. 7. de Deo loquens ait: Ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι, μήτε ἀρξάμενον, μήτε παυσόμενον, οἷον τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον. *Universum esse in seipso nunquam incœptum, nunquam desiturum, complexus continet, tanquam infinitum quoddam et interminatum essentiæ pelagus.* Optime *pelagus essentiæ,* quia infinita essentiarum, specierum et perfectionum multitudo et varietas ibi reperitur, et eminentissime continetur. Ob eamdem causam a veteribus Philosophis vocatus est Deus τὸ πάν, id est, *universum,* ut docet Eugubinus (de perenni Philosophia, Lib. 3. cap. 8.), quia universa quæ aliquo modo esse participant complectitur. Et in oraculo illo, *Magnus Pan mortuus est* (cujus meminit Plutarchus in L. de oraculorum defectu), Christus vocatur *Magnus Pan,* ut quidam volunt, quia est omnium Dominus, et omnia in se continet; etsi alii aliter illud intelligant. Eodem juxta multorum interpretationem pertinet illud quod Dominus ait Moysi (Exod. 33.): *Ego ostendam omne bonum tibi,* nimirum quia in Deo sunt omnia. Pulchre in hanc sententiam Gregorius Nazianzenus in quodam carmine: (L. 1. sect. 1. carm. 29. al. 168.)

Σοὶ ἑνὶ πάντα μένει· σοὶ δ' ἀθρόα πάντα θοάζει.
Καὶ πάντων τέλος ἐσσί, καὶ εἷς, καὶ πάντα, καὶ οὐδέν,
Οὐχ ἓν ἐὼν, οὐ πάντα· πανώνυμε, πῶς σε καλέσσω,
Τὸν μόνον ἀκλήϊστον;

*In te omnia permanent, ad te confestim festinant omnia.*
*Tu omnium finis, tu unus et omnia, et nihil rerum,*
*Cum neque unum sis, neque omnia; quem te appellem,*
*Qui solus innominabilis, et omninomius?*

Dicitur esse *omnia,* quia omnia in ipso continentur, ita ut sit omnia formaliter vel eminenter. Dicitur esse *nihil rerum,* quia est supra omnia quæ a

nobis concipi possunt. Simili modo dicitur *innominabilis* et *omninomius* : etsi enim plurimis nominibus appelletur, ut a nobis aliquomodo concipi possit, nullum tamen nomen nullaque conceptio nostra illum exprimere potest prout est in seipso. (De Perfectionibus divinis, L. 1. c. 1. n. 5.)

2. Sicut Deus per essentiæ suæ infinitatem est fundamentum omnis creaturæ possibilis, et per immensitatem omnis loci et extensionis possibilis; ita per æternitatem est fundamentum omnis temporis et durationis successivæ possibilis. Nisi enim illa essent in Deo reipsa, hæc non haberent ullo modo esse objectivum et intelligibile : nam etiam in esse objectivo habent essentialem dependentiam ab illis perfectionibus divinis. Ideo enim infinitæ sunt rerum species possibiles, quia essentia divina per suam infinitatem infinitis modis est communicabilis : ideo spatium immensum est imaginabile, quia divina essentia per suam immensitatem illud quasi expandit; vel potius quia ipsa est spatium immensum fundamentale, cui aliud scilicet corporeum coextendi potest. Denique ideo tempus retro infinitum cogitari potest, quia æternitas Dei est infinita duratio, cui tempus successivum infinitum potest coextendi (intellige, quantum est ex parte æternitatis), unde ipsa conceptum objectivum temporis infiniti substituit.

3. Itaque Deus non solum est causa existentium, ut actu sunt, sed etiam est fundamentum possibilium et totius esse, speciei, modi quem singula habent in esse objectivo. Quæ sane consideratio mirifice extollit divinæ essentiæ majestatem et magnitudinem infinitam : sic enim ab illa non solum dependent omnia quæ actu sunt, sed etiam omnia quæ actu non sunt, nec solum secundum esse actuale, sed etiam secundum esse possibile et intelligibile, licet diverso modo; nam secundum esse actuale pendent a libero ejus influxu, ac proinde a libera ejus voluntate nulla naturali necessitate : secundum esse possibile pendent ab eo naturali necessitate ante omne decretum liberum. Hinc ulterius fit, ut sicut infinitudo essentiæ non potest concipi a nobis nisi in ordine ad species rerum possibiles, nec immensitas nisi respectu spatii imaginarii possibilis; ita nec æternitas nisi comparatione temporis imaginarii infiniti. (De Perfectionibus divinis, L. 4. c. 3. n. 15. 16.)

4. *Nota.* In objecto omnipotentiæ divinæ duplicem considerari posse possibilitatem : intrinsecam et extrinsecam, remotam et propinquam. *Intrinseca possibilitas* est aptitudo ipsius rei, seu non-repugnantia ad existendum. Eadem dici potest possibilitas remota : ratione enim hujus dicitur res possibilis, etiamsi non consideretur ulla potentia qua possit produci : sicut color est in se visibilis, etiamsi nullus sit visus qui possit illum videre. Hanc possibilitatem habet res quodammodo a Deo, non quidem per actionem aliquam liberam vel necessariam, qua Deus rem illam in esse possibili producat, (esse enim possibile qua tale, non potest esse terminus productionis, nec potest habere causam effectivam), sed habet eam a Deo tanquam a causa quasi exemplari. Essentia enim divina, quatenus est tali modo imitabilis et communicabilis, est ratio per modum radicalis ideæ, cur humana natura sit possibilis, et habeat tale esse objectivum et potentiale. Idem censendum de reliquis omnibus possibilibus. Itaque ipsa essentia est prima radix omnis

esse objectivi, et possibilitatis intrinsecæ omnium possibilium : et omne esse objectivum possibilium pendet ab essentia divina tanquam a prima et originali omnium idea, a qua singula suam speciem et rationem conceptibilem in suo gradu et ordine varie limitatam habent, modo jam explicato.

Unde si Deus non esset, nihil esset possibile, nihil conceptibile, nihil intelligibile : nulla esset rationum conceptibilium repugnantia aut consensio; quia ipsæ rationes conceptibiles nullo modo essent, nec haberent esse objectivum. Habent quidem nunc, quia suo modo sunt, formalem repugnantiam, eamque habent per se et ex sua intrinseca et formali ratione; sed quia hanc rationem formalem habent radicaliter ex divina essentia tanquam a prima radice, cujus sunt tenues quædam participationes vel imitationes, etiam suam repugnantiam ex eadem trahunt; sicut res quæ existunt formaliter seipsis repugnant; sed effective habent hanc repugnantiam a Deo.

5. *Possibilitas extrinseca* est, quam res habent ratione omnipotentiæ divinæ, per quam possunt produci, et accipere esse actu. *Extrinsecam* voco, quia non concipitur ut quid intrinsecum rebus, sed ut denominatio extrinseca a potentia divina. Eadem dici potest possibilitas propinqua : quia posita divina potentia, res statim potest fieri, nec aliquid aliud ad ejus productionem requiritur, quam voluntas producentis.

Itaque omnia possibilia continentur in essentia divina tanquam in originali radice, et quasi in exemplari virtuali et radicali; in sapientia tanquam in exemplari formali, in quo etiam existunt objective modo perfectissimo et illustrissimo : magis enim ibi fulgent, quam in suis naturis creatis; in potentia tanquam in causa effectrice : etsi enim hæc non distinguantur ex parte rei distinctione actuali, habent tamen quamdam distinctionem virtualem, qua distinctis rebus respondent et æquipollent : unde ut a nobis concipi possunt, necessario illa distinguimus, et conceptibus distinctis apprehendimus.

Ex his considerationibus patet quanta sit divinæ potentiæ magnitudo et amplitudo, cum se extendat ad omnia quæ sapientia divina extra se potest concipere; quæ eadem omnia in ipsa essentiæ infinitate eminenter continentur.

Dicet aliquis : Deus non potest aliquid facere nisi prævio æterno decreto; non enim potest in tempore aliquid novi decernere, novum decretum concipiendo, sicut homo et angelus multa de novo concipiunt et decernunt : atqui ab æterno non decrevit alios mundos, vel alios angelos, aut homines, aut res aliquas alias creare, quam eas quas reipsa creavit vel in tempore creat, et in tempore non potest novum decretum seu novam voluntatem concipere; ergo non potest alia facere quam quæ facit, vel se facturum absolute vel sub aliqua conditione decrevit.

Respondeo : Ex ista ratione non sequitur quod absolute non possit alia facere, sed solum quod non possit ex suppositione : quali modo non posse non repugnat omnipotentiæ, quia solum est non posse secundum quid, et certo modo, qui involvit imperfectionem. Imperfectionis enim est posse aliquid reipsa facere contra decretum jam positum, vel concipere novum decretum in tempore. Quod autem Deus ex suppositione non possit alia

facere quam quæ reipsa facit, manifestum est intellectis terminis : hæc enim duo non possent simul stare : *Deus hoc facit,* et *tamen ab æterno non decrevit hoc facere,* vel *decrevit non facere.* Itaque quod ex suppositione non possit alia facere, non arguit imperfectionem, sed summam perfectionem. Quod autem absolute possit omnia, manifestum est, quia ipsius potentia extendit se ad omnia, et ut prior ratione suo decreto libero potest in æternitate quidvis decernere. Nec obstat quod decretum, v. g. de creando mundo, semel positum non possit amplius tolli; quia quod non possit tolli, non provenit ex eo quod voluntas, ut prior natura, sit determinata ad illud decretum (cum semper maneat sic indeterminata, ac proinde libera, et indifferens, et potens non ponere hoc decretum), sed ex perfectione divinæ naturæ, quæ est omnino immutabilis. (De Perfectionibus divinis, L. 5. c. 2. n. 10. 11.)

6. Ut melius intelligatur quomodo Deus omnia eminenter contineat, et omnia in ipso existant et præexistant, explicandum est quænam ad eminentem complexionem seu continentiam requirantur.

In rebus creatis, ut aliud in alio eminenter contineri dicatur, duo requiri videntur. Primum est, ut id quod continet sit præstantioris naturæ quam id quod continetur. Si enim non est præstantius, non est ratio cur illud dicatur esse in eo eminentiori modo quam in seipso. Unde plantæ et animalia non dicuntur esse eminenter in semine, nec in causa sua univoca.

Alterum est, ut illud quod minus præstans est, aliquo modo in illo præstantiori reperiatur. Hoc autem fit potissimum quatuor modis. Primo, si res per seipsam sit in alia tanquam in sua causa. Esse enim productivum alterius, signum est, in eo id quod produci potest, contineri. Sic qualitates et accidentariæ perfectiones continentur in substantiis eminenter, ex quibus promanant : et res inferiores in virtute cœlorum tanquam in causa universali, radii in sole, folia in arbore. Hic modus eo est perfectior, quo causa perfectius est productiva illius rei. Unde cum Deus res omnes producere queat perfectissimo modo (nimirum ut causa integra, et independens ab alterius ope, et solo voluntatis suæ nutu), idque secundum naturam, formam, rationes individuas, qualitates et modos omnes, consequens est res omnes in ipso perfectissime contineri.

Secundo, si sit in alia per quasdam sui similitudines. Sic omnia inferiora dicuntur contineri eminenter in intellectu, cum ea intelligit; quia sunt in ipso per suas notiones, quæ sunt expressæ species et imagines rerum intellectarum, per quas intellectus dicitur fieri ipsum intelligibile. Hoc modo Philosophi dicunt intellectum fieri omnia, et omnia in ipso existere. Ratione hujus continentiæ intellectus est causa exemplaris rerum ab ipso foris productarum.

Tertio, secundum vim agendi, vel extendendi se ad objecta; ut cum quidquid potest causa inferior, potest causa superior nobiliori modo. Hoc modo sensus externi continentur in interno eminenter, et sensus internus in intellectu. Nam intellectus percipit omnia quæ sensus interior, et nobiliori modo; et sensus interior quidquid sensus externi. Simili modo anima vegetativa plantarum continetur in sensitiva animalium, et hæc in intellectiva, et prudentiæ instinctus animalium in prudentia humana.

Quarto, secundum ordinationem et æstimationem, seu secundum rationem boni et appetibilis. Sic media sunt eminenter in causa finali; quia solum propter finem æstimantur, et ad illum ordinantur, et tota illorum bonitas ex fine pendet.

7. Hi quatuor modi perfectissime locum habent in Deo. Omnia enim sunt in ipso perfectissime et eminentissime tanquam in *causa efficiente*, ut dictum est, et tanquam in *causa exemplari*, ratione idearum, quæ sunt vivæ notiones et similitudines rerum; per quas et secundum quas ipse omnia produxit, ut ait Dionysius L. de div. nom. cap. 5. §. 8., et tanquam in *causa finali*: omnia enim sicut natura sua sunt ab ipso, ita etiam sunt propter ipsum. Unde omnia nobis ad ipsum referenda: alioquin parum boni ex ipsis rebus percipiemus. Denique tanquam causæ particulares in universali. Hos modos insinuat Dionys. L. de div. nom. c. 4. §. 10. Ἐν αὐτῷ πᾶσα ἀρχὴ παραδειγματικὴ, τελικὴ, ποιητικὴ, εἰδικὴ, στοιχειώδης, καὶ ἁπλῶς πᾶσα ἀρχὴ, πᾶσα συνοχὴ, πᾶν πέρας. *In ipso,* inquit, *est omne principium exemplare, finale, efficiens, formale, elementare, et simpliciter omne principium, omnis connexio, omnis terminus.* Ubi quinque principiorum genera in Deo contineri ostendit, ita ut ipse sit principium omnis principii, et causa omnium causarum; nec tantum res ipsas in Deo eminenter contineri, sed etiam omnia rerum principia, et omnes causas. Unde passim vocat Deum ὑπεράρχιον ἀρχήν, *principium omni principio superius et eminentius.* Idem significat Apostolus cum ait: *Ex ipso, per ipsum, et in ipso, et ad ipsum sunt omnia*; sic enim citat ibidem Dionysius. *Ex ipso* designat primam et originalem causam efficientem; *per ipsum*, exemplarem; *ad ipsum*, finalem; *in ipso* causam sustentantem omnia veluti quidam fundus et fundamentum omnium, cui omnia innixa recumbunt. (De Perfectionibus divinis, L. 1. c. 4.)

## PROPOSITIO II.

### DEUS MUNDUM EX NIHILO CREAVIT IN TEMPORE.

8. Omnis creatura initium habet, quia non ex substantia Dei, sed ex nihilo est. Imo secundum sanctorum Patrum sententiam, nec æterna retro esse potest. Docent enim creaturam suo conditori non posse esse coæternam:

S. Augustinus L. 12. de Civ. c. 15. n. 2. *Tempus quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum. Ac per hoc etiamsi immortalitas angelorum non transit in tempore... tamen eorum motus quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum transeunt, et ideo Creatori... coæterni esse non possunt.*

Fulgentius L. de fide ad Petrum c. 3. n. 25. *Hic Deus, qui sine initio semper est, quia summe est, dedit rebus a se creatis ut sint; non tamen sine initio, quia nulla creatura ejusdem naturæ est cujus est Trinitas, unus verus et bonus Deus, a quo creata sunt omnia.* Hic indicat creaturam non posse carere initio durationis, quia non est naturæ divinæ sed ex nihilo.

S. Ambrosius L. 1. Hexaemeron c. 1. n. 2. *Quid tam inconveniens, quam ut æternitatem operis cum Dei omnipotentis æternitate conjungerent?*

S. Basilius L. 2. contra Eunomium. n. 17. *Nos autem æternitatem creaturis tribuere, et Creatorem hac confessione privare, ejusdem amentiæ dicimus.* Ante probaverat Filium esse æternum; hinc infert non esse creaturam, ut volebat Eunomius. Rationem affert: quia sicuti repugnat Creatori non esse æternum, ita creaturæ repugnat esse æternam. Dicit esse ejusdem amentiæ, non quia utrumque est hæreticum, sed quia utrumque ex natura rei involvit repugnantiam.

S. Joannes Damascenus L. 1. de fide, cap. 8. (opp. t. 1. p. 133. E. edit. Venet.) distinguens generationem et creationem, dicit, *generationem carere principio temporis, et esse æternam, quia opus est naturæ, et ex substantia Patris procedit. Creatio vero,* inquit, *cum sit opus divinæ voluntatis, non est coæterna Deo: quia quod ex non ente ad esse producitur, non est aptum natum esse coæternum ei quod principio caret, et semper est.*

9. Quidam putant Damascenum solum velle dicere, creaturæ non esse necessarium aut connaturale, esse ab æterno; sed prava translatione decipiuntur. Illud enim οὐ πέφυκε non recte vertitur, *non est natura comparatum,* vel *natura non postulat*; sed *non potest,* οὐ δύναται, ut passim *Argyropylus* apud Aristotelem vertit; unde significat repugnantiam ex natura rei. Simili modo idem Damascenus paulo ante dixerat, quod divina natura οὐ πέφυκεν ὑπομένειν πάθος ἢ ῥεῦσιν, ubi non vult dicere, ei non esse naturale, sustinere passionem aut defluxionem, sed ipsam non esse aptam seu capacem passionis. Ex quibus patet, ex sanctorum Patrum sententia, repugnare naturæ creatæ, ut sit coæterna suo Conditori. Et quamvis difficile sit hujus rei causam afferre, eo quod rationem infiniti non satis perspectam habemus; tamen per se est rationi valde consentaneum, nec creatura ulla in re possit æquari suo Conditori, nec possit ei dicere: Ante me non extitisti, tam antiquus sum quam tu, et Filius tuus. Deinde ratio creaturæ videtur involvere ut antea non fuerit. Hinc Patres Græci definiunt creationem, ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι προαγωγήν, *ex non ente ad esse productionem.*

Et S. Augustinus L. contra Felicianum Arianum cap. 7. (in append. t. 8.) ex definitione creaturæ probat Filium non esse creaturam. *Creatura,* inquit, *est ex eo quod adhuc non est, aut aliquando non fuit, rei cujuslibet corruptibilis, quantum in se est, per omnipotentis Dei voluntatem facta substantia. Hæc definitio, utrum in Dei cadat Filium videamus,* etc.

10. Itaque omnes isti volunt, de ratione creationis et productionis ex nihilo esse, ut res producta aliquando non fuerit. Et sane si Ariani putassent creaturam posse esse Deo coæternam, facile dixissent Filium esse quidem creaturam, sed creaturam æternam; et sic amovissent a se præcipuam sui erroris invidiam. Maxime enim offendebat, quod dicerent fuisse aliquando tempus, nempe imaginarium, quo Filius non erat: idque putabant omnino sequi ex sua sententia, qua statuebant esse creaturam. Præterea, si aliquid fuisset a Deo conditum ab æterno, ejus creatio non fuisset peracta momento, sed æterno tempore durare debuisset; nec Deus potuisset rem illam in nihilum redigere, aut influxum suum subtrahere, nisi postquam res illa æterno

tempore durasset; quod sane videtur absurdum, nec mens ullo modo potest concipere. Denique sicut creaturæ repugnat immensitas, per quam coextendatur omnibus spatiis locorum; cur non etiam æternitas, per quam omnibus spatiis temporum? quia par est ratio, imo hoc videtur conceptu difficilius.

11. Nec obstat quod Deus ab æterno habuerit omnem suam potentiam, et potuerit habere voluntatem illam liberam creandi; ubi autem adest potestas et voluntas, ibi quoque sit effectus. Nam simili modo in omni parte spatii per totam immensitatem locorum adest illi sua omnipotentia et voluntas libera, et tamen non potest creari aliqua creatura, quæ totum illud immensum impleat: causa est quia id repugnat naturæ creatæ. Recte tamen convincit illud argumentum, in quovis momento temporis imaginarii, quantumvis hinc retrorsum distante, potuisse fieri creaturam, et ante: sicut in quovis puncto loci imaginarii potest fieri, et ulterius. Et hoc sufficit ad ipsius omnipotentiam immensam et æternam asserendam. Ex quibus manifestum videtur, eos qui docent potuisse aliquam creaturam permanentem esse ab æterno, seu mundum ab æterno esse conditum, non tamen posse fieri corpus immensum, aut qualitatem infinite intensam, aut numerum rerum actu infinitum, non loqui consequenter, cum eadem sit in his omnibus ratio. (De Perfectionibus divinis, L. 4. c. 2. n. 8-11.)

## PROPOSITIO III.

### DEUS OMNIA POSITIVE CONSERVAT.

12. Non satis est Deum creaturam semel fecisse, sed opus est assidua conservatione ut in esse permaneat. Itaque totus ille impetus et influxus, quem primo creationis momento præstitit, ut rem ex nihilo in lucem et speciem excitaret, debet indesinenter continuari, omnibusque momentis dari; alioquin si vel unico temporis puncto intermittatur, tota creatura funditus peribit, et in suum nihilum, unde emersit, relabetur. Sicut ut mundus illustretur, non sufficit solem semel ex se lumen fudisse, sed necesse est ut illud assidue conservet, continuando primum influxum. Si enim vel unico momento vim suam cohiberet, repente totum lumen extingueretur. Similiter si pondus aliquod in aere manu suspendas, illud assidue sursum teneri, et eodem impetu ibi conservari debet, quo ab initio ibi est suspensum. Idem cernitur in speciebus visibilibus, et in actibus vitalibus.

Hinc rursum oritur summum jus Deo in creaturam. Quod enim potest jus majus animo concipi, quam posse omnia in nihilum reducere, sola cessatione operationis et beneficentiæ? Nam quid est quod Deum cogit hunc beneficum et substantificum influxum continuare? cui debitor est ut hunc semper præstet? Itaque omni momento potest illum sistere et cohibere; quod si faciat, ruet tota hujus mundi machina in suum centrum, hoc est in nihilum, et evanescet omnis rerum natura.

Porro ne quis de hac rerum mirabili a Deo dependentia assidua dubitet, aut considerata earum soliditate et firmitate putet eas semel factas posse per se consistere; ostendam illud non esse philosophicam speculationem vel opi-

nionem, sed certum Religionis nostræ dogma a Scripuris et Patribus traditum, et firma fide tenendum.

13. *I. Probatur* ex Scripturis. Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Quasi dicat : cum ubique præsens sit, omniaque conservet intime, nihil illum latet, non cogitationes internæ, non occulta murmura, non blasphemæ voces etc. Et Sap. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tù voluisses ? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?* At si non requiritur continua conservatio, non est opus illa voluntate ut res permaneant : nihil enim operabitur, et opus semel factum per se stabit, cum nulla res extrinseca illam possit labefactare. Ad Hebr. 1. *Novissime locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et secula, qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ.* Hic aperte docet Apostolus per Filium non solum condita esse omnia, sed etiam ejus omnipotenti virtute omnia portari, sustineri, et veluti sursum inesse et natura suspensa teneri ne in suum nihil recidant; sicut cum quis pondus quod portat et suspensum tenet, dimittit, mox id deorsum cadit. Ita hunc locum exponunt Patres : Anselmus, *Portat,* inquit, *omnia, id est, sursum tenet ne decidant et in nihilum revertantur, unde creata ab ipso fuerant : et sustentat ea non labore et difficultate, sed imperio suæ potentiæ.* Chrysostomus Hom. 2. in epist. ad Hebr. n. 3. *Feratque omnia, id est, gubernet omnia: siquidem cadentia et ad nihilum tendentia continet. Non enim minus est continere mundum quam fecisse; sed si oporteat aliquid admirandi dicere, adhuc amplius est. Nam in faciendo, rerum quidem essentiæ productæ sunt; in continendo vero, ea quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur.* Eadem verba habet Commentarius qui tribuitur Ambrosio. Eodem modo exponunt hunc locum Theophylactus, Haymo et alii.

Ad Coloss. 1. *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* Hic rursus Apostolus distinguit *creationem* et *conservationem,* dicitque non solum per ipsum, ut per virtutem Patris, et in ipso, tanquam immenso quodam sinu creata esse omnia, sed etiam omnia consistere, et conservari, id enim significat illud : πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε· Chrysostomus Hom. 3. in hanc epist. n. 2. *Quod vero dicit, In ipsum, quid est? hoc scilicet, in ipsum pendet omnium hypostasis. Non solum ipse ea ex nihilo ad hoc ut essent produxit, sed et idem ipse nunc quoque ea conservat et tuetur, ita ut, si ipsius cura destituerentur, mox perirent et corrumperentur. Sed non dixit, conservat, quod crassius fuisset, sed quod subtilius, nempe quod omnia in ipsum pendent. Duntaxat ad ipsum annuere et inclinari satis est ad conservandum et constringendum ; ita et Primogenitus veluti fundamentum est.* Et infra : *Ne putes eum esse ministrum, dicit eum omnia conservare, quod non minus est quam omnia creare.*

Anselmus : *Omnia in ipso constant, quia sicut omnia creavit, sic omnia continet et regit. Omnia in ipso constant; quia secundum immensitatem incircumscriptæ et incomprehensæ Divinitatis ejus, omnia sunt intra ipsum, et ne in nihilum redeant per eum consistunt.* Eodem modo exponunt cæteri.

Joannis 5. *Pater meus usque modo operatur et ego operor.* Hunc locum omnes explicant de operatione qua mundum conservat et rebus omnibus

cooperatur. D. August. L. 4. de Genes. ad litteram, c. 12. *Potest etiam intelligi, Deum requievisse a condendis generibus creaturæ, quia ultra jam non condidit aliqua genera nova. Deinceps autem usque nunc et ultra operatur eorumdem generum administrationem, quæ tunc instituta sunt; non ut ipso saltem die septimo potentia ejus a cœli et terræ, omniumque rerum quas condiderat gubernatione cessaret; alioquin continuo dilaberentur. Creatoris namque potentia... causa subsistendi est omni creaturæ, quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim sicut structor ædium cum fabricaverit, abscedit atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen suum subtraxerit. Proinde et quod Dominus ait: Pater meus usque nunc operatur; continuationem quamdam operis ejus, qua universam creaturam continet atque administrat ostendit.* Idem prosequitur fusius et probat ex duobus Scripturæ locis. Et in Enchiridio cap. 27. *Non sane Creatoris desistente bonitate et malis angelis subministrare vitam vivacemque potentiam, quæ subministratio si auferatur, continuo interibunt.* Idem docet aliis multis locis.

Ambrosius L. 7. in Lucam c. 13. n. 173. *Denique et Deus ab operibus mundi quievit, sed non ab operibus, cujus sempiterna et jugis operatio est, sicut Filius ait: Pater meus usque modo operatur et ego operor.* Simili modo explicant hunc locum Chrysost. Homil. 38. al. 37. in Joannem, Cyrillus L. 2. in Joannem (t. 4. p. 212.) Theophyl. in cap. 5. Joannis, et alii.

Præterea sacra Scriptura passim Deo tanquam auctori tribuit operationes et effectus causarum naturalium. Matth. 5. *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Psal. 103. et 146. *Qui producit in montibus fœnum et herbam servituti hominum.* Job 10. *Manus tuæ, Domine, fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu... Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me,* etc. Quibus verbis aperte significatur Deum non solum vires rebus olim ipsis inseruisse, sed etiam assidue illas conservare, et illis immediate cooperari ut effectus suos producant. *Primo,* quia alioquin solum remote et improprie diceretur hæc facere; sicut improprie et remote dicitur sol calefacere dum calefacit me lapis, cui sol calorem impressit. Et simili modo possemus dicere, omnes rerum generationes fieri a primis mundi individuis, quia fiunt virtute ab illis accepta. *Secundo,* quia Dominus intendit nobis commendare quotidianam et assiduam Patris cœlestis beneficentiam, non veterem solum initio mundi exhibitam, ut nos eum, tanquam veri filii quotidie imitemur. *Tertio,* quia Patres ex istis locis probant Deum assidue operari, etiam die sabbati: sicut qui horologium disponit feria sexta, quod toto die sabbati currit, non idcirco dicetur operari die sabbati. Vide Chrysostomum, Cyrillum et Theophylactum supra. Denique cum Deus solem crearet, nondum erant mali; quomodo ergo ratione istius creationis dicitur quod faciat solem suum oriri super bonos et malos? etc.

14. *II. Probatur* ex Patribus: et præter supradictos id clarissime tradit Dionys. L. de divin. Nomin. cap. 10. §. 1. Τὸ μὲν γὰρ (παντοκράτωρ) λέγεται διὰ τὸ πάντων αὐτὸν εἶναι παντοκραταρικὴν ἕδραν, συνέχουσαν καὶ περιέχουσαν τὰ ὅλα, καὶ ἐνιδρύουσαν, καὶ θεμελιοῦσαν, καὶ περισφίγγουσαν, καὶ ἀῤῥαγὲς

ἐν ἑαυτῇ τὸ πᾶν ἀποτελοῦσαν, καὶ ἐξ αὐτῆς τὰ ὅλα καθάπερ ἐκ ῥίζης παντοκρατορικῆς προάγουσαν, καὶ εἰς ἑαυτὴν τὰ πάντα καθάπερ εἰς πυθμένα παντοκρατορικὸν ἐπιστρέφουσαν, καὶ συνέχουσαν αὐτὰ ὡς πάντων ἕδραν παγκρατῆ τὰ συνεχόμενα πάντα κατὰ μίαν ὑπερέχουσαν, πάντα συνοχὴν ἀσφαλιζομένην, καὶ οὐκ ἐῶσαν αὐτὰ διεκπεσόντα ἑαυτῆς, ὡς ἐκ παντελοῦς ἑστίας κινούμενα παραπολέσθαι. *Omnitenens* (sic enim videtur hic vertendum παντοκράτωρ, non *omnipotens* : nam de omnipotentia egerat cap. 8.) *dicitur, quod sit omnium sedes, omnia continens et complectens et cuncta stabiliens, fundans atque constringens et universum in se insolubile præstans, et ex se veluti ex omnitenente radice cuncta producens, atque ad se ut ad omnitenens fundum universa convertens, et continens ut omnium sedes omnicapax; omnia contenta una præcellenti connexione communiens, neque sinens ea sibi excidere, ne tanquam exactissimo domicilio mota dispereant.* His verbis multis modis Dionysius hanc conservationem explicat, de quibus infra. Idem cap. 13. §. 1. Διατεῖνον ἐπὶ πάντα ἅμα, καὶ ὑπὲρ πάντα ταῖς ἀνεκλείπτοις ἐπιδόσεσι, καὶ ἀτελευτήτοις ἐνεργείαις. *Pertingens ad omnia pariter, et supra omnia indeficientibus largitionibus, et interminabilibus operationibus.* Idem clarius verbis sequentibus ubi dicit, hanc *largitionem esse semper eamdem et incessabilem et imminuibilem.* Eamdem sententiam insinuat multis aliis locis.

Origenes L. 2. Periarchon. c. 1. n. 3. : *Quomodo in Deo vivimus et movemur et sumus, nisi quia virtute sua universum constringit et continet mundum?* Et infra : *universum mundum virtutis suæ plenitudine replet et continet.*

Damascenus L. 1. cap. 3. de fide orthodoxa : *Creaturæ connexio, conservatio et gubernatio docet nos Deum esse, qui istud universum constituit et continet et conservat et providentia sua regit.* Idem docet cap. 16.

Eamdem sententiam expresse docet Hieronymus contra Pelagianos, et epist. ad Ctesiphontem, quibus locis non solum docet ad fidem catholicam pertinere conservationem rerum, sed divinam cooperationem cum omnibus rebus.

Prosper sententia 278. (al. 277.) ex Augustino L. 4. de Genes. c. 12. *Creatoris omnitenentis omnipotentia causa est subsistendi omni creaturæ : quæ virtus, si ab eis quæ condidit regendis aliquando cessaret, simul omnium rerum species et natura concideret : proinde quod Dominus ait, Pater meus usque modo operatur, continuationem quamdam operis ejus, qua simul omnia continet atque administrat, ostendit* etc.

Gregorius L. 2. Moral. c. 8. (al. 12. n. 20.): *Cœlum palmo metiens, et terram pugillo concludens ostenditur, quod ipse sit circumquaque cunctis rebus quas creavit exterior..... Per sedem ergo, cui præsidet, intelligitur esse interius supraque; per pugillum, quo continet, esse exterius subterque signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; et superior est per potentiam, et inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, et interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens; extra circumdans, interius penetrans; nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior atque ex alia manet interior : Sed unus idemque totus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens,*

*circumdando penetrans, penetrando circumdans.* Hic inter cætera docet, mundum a Deo sustineri, ne in nihilum relabatur. Idem ibid. L. 16. c. 16. (al. 37. n. 45.) : *Cuncta ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret.* Et paulo ante : *Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt.*

Bernardus serm. 6. in Dedicat. Ecclesiæ n. 2. (opp. t. 1. p. 1082. F.) : *Est in omni loco omnia universaliter continens, omniaque disponens.* Idem Præfatione in Psalmum : *Qui habitat,* n. 1. (opp. t. 1. p. 827.) : *Quid enim timendum nobis, si adest qui portat omnia?..... Quid est quod totam molem terræ sustinet? et universus orbis cui innititur? Nam si est aliquid quod sustineat cætera, ipsum a quo sustinetur? Non invenitur nisi virtutis verbum omnia portans. Verbo enim Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et L. 5. de Considerat. c. 6. n. 13. *Quid item Deus? sine quo nihil est. Tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est, ac per hoc quodammodo ipse solus est, qui suum ipsius est et omnium esse.* Ubi aperte essentialem a Deo dependentiam docet. Et infra, n. 14. : *Quid est Deus? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia creabiliter, non seminabiliter. Per quem omnia, ne alium auctorem, alium opificem arbitreris. In quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute.*

Hugo de S. Victore Tract. 1. Erudit. Theolog. : *Indubitanter credimus, Deum ubique essentialiter esse : nec sine eo potest aliquid subsistere, etiam per momentum, ex omnibus quæ fecit ; quia omnia continet et penetrat, et a nullo continetur.*

Idem docent omnes Scholastici, nemine excepto, etiam Durandus, ut patet in 1. d. 37. q. 1. : etsi enim solus sentiat ex omnibus Deum non concurrere in operando cum singulis rebus ; tamen docet, Deum assidue conservare res omnes per se subsistentes et materiam primam. Idem senserunt Philosophi, præsertim Platonici, qui ideirco docuerunt mundum semper a Deo fieri et pendere a Deo, sicut umbra pendet a corpore et lumen a sole ; ut ostendit Marsilius Ficinus L. 2. Theolog. Platon. cap. 7. Idem videtur sentire Aristotele L. 2. de Cœlo, cap. 9. sub finem, cum ait, ab æterno et immortali æone dependere esse et vitam aliis perfectius aliis obscurius ; in quem locum vide Scaligerum in Exercitationibus contra Cardanum, versus finem.

15. *III. Probatur* ratione. Si mundus potest stare sine assiduo Dei influxu et conservatione, multa sequentur incommoda : 1°. Ipsum non habere essentialem dependentiam a Deo, sed extrinsecam et accidentariam, qualem habet opus ob artifice et filius a parente. Quod enim essentialiter ab aliquo dependet, semper dependet, et non solum primo momento quo producitur. Atqui absurdum est dicere mundum non habere essentialem dependentiam a Deo ; sic enim non repugnaret ei, habere esse et non a Deo, ac proinde vel habere esse a se vel ab alio principio quod non est Deus, quorum utrumque implicat. Dico mundum et res omnes habere essentialem dependentiam a Deo, non quod hæc vel illa particularis dependentia ei sit essentialis, sed quia dependere in genere a Deo ei essentiale est. 2°. Mundum minus a Deo pendere, quam intellectio aut volitio pendeat ab anima, visio ab oculo, lumen a sole. Hæc enim ita a suis causis pendent ut assidua conser-

vatione opus habeant. 3°. Minus pendere a Deo mundum, quam animalia et plantæ pendeant a sole : hæc enim fere assiduo solis influxu opus habent ; alioquin mox contabescere incipiunt. Imo viventia magis a sole quam a Deo pendebunt. 4°. Res quæ quotidie oriuntur, non magis pendere a Deo quam a causis suis particularibus. 5°. Deum esse pene otiosum in mundo, et mundum non egere amplius opera ipsius : sicut domus firmiter extructa, in qua nihil potest labare, non eget amplius opera artificis. 6°. Deum non gubernare mundum nisi ratione primæ creationis, qua illi vires operativas, ex quibus hic cursus rerum ducitur, impressit. 7°. Deum non posse angelum, vel materiam primam, vel animam rationalem in nihilum redigere. Non enim id potest creando aliquid positivum illorum naturæ ita repugnans ut eam aboleat, quia non sunt formæ subjecto affixæ, ut per alias excludi queant : neque aliquid positivum fingi potest, quod illis coexistere nequeat : neque etiam substractione influxus conservantis, quia supponit illa sententia mundum non egere causa conservante.

16. Ex his patet certa fide tenendum esse, res omnes creatas assidue a Deo pendere, et ejus assiduo influxu egere : et hunc influxum non necessario a Deo manare, sicut lumen a sole, ut quidam Philosophi imaginati sunt, sed omnino libere : ac proinde ratione hujus Deum summum jus habere in omnem creaturam, cum omni momento funditus ab illius arbitrio pendeat.

Porro hæc conservatio, ut ex prædictis testimoniis colligitur, etsi unica sit et unius modi, tamen quadruplici modo concipi potest. 1°. Per modum *sustentationis*, quasi creatura Deo veluti firmissimo fundamento et fundo sit innixa, et ipse eam inferne quasi sustineat, ne in centrum sui nihili recidat. Sic Dionysius supra Deum vocat *sedem omnitenentem, fundum, fundamentum omnium*, et Gregorius ait, *Deum esse infra omnia, et subtus creaturam sustentare*. 2°. Per modum *suspensionis*. Deus enim creaturam ex abysso nihili quasi trahit sursum versus seipsum ad esse et ad speciem certam, et in ea illam quasi suspensam tenet, ne in suum abyssum unde educta est recidat. Sic Anselmus supra, *Portat*, inquit, *omnia, id est, sursum tenet ne decidant et in nihilum revertantur, unde creata ab ipso fuerant*. Idem insinuat verbum *dependere, dependentia*. 3°. Per modum *influxus* et *subministrationis*. Sic D. Augustinus et Dionysius supra vocant operationem, largitionem indesinentem, subministrationem *esse* et *naturæ*. Idem significatur cum Deus dicitur omnium *esse*, omnium *vita*. 4°. Per modum *connexionis* et *constrictionis*. Sicut enim res fluxa, nisi assidue constringatur et connectatur suis partibus, statim diffluit et dissolvitur : ita nisi Deus interius constringat et connectat particulas omnes minimas, aut totalitates rei, ipsa tota in nihilum solvetur. Hoc significant Patres, cum dicunt Deum omnia continere et constringere : πάντα συνέχειν καὶ συσφίγγειν. (De Perfectionibus divinis, L. 10. c. 3. n. 20. seqq.)

## PROPOSITIO IV.

### NON MINOR INFLUXUS DEI REQUIRITUR AD RERUM CONSERVATIONEM QUAM AD EARUM CREATIONEM.

17. Verum occurrit hic quæstio Theologo digna, et paulo fusius more scholastico discutienda. Utrum ad hanc conservationem sufficiat concursus quidam, seu influxus generalis; an vero opus sit influxu determinato, qualis necessarius est, quando res a solo Deo producitur. Et ne sit in istis nominibus æquivocatio (nam influxus vel concursus generalis interdum vocatur qui est ordinis naturalis, et concursus specialis qui est ordinis supernaturalis), *influxum generalem* hic vocamus, qui ex parte Dei est indeterminatus ad hoc vel illud genus rerum, sed solum determinatur quatenus conjungitur concursui determinato causæ creatæ; et cum eo coalescit in unum totalem et integrum influxum sufficientem ad rei productionem. Sicut cum Deus ut causa universalis concurrit cum igne ac productionem caloris, præbet quemdam concursum generalem, id est, ex parte sua indifferentem ad hanc vel illam speciem rerum, qui solum determinatur ad productionem caloris, quatenus coalescit cum concursu ignis, qui ex se tendit ad calorem. *Influxum specialem* seu determinatum vocamus qui ex se, et ut procedit a sua causa, est determinatus ad certam speciem, qualis est influxus ignis ad producendum calorem. Idem cernitur cum Deus cum causis creatis habentibus vim determinatam, et in ordine suo sufficientem concurrit ad productionem effectus, et cum animalibus et plantis ad productionem formæ substantialis et totius compositi : ipse enim præbet concursum ex se indeterminatum, causa creata determinatum.

18. His positis, quidam considerantes rerum quarumdam soliditatem ac permanentiam, putant ad conservationem rerum non esse opus determinato influxu, sed sufficere concursum generalem, qualis sufficit quando Deus concurrit cum causa creata ad productionem effectus. Unde etiamsi opus sit determinato influxu Dei quando ipse solus rem quamdam producit, non tamen esse opus tali influxu, quando se solo postea eam conservat : sicut ut conderet mundum, et angelos, et cætera omnia, necessarius fuit influxus determinatus; post primum tamen instans creationis talem influxum dicunt non amplius fuisse necessarium, sed loco illius suffecisse influxum generalem, qualis est is, quo Deus rebus creatis cooperatur.

19. Fundamentum hujus sententiæ est duplex. Primum est : quia sicut res natura sua habent vires ad operandum, quibus possint effectus suos producere, Deo solum concursu generali et indeterminato concurrente; ita etiam putant eas habere vires ad sui conservationem, quibus possint se intime conservare, Deo solum generali concursu ad conservationem concurrente. Alterum est : quod facilius sit aliquid jam productum conservare, quam ab initio producere. Unde etiamsi ad productionem opus sit pleno et totali influxu, ad conservationem tamen satis erit semiplenus et partialis.

Hæc sententia, etsi pulchre videatur excogitata, mihi tamen semper visa a veritate aliena..... Unde

20. *Dico I.* Eadem actione eodemque influxu quo Deus angelos et mundum ejusque primarias partes olim produxit, modo etiam conservat : unde sicut ille fuit omnino determinatus, ita et iste.

*I. Probatur* ex Patribus, qui docent non minus esse, mundum continere ne in nihilum recidat, quam illum ex nihilo primum condere. Ita Chrysost. Homil. 2. in epist. ad Hebr. n. 3. *Non minus est continere mundum quam fecisse; sed si oporteat aliquid admirandi dicere, adhuc amplius est : nam in faciendo, rerum quidem essentiæ productæ sunt; in continendo vero, ea quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant continentur.* Eadem verba habet Commentarius Ambrosii. Dicit *amplius esse mundum continere et conservare in suo esse, quam initio creare et dare esse;* sicut amplius est pondus aliquod continenter tenere suspensum in aere, quam ab initio elevare : respicit enim ad illud Apostoli, *Portans omnia verbo virtutis suæ* (ad Hebr. 1.). Atqui si creaturæ jam conditæ possunt seipsas tenere in suo esse, et Deus solum præbet influxum generalem; longe minus est eas conservare quam creare; nam ad sui conservationem ipsæ cooperantur, et Deus solum dimidium laborem, ut ita loquar, adhibet. Ad sui creationem non possunt cooperari, sed Deus debet totum per se facere : unde hic non adjuvatur, ibi adjuvatur a sua creatura; et ita adjuvatur, ut non ipsi sed creaturæ assignanda sit propria ratio durationis cujusque, imo quod in æternum res durare possit : sicut quando Deus concursu generali cooperatur creaturæ ad productionem effectus, quod effectus sit hujus speciei vel generis, hoc vel illo tempore aut loco fiat, causa propria et primaria hujus rei est ipsum agens creatum, non Deus. Longe itaque minus erit Deum res conservare, quam creare; sicuti longe minus Deum suo concursu generali cum rebus concurrere ad productionem effectuum, quam ipsos effectus creare, aut se solo producere. Longe etiam minus res pendebunt a Deo dum conservantur quam dum creantur; quorum utrumque sententiæ SS. Patrum non videtur consentaneum. Idem Chrysost. Hom. 3. in epist. ad Colossens. : *Ne putes filium esse ministrum, dicit eum omnia conservare, quod non minus est quam omnia creare.* At si conservatio solum requirit influxum generalem et veluti dimidiatum, verum non erit *conservare* non esse minus quam *creare*, ut ostensum est. Deinde non recte probabitur contra Arianos, Filium non esse ministrum Patris in rerum creatione. Cum enim creatio tribuatur Patri, conservatio Filio, dicere poterit Arianus, id ideo fieri, quia Filius est minister Patris in conservando mundo; quia ei tribuitur id quod facilius est, postquam Pater perfecit id quod difficilius. Ut hoc excluderet Chrysostomus, ait non minus esse conservare, quam omnia creare; ac proinde non esse ministrum, sed Patri potentia parem.

S. Augustinus L. 4. de Genesi ad litteram cap. 12. n. 23. *Quod Dominus ait, Pater meus usque nunc operatur, continuationem quamdam operis ejus, qua universam creaturam continet atque administrat, ostendit.* Si conservatio est *continuatio operis,* id est operationis divinæ, ergo non distinguitur a prima operatione qua creatura est producta. Quod enim *opus* accipiatur ab Augustino pro operatione Dei, perspicuum est ex consequentibus verbis, cum ait : *Si ab hac operatione cessaverit, eas continuo perituras; ab hac* nempe qua illas condidit; et infra : *Non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur; et hoc est opus ejus quo continet omnia;* et paulo post : *Si hoc opus*

*suum rebus subtraxerit, nec vivemus, nec movebimus, nec erimus*; ubi manifestum est per *opus* significari operationem et influxum quo Deus primo res condidit et disposuit in suis speciebus et gradibus : quæ operatio ita debet continuari, ut si vel ad momentum cesset, omnia debeant interire. Manifeste ergo repugnat Augustino et Scripturæ (juxta Augustini interpretationem), dicere, illam actionem qua res sunt conditæ, non continuari, sed solum durare ad momentum, et postea aliam longe minorem succedere, quæ solum juvet eas ut seipsas in suo esse contineant.

Anselmus in cap. 1. ad Hebræos : *Portat omnia, id est, sursum tenet ne decidant, et in nihilum revertantur, unde creata ab ipso fuerant; et sustentat ea non labore et difficultate, sed verbo virtutis suæ, id est, imperio suæ potentiæ;* ubi notandum est conservationem rerum explicari ex analogia ponderis quod quis sustinet in sublimi. Nemo autem dixerit pondus quod ex se, nisi teneatur, deorsum ruit, seipsum in aere sustinere, aut juvare manum sustinentis, aut minori vi sustineri postquam elevatum est, quam sit ea vis, qua ab initio sublevatum fuerit; aut facilius teneri quam elevari.

21. *II. Probatur* ex Doctoribus Scholasticis. S. Thomas 1. p. q. 104. a. 2. ad 4. *Conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis qua dat esse : sicut conservatio luminis in aere est per continuatum influxum a sole.* Atqui actio qua dat esse est creatio; ergo conservatio est continuatio creationis. Idem manifestum est exemplo quo D. Thomas et alii Theologi sæpe utuntur, cum dicunt ita mundum pendere a Deo, sicut lumen aeris a sole. Idem a. 2. ad 2. *Sicut nulli effectui præstari potest ut sit causa sui ipsius, potest tamen ei præstari ut sit causa alterius; ita etiam nulli effectui præstari potest ut sit sui ipsius conservativus, potest tamen ei præstari ut sit conservativus alterius.* Hic aperte evertitur fundamentum alterius sententiæ, et comparatio qua illa nititur : negat enim S. Thomas, quod sicut cum concursu generali causa creata potest producere vel conservare aliam, ita possit conservare seipsam; imo negat id ei præstari posse divinitus, sicut nec ei præstari potest ut sit causa sui ipsius.

Idem docet Cajetanus in illum art. 2. q. 104. *Ea,* inquit, *quæ per se creantur, a solo Deo conservantur; et in his est necessario verum quod eadem actio est conservationis et creationis. Talia sunt substantiæ immateriales, et universaliter ingenerabilia et incorruptibilia.*

Durandus in 2. distinct. 1. q. 2. etsi alibi doceat non opus esse concursu generali ad actionem causarum creatarum; tamen ad conservationem naturæ earum, docet eumdem influxum Dei esse necessarium qui requiritur ad creationem. *Sicut,* inquit, *in Divinis semper verum est dicere, Filius gignitur et genitus est a Patre : sic verum est dicere de creatura quamdiu existit, quod creatur a Deo, et creata est; ut sit eadem actio creationis rerum, et conservationis earum.* Et addit ita esse sentiendum, quamvis non solemus sic loqui, *mundus quotidie creatur.*

Idem fuse docet Gregorius Ariminensis in 1. d. 45. q. 1. a. 1. concl. 3. allatis multis testimonis ex Anselmo et Augustino, et in 2. d. 1. q. 6. a. 2. post multa ita concludit : *Quia igitur agens non conservat nisi continuo producendo seu agendo suum effectum, ideo in quantum conservat agit, et per consequens potentia conservativa est activa.* Nihil ergo habet potentiam con-

servandi seipsum nisi per accidens. Nec obstat quod hic auctor cum Henrico videtur conservationem ponere actionem distinctam a creatione, quia vult eam esse actionem determinatam et productivam effectus : talis autem non est concursus generalis.

Scotus in 2. d. 1. q. 5. dicit *quod res potest dici semper creari, quamdiu manet, quia semper accipit esse a Deo.* Et d. 2. q. 2. probat ex Augustino, *quod sicut aer respectu solis non est factus lucidus , sed fit lucidus ; ita creatura respectu Dei nunquam est ultimate facta, sed semper fit.* Unde sic argumentatur : *Si creatura respectu Dei non est facta in esse ab ipso Deo , sed est quasi in fieri formaliter ; ergo formaliter semper ponitur in esse a Deo ; et ideo sicut continue manet, ita continue est creatio ejus a Deo.* Idem in 1. d. 12. *Creatura semper in essendo æque pendet a Deo, quia æque ab ipso per idem velle ipsius habet idem esse : et hoc modo posset dici quod productio personæ semper est in fieri ; quia nunquam ista persona habet esse, nisi accipiendo actualiter a producente ; et tamen esse personæ est actualiter permanens. Hoc modo esse creaturæ licet sit permanens, tamen respectu Dei a quo semper æque pendet, semper est quasi in fieri, hoc est actu dependens a causa dante esse, et nunquam in facto esse, hoc est in actu separato et independente a quocumque alio,* etc... Quibus locis Scotus manifeste docet non minorem influxum requiri ad conservationem quam ad creationem.

22. Denique ne singulos recenseam eadem est doctrina reliquorum Scholasticorum ; nec puto quemquam esse qui unquam aliter senserit, aut ea de re dubitaverit. Idem docet Gabriel Vasquez in 1. p. disp. 72. n. 11. ubi dicit *continuam rerum conservationem a Deo esse veram creationem ex nihilo* ; et disp. 74. n. 17. *Conservatio rei secundum se totam est vera creatio et productio ex nihilo* ; et n. 21. *materiam primam continuata creatione nunc conservari ex nihilo.* Atqui concursus generalis et quasi dimidiatus non est creatio ex nihilo, ut omnes fatentur ; ergo, etc. Molina in 1. p. q. 10. a. 5. disp. 1. *Per influxum eumdem indivisibilis actionis qua primo contulit angelo esse, eum conservat, et confert illud idem esse toto decursu temporis, quod primo illi contulit ; idque eo ipso quod ab indivisibili actione, qua primo cœpit illi conferre esse, non desistat.* Et infra, quod angelus duret potius in hac parte temporis quam in illa, et duret continuo et in æternum, non refert in vim conservativam quæ sit in angelo, sed in actionem divinam, qua primo instanti angelus accipit totum suum esse, et conservatur in æternum.

Denique hanc sententiam fuse docet Suarez in metaphysica disp. 21. tota ; ubi imprimis ostendit conservationem in iis quæ a Deo solo conservantur, non distingui a creatione nisi ratione : esse enim eamdem actionem quæ dicitur creatio in primo instanti quo rei tribuit esse, conservatio vero quatenus toto tempore reliquo continuatur, idem esse conferens. Deinde ostendit non sufficere concursum generalem ad conservandam rem productam a causa creata, sed opus esse potentiore influxu, quo suppleatur influxus quem causa creata in primo instanti dedit.

23. *III. Probatur* ex Ratione. I. Hæc sententia supponit res omnes creatas, quæ a causis creatis non pendent in sui conservatione, habere vim seipsas conservandi majorem vel minorem cum solo concursu generali : quod fun-

damentum non esse verum, vel ex eo conjici potest quod nullus Doctorum talem vim rebus tribuat, nec quisquam mentionem ejus faciat. Etsi enim fateantur quasdam res posse cum concursu generali conservare alias; negant tamen omnes, aliquam rem hoc modo posse conservare seipsam, nempe directe suum esse continendo; sed solum concedunt eos indirecte et quasi per accidens se posse conservare. Ita docet S. Thomas 1. p. q. 104. a. 2. adhibita hac distinctione, quam cæteri approbant. Ubi notandum dupliciter posse aliquid conservari: *Primo,* directe, attingendo ipsum esse, seu naturam rei; quo modo sol conservat lumen in aere. *Secundo,* indirecte et ex consequenti; sic aquæ gutta se conservat ne statim diffluat, colligendo se in globulos; et aqua intendit suum frigus circumstante calore, et omnia viventia augent suum calorem tempore hiberno, et anima in animantibus conservat calorem, et consequenter seipsam, cum calor sit necessarius ad vitam, et omnia viventia conservant se, alimentum attrahendo, coquendo et sibi uniendo, ut instaurent quod diffluxit.

24. Nunc quæro de utro modo conservationis loquantur, quando dicunt res creatas habere vim se conservandi cum solo influxu generali. Si loquantur de priore, hunc omnes Doctores negant, et dicunt, sicut impossibile est ut aliquid suum esse primo producat, ita etiam impossibile esse ut illud directe conservet: nihil enim eo modo conservari, nisi ab ea causa, a qua assidue pendet esse rei. Si loquantur de posteriore, non bene sibi cohæret hæc sententia:

1°. Quia ponit vim quamdam conservandi sui in rebus, quæ suppleat influxum determinatum causæ producentis; ita ut sufficiat cum influxu generali ad plenam et totalem rei conservationem; ergo debet directe influere in ipsum esse rei, sicut causa determinata influebat in esse rei: alioquin non poterit dici supplere ejus defectum, aut sufficere cum influxu universali. Confirmatur: quia nisi influeret directe, non recte adjungeretur causæ universali, quæ directe influit ad rei conservationem. Sicut enim cum creatura dicitur habere vim productivam effectus cum solo concursu generali, intelligitur posse directe influere (influxu quasi partiali) in entitatem effectus, sic ut cum causa universali constituat unam integram causam præbentem influxum effectu adæquatum: ita cum dicitur habere vim conservandi sui cum concursu universali, intelligendum erit ipsam posse cooperari intime causæ universali ad sui conservationem; ita ut simul cum ipsa unam integram causam conservantem constituat quæ influxum adæquatum conservationi totius rei præbeat: alioquin perit vis comparationis, quia res vere non concurret ad sui conservationem, sed solus generalis influxus totum faciet; unde frustra dicitur, quod res habeat vim se conservandi cum influxu generali.

2°. Quia conservatio sui indirecta fit per veram actionem qua res producit in se aliquem modum vel formam accidentariam, qua resistat causis corrumpentibus, ut patet exemplis supra allatis, cum res se colligunt in unum, vel intendunt suum calorem aut frigus, aut conservant calorem per animam aut alimentis se instaurant, etc.; atqui illa conservatio quam ipsi ponunt, non fit per actionem proprie, ut ipsi dicunt, ne cogantur fateri rem producere suum esse, seu effective in illud influere; qua in re rursus non videntur consequenter loqui; ut enim explicent quomodo res se conservet absque

actione, afferunt exemplum rupis seipsam conservantis in suo loco ne possit depelli, et hominis erecti se firmantis in suo statu et loco. Rupes enim vel saxum non conservat se in suo loco nisi vera actione qua se inclinat deorsum. Similiter homo conservat se erectum vi animæ, mediantibus spiritibus, et sic etiam firmat se in suo vestigio. Itaque exempla illa potius contrarium ostendunt, nempe conservationem fieri vera actione.

3°. Quia vis se conservandi in hac sententia maxime tribuitur rebus simplicibus, ut angelis, cœlis, materiæ primæ: atqui in his nulla est vis se conservandi indirecte; quia hæc solum est tributa rebus obnoxiis corruptioni. Ergo non possunt dicere, se per vim conservandi intelligere eam qua res se indirecte conservat, ac proinde rursum debent relabi ad vim directæ conservationis, qualem nemo Doctorum agnovit in rebus creatis respectu sui esse: quia videtur omnino impossibilis, et implicare contradictionem; sicut implicat ut aliquid sibi tribuat esse, aut a seipso positivam dependentiam habeat. Confirmatur: quia conservare dicit aliquam causalitatem, ut communiter Doctores asserunt; ergo effectivam, vel materialem, vel formalem: atqui res non possunt habere vim se conservandi effective, ut ostensum est, nisi indirecte; neque etiam per modum subjecti vel materiæ, cum nulla res sibi sit subjectum vel materia; neque etiam per modum formæ, quia nihil sibi est forma.

25. *Dices:* Hæc vis se conservandi nihil est aliud quam dispositio rei, quatenus non admittit corrumpentia; sicut in ferro, durities et materiæ constipatio conservat ferrum, ne facile incalescat. Verum hæc non est vis se conservandi, nisi indirecte, nempe resistendo, vel difficulter admittendo impressiones corruptivas ab extrinseco. Unde non reperitur nisi in iis quæ ab aliis causis creatis corrumpi possunt; neque supplere potest defectum intimæ et directæ conservationis; sed solum juvat ut res non tam cito corrumpatur a causis contrariis. Quare in rebus illis quæ nullo modo a causis creatis perimi possunt, ut in materia prima, in cœlestibus corporibus, in spiritibus, et in anima rationali, talis vis se conservandi non reperitur: frustra enim ponerentur præsidia resistendi in arce inexpugnabili.

*Dices:* Frustra quidem in istis poneretur vis conservandi se contra alias res creatas, cum nullius impressionis corruptivæ sint capaces: non tamen contra pondus quo ex se, influxu divino subtracto, tendunt in suum nihili, et contra divini influxus substractionem. Unde habent vim se tenendi in suo esse, influxu divino media ex parte subtracto. Verum satis ostensum est talem vim esse impossibilem: nihil enim potest se tenere in suo esse directe, sed solum indirecte, ut supra declaratum est; qui modus se tenendi non habet locum in rebus incorruptibilibus. Deinde cum pondus ad non esse nihil sit aliud quam res ex se non habere esse, sed essentialiter pendere ab alio; hoc ipso quo subtrahitur influxus tribuens illud esse, necessario in suum nihilum relabitur, quantumvis alioquin sit incorruptibile et eximium.

26. II. Secunda ratio principalis sumi potest ex concursu generali: hic enim concursus talis est, ut per eum solum impossibile sit aliquid produci, tum quia ex se ad hanc vel illam speciem est indeterminatus, unde debet determinari a concursu causæ particularis; tum quia etiamsi fingatur a

quibusdam determinatus, tamen per se est quasi dimidiatus; ergo etiam per illum solum non potest aliquid conservari. Consequentia probatur : quia concursus talis, cum ex se sit indeterminatus, non magis tendit ad conservationem hujus rei, quam alterius ; sicut non magis tendit ad productionem hujus rei quam alterius ; unde plane per accidens esset huic rei per talem concursum conservari. Neque dici potest, hunc concursum generalem determinari per concursum particularem, quem ipsa res per se præbet ad sui conservationem, quia talis concursus et cooperatio nunc refutata est. Manet itaque iste concursus indeterminatus ad hujus rei conservationem.

27. *Dices :* Determinatur ab ipsa re, quia illi identificatur. *Contra* : Nunquam concursus vel influxus causæ determinatur a suo termino, cum sit prior natura vel ratione quam terminus : unde ipse terminus ab influxu causæ determinationem accipit ; ideo enim terminus productus talis est, quia causa tali modo seu tali influxu in illum influit. Sicut enim causa non determinatur ab effectu, sed contra : ita etiam actio et productio, qua causa producit vel conservat, non determinatur ab effectu, quia hic natura posterior est, sed effectui determinationem tribuit.

*Confirmatur* 1. Quia iste concursus generalis non magis identificatur rei quando illa conservatur, quam cum producitur concurrente causa creata : atqui cum producitur concurrente causa creata, concursus generalis non identificatur illi adæquate, sed solum inadæquate, sicut gradus entis vel substantiæ identificatur speciei infimæ, vel sicut concursus potentiæ intellectivæ identificatur visioni beatificæ : quæ identitas non sufficit ut ille concursus dicatur determinatus ad conservationem talis rei. Sicut enim gradus entis vel substantiæ secundum se non est satis determinatus ad constitutionem hominis, nisi adjungatur illi gradus inferior, qui ex se sit determinatus ad speciem humanam ; ita etiam concursus ex se indeterminatus non sufficit ad rei determinatæ conservationem, nisi adjungatur illi concursus ex se determinatus. Quod etiam patet exemplo concursus intellectus in visione beatifica : cessante enim influxu luminis gloriæ, non potest visio beata conservari ab influxu intellectus.

*Confirmatur* 2. Quia alioquin res non egebit adæquato influxu ad sui conservationem, sed solum inadæquato, nempe secundum rationem entis, non autem secundum rationem talis entis, v. g. leonis ; ac proinde res creatæ, quatenus sunt hujus vel illius speciei, non egebunt propria conservatione ; quod videtur absurdum. Cur enim magis egeant propria conservatione secundum gradum genericum, quam secundum gradum specificum ? Vel si secundum gradum specificum non egent propria conservatione, cur secundum gradum genericum egent ? Si ita sunt solidæ ut non egeant influxu Dei determinato, cur egent indeterminato ?

*Confirmatur* 3. Conservatio Dei qua per se conservat res creatas, est vera actio, ut omnes Doctores fatentur : omnis autem actio habet aliquem terminum intrinsecum sibi adæquatum. Nunc peto quis sit terminus intrinsecus adæquatus hujus actionis ? Non enim ipsa res tota secundum suam speciem dici potest terminus adæquatus hujus actionis ; quia hæc adæquatur non influxui generali, qui est veluti partialis, sed toti influxui qui coalescit ex generali et speciali, per quem adæquate producitur ; ac proinde

manifestum est eam non esse terminum adæquatum concursus generalis per se sumpti. Imo ex terminis perspicuum videtur, rem particularem, qua talis est, non posse esse terminum intrinsecum adæquatum concursus indeterminati. Terminus ergo adæquatus concursus generalis erit aliqua ratio generalis reperta in re, ut ratio entis vel substantiæ quæ per se primo tali concursui respondeat; nihil enim aliud fingi potest. Quo posito manifeste sequitur, res, quatenus sunt inter se distinctæ secundum suas proprias species, non egere concursu conservativo Dei, sed solum secundum rationem communem entis in qua conveniunt; quod absurdum est: sic enim distinctio rerum non penderet a Deo post primum instans creationis nisi per accidens, ut supra ostensum. Deinde implicat contradictionem, dari aliquam actionem singularem, cujus terminus adæquatus intrinsecus non sit aliquid determinatum. Unde etiam implicat, dari aliquam actionem totalem, quæ pro termino intrinseco adæquato habeat rationem aliquam indeterminatam, v. g. rationem entis, et non talis entis; rationem animalis, et non talis speciei animalis. Unde ulterius implicat, dari concursum seu influxum generalem sine speciali: quod etiam expresse docet Molina in Concordia q. 14. a. 13. disput. 6. et 31. §. *Ad primum*; ergo.

28. Ex his duabus rationibus perspicuum videtur, hanc sententiam duplicem vel triplicem involvere implicantiam: 1°. Quatenus tribuit rebus vim seipsas directe conservandi: 2°. Quatenus ponit, concursum generalem posse existere sine concursu speciali, a quo determinatur ad hanc speciem rei: 3°. Quatenus statuit res posse conservari in sua distinctione et determinata natura, per influxum secundum se indeterminatum.

29. III. Tertia ratio principalis sumi potest ex aliis rebus, quæ assidue a causis creatis dependent, ut sunt lumen, et objectorum imagines in aere, et actus vitales. Ac primum S. Thomas et passim Doctores tradunt, totum universum ita pendere a Deo, sicut lumen aeris pendet a sole; neque melior comparatio in rebus inveniri potest. Etsi enim mundus videatur res solida quæ per se stare possit, tamen respectu Dei non plus habet firmitatis, quam lumen et imagines objectorum, ut supra ostensum est: atqui lumen ita pendet a sole, ut semper opus sit æque potenti ac determinato influxu; adeo ut non possit minore influxu conservari, quam primo productum sit; ergo pari modo nec mundus minore influxu Dei conservari poterit, quam sit is quo primo creatus est.

*Confirmatur*: Quia sicut lumen nihil est aliud quam aerem assidue illuminari; ita res creata nihil est aliud quam assidua creatio et productio in facto esse, ut ostensum est. Unde recte Scotus in 2. d. 2. q. 2. ait, *quamlibet essentiam creatam nihil esse aliud, quam dependentiam sui a Deo.* Omnis enim actio seu productio identificatur suo termino intrinseco, cum nihil sit aliud, quam ipsa res considerata ut est in fieri, seu ut emanat a sua causa efficiente; et ipsa res nihil est aliud quam productio considerata in facto esse: unde falluntur qui imaginantur creaturam esse quid solidum realiter ab influxu Dei distinctum, quod permanere possit, Dei influxu in totum vel ex parte subtracto. Non sic concipienda est respectu Dei, sed ut terminus intrinsecus actionis divinæ; sicut lumen ut terminus intrinsecus

actionis solis. Impossibile autem est, quando res non solum in fieri, sed etiam in conservari a sua causa pendet, terminum intrinsecum actionis permanere, ipsa actione in totum vel ex parte subtracta.

30. Denique, ut alias rationes omittam, per se parum probabile videtur, Deum statim post primum instans creationis minuere suum influxum, et dare solum dimidium, vel alium longe minorem quam ante. Cur enim non poterit idem dici de sole, quando conservat lumen productum; et de objectis, quando in aere diffundunt species seu imagines suas; et de potentiis, quando producunt actus vitales? Nimirum hæc omnia post primum instans quo produxerunt suos effectus, minorem influxum præbere quo illos conservent; quia facilius est productum conservare, quam primo producere. Hoc si de his absurde diceretur, quomodo non absurdum est id asserere de dependentia creatarum rerum a Deo? Deinde, posita illa sententia, quid fieret si Deus continuaret ipsam actionem creativam? Quis esset effectus hujus continuationis? Si enim conservatio fit per solum influxum generalem, quid fiet si Deus continuet influxum specialem? An forte non potest continuare? Quis hoc dicat? an idem sæpius creabitur? Denique nihil videtur posse convenienter dici, nisi rem per talem continuationem influxus conservari in eodem esse quod ab initio accepit, sicut vidimus fieri in lumine.

31. *Dico II.* Quod attinet ad ea quæ non a solo Deo, sed simul cum causa creata intime in rei entitatem influente producuntur, ea si manent cessante influxu causæ creatæ, a solo Deo conservantur determinato et integro influxu, qualis necessarius fuisset, si ipse solus illam produxisset.

Hæc propositio iisdem rationibus probatur quibus præcedens : non enim minus res illæ egent determinato influxu Dei ad sui conservationem quando productæ sunt a causa creata, quam quando a solo Deo, ut per se manifestum est : atqui cum a solo Deo productæ sunt, egent influxu determinato ad sui conservationem, nec ullo modo sufficit influxus generalis, ut ostensum est; ergo etiam egent influxu determinato quando productæ sunt a causis creatis, nec ullo modo sufficit influxus generalis.

Confirmatur : Quia res dum producuntur, egent influxu pleno, determinato et adæquato; ergo etiam dum conservantur. Ergo simul atque cessat influxus determinatus causæ creatæ, necesse est illum a Deo suppleri alio influxu determinato, quo res in sua natura determinata conservetur : nulla enim res seipsam directe conservare potest, sicut nec seipsam producere, ut satis ante demonstratum est.

32. Contra hanc sententiam objiciuntur aliqua argumenta :

1°. Quod per illam videatur everti tota Philosophia. Si enim ex eo quod videmus res aliquas, cessante causa secunda, statim perire, ut lumen et actus vitales; alias non statim sed sensim perire, ut calorem et frigus; alias diu, alias semper permanere : si, inquam, non possumus hinc colligere, res illas quæ manent habere vim intrinsecam se conservandi majorem vel minorem pro cujusque conditione; quæ autem statim pereunt non habere vim ullam; sed ideo illæ permanent, quod Deus illas proprio influxu conservet,

hæc non permanent, quod Deus eas, cessante causa secunda, non conservet : sequitur, nulla experientia effectuum posse colligi vim et conditionem causæ creatæ, v. g. ignem esse calidum et habere vim calefaciendi intrinsecam, aquam frigidam, ceram mollem, ferrum durum : poterimus enim dicere, non ignem urere vi intrinseca, sed Deum ad præsentiam ignis, non ad præsentiam aquæ; ceram recipere impressionem, non quia in se mollis, sed quia Deus concurrit ; ferrum non recipere, non quia in se habet duritiem, sed quia Deus non concurrit.

Respondeo : nullo modo id sequi, sicut e contrario non sequitur. Ex effectibus causarum secundarum colligimus eas habere vires intrinsecas ad eos producendos; ergo ex earum duratione qua durant, cessante causa illarum secunda, colligimus eas habere vires intrinsecas ad se directe conservandas. Nullus unquam Philosophorum vel Theologorum talem collectionem fecit; nullam enim speciem probabilitatis habet hæc collectio. Ex eo quod sol illuminat aerem, recte colligimus illum habere vim intrinsecam illuminandi, et non solum Deum esse causam luminis ad præsentiam solis; ergo ex eo quod sol permanet post sui creationem, oportet colligere solem habere vim intrinsecam se conservandi, et non solum Deum illum conservare. Item, si solus Deus est causa conservationis solis, ita ut sol non sit causa conservationis sui, nec ad eam concurrat; ergo necessario fatendum est quod similiter solus Deus sit causa illuminationis ad præsentiam solis, et sol non habeat intrinsecam vim illuminandi. Idem modus argumentandi applicari potest igni, aquæ, calori, frigori, et omnibus causis creatis. Hoc argumento maxime nititur sententia adversa. Optime colligimus ex effectis vires intrinsecas rebus, et conditionem eorum nativam et intrinsecam; quia vel sensu eas vires percipimus, vel apertis indiciis quæ sub sensum cadunt deprehendimus : dicere autem, sensus nostros in omnibus falli, est tollere omnem veram notitiam ab homine, et totam rerum naturam facere merum præstigium, in quo nihil quod videtur inesse revera inest. His accedit, omnibus notum esse, nihil repugnare quin aliquid possit agere in aliud, et effectum a se distinctum producere. Unde nulla subest ratio negandi vires intrinsecas, et veram causalitatem rerum creatarum. Ex rerum autem majore vel minore permanentia, nemo collegit unquam, rem ullam habere vim aliquam directe se conservandi; quia nullo sensu vim illam deprehendere, nec ullis indiciis illam colligere possumus. Nam sicut nulla res potest habere vim qua cooperetur ad sui productionem, ita neque potest habere vim qua cooperetur ad sui conservationem, nisi indirecte, ut supra ostensum est. Porro comparatio qua nititur hoc argumentum, requirit veram vim se conservandi effective intimo influxu in suum esse, ut supra ostensum est; hæc enim sola potest concurrere cum concursu generali, et supplere vicem causæ creatæ cessantis.

2°. Si res ipsæ non habent vires intrinsecas quibus se conservent in esse, tota duratio rerum erit referenda in solam voluntatem divinam, non in rerum nativam conditionem, nec poterit alia ratio reddi, cur lumen, subtracta causa secunda, statim pereat, calor non statim pereat, nisi quia Deus vult conservare calorem, non lumen. Idem dicendum erit de anima hominis et bruti.

Respondeo, nullo modo id sequi ; quia etsi in ipsis rebus nulla sit vis qua

seipsas conservent, tamen inest ipsis aliqua ratio cur postulent conservari a Deo brevius, vel longius, vel etiam semper; et ita non est recurrendum ad meram Dei voluntatem. Quæcumque enim talis sunt naturæ, ut etiamsi pendeant a causa creata in fieri, non tamen pendent ab ea in conservari; ea natura sua postulant conservari a Deo, ut sunt omnes formæ tum substantiales, tum accidentariæ, quæ permanent cessante influxu causæ secundæ; alioquin frustra fierent in mundo; nam statim deberent perire. Quæ vero natura sua pendent non solum in fieri, sed etiam in conservari a sua causa effectrice, ea non postulant conservari cessante causa illa. Has duas regulas tradit Suarez in Metaphys. disp. 21. Itaque Deus conservat calorem, non lumen; quia nativa conditio caloris postulat, ut possit durare, amota causa propria; luminis autem conditio id non postulat. Cujus ratio est quia calor est solida qualitas ejusdem rationis in agente et in passo; lumen solum est imago alterius qualitatis, nempe lucis præsentis, sicut et species objectorum; unde semper pendet a præsentia suæ causæ, sicut species quibus aer pingitur, a præsentia colorum. Simili modo actus vitales, cum natura sua postulent procedere continuo a suo principio, et in illo recipi, non postulant conservari illo cessante, sed statim pereunt. Hinc patet cur sit miraculum, si Deus per se conservet lumen solis in aere absente sole; non autem sit miraculum, quod conservet calorem ab eodem sole in aere productum. Vide S. Thomam 1. p. q. 104. a. 1.

*Dices* : Si Deus conservet calorem influxu determinato, subducta causa producente; ergo calor debet semper durare: si enim causa producens, nempe ignis, semper adesset, semper illum conservaret. Ergo cum Deus vicem illius in conservando subeat, debebit semper conservare.

Respondeo, concedendo totum, nisi aliqua causa interveniat, quæ postulet eum non conservari. Quod enim Deus conservat, semper conservat, nec unquam illi influxum suum subtrahit, nisi aliqua alia causa creata id postulet. Unde non conservat res quantum potest, sicut ignis et sol; sed quantum conditio rerum postulat, ut fiat actio et passio. Hinc fit ut calori sensim subtrahat suum influxum, vi interna subjecti vel externa causa frigus producente. Sicut enim ex parte causæ efficientis requiritur concursus Dei ut possint res creatæ agere; ita ex parte patientis requiritur ut subtrahat influxum suum qualitati inexistenti, ut contraria qualitas possit imprimi. Quod ad animam bruti et hominis attinet, ideo illa separata, non hæc perit; quia illius esse pendet a corpore et corporis dispositionibus, cum nullam operationem nisi corporalem habeat; unde non postulat conservari, sed universali lege debet perire, et influxus conservativus ei subtrahi. (Hinc tamen nulla specie rationis sequitur, quod ipsa res suum postulet interitum, vel substractionem influxus conservativi.) Hujus vero esse non pendet a corpore, cum habeat functionem spiritalem, utpote res spiritalis per se subsistens, non immersa corpori nec a corpore pendens, ac proinde incorruptibilis. Id insinuant Patres cum dicunt animam esse immortalem, quia est imago Dei, et capax divinitatis per cognitionem et amorem. Denique omnis natura simplex per se subsistens naturaliter est incorruptibilis, sive sit corporea, sive incorporea. Cum enim sit simplex, non potest dissolvi per impressionem qualitatis corruptivæ, sicut corpora mixta composita ex materia et forma. Et cum per se subsistat, non potest pendere a re aliqua corruptibili. Sic ma-

teria prima, et elementa (sive hæc ipsa, ut multi volunt, sunt prima mixtorum materia), et cœli, item angeli, et animæ rationales sunt incorruptibiles, et postulant perpetuam conservationem.

3°. : Cuique rei inest naturalis appetitus ad sui conservationem, et ad resistendum contrariis, ut passim Philosophi docent : atqui omnis appetitus sequitur aliquam potentiam circa rem quam appetit ; ergo appetitus se conservandi supponit potentiam se conservandi.

Respondeo, majorem et minorem esse falsam. Major quidem, quia etsi omnibus rebus, præsertim substantiis, insit appetitus conservandi se in suo statu naturali, ac proinde habeant ad hæc aliquam potentiam activam, vel quasi activam, sicut est vis resistendi ; non tamen omnibus inest appetitus se conservandi in suo esse seu entitate actuali (hæc enim duo multum differunt), neque resistendi contrariis, cum multæ contrario careant, ut angeli, cœli, materia ; unde nec potentiam ad hæc habent. Etsi enim ista habeant appetitum ut semper sint, non tamen ut se conservent in esse, sed ut conserventur a causa a qua dependent, nempe a Deo, quam non possunt ullo modo directe vel indirecte juvare, sicut res corruptibiles, quæ saltem indirecte juvant ad sui conservationem. Hinc patet etiam minorem falsam esse : appetitus enim qui est in rebus incorruptibilibus ut semper sint, non sequitur potentiam conservandi quæ in ipsis sit, sed eam quæ est in Deo, a cujus influxu pendent assidue ; qui influxus lege naturæ est perpetuus et necessarius, eo quod ista neque contrarium habeant, neque ab ullo contrarium habente pendeant.

4°. : Facilius est aliquid conservare quam producere : atqui hoc non potest aliunde provenire, quam quod res producta seipsam ex parte conservet, et causæ producenti dimidium laborem relinquat ; ergo etc.

Respondeo : Si loquamur de conservatione directa per internum influxum, antecedens est manifeste falsum, ut patet in productione luminis, et omnium eorum quæ per se non solum in fieri, sed etiam in conservari a sua causa productiva pendent, ut sunt omnes res creatæ quæ a solo Deo conservantur ; hæc enim pendent a Deo multo magis quam lumen a sole. Unde non est facilius eas conservare in esse, quam primum producere, ut aperte docent sancti Patres. Si vero loquamur de conservatione indirecta, quæ fit amovendo corrumpentia, vel applicando juvantia ; sic facilius est conservare quam producere ; facile enim homo equum vel ovem conservat, quæ tamen nullo modo ipse potest producere. Sed talis modus conservandi nihil ad rem facit, neque potest supplere defectum influxus interni causæ a qua essentialiter secundum suam speciem et naturam individuam pendent.

5°. : Si Deus influxu determinato res conservat cessante causa secunda, ergo etiam in anima conservat hoc modo habitus vitiorum, etiam odii in Deum, quod videtur absurdum ; quia per se non posset istos habitus producere, ergo nec per se conservare.

Respondeo, concedendo quod infertur. Neque id magis est absurdum, quam quod concurrat ad actus ipsos peccatorum concursu generali : sicut enim ad munus auctoris naturæ pertinet cooperari suo influxu etiam ad actus peccatorum, ut homini constet plena libertas ; ita ad ejusdem munus pertinet conservare effectus productos, etiam noxios, quando illi a sua causa propria in conservari effective non pendent. Neque id absurdum videri

debet, quia isti habitus sunt reales qualitates naturaliter productæ ab actibus, non quatenus actus sunt peccata (sic enim solum producunt quid morale remanens in anima, quod vocamus peccatum, vel culpam habitualem) ; sed quatenus sunt actus vitales animæ, et vere qualitates vitales. Nec obstat quod non deceat Deum tales habitus per se in anima producere; quia illorum conditio naturalis postulat produci ab actibus ; nec ulla est ratio, cur Deus illos per se producat cum naturæ rationali sint noxii, et ad malum illam inclinent: posset tamen producere, si potentiam spectemus. Subest tamen justa ratio cur deceat ipsum per se conservare habitum pravum ab actibus malis productum : quod etiam fateri debent illi qui ad hanc conservationem non requirunt influxum determinatum, sed solum generalem.

33. Ex his perspicuum videtur: 1°. Secundum veram Philosophiam et Theologiam tenendum esse, mundum non minore influxu a Deo conservari in esse, quam quo primum conditus est, sed prorsus eodem. 2°. Res eas quæ a causis secundis productæ ab illis non conservantur effective, a solo Deo conservari influxu determinato et adæquato adeo potenti, ut Deus per illum rem produceret, si ea non existeret. 3°. Nullam rem quæ a solo Deo effective conservatur, posse perire, nisi ipso libere influxum suum subtrahente; quod lege ordinaria nunquam facit, nisi res contrarium habeat, vel pendeat ab eo quod contrarium habet. 4°. Nullam rem habere vim se conservandi directe, ita ut ratione istius conservationis non egeat determinato influxu Dei ; hoc enim implicat contradictionem. (De Perfectionibus divinis, L. 10. c. 4.)

O. A. M. D. G.

# CONSPECTUS TOMI SECUNDI

## PARS PRIOR.

# TRACTATUS DE DEO UNO ET TRINO.

## DISPUTATIO I.

### DE EXISTENTIA, ESSENTIA ET ATTRIBUTIS DIVINIS.

### CAPUT I. — DE DEI EXISTENTIA.


Pag.

ARTIC. I. — *An Deum existere possit invincibiliter ignorari?* . . . . . 1

I. — Non datur ignorantia Dei positiva invincibilis . . . . . 1

II. — Nec negativa datur, saltem per longum tempus. . . . . 2

ARTIC. II. — *An Deum existere sit per se notum?* . . . . . 5

Deum existere non est per se, seu immediate ac sine ullo medio naturaliter manifestum . . . . . 5

ARTIC. III. — *An Deum existere possit demonstrari?* . . . . . 10

Potest per se loquendo demonstrari a posteriori seu per creaturas. . . 10

ARTIC. IV. — *Quibus argumentis demonstretur Deum existere?* . . . . 13

I. — Inter argumenta Metaphysica primum est existentia entis necessarii; secundum est existentia entis improducti . . . . . 13

II. — Inter argumenta Physica primum est ex hoc mundo visibili; secundum est ex homine ipso . . . . . 16

III. — Inter argumenta Moralia primum est a principio moralitatis desumptum; secundum depromptum est ex principio prudentiæ . . . . . 17

ARTIC. V. — *An Deus sit unus?* . . . . . 20

Deus est unus seu unicus . . . . . 20

QUÆRES: *Quibus argumentis Polytheismus gentilium expugnetur?* . 23

I. — Multiplex argumentum contra Polytheismum habetur ex ipsa ratione . 23

II. — Aliunde etiam multiplex argumentum contra Polytheismum colligi potest, nempe ex miraculis etc. . . . . 24


### CAPUT II. — DE ESSENTIA DEI.


ARTIC. I. — *An Deus sit ens corporeum?* . . . . . 27

Deus purus est Spiritus, omnis corporis expers . . . . . 27

QUÆRES: *Quidnam sit sentiendum de quorumdam Veterum circa hanc materiam opinione?* . . . . . 30

I. — Melito Sardensis probabilius videtur ab errore Anthropomorphitarum immunis. . . . . 30

Pag.

II. — Tertullianus, si doctrina ipsius ac sensus unice ac rite attendatur, jure etiam excusari potest ab errore Anthropomorphitarum . . . . . 31
III. — Audius contendebat quidem tenacius, hominem ratione corporis ad Dei imaginem fuisse factum, Deum tamen Anthropomorphon non admisit. 33
IV. — S. Epiphanius nulla ratione Anthropomorphitis est annumerandus. . . 33

ARTIC. II. — *An Deus in sua entitate complectatur omnes perfectiones?* . . 34

I. — Deus aliquo modo in sua entitate continet omnes omnino perfectiones . 34
II. — Deus perfectiones mixtas continet tantum eminenter, simpliciter simplices formaliter . . . . . 34

ARTIC. III. — *Quænam perfectiones constituant essentiam Dei physicam?* . 35

I. — Essentia Dei physica philosophice sumpta stat in cumulo omnium perfectionum necessariarum tam absolutarum, quam relativarum . . . 36
II. — Theologice accepta stat in cumulo unarum perfectionum absolutarum . 36

ARTIC. IV. — *Quænam perfectio constituat essentiam Dei metaphysicam?* . 38

Essentia Dei metaphysica consistit in ente a se, sive aseitas est differentia Dei specifica . . . . . 38

CAPUT III. — DE ATTRIBUTIS DIVINIS.

ARTIC. I. *An Deus sit immutabilis?* . . . . . 41

Deus est omnino immutabilis. . . . . 41

ARTIC. II. — *An Deus sit æternus?* . . . . . 45

Deus est æternus æternitate etiam stricte dicta . . . . . 46

ARTIC. III. — *An Deus sit immensus?* . . . . . 50

Deus etiam ratione substantiæ suæ est rebus omnibus præsens ac immensus. . . . . 50

ARTIC. IV. — *An Deus sit omnipotens?* . . . . . 54

I. — Deus habet infinitam potentiam ad extra. . . . . 55
II. — Deus est omnipotens . . . . . 56
III. — Deus absolute potest plura et majora iis quæ fecit, aut facere jam vult. 56

QUÆRES: *An et qualis in Deo detur distinctio et compositio?* . . . 63

Deus est simplicissimus spiritus, uti omnis compositionis, ita et distinctionis realis expers, sive prædicata divina absoluta inter se, sive ad essentiam divinam referantur. . . . . 64

# DISPUTATIO II.

## DE INVISIBILITATE ET VISIBILITATE DEI.

CAPUT I. — DE INVISIBILITATE DEI.

ARTIC. I. *An Deus possit intuitive videri oculis corporeis?* . . . . . 67

Deus oculis corporeis nec visus est unquam, nec videri potest . . . . 67

ARTIC. II. *An Deus intuitive videri possit ab intellectu creato per solas naturæ vires?* . . . . . 70

Deus de facto intuitive videri nequit ab intellectu creato per solas naturæ vires . . . . . 71

Pag.

ARTIC. III. — *An Deus ab intellectu creato possit comprehendi?* . . . . 73

Deus ab intellectu creato, lumine gloriæ quantumvis adjuto, comprehendi non potest . . . . . 73

CAPUT II. — DE VISIBILITATE DEI.

ARTIC. I. — *An Deus videri possit ab intellectu creato supernaturaliter adjuto?* . . . . . 77

Deus intuitive videri potest, et a beatis videbitur . . . . . 78

QUÆRES : *An S. Chrysostomus ac Theodoretus rejecto de visione Dei intuitiva Græcorum et Armenorum errori præluserint?* . . . . . 82

I. — S. Chrysostomus nunquam negavit, Deum intuitive videri posse ab intellectu creato elevato . . . . . 82

II. — Nec Theodoretus negavit . . . . . 84

ARTIC. II. — *An hominum quispiam in hac mortali vita mentis oculis intuitive viderit Deum?* . . . . . 86

Probabilius nemo hominum in vita mortali degens vel ad breve tempus mentis oculis intuitive vidit Deum . . . . . 86

# DISPUTATIO III.

## DE INTELLECTU ET SCIENTIA DEI.

### CAPUT I. — DE INTELLECTU DIVINO, EJUSQUE OBJECTO.

ARTIC. I. — *Quodnam sit objectum cognitionis divinæ?* . . . . . 91

I. — Quidquid est cognoscibile, est objectum cognitionis divinæ . . . . . 91

II. — Res etiam vilissimæ, cogitationes item et secreta cordis, ac peccata quæcumque . . . . . 92

ARTIC. II. *An et in quo Deus cognoscat seipsum?* . . . . . 92

Deus seipsum perfectissime cognoscit atque comprehendit, tam in se ipso, quam in creaturis . . . . . 94

ARTIC. III. — *An et in quo Deus cognoscat res omnes possibiles?* . . . . 96

I. — Deus omnes creaturas possibiles distincte cognoscit. . . . . 96

II. — Ex supposito quod Deus essentialiter connectatur cum possibilibus, Deus illa cognoscit in seipso ; et quidem tot titulis, quot essentialiter cum illis connectitur . . . . . 96

III. — Deus etiam immediate cognoscit possibilia in se. . . . . 96

ARTIC. IV. — *An et in quo Deus cognoscat contingentia absolute futura?* . 100

I. — Deus omnia contingentia absolute futura certissime ac infallibiliter jam ab æterno cognoscit . . . . . 100

II. — Deus contingentia absolute futura non videt in decretis ad unam partem antecedenter determinatis . . . . . 101

III. — Deus futura ejusmodi videt immediate in *seipsis*, h. e. in veritate eorum objectiva et actuali existentia in secutura temporis differentia . . . 101

ARTIC. V. — *An et in quo Deus cognoscat contingentia conditionate futura?* 107

I. — Deus contingentia conditionate futura certo et infallibiliter cognoscit. . 108

Pag.

II. — Deus hæc futura non cognoscit in decretis subjective absolutis et objective conditionatis. . . . . 113

III. — Deus futura hæc cognoscit immediate in seipsis ante et independenter ab omni decreto actuali. . . . . 116

## CAPUT II. — DE SCIENTIA DIVINA.

ARTIC. I. — *An et quotuplex in Deo sit scientia?* . . . . . 119

I. — Vere datur in Deo scientia, eaque proprii nominis, et perfectissima. . 119

II. — Scientia divina dividitur 1°. in naturalem seu simpliciter necessariam: et in contingentem; 2°. in scientiam simplicis intelligentiæ : et in scientiam visionis etc. . . . . 120

III. — Nec prima nec secunda divisio scientiæ est adæquata, sed inter membra utriusque divisionis datur alia adhuc scientia, quæ recte dicitur media. 121

ARTIC. II. — *An detur in Deo scientia media directa?* . . . . . 124

Datur in Deo scientia media directa, sive Deus certo cognoscit salutaria voluntati creatæ libera conditionate futura in seipsis, et non in decreto prædeterminante vel condeterminante, aut dandi gratiam per se efficacem . . . . . 125

QUÆRES : *An in Deo etiam detur scientia media reflexa?* . . . . . 142

I. — Deus sua decreta libera, quæ nunc non habet, sed sub alia conditione quacumque haberet, cognoscit per scientiam mediam reflexam, et sic ante seu independenter a decreto actuali . . . . . 142

II — Deus sua decreta libera, quæ de facto habet, cognoscit etiam per scientiam mediam reflexam : adeoque hæc datur etiam circa scientiam mediam directam actualem. . . . . 143

III. — Videtur esse probabilius quod, supposita in Deo scientia media directa et reflexa, Deus prius cognoscat sua decreta absoluta ut ponenda, quam ut actu posita. . . . . 143

ARTIC. III. — *Quemnam usum in Deo habet scientia media?* . . . . . 144

I. — Scientia media est necessaria ad decreta divina absoluta provide et sapienter formanda . . . . . 145

II. — Est necessaria ad conciliandam libertatem cum efficacia gratiæ et certitudine decretorum Dei, sive prædefinientis sive prædestinantis . . . 145

III. — Necessaria est ad declarandum specialem favorem et beneficium Dei, dantis gratias efficaces et negantis inefficaces prædestinatis . . . . 146

IV. — Scientia media præcedens decretum Dei, dantis gratiam inefficacem aut negantis gratiam efficacem, non arguit aut facit Deum esse maleficum . . . . . 147

ARTIC. IV. — *Quænam scientia Dei sit causa rerum?* . . . . . 150

Scientia divina visionis de effectu nobis libero non est causa sive directiva sive effectiva ejusdem effectus . . . . . 151

# DISPUTATIO IV.

## DE VOLUNTATE ET PROVIDENTIA DEI.

### CAPUT I. — DE VOLUNTATE DIVINA EJUSQUE OBJECTO AC PERFECTIONE.

Pag.

ARTIC. I. — *An voluntas in Deo detur et quotuplex?* . . . . . 159

I. — Datur in Deo voluntas seu facultas volendi proprie talis, actus volendi prosecutivus et aversativus. . . . . 159

II. — Quatuor sunt voluntatis divinæ divisiones, quarum inter Theologos mentio habetur frequentissima . . . . . 160

ARTIC. II. — *An in Deo detur voluntas libera?* . . . . . 164

In Deo datur circa opera ad extra non mala, voluntas libera libertate indifferentiæ . . . . . 164

QUÆRES : *In quonam consistat libertas Dei?* . . . . . 171

Libertas Dei consistit in entitate volitionis divinæ pro nutu suo respicientis et connotantis objectum contingens : adeoque subjectum hujus libertatis est unicus, simplex, necessarius et immutabilis actus divinæ voluntatis ; terminus est aliquid extra Deum ; exercitium est activus respectus, habitudo vel relatio illius ad hunc. . . . . 171

### CAPUT II. — DE PROVIDENTIA DEI GENERATIM.

ARTIC. I. — *An detur in Deo providentia naturalis?* . . . . . 175

I. — Res humanæ non subjacent fato. . . . . 176

II. — Non eveniunt casu fortuito, sed a Deo moderatore diriguntur. . . . 176

III. — Deus rerum omnium et singularum, etiam vilissimarum habet curam et providentiam . . . . . 177

ARTIC. II. — *An in Deo detur providentia supernaturalis?* . . . . . 181

I. — Deus voluntate antecedente, vera et propria, sincera ac seria vult salvos fieri non tantum prædestinatos, sed etiam alios quosdam . . . . . 183

II. — Deus eadem voluntate vult omnes homines, nullo excepto, salvos fieri . 184

ARTIC. III. — *An eadem providentia supernaturalis pertineat ad infantes sine baptismo morientes?* . . . . . 195

I. — Deus voluntate vera antecedente vult salutem etiam infantium omnium. 196

II. — Deus etiam antecedente voluntate vult infantibus omnibus applicari baptismum, seu de mediis proxime vel remote sufficientibus providit, queis infantibus queat applicari baptismus . . . . . 197

III. — Voluntas Dei salvandi parvulos et iis applicandi baptismum minus recte dicitur dependere tantum a causis naturalibus et necessariis. . . . 198

IV. — Probabiliter dici potest, quod Deus parvulis serio intendat salutem et applicationem baptismi, dependenter a causis liberis seu voluntate aliena, maxime parentum, eorumque ad quos pertinet parvulorum cura, ut præsertim per orationem illorum saluti consulant . . . . 199

ARTIC. IV. — *An et qualis in providentia Dei supernaturali detur prædefinitio actuum bonorum creatorum?* . . . . . 205

Videtur probabilius, actus bonos esse formaliter prædefinitos . . . . 206

## CAPUT III. — DE PROVIDENTIA DEI CIRCA ELECTOS.

Pag.

ARTIC. I. — *An vera ex parte Dei detur prædestinatio?* . . . . . 213

I. — Datur vera prædestinatio, eaque non dignitatis tantum, sed et temporis præeminentiam denotans . . . . . 213
II. — Datur singularis Dei providentia et dilectio circa prædestinatos omnes . 214
III. — Soli prædestinati consequuntur vitam æternam. . . . . 214

ARTIC. I. — *An et quomodo prædestinatio sit certa?* . . . . . 217

I. — Prædestinatio secundum se certa est, et immutabilis; non imponit tamen prædestinatis necessitatem . . . . . 217
II. — Prædestinatio non est certa quoad nos; seu nemo sine peculiari revelatione potest esse certus de sua prædestinatione . . . . . 218

ARTIC. III. — *An ex parte prædestinati detur causa prædestinationis ad gloriam?* . . . . . 224

Datur, seu in præsenti providentia efficax et absoluta ad gloriam ut coronam prædestinatio hominum a Deo est post prævisa gratiæ merita absolute futura . . . . . 224

QUÆRES: *Quænam fuerit sententia S. Augustini de prædestinatione ad gloriam?* . . . . . 243

I. — S. Aug. neque directe et ex professo, neque indirecte et propter connexionem doctrinæ asseruit gratuitam prædestinationem inadæquate sumptam et præcise ad gloriam . . . . . 243
II. — S. Aug. non obscure favet prædestinationi ad gloriam ex meritis gratiæ . . . . . 249
III. — Etsi S. Aug. prædestinationi ex meritis prævisis foret reipsa contrarius, non ideo tamen sententiam pr. Art. stabilitam deserere necessum foret . . . . . 252

ARTIC. IV. — *Quinam sint effectus prædestinationis?* . . . . . 254

I. — Efficax vocatio et justificatio electorum, eorumque glorificatio sunt effectus prædestinationis adæquate sumptæ. . . . . 254
II. — Simili modo pleraque bona naturalia numerari possunt inter effectus prædestinationis . . . . . 255
III. — Mala quidem physica et moralia pœnæ effectus prædestinationis dici possunt, non item vero peccatum, nec peccati permissio . . . . . 255

## CAPUT IV. — DE PROVIDENTIA DEI CIRCA REPROBOS.

ARTIC. I. — *An et post quod peccatum fiat reprobatio positiva a gloria?* . 256

I. — Deus ante prævisum quodcumque peccatum neminem positive reprobavit, nec etiam positive exclusit a gloria, velut a beneficio indebito . 257
II. — Deus post prævisum peccatum originale, ut ab hominibus præcise contractum, non statim propter illud solum et in eodem rationis signo positive reprobavit, aut absolute exclusit ullum a gloria . . . . . 258
III. — Deus positive reprobat, parvulos quidem non baptizatos propter peccatum originale, adultos autem propter peccatum vel originale vel actuale, vel utrumque usque ad mortem durans et perseverans, et sub hac conditione a Deo prævisum . . . . . 259

Pag.
ARTIC. II. — *An admittenda sit negativa reprobatio a gloria?* . . . . . 263
Non est admittenda, sive ea statuatur ante peccatum quodcumque, sive statim post originale peccatum prævisum . . . . . 263

QUÆRES I. — *An detur reprobatio a gratia, et quæ ejus causa?* . . 266
I. — Deus neminem reprobat a gratia sufficiente, multos ab efficaci. . . . 267
II. — Ex parte hominis non datur causa præcedens subtractionis gratiæ primæ efficacis, aut permissionis peccati primi . . . . . 267
III. — Ex parte Dei datur quidem hujus subtractionis et permissionis causa, ea tamen non est ostensio justitiæ divinæ . . . . . 268
IV. — Datur causa subtractionis subsequentium gratiarum et permissionis peccatorum posteriorum, eaque ex parte hominis est peccatum præcedens, ex parte Dei manifestatio justitiæ . . . . . 268

QUÆRES II. — *Quinam sint effectus reprobationis?* . . . . . 269
I. — Peccatum nullum est effectus reprobationis . . . . . 269
II. — Nulla subtractio gratiæ aut permissio peccati est reprobationis effectus . 269
III. — Nec perseverantia in peccato, nec obduratio effectus sunt reprobationis . 269
IV. — Pœna tum damni tum sensus sola alterius vitæ est reprobationis effectus. 270

ARTIC. III. — *An Prædestinatiana hæresis ficta sit et commentitia, an autem vera et realis?* . . . . . 270
I. — Prædestinatianam hæresin primis jam seculis enatam esse, non satis ostenditur; proximis ante Luth. et Calv. seculis extitisse indubitatum est. . . . . 271
II. — An hæresis prædestinatiana extiterit seculo quinto aut nono, inter Auctores adhuc controvertitur . . . . . 271

§. I. — *An ætate S. Augustini emerserit hæresis prædestinatiana?* . . . 272
I. — Non videtur nata esse in Monasterio Adrumetino . . . . . 272
II. — Nec videtur eadem proxime ante aut post mortem S. Aug. erupisse in Gallia . . . . . 273

§. II. — *An posteriore seculi quinti parte extiterit hæresis prædestinatiana?* 275
Lucidus Presb. seculo quinto adhæsit erroribus prædestinatianis : adeoque hæresis prædestinatiana non est omnino conficta ac commentitia. 275

§. III. — *An seculo nono Gotteschalcus hæresin prædestinatianam resuscitarit?* . . . . . 277
Gotteschalcus hæresin prædestinatianam videtur sec. nono resuscitasse . 277

## DISPUTATIO V.

### DE MYSTERIO SS. TRINITATIS.

### CAPUT I. — DE COGNITIONE MYSTERII SANCTISSIMÆ TRINITATIS

ARTIC. I. — *An Mysterium sanctissimæ Trinitatis sit antiquitus revelatum, et a Judæis fuerit cognitum?* . . . . . 287
I. — Trinitatis mysterium antiquitus jam fuit revelatum . . . . . 288
II. — Mysterium Trinitatis a prima Judæorum *classe* aperte, a secunda subobscure, a tertia vel valde imperfecte, vel plane non fuit cognitum. . 289

Pag.

ARTIC. II. — *An Mysterium sanctissimæ Trinitatis christianis antenicænis fuerit cognitum?* . . . . . 291

I. — Patres trium priorum seculorum universim crediderunt et professi sunt mysterium Trinitatis. . . . . 291

II. — Speciatim insigniores priorum seculorum Patres eamdem fidem ac professionem publicis etiam litteris ediderunt. . . . . 292

ARTIC. III. — *Quinam præcipue hæretici circa Mysterium sanctissimæ Trinitatis erraverint?* . . . . . 297

I. — Negata pluralitate unam duntaxat in Deo personam admiserunt seculo primo, Simon Magus; seculo secundo, Æschines et Praxeas; seculo tertio, Noetus; seculo quarto, Photinus. . . . . 298

II. — Qui unitatem divinæ naturæ violarunt, vel Triformes, vel Trithei, vel Tetrathei vocantur, discrepantque inter se tum tempore, tum errore . 299

III. — Inter Personas divinas Filio et Spiritui sancto divinitatem negarunt tum Hæretici omnes, qui unam duntaxat in Deo personam statuerunt; tum Cerinthus, Ebion, aliique, qui Christum pro puro homine, Spiritum sanctum pro efficacia vel quacumque creatura habebant. . . . 300

QUÆRES I. — *An Marcellus Ancyranus, Eusebius Cæsareensis, et Basilius Magnus jure accusentur erroris circa Trinitatis Mysterium?* . . . . . 302

I. — Admodum probabile est, Marcellum Ancyranum integræ fuisse fidei. . 302

II. — Probabilius est, Eusebium Cæsareensem, etiam post Concilium Nicænum, Ariana hæresi infectum fuisse. . . . . 306

III. — Certum videtur, S. Basilium ab errore Pneumatomachorum fuisse immunem . . . . . 310

QUÆRES II. — *An Liberius Papa fuerit lapsus in hæresin Arianam?* 311

I. — Liberius probabiliter nunquam fuit lapsus. . . . . 312

II. — Si cui Sirmiensi formulæ subscripsit Liberius, non subscripsit tertiæ, nec secundæ, sed primæ duntaxat . . . . . 316

III. — Si Liberius est lapsus, nec ut Doctor publicus nec ut privatus defecit in fide, sed in fortitudine duntaxat et œconomia . . . . . 319

QUÆRES III. — *An Patres Concilii Ariminensis Ariana hæresi fuerint fœdati?* . . . . . 324

I. — Formula Ariminensis in sensu naturali et proprio verborum nihil continet hæreseos, sed est Catholica . . . . . 326

II. — Patres formulæ Ariminensi, quantumvis sinistra offerentium intelligentia corruptæ, subscribentes, non errarunt in fide, nec professi sunt Arianismum. . . . . 327

III. — Facto de Ariminensium perfidia supposito falso, nequit dici Ecclesia errasse in fide. . . . . 330

CAPUT II. — DE VERITATE MYSTERII SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

ARTIC. I. — *An in Divinis sint tres Personæ?* . . . . . 337

I. — Dantur in Divinis Pater, Filius seu Verbum, et Spiritus sanctus . . . 337

II. — Pater, Filius seu Verbum, et Spiritus sanctus in Divinis a se invicem distinguuntur. . . . . 338

III. — Pater, Filius seu Verbum, et Spiritus sanctus in Divinis sunt res subsistentes . . . . . 339

Pag.
ARTIC. II. — *An quælibet in Divinis Persona sit verus Deus?* . . . . . 344
I. — Prima in Divinis Persona verus est Deus . . . . . 344
II. — Secunda in Divinis Persona est verus Deus . . . . . 345
III. — Tertia in Divinis Persona est verus Deus . . . . . 347

ARTIC. III. — *An tres in Divinis Personæ sint consubstantiales?* . . . . 357
I. — Pater, Filius et Spiritus sanctus in Divinis sunt vere consubstantiales, et unus idemque Deus, non tantum per figuram, sed per veritatem substantiæ . . . . . 357
II. — Pater, Filius et Spiritus sanctus in Divinis sunt omnino consubstantiales, et unus idemque Deus unitate non tantum specifica et per rationem, sed numerica et a parte rei. . . . . 359

QUÆRES : *An versiculus Joannis de tribus in cœlo testibus, qui unum sunt, sit authenticus?* . . . . . 374
I. — Versum Joannis de tribus in cœlo testibus, qui unum sunt, esse authenticum suadet auctoritas . . . . . 375
II. — Evincit ratio . . . . . 377

# DISPUTATIO VI.

## DE PERSONIS DIVINIS.

### CAPUT I. — DE PERSONIS DIVINIS IN COMMUNI.

ARTIC. I. — *Quænam universim noscenda, tenenda et prædicanda sint de Personis divinis in communi?* . . . . . 381
I. — Occurrentium circa Trinitatem vocabulorum ac terminorum, tum significationem tum usum rite perspicere oportet . . . . . 381
II. — Cautelas nonnullas, in prædicationibus circa Trinitatem adhibendas, subjectæ regulæ complectuntur . . . . . 382
III. — Fidei Scholæque dogmate velut totidem circa Trinitatem axiomata . . 385

QUÆRES : *An distinctio rationis inter essentiam et proprietates congruat cum Mysterio Trinitatis?* . . . . . 388

ARTIC. II. — *Quænam sint principia divinarum processionum?* . . . . 390
I. Principium quo proximum productivum in divinis processionibus sunt solæ proprietates personarum producentium. . . . . 391
II. — Principium quo proximum communicativum in divinis processionibus formaliter est natura divina, quatenus hæc terminos immanentes exigit sibi identificare, et se, omnesque perfectiones absolutas illis communicare . . . . . 392

QUÆRES : *An et cur processio Verbi, non autem Spiritus sancti, sit et dicatur generatio?* . . . . . 396
I. — Processio Verbi est vera generatio, et Verbum in Divinis est verus Filius Dei; processio autem Spiritus sancti non est generatio, nec ipse Filius Dei . . . . . 397
II. — Ratio, cur processio Verbi sit generatio, non item processio Spiritus sancti, stat probabilius in eo quod actio prior sit perfecte assimilitiva termini cum principio, et Verbum secundum esse personale sit simili-

Pag.

tudo perfecta, seu imago Patris; qualis actio et imago non habetur respectu Spiritus sancti . . . . . 399

ARTIC. III. — *Quibusnam proprietatibus constituantur Personæ divinæ?* . 403

I. — Personæ divinæ non constituuntur formaliter per proprietates sub ratione formalitatis absolutæ et secundum esse in, sed sub ratione formalitatis relativæ et secundum esse ad acceptas. . . . . 405

II. — Personæ divinæ formaliter constituuntur per proprietates relativas, prout hæ dicunt relationem, non autem ut originem formalem exprimunt. . . . . 406

QUÆRES: *An præter tres subsistentias relativas detur in Deo subsistentia absoluta, tribus personis communis?* . . . . . 409

Præter subsistentias relativas, non datur in Deo subsistentia absoluta. . 409

CAPUT II. — DE PERSONIS DIVINIS IN PARTICULARI.

ARTIC. I. — *Quænam specialia nomina Personis divinis tribuantur?* . . . 411

I. — Prima Persona proprie dicitur Pater respectu secundæ Personæ; principium, fons, origo aut caput respectu Personarum secundæ ac tertiæ; quin et causa, vel auctor respectu earumdem: Pater autem respectu creaturarum appropriative; fons, origo, radix, aut caput Deitatis tantum improprie. . . . . 411

II. — Secunda Persona proprie dicitur Filius, Verbum, Imago; appropriative Sapientia: ad priorem classem revocari possunt species, figura, forma, speculum, character etc, ad posteriorem via, veritas, vita, virtus, et alia nomina secundæ Personæ in Scripturis nonnunquam attributa. . 412

III. — Tertia Persona dicitur Spiritus sanctus, Amor ac Donum; et quidem proprie, si nomina accipiantur relative; appropriative autem, si absolute accipiantur. Postremi quoque generis sunt, fons vivus, ignis, unctio, digitus Dei, et Paracletus; quæ nomina in Scripturis sacris et libris Ecclesiasticis ubique prostant . . . . . 412

ARTIC. II. — *An et sub qua ratione compellatio Ingeniti conveniat soli Personæ primæ?* . . . . . 414

I. — Ingenitum antonomastice dictum nec est de essentia naturæ divinæ, nec naturæ divinæ congruit . . . . . 415

II. — Patri in Divinis soli Ingenitum antonomastice tale est proprium . . . 415

III. — Ratio Ingeniti convenientis Patri, juxta communem sanctorum Patrum phrasin, formaliter significat meram negationem omnis productionis, fundamentaliter aliquod positivum excludens productionem, quod est paternitas, saltem secundum conceptum inadæquatum. . . . . 416

ARTIC. III. — *Ex quarum rerum cognitione procedat secunda Persona?* . 418

I. — Verbum divinum per se procedit ex cognitione attributorum et trium Personarum . . . . . 419

II. — Idem procedit etiam per se ex cognitione possibilium, per accidens autem concomitanter tantum ex cognitione futurorum tam conditionatorum, quam absolutorum . . . . . 420

ARTIC. IV. — *An tertia in Divinis Persona procedat a Patre et Filio?* . . 422

I. — Spiritus sanctus procedit, non a solo Patre, sed etiam a Filio divino . . 423

Pag.

II. — Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti; cujus contrarium nunquam admisit Ecclesia latina. . . . . 427

QUÆRES: *Quo jure ac tempore particula Filioque addita fuerit symbolo Constantinopolitano?* . . . . . 433

I. — Particula Filioque jure optimo addita fuit symbolo. . . . . 434

II. — Certum est particulam Filioque fuisse additam vel symbolo, vel professioni fidei in Ecclesiis Hispaniarum jam a seculo quinto et deinceps; indeque ad Galliarum et Germaniæ Ecclesias sub finem seculi octavi transiisse: probabile autem est, in Ecclesia Romana hanc additionem esse receptam post medium seculi noni, obtinuisse tandem usum publicum inchoato seculo undecimo . . . . . 437

# TRACTATUS

## DE ANGELIS.

### CAPUT I. — DE EXISTENTIA ET NATURA ANGELORUM.

ARTIC. I. — *An existant angeli?* . . . . . 439
— II. — *A quo, quando, et ubi angeli sint producti* . . . . . 442
— III. — *An sint angeli omnino incorporei.* . . . . . 443

QUÆRES: *Sintne angeli incorruptibiles ac immortales?* . . . . . 447

ARTIC. IV. — *Quis sit numerus, quæ divisio et distinctio angelorum?* . . 449

### CAPUT II. — DE POTENTIIS ANGELORUM.

ARTIC. I. — *De Potentiis ad actus internos.* . . . . . 451
§. 1. — Quænam angeli naturaliter cognoscant . . . . . 451
§. 2. — Quæ sit voluntas ac libertas angelorum. . . . . 454

ARTIC. II. — *De Potentiis ad actus externos* . . . . . 456
§. 1. — An potentiam motricem habeant angeli . . . . . 456
§. 2. — Quænam opera angeli facere possint . . . . . 462
§. 3. — Quid possint angeli in corpora et animas hominum. . . . . 464

### CAPUT III. — DE GRATIA ET MERITO, PECCATO ET POENA ANGELORUM.

ARTIC. I. — *De gratia et merito angelorum* . . . . . 466
— II. — *De peccato angelorum* . . . . . 470
— III. — *De pœna angelorum* . . . . . 472
§. 1. — An pœna reproborum tum angelorum, tum hominum sit verus et corporeus inferni ignis . . . . . 472
§. 2. — An pœnæ inferni sint æternæ . . . . . 476

### CAPUT IV. — DE OFFICIIS ET OPERATIONIBUS ANGELORUM.

ARTIC. I. — *De officiis, seu de custodia sanctorum angelorum?* . . . . 480
— II. — *De operationibus angelorum malorum* . . . . . 480

Pag.
§. 1. — De tentatione diabolica . . . . . 483
§. 2. — De possessione diabolica . . . . . 485
§. 3. — De Energumenis . . . . . 487

# APPENDIX

## DE DEO CREATORE.

Prop. I. — Deus est ratio omnis possibilitatis intrinsecæ et extrinsecæ . . 491
— II. — Deus mundum ex nihilo creavit in tempore . . . . . 495
— III. — Deus omnia positive conservat . . . . . 497
— IV. — Non minor influxus Dei requiritur ad rerum conservationem quam ad earum creationem . . . . . 503

# THEOLOGIA

WIRCEBURGENSIS.

EXCUDEBANT JULIEN, LANIER ET SOCII CENOMANI.

RR. PATRUM SOCIETATIS JESU

# THEOLOGIA

## DOGMATICA

## POLEMICA, SCHOLASTICA ET MORALIS,

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

ACCOMMODATA.

---

**EDITIO ALTERA**

OPERA ET STUDIO PATRUM EJUSDEM SOCIETATIS.

---

TOMUS SECUNDUS.

DE DEO VERBO INCARNATO.

LUTETIÆ PARISIORUM,

SUMPTIBUS JULIEN, LANIER ET SOCIORUM.

4. VIA DICTA DE BUCI.

1853.

TRACTATUS

# DE DEO VERBO INCARNATO

AUCTORE R. P. THOMA HOLTZCLAU S. J.

SS. THEOLOGIÆ DOCTORE EJUSDEMQUE

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO.

# INSTITUTIONES
# THEOLOGICÆ
DE
# INCARNATIONE VERBI DIVINI.

---

## PROOEMIUM.

IN QUO PRÆMITTUNTUR QUÆDAM DE VARIIS HUJUS MYSTERII NOMINIBUS; DE HÆRESIBUS CIRCA ILLUD OBORTIS; TUM GENERATIM DOGMA CATHOLICUM ET INCARNATIONIS DEFINITIO EXPONITUR.

1. Ad exprimendum *magnum* hoc, teste Apostolo 1. ad Tim. 3. v. 16. *pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne*, nimirum Incarnationis mysterium, SS. Patres diversis nominibus usos, licet in dogmate concordantes, accepimus. S. Athanasio orat. 2. cont. Arian. n. 9. Clementi Alexandrino L. 5. Strom. (opp. p. 565. C. edit. Morell. Paris. 1629), S. Basilio L. 1. cont. Eunom. n. 7. (opp. t. 1. p. 218.), S. Chrys. hom. 67. in Gen. c. 49. v. 9., S. Cyrill. Alex. Glaphyr. in Gen. L. 6. (opp. t. 1. p. 188. A.) aliisque, præsertim Græcis, vox οἰκονομία, *dispensatio*, ex occulto consilio profecta placuit. Œconomia autem providam rei alicujus gestionem significat; specialiter vero providentiam et indulgentiam beneficam, qua quis a rigore juris decedens condescendit utilitati alterius. Hoc modo ad œconomiam pertinet tum ipsa naturæ humanæ ad Verbum assumptio; tum quidquid in ea natura Christus pro nobis gessit; unde et apud Græcos ad Theologiam quidem revocantur, quæ ad naturam divinam: ad œconomiam vero, quæ ad humanitatem assumptam spectant, et mysteria consequentia.

2. S. Cyrillo in L. 2. cont. Nestorium (opp. t. 6. p. 59. D.) vox λῆψις, *sumptio, acceptio, assumptio*, arrisit, per hanc conjunctionem naturarum in persona Verbi intelligens, ut ibidem exponit. Voce eadem jam ante usum fuisse Apostolum ad Philip. 2. v. 7. observat Vigilius L. 4. cont. Eutychen, (Bibl. magna PP. t. 4. p. 513. B.), ubi et Eutychianos ait, verbum istud declinasse, quod apertius, quam causæ illorum expediret, naturarum in Christo discrimen ostenderet. Quod si proinde postea S. Cyrillus ipse, aliive dicta vocabula rejecisse videantur, id solum fecerunt in sensu Nestorii. Sic,

dum S. Cyrill. anathematismo 8. (opp. t. 6. p. 153. E.) anathema dicit illi, qui assereret, *assumptum* hominem una cum Dei Verbo adorandum : Item, dum in refutat. Theodoreti (opp. t. 6. p. 226. C.) ait, non assumptum esse hominem a Deo Verbo et quadam habitudine collatum, sed illum potius hominem esse factum; hoc tantum cavere voluit, ne quis sic assumptum esse hominem putaret, aut adorandum cum Verbo, quo modo existimabat Nestorius : h. e. jam in matris utero antea plene formatum ac perfecte subsistentem per se, sive qui jam habuisset subsistentiam propriam et personam; unde Hæresiarcha hic inferebat, præter divinam personam Verbi, esse in Christo alteram hominis, hancque una cum Deo Verbo adorandam. Hoc Cyrill. epist. ad Joann. Antiochen. (opp. t. 5. part. 2ª. sect. 2ª. p. 195. A.) his verbis declarat : *Non hominem alium sibi conjunxit, ut quibusdam* (Nestorianis) *visum.* Tum epist. priore ad Successum (ibid. p. 139. B.) : *Factus est,* inquit, *homo : non hominem assumpsit, ut Nestorio videtur.* Aliis subinde *corporatio, incorporatio,* ut Tertulliano de carne Christi c. 4., S. Gaudentio Brix. serm. 2. (Bibl. magna PP. t. 2. p. 16. A.); aliis *inhumanatio,* ut Facundo Hermian. pro defens. trium Capit. c. 3. tum Epiphanio hær. 30. n. 27. in usu fuit.

3. Magis tamen prope ad mysterii tum naturam, tum proprietatem accedit vox *Incarnatio,* Græcis σάρκωσις, derivata ab illo Joan. 1. v. 14. *Et Verbum caro factum est;* quem proinde secuti S. Irenæus, L. 3. c. 21. (al. 19. n. 1.) relatus a Theodoreto Dial. 1. tum ipsa Nicæna Synodus in Symbolo docens : *et incarnatus est de Spiritu sancto;* ac passim Veteres. Duo tamen hic advertimus :

1um. Incarnationem dici per synecdochen, vi cujus, juxta usitatam Scripturæ phrasin, caro, quæ pars tantum est hominis, sumitur pro homine. Sic Gen. 6. v. 12. *Omnis caro corruperat viam suam.* Luc. 3. v. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Ad Rom. 3. v. 20. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo,* i. e. nullus homo per solam legem Moysis salvus fieri potest sine Christo. Nec desunt rationes congruentiæ, cur assumptio naturæ humanæ a carne potius, quæ est pars hominis ignobilior, dicta sit Incarnatio, quam animatio ab anima, licet hæc nobilior sit. Prima; quia pars illa ignobilior melius exprimit summam illam exinanitionem Filii Dei, de qua ad Philipp. 2. v. 7. ait Apostolus : *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Altera; quia aptius eo nomine ostenditur, Verbum assumpsisse naturæ nostræ infirmitates; hoc enim cum non ita appareret, exprimendum erat. Tertia; quia caro proprie dicta carnem animatam significat, ac proinde totam naturam humanam; ut enim Aristot. observat, L. 5. de Generat. animal. caro mortua et inanimata æquivoce solum et improprie caro dicitur. Et hanc quidem rationem Tertull. L. de Carne Christi c. 6. innuit. Item Alexius epist. ad Nestorium, quæ extat initio Concilii Ephesini.

2um. Catholicos nihilominus aliquando refugisse illius vocis usum; sed eaduntaxat ex causa, ne consentire viderentur abominandæ hæresi Apollinaris, qui initio non integram hominis naturam, h. e. carnem et animam rationalem; sed carnem solam a Verbo assumptam fuisse docuerat, ac proinde σαρκώσεως, *Incarnationis,* vocabulo maxime utebatur, tanquam quod solius carnis susceptionem exprimeret; etsi postea errorem tempera-

turus novo errore diceret, etiam animam quidem assumptam fuisse, sed sine mente, ita ut Verbum nunc solius mentis vices suppleret, quod antea dixerat esse loco totius animæ. Verum submoto interim Apollinaris errore, vocis *Incarnationis* usus rediit, atque apud Theologos prorsus invaluit, ex quo disputari inter illos cœptum de illa Cyrilli sententia, qua dixerat *naturam unam Verbi incarnatam*, de qua et nos suo loco disseremus.

4. Ex omnibus vero fidei nostræ mysteriis vix ullum est pluribus impugnatum erroribus, quam istud, de quo agimus. S. Fulgentius L. 1. ad Tras. c. 4. totam illam fidei adversantium opinionum varietatem in duo conclusit capita, dum alios esse dicit, qui Incarnationis mysterium *omnino non credunt* : alios, *qui non sicut est credunt*. Ad priorem ordinem Judæi, Ethnici, Athei pertinent; ad alterum reliquum omne, varium et numerosum hæreticorum vulgus. Primo, secundo, quin et tertio adolescentis Ecclesiæ seculo maxime grassatæ sunt judaicæ hæreses : hoc est, eorum, qui in Ecclesiam primum e Synagoga, vel Judaismo conscripti fuerant. Græcas ac philosophicas sive eorum, qui ex Gentilismo se Christianis adjunxerunt, tertio et quarto seculo maxime insaniisse constat. Quarto et sequentibus seculis, contra mysterium hoc, nati in Ecclesiæ sinu degeneres filii, adulterinis Scripturarum et Patrum interpretationibus pugnarunt. Ex his alii in Christo divinam, alii humanam naturam vel mutilare, vel truncare, ac omnino pernegare ausi sunt, ut Judæi, Græcique; alii vero de gemina illa in Christo natura minime dubitantes, ad utriusque conjunctionem duntaxat offenderunt. Unde, duce Doctore Angelico, omnes, in candidatorum gratiam, quorum id nosse interest, in tres classes, attentis singulorum erroribus, subdividimus : prima est eorum, qui circa divinitatem Christi; altera aliorum, qui circa humanitatem Christi; tertia illorum demum, qui circa naturæ utriusque conjunctionem errarunt.

5. In prima classe *Cerinthus* agmen ducit, ex vulgato Judæorum præjudicio, Christum merum hominem futurum esse, Jesum tantummodo hominem fuisse tradens, ex Maria et Josepho genitum; in hunc vero descendisse Christum, h. e. Cerinthi mente, Spiritum sanctum ad Jordanem in columbæ specie, ac postquam passus est Jesus, Christum revolasse sursum; Jesum autem resurrexisse. Sic de Cerintho L. 1. c. 25. (al. 26. n. 1.) Epiphan. Hær. 28. n. 1. At Augustin. de Hæres. c. 8. et Philastrius Hær. 36. volunt, Cerinthum docuisse, *non surrexisse* Jesum, sed *resurrecturum esse*. Testibus S. Epiphan. et Philastrio hic idem Cerinthus fuit, qui Apostolorum tempore quæstionem movit de circumcisione et observantia legalium, ad quam decidendam primum Hierosolymis ab Apostolis fuit celebratum Concilium.

Cerinthi errores primo secutus est *Ebion*, Cerinthi nimirum, teste Philastrio, discipulus. Item *Carpocrates*, Alexandrinus genere, et præcipuus Gnosticorum auctor, excepto tamen errore de legalibus. *Nazaræi*, sive ut græce concepti sunt, Nazoræi. *Helcesæi*, sic dicti ab Elxai impostore et pseudopropheta. *Theodotus*, coriarius. *Symmachus*, Bibliorum editionis græcæ auctor. *Beryllus*, Bostræ in Arabia Episcopus. His accensendi sunt *Artemon*, *Theodotus* alter, Argentarius vel Trapezita dictus, Coriarii disci-

pulus, *Melchisedechianorum* auctor, quod non tantum Christum simplicem hominem, sed etiam Melchisedecho inferiorem diceret.

Eamdem illam Cerinthi et Ebionis perfidiam, seculo III. circa annum 273. sub Felice I. instauravit *Paulus Samosatenus*, sic dictus a patria, quia Samosatis oriundus : Antiochenorum Episcopus. Ut enim Zenobiæ, Palmyrenorum reginæ judaizantis, gratiam captaret, Christum docebat non semper fuisse; sed ejus initium, ex quo de Maria natus est, extitisse : nec eum aliquid amplius, quam hominem, fuisse in substantia; divinitatem vero habuisse non nisi per excellentem quamdam participationem, ut qui operibus suis fuisset meritus a divina Sapientia et Verbo perfundi. Ob hanc hæresin duæ Antiochiæ Synodi celebratæ sunt, in quarum prima cum veram fidem simulans Patribus illusisset, postea in altera convictus hæresis damnatus et depositus fuit. Cumque *Photinus*, Sirmiensis Episcopus, ingenio et eruditione clarus, Pauli, cujus discipulus fuerat, hæresin renovaret sub Julio I. S. P. circa annum 347. iterato damnata fuit in Concilio Mediolanensi; Photinus vero in Sirmiensi anno 351. depositus. *Ario* vero nemo hæreticorum truculentius in Christi divinitatem, illiusque Ecclesiam desæviit. Furere cœpit circa ann. 319. sed ejus gesta et hæresin late expositam vid. suo loco, scilicet a num. 88.

Observandum hic, alio modo, quam priores, circa divinitatem Christi errasse *Hermogenem, Praxeam, Sabellium, Noëtum,* horumque sequaces : hi enim substantialem quidem Incarnationem, secus ac priores fecisse ex eorum dogmate colligitur, professi; negabant Trinitatis mysterium, Deum unam tantum esse personam blasphemantes, quæ ut creatrix appellatur Pater, ut incarnata et patiens Filius, ut sanctificans Spiritus sanctus. Unde inferebant, incarnato et passo Filio, Patrem quoque ac Spiritum sanctum incarnatos fuisse et passos; unde erroris hujus socii a Græcis *Theopaschitæ, Patripaschitæ,* h. e. Deipassiani, Patripassiani nominati sunt. Erroris hujus patrocinium postea resumpsit palam *Petrus Cnapheus,* dictus Fullo, invasor Antiochenæ sedis, et juratus hostis Chalcedonensis Synodi, teste Nicephoro Lib. 15. Hist. c. 28. *Omnes illos, qui Deum crucifixum et passum esse non crederent, anathematis fulmine jaciens; atque ubi opinionem suam confirmavit, ter sancto Hymno* ( intellige Trisagion ) *accessionem istam, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis, adjecit.* Quo nomine a Catholicis, ipsoque *Acacio* reprehensus, in Romana Synodo a Felice Papa damnatus est.

6. Alteram classem *Phantasiastæ* constituunt, sic nuncupati, quod Christo non veram humanamque carnem, sed apparentem atque phantasticam tribuerent; proinde Deum non re et substantia, sed nuda specie et apparentia incarnatum esse; verbo : Christum revera natum non fuisse hominem, sed putative tantum, utque Tertull. ait de Præscript. c. 44. *in phantasmate.* Horum primus parens fuit, qui omnium hæreticorum Patriarcha, *Simon Magus;* quem secuti *Saturninus,* Antiochiæ, quæ ad Daphen cognominari solet, natus; tum *Basilides;* gemella Simonis proles, quia ambo discipuli : quorum posterior ad magistri sui ineptias, majores adhuc nugas addidit; Christum revera neutiquam passum fuisse, sed pro eo Simonem Cyrenæum: hunc, aiebat, cum Judæi Christi crucem illi imponerent, Jesus in suam

commutavit figuram, et ejus vicissim proprium induit, atque ita prope stans, nec oculis aspectabilis, Judæorum evasit et irrisit conatum. Idem præterea dogma ex Judæis amplexi fuere *Cerdo*, patria Syrus; *Marcion*, qui, TERTULL. teste, L. 4. cont. Marcion. c. 6. duos insuper Christos statuit, unum, *qui Tiberianis temporibus a Deo quondam ignoto revelatus sit in salutem omnium gentium, alium qui a Deo Creatore* (malo) *in restitutionem Judaici status sit destinatus quandoque venturus*; *Manes*, sive *Manichæus*, juxta S. LEON. serm. 2. de Pent. c. b. *minister falsitatis diabolicæ*, cujus hæresis est, juxta S. BASIL. hom. 2. in Hexaëm. n. 4. *caries et putridum Ecclesiarum ulcus*. Item *Ophitæ*, qui præterea serpentem, a quo decepta est Eva, esse Christum dicebant; unde ipsis Ophitarum nomen adhæsit.

Huc e Græcis *Valentinus*, a quo Valentiniani, pertinet, hæresiarcha insignis. Ut cætera fanatici hominis deliria prætermittam, Christum blasphemabat ab uno ex Æonibus (nam Deos triginta ex Hesiodi theogonia statuit, quos Æonas nominabat) procreatum fuisse. Sed et Valentinum Christo corpus affinxisse cœleste et spirituale, historici tradunt; quod, sicut aqua per canalem, sic per Mariam transmearit, nihil inde vel accipiens, vel mutuans.

Ex his perspicitur, hæreticos eos umbratilem duntaxat et apparentem Incarnationem credidisse; quod vera Christum carne spoliantes, ei phantasticam tribuerint. Alio igitur modo circa humanitatem Christi errarunt *Apelliani*, sic dicti ab *Apelle*, Marcionis discipulo, qui veram carnem Christo concesserat, sed non sumptam a muliere, verum ab ipso Dei Filio ex quatuor elementis confectam. Deinde *Apollinaristæ*, quibus *Apollinaris* sophista, filius alterius itidem Apollinaris, cognomento Rhetoris, nomen dedit; quorum hæresin jam n. 3. retuli. Demum *Monotheletæ*, sic græce nuncupati ab una voluntate, scilicet divina, quam solam in Christo admittebant. De his plura suo loco.

7. Ad tertiam denique classem spectant duæ ex omnibus, quæ Incarnationis dominicæ fidem adulterarunt, hæresibus maxime celebres, Nestoriana et Eutychiana, nomen trahentes a suis auctoribus. Prioris *Nestorius* Patriarcha Constantinop. parens fuit circa annum 427. sedente COELESTINO S. P. et THEODOSIO juniore Imperatore. Quod de Nestoriana hæresi hoc loco notasse sufficit, summa ejus fuit, quod, ut ait VIGILIUS L. 2. cont. Eutychen (Bibl. magna PP. t. 4. p. 501. C.) et cum eo Theologi, *duas inducendo naturas, duas putaret esse personas, et ob hoc arbitratus sit... duos Christos induci*, scilicet unum Filium Dei, alterum Filium hominis. Item : *Nestorius*, inquit ibid. VIGILIUS, *proprietatem attendendo naturarum, a personæ excidit unione, et duos putavit Christos*. His, quod erat connexum, adstruxit impius dogmatista, ut B. Virginem negaret Θεοτόκον, *Deiparam*, sed potius Χριστοτόκον, *Christiparam* diceret. Imo, si causas spectemus, ob quas B. Virginem dici Deiparam noluerit, in sola vocabuli illius negatione tota impietatis Nestorianæ vis collecta perspicitur : velut tota Ariana perfidia in negatione vocis ὁμοούσιος, *consubstantialis*. Fons et caput impuri dogmatis fuit, quod conjunctionem duarum naturarum factam putaret sic, ut ante formatus fuerit homo integer, perfecte subsistens subsistentia propria, propriamque personam habens, qui deinde cum Verbo conjunctus

fuerit, non unione hypostatica, physica, substantiali, sed morali, accidentali inhabitationis, unitatis affectus, amoris, operationis, dignitatis; sicque Christus etiam unum quid dici posset, sed eo pene modo, licet nobiliori, quo justi omnes et unum cum Deo, et filii Dei, et Dii dicuntur. Unde impura illa fluebant Nestorii placita, et alia referenda alibi. Nestoriani et Pelagiani dogmatis cognationem aliquam ostendit Cassian. L. 1. de Incarn. c. 3. itemque S. Prosper in Epitaph. Pelag. et Nestorianæ hæreseon : scilicet, *Pelagius*, si illis fides est, Christum non vere et natura Deum, sed humano merito et præmii loco id consecutum putabat, ut Deus fieret.

Nestorianam hæresim circa finem seculi VIII. resuscitare visi sunt *Felix* Urgelitanus, tum *Elipandus* Toletanus Archiepiscopus, Christum, qua hominem, Filium Dei adoptivum asserentes, ac proinde in Christo Filios duos; ut ex L. Sacrosyllabo liquet, ubi : *Non duo Filii, alius Dei et alius hominis, ut, sicut illi* (Felix et Elipandus) *errando existimant, adoptivus sit hominis Filius, et sine adoptione Dei Filius;* duos vero in Christo Filios asserere, est ipsa Nestorii hæresis.

*Eutyches*, presbyter Constantinop. et archimandrita monasterii celeberrimi, ex male intellectis quibusdam Cyrilli sententiis, et hæresis Nestorianæ odio, in errorem Nestoriano extreme oppositum incidit circa annum 441. unitionem quidem, ut S. Leo serm. 8. de Nativ. c. 5., in Christo duarum confessus naturarum, sed ipsa unitione id dixit effectum, ut ex duabus una remaneret. Nimirum negabat post unitionem duas esse in Christo naturas integras; sed in ipso Incarnationis articulo utramque naturam affirmabat coaluisse in unam.

Ad tertiam hanc classem non immerito Lutheranos reduxeris, dum duo docent, e quibus sequitur, eos vel in Eutychianam vel Nestorianam hæresin impingere : primum est, carni Christi communicari attributa divinitatis, esse immensam, omnipotentem, etc. uti *Ubiquistæ* : alterum, unionem hypostaticam in illa communicatione attributorum consistere; si enim velint illa essentialiter naturæ humanæ tribui, jam hæc unum fiet cum divinitate; si vero accidentaliter tantum, jam distinctæ erunt personæ Dei et hominis.

8. His omnibus errorum monstris primo, et ante omnem disputationem, Catholicum dogma opponimus, quod Athanasianum symbolum, a tota adoptatum Ecclesia, in compendio et breviter æque, ac exacte tradit : *Est autem fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante secula genitus; et homo est ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo; non duo tamen, sed unus est Christus : unus autem non conversione divinitatis in carnem; sed assumptione humanitatis in Deum; unus omnino non confusione substantiæ; sed unitate personæ : nam sicut anima rationalis et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus.*

9. Unde a Theologis ad mentem hujus symboli, quod Scripturis sacris, Conciliis, et Patribus omnino est conforme, definitur Incarnatio : *Naturæ humanæ cum divina in una persona Verbi conjunctio.* Dicitur 1°. *conjunctio,* sive unio aut unitio, non moralis, vel accidentalis; sed vera, realis, physica, et substantialis; unde et eodem sensu a Patribus *unio naturalis* dicitur, h. e. ex eorum mente, physica. Porro hæc unio dicitur, et est *personalis* et *hypostatica;* quia ex unione Verbi et naturæ humanæ una persona constituitur; et hoc est, quod alii aliis tantum verbis exprimere volunt, Incarnationem esse assumptionem naturæ humanæ *in unitatem personæ; vel in unam Verbi hypostasin.*

Dicitur 2°. *naturæ humanæ*, h. e. complexi tantum ex corpore et anima rationali inter se unitis, sine subsistentia humana propria et personalitate; non enim natura illa humana individualis assumpta subsistens subsistentia propria ante fuit, quam assumeretur a Verbo, sed producta simul et assumpta, impediente et supplente Verbo humanam subsistentiam et personalitatem; ita ut natura utraque, divina et humana, subsistat *in una persona* Verbi; sicque non duo sint Christi, sed unus.

Dicitur 3°. in una persona *Verbi;* Incarnatio enim, licet *quoad efficientiam* communis sit personis divinis tribus, cum sit opus ad extra, quod, ut alia opera ad extra, pro ratione efficiendi habet divinam potentiam, quæ, utpote prædicatum absolutum, tribus personis communis est; *terminative* tamen propria solius Verbi est; hoc enim unitur humanitati immediate, non ratione formali divinæ naturæ, quæ quid absolutum et commune est, sed personalitatis Filii, sive Filiationis, quæ est prædicatum relativum solius Filii; cum vero, quæ conveniunt prædicato relativo unius personæ proprio, non sint communia personis aliis; hinc Incarnatio propria solius Verbi est, non communis Trinitati.

Ex his elucet hujus sublimitas mysterii, quod deinceps tum exponemus, tum contra multiplices illius hostes vindicabimus, ordine Dissertationum, quem earum index exhibet.

# DISSERTATIO I.

## DE EXISTENTIA ET VERITATE INCARNATIONIS.

Hanc simpliciter et absolute negant Judæi, Athei, et Ethnici. Judæi Messiam quidem olim a Deo promissum fuisse credunt; sed negant jam advenisse, simulque pernegant promissum Messiam verum esse Deum. Athei et Ethnici Incarnationem, qualem fides proponit, etiam impossibilem judicant. Quare tria hic disputabimus Sectionibus totidem. Sect. I. contra Judæos, an promissus in lege veteri Messias advenerit? II. An hic, quem advenisse, quemque Christum dicimus, simul sit Deus verus? III. Qua ratione existentia et divinitas Christi Atheis atque Ethnicis suaderi possit?

## SECTIO I.

### MESSIAM, SIVE CHRISTUM JAM PRIDEM ADVENISSE JUDÆIS OSTENDITUR.

10. In subjecto quæstionis adhuc abstrahitur a divinitate; sed ponitur homo, singularis excellentiæ, mittendus a Deo ad salvandos homines. Græce *Christus*, hebraice *Messias* dicitur; latine *Unctum* significat. Unctio triplici hominum generi tribui solet, regibus, sacerdotibus, prophetis; quamvis illa prophetarum esset extraordinaria, et proin unctio regibus et sacerdotibus ex instituto conveniret. Unde nomen *Christi* appellativum est. Sed ex omnibus, qui ratione unctionis Christi appellari possunt, insignior quidam et unus singularis intelligitur, cui nomen hoc per excellentiam proprium est, pari Christianorum et Judæorum consensu; ut adeo opinio Rabbi Selomoh in Commentar. in c. 24. Isaiæ, et R. Maimonidis Tract. de Regib. duos Christos promissos asserentium inane commentum sit, in quo non tantum Judæos veteres, sed et reliquos hodie omnes sibi adversantes habent. Proinde hic duo contra Judæos demonstrabimus; *primum*: Messiam promissum pridem advenisse; *alterum*: illum ipsum, quem Christiani Jesum Nazarenum, Mariæ Virginis filium prædicant, esse Messiam verum et unicum. Utrumque ex prophetarum vaticiniis, quæ ordinem dabunt articulorum sequentium.

## ARTICULUS I.

### UTRUM ET QUOMODO EX VATICINIO JACOBI PATRIARCHÆ (GEN. 49.) PROBETUR ADVENISSE CHRISTUM.

11. Moriturus Patriarcha Jacob, et convocatis filiis, quid cuique eorum, intellige in posteris, in novissimis diebus eventurum, prædicturus, cum ordine ad Judam devenisset, sic eum affatus est Gen. 49. v. 8. *Juda, te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui... Non auferetur sceptrum de Juda, et Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.* En vaticinium : vel ut in hebræis codicibus : *Non recedet sceptrum de Juda*, vel *virga*, vel *Legumlator de medio pedum ejus*, vel *inter pedes ejus*, vel *donec veniat Schilo; et ei obedientia populorum, vel gentium.* Catholici omnes et Christiani, licet differant, an in his : *Non auferetur sceptrum de Juda*, Juda stricte sumi debeat pro tribu hujus nominis, an pro tota gente judaica? consentiunt tamen hic designari tempus, quo venturus Messias; et adventus signum figi ablationem sceptri de Juda, ex ejusque ablatione Messiam pridem advenisse demonstrant; Judæis contra ad eludendum vaticinium se in omne latus torquentibus. Sed contra hos

12. *Dico.* Ex allato Jacobi vaticinio Messiam pridem advenisse manifeste ostenditur.

*Prob.* Jacob in vaticinio suo, juxta communem et obvium verborum sensum, tria dicit. *Primum :* sceptrum aliquando, h. e. summum dominatum, vel imperium politicum, cujus signum est sceptrum, conferendum tribui Juda; hanc enim hic præcise intelligi, non totam gentem judaicam, infra probabitur. *Alterum :* imperium hoc in tribu Juda eo perstiturum usque dum Messias, qui per *mittendum* hic intelligitur, veniat. *Tertium :* sceptri proinde hujus vel imperii politici a tribu Juda ablationem, signum esse temporis, quo Messias venturus sit. *Subsum.* Atqui sceptrum hoc pridem a tribu Juda ablatum est; ergo necesse est, ut pridem Messias advenerit.

*Major* quoad partes singulas liquido constabit refutatione exceptionum, tum objectionum, quas in omnes pene vaticinii Jacobæi syllabas formare conantur Judæi.

*Minor* constat toti orbi, ejusque veritatem ipso sensu quotidie percipiunt Judæi; sive enim sceptri nomine regiam dignitatem intelligas, aut principalem quamlibet in uno residentem; sive auctoritatem summam Judaici senatus, constantis ex 70. viris, dicti *Synhedrium*, sceptrum ablatum est. Nam principatus quidem ac regnum ex Juda a mille septingentis et ultra annis defecit : primo auctoritate Cæsaris Augusti transiens in Herodem alienigenam, ut probabitur; deinde ad Romanos, qui Judæam subactam in provinciam redegerunt; Synhedrium vero, quod Herodes Ascalonita, teste Josepho Judæo, L. 14. Antiquit. c. 17. exauctoraverat, omnibus præter unum occisis, omnem auctoritatem amisit, teste eod. Josepho, L. 18. Antiq. c. 1. et de Bell. Jud. L. 2. c. 11. Post eversionem urbis vero Hierosoly-

mitanæ, quoquoversum dissipata infelix gens, spoliata omnis potestatis et dominatus jure ac titulo : vaga, errans, et vilis mancipii instar despecta, omnibus prope gentibus servire cogitur, sine spe, in tanta dispersione et tribuum ac familiarum confusione, sedem et regnum pristinum recuperandi.

13. Quod enim Judæorum aliqui dicunt, esse etiamnum *Ætmalotarcham* quemdam, ex tribu Juda oriundum, quem Patriarcham vocant, qui Judæos in Asia regat, sitque recturus, donec Messias veniat; jocularis est fabula, quam jam olim explosit Origenes, L. 4. Periarchon n. 3., quæque se totam prodit, si quæres ex Judæis, ubinam terrarum hoc illorum regnum sit? vix ullus cum altero consentiet, et quilibet majores afferet nugas. Auctor apocryphus L. 4. Esdr. c. 13. inquit, decem tribus, quas Salmanasar Assyriorum rex abduxerat in captivitatem, hac soluta, abiisse in remotas terras, ut ritibus suis vacare libere possent : discessisse ab illis aquas Euphratis, et post anni unius iter in *Arsareth*, regionem imperviam, pervenisse, ibique summa pace frui. Verum nulla hac ætate nostra adeo remota est regio, præsertim in Asia, quæ non crebris peregrinationibus perlustrata; qui ergo fieri potest, ut nemo de tanto Judæorum imperio aliquid detexerit, vel a vicinis saltem populis quidquam audiverit? Aut si impervia est regio, quomodo ad illam tam facilis accessus fuit tantæ Judæorum multitudini? quomodo inde nuncios accepere Judæi? Eodem ex capite corruit, quod R. Simeon Jalcut fabulatur; tribus illas partim in Æthiopia, partim in Asia possidere regna, sed septa mœnibus igneis. Item dum Talmud Jerosolymitanum Judæos regnantes ponit in America, sed nubibus conclusos, et separatos a reliquo hominum genere : aut dum eos alibi collocant immensis circumseptos montibus. Si enim in locis adeo imperviis regnant Judæi, qua ratione tabellarios inde accepere illarum fabularum venditores?

Unde inter fabulas rejiciunt illud Judæorum Rabbini plerique alii, ingenue fatentes, Judæos omni suprema potestate et sceptro prorsus excidisse, ut R. Isaac Abarbanel Comment. in Isaiam. R. David Kimchi in Osee. R. David Ganz, aliique apud Gotti de Verit. Relig. t. 1. c. 8. quos inter R. Azrich, narrationes illas de Asiatico, vel alio Judæorum imperio, et Ætmalotarcha, declarat esse fictitias, et duntaxat inventas ad miseræ suæ gentis solatium. Qui proinde cum Rabbinis cæteris ipsum Jacobi vaticinium enervare conantur, quorum nunc argumenta refellenda sunt :

14. *Obj. I.* In hebraico legitur : *Donec veniat Schilo* : sed incertum est, quid per vocem *Schilo* debeat intelligi; ergo. *Prob. min.* Nam hæc vox diversimode vertitur. Sic 1°. Interpres latinus vertit : *qui mittendus est.* 2°. R. Aben Hezra cum aliis : *filius ejus.* 3°. Potest significare *pacificum*, sicque denotare Salomonem. 4°. Potest exponi pro urbe *Silo*, ut vaticinii sensus sit : *dignitas tribus Judæ mutabitur in regnum, cum urbs Silo arcæ sedes esse desierit*; ita recentiores Rabbini quidam. 5°. Vel certe potest indicare Saulem, vel Jeroboamum, quia uterque in Silo unctus est in regem; vel Davidem, qui unctus in regem fuit, quo tempore arca de Silo sublata fuit. 6°. Si sumatur pro *missus*, convenire potest Nabuchodonosori, qui *missus*

dicitur, ut voluit Julianus apostata; aut si pro *Messia* denique, cum hæc vox unctum, sive Christum sonat, etiam Cyro, qui Is. 45. *Christus* dicitur.

R. *C. Maj. N. min.* Nam 1°. hic per *Schilo* significari Messiam, præter Rabbinos recentiores R. Salomon, Kimchi, Bechai, Hakkados L. Galerazeia, testantur, nulla excepta, versiones omnes : Paraphrasis Chaldaica adornata ab Onkelos, longe ante Christi adventum, tantæque inter Judæos auctoritatis, ut nullus huic contradicere præsumeret, clare pro Schilo ipsum Messiam ponit : *Non auferetur habens principatum a domo Juda, usque ad tempus, quo veniat Messias, cujus est regnum, et ei obedient populi.* Targum Jonathanis : *donec veniat rex Messias.* Talmud Babylon. Tract. Sanhedr. c. 2. *quodnam est nomen Messiæ? Schilo est nomen ejus; quia dicitur : donec venerit Schilo.* Adde antiquos Judæorum Interpretes, quotquot fere adhucdum extant : sic liber *Bereschit Rabba* apud Judæos auctoritatis maximæ, *hic Schilo,* inquit, *est rex Messias.* Sic *Echa Rabbethi* in c. 1. Thren. *quod est nomen Messiæ?... Schilo est nomen ejus, sicut dictum est Gen.* 49. *donec veniat Schilo.* Ut adeo, sermonem hic de Messia esse, fuerit intimus et communis Judæorum sensus, qui amplius adhuc patebit in seqq. ac proin, qui ex Judæis negare præsumunt hodie, hoc vaticinio de Messia agi, ii eo facto declarent palam, se a totius suæ gentis traditione antiquissima perfide, nec nisi ex obstinata malitia ad eludendum illustre hoc vaticinium, recedere, quod nec hujus obesse veritati, nec illorum prodesse causæ debet.

2°. Per *Schilo* intelligi Messiam, aperte, quæ immediate sequuntur, evincunt; subditur enim : *et ei obedientia populorum, sive gentium :* sive ut LXX. et juxta hos Interpres latinus : *ipse erit exspectatio gentium;* sed hæc ad Messiam pertinent; ergo et ille per *Schilo* debet intelligi. *Prob. subs.* Quia his verbis passim in Scripturis Messias designatur : Agg. 2. v. 8. *Movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus.* Is. 2. v. 2. *Fluent ad eum omnes gentes.* Ps. 21. 28. ubi de Messia sermo est. *Prob. etiam Cons.* Particulæ enim demonstrativæ *ei, ipse,* appellant super Schilo.

15. *Ad prob. min.* R. *Quoad* 1$^{um}$. et 2$^{um}$. utrobique tamen Messiam indicari; nam 1°. quando in Scriptura *mittendus* vel *venturus* ponitur simpliciter et velut antonomastice, Messias indicatur. Sic Exod. 4. v. 13. orans Deum Moyses, ne tardaret Messiam mittere, *obsecro,* ait, *mitte, quem missurus es.* Matt. 11. v. 3. vero Joannis discipuli interrogant Christum : *Tu es, qui venturus es?*

2°. Rabbini vero, qui legendum volunt *filius ejus,* subintelligunt Judæ; quia communiter credebant Judæi, Messiam nasciturum ex stirpe Juda, illumque huic in eo vaticinio promissum fuisse, in quo et consentientes habent Christianos plerosque. Et vero Christum ex tribu Juda nasci debuisse, etiam inde patet, quod Davidi, qui de tribu Juda fuit, in specie fuerit promissus, ac proin passim dicatur *filius David.* Unde Luc. 1. v. 32. ait angelus ad Mariam : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Ratio vero, cur Interpres latinus reddiderit *mittendus,* esse videtur, quod in hebræis codicibus legerit *Schiloach,* a *Schalach,* quod *mittere* significat; sic natatoria Siloe *interpretatur missus,* Joan. 9. Abben Hezra vero legit

Siloh, ut *he* suppleat vices *cholem*, pronominis suffixi, et significet, *ejus*, sicut et *he* finale sumitur Gen. 13. v. 3. Unde non variatur prophetia quoad substantiam. Uti neque, si cum LXX. legeris *Schelo ei, donec venerint reposita ei*, h. e. Messiæ promissa et reservata, ut gloria, potestas, regnum, subjectio populorum, etc. juxta promissiones de eo factas Abrahæ, Isaaco, etc. quod in ipso benedicendæ sint gentes, Gen. 12. 28. quas expresserunt LXX. vertendo : *et ipse erit exspectatio gentium*. Aut, si cum TERTULLIANO, THEODORETO et aliis legas : *donec venerit, cui repositum est*; subintelligitur enim Judæorum, Gentiumque regnum promissum et repositum Messiæ soli.

16. *Quoad* 3um. R. Concedo, quod significare etiam possit *pacificum*, sed nego, quod Salomonem denotet; licet enim Salomon regnum in pace possederit; eo tamen imperante sceptrum de Juda ablatum fuisse nullo in sensu dici potest : atqui in prophetia sceptri de Juda ablatio, venturi illius *Schilo* ceu signum figitur. Deinde non apparet, qua ratione Salomon fuerit exspectatio gentium, vel de eo dici possit, quod ei fuerit obedientia populorum. Igitur equidem *Schilo* significari potest pacificum, derivatione facta a *Schalah*, *pacificus fuit*, in *piel* pro extruso *dagesch* admittens *jodh*, ad formam nominis *kitor*, Gen. 19. v. 38. et *kimosch*, Ose. 9. v. 16. estque idem ac *pacificator*; sed hoc nomen ceu proprium Messiæ tribuitur Is. 9. v. 9. ubi dicitur *Princeps pacis*; homines videlicet reconcilians Deo.

17. *Quoad* 4um. R. *N.* Assertum, quod pugnat tum contra veritatem historiæ, tum contra sensum oraculi; nam 1°. falsum est, Davidem, qui primus de tribu Juda rex erat, tunc evectum fuisse ad regnum, cum de Siloh arca sublata fuit; hæc enim jam ante Saulem inde sublata fuerat 1. Reg. 4.

2°. Quid hoc est, nisi ad radios veritatis sibi sponte occludere oculos? Jacob ait : *donec veniat Siloh*; ipsi volunt : *donec desinat Siloh*. Jacob dicit non auferendum sceptrum, donec venerit Siloh, quod significat, ante sceptrum non venisse Siloh; Rabbini contendunt, tum sceptrum conferendum Judæ, cum desinet Siloh, quod supponit Siloh jam venisse ante.

3°. Ad quem demum spectabunt sequentia : *et ipse erit exspectatio gentium?* Davidi enim, cum eventus non responderit, adaptari non possunt.

18. *Quoad* 5um. R. *N.* quoad singulos. *Quoad Saulem*; 1°. enim non in Siloh, sed in Ramatha a Samuele in regem unctus est 1. Reg. 10. Confer. cap. 8. et 9. 2°. Saulis tempore quomodo ablatum a Juda sceptrum fuisse dici potest, quomodocumque Judam sumas? Si enim per *Juda* totam intelligas Judæorum sive Hebræorum gentem, Saul in mortem usque regnum tenuit; si ipsam tribum hujus nominis, sceptrum post Saulem in hujus successore Davide orto ex tribu Juda, illiusque posteris maxime effloruit. 3°. Neque Saul exspectatio gentium dici potest.

*Quoad Jeroboamum*; quia neque hic in Siloh, sed in Sichem, 3. Reg. 12. rex unctus fuit. Nec Jeroboam fuit exspectatio gentium. Deinde juxta Rabbinos esset hic sensus : *Non auferetur sceptrum de Juda, quoad veniat tempus Silohensis unctionis, qua Jeroboam est consecrandus* : sed hoc est fingere; quis enim eos docuit per nomen Siloh hoc factum Silohense notari? Demum

nec in Jeroboamo ablatum a Juda sceptrum dici potest; nam si per Juda iterum totam intelligi velis Judæorum gentem, sceptrum tunc potius firmatum fuit in regibus duobus; Jeroboamo rege Israëlis dicto, quem deficientes a Roboamo tribus decem secutæ sunt; tum Roboamo, rege Judæ : si tribum Juda ipsam, sceptrum in Juda mansit penes Roboamum et cæteros Davidis nepotes.

*Quoad Davidem* constat ex dictis ad 4um.

19. *Quoad* 6um. R. *N.* iterum quoad singulos. *Quoad Nabuchodonosorem* 1°. enim non *exspectatio gentium*, sed terror et flagellum fuit. 2°. Dicitur equidem *missus*, sed ad flagellandos Judæos, quos in captivitatem abduxit; Messias vero in Scripturis dicitur *mittendus*, *missus*, simpliciter ad regendum, et liberandum, salvandumque populum Dei et gentes, Exod. 4. v. 13. Deut. 18. v. 15. 18. Is. 2. v. 3. Agg. 2. v. 8. 3°. Neque sub Nabuchodonosore dici potest defecisse sceptrum in Juda; etsi enim a Nabuchodonosore Joakimus captivus abductus fuisset Babylonem; patri tamen successit in regno filius Joachin, 2. Paral. 36. v. 8. et hoc paulo post Babylonem abducto, substitutus in regno a Nabuchodonosore Sedecias fuit hujus Joachin patruus. Demum et Sedeciam quidem captivum Babylonem transtulit, sed Nabuchodonosore fatis functo succedens in regno Evilmerodach Joachin, alio nomine Jechoniam, vinculis solutum sublimavit in thronum, 4. Reg. 25. v. 28. *Posuit thronum ejus super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone.*

20. *Cyrus* vero, etsi Judæos e captivitate dimiserit, sicque dici possit Judæorum exspectatio, non tamen gentium. Deinde nec post Cyrum sceptrum defecit in Juda, sed perstitit in Zorobabele duce. Præterea Cyrus genere Persa fuit, vel Medus; Messias vero ex tribu Juda et quidem Davidis stirpe genus ducere debuit, ut dictum n. 15. Sed neque reliqua, quæ de Messia tum in Jacobæo vaticinio, tum alibi in Scripturis dicuntur, Cyro aptari possunt. Vocat igitur Deus Is. 45. Cyrum Christum : *hæc dices Christo meo Cyro*, quia Cyrum regem speciali ordinatione delegerat Deus, ut populum suum e captivitate dimitteret liberum, quæ divinæ voluntatis ordinatio idem præstabat, quod sensibilis apud Judæos unctio, qua mediante eorum reges dicebantur *Christi Domini*, scilicet Dei.

21. *Obj. II.* 1°. Vox hebraica *Schebhet*, quam latinus Interpres vertit sceptrum, etiam in Scriptura non raro sævum ac impotentem dominatum significat, sive virgam tribulationis, Exod. 21. v. 20. Ps. 22. v. 2. Is. 10. v. 5. Ergo et hic significare idem poterit, et proin vaticinii hic esse sensus: *Non auferetur tribulatio de Juda, donec*, etc.; atqui stante hac significatione, ex Jacobi oraculo nihil minus evincitur, quam Messiæ adventus, cum etiamnum tribulatio gravissima Judæos premat. 2°. Vox *schebhet* etiam tribum significat; ergo is sensus esse poterit : *Non deficiet tribus Juda, donec*, etc. atqui tribus hæc nondum defecit. 3°. Loco particulæ latinæ *donec*, in hebræo habentur hæ duæ *had-ki*; sed hæ significant idem, ac *in æternum; quia, quando*, vel *postquam*; adeoque non desitionem rei, de qua sermo est, sed continuationem illius indicant; ac proin vaticinii iste erit sensus : *non auferetur sceptrum de Juda in æternum; quando, vel postquam Messias*

*venerit*. Sic vero iterum prorsus nihil pro Messiæ adventu evincitur. *Prob. min.* Nam significationem hanc habet τὸ *had-ki* in Scriptura alias : Ps. 131. v. 14. *Hæc requies mea in seculum seculi : hic habitabo, quoniam elegi eam* ; ubi in Hebræo τὸ *had* positum significat *æternum*. Item, sic continuationem significat Gen. 8. v. 7. Corvus *non revertebatur, donec siccarentur aquæ*. Job. 27. v. 5. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea*. Matth. 1. v. 25. *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*. Priore enim loco non significatur, corvum reversum esse siccatis aquis, sed quod nunquam, etiam post siccatas illas redierit. In altero non id Job intendit, quod velit recedere, cum defecerit; sed quod nunquam. In ultimo sensus non est, quod postea eam cognoverit, sed quod nunquam.

*Ad* 1$^{um}$. R. 1°. *D. A.* Vox *Schebhet* simpliciter et solitarie posita significat virgam tribulationis *N.* quando ad hanc significandam determinatur ab addito *C.* Sic vero determinatur in locis citt. Exod. 21. v. 20. *Qui percusserit servum, vel ancillam virga, et mortui fuerint*, etc. Ps. 22. *Reges eos in virga ferrea*. Is. 10. v. 5. *Væ assur, virga furoris mei*. Solitarie vero posita generatim dominatum et imperium exhibet.

R. 2°. Sub distinctione data *T. Ant. N. Cons.* Nam 1. Jacob eo loco non nisi fausta et læta Judæ prænunciare intendit; certe nihil nisi latum et gloriosum magnificus ille ingressus offert legentis animo : *Juda, te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui*. Numquid laudandus et adorandus erat Juda dira tribulatione, vel probrosa servitute oppressus? idem contextus docet : *Catulus Leonis Juda.... requiescens accubuisti ut leo*, etc. hæc et alia Judæ sub tribulatione gementi et laboranti non conveniunt. 2. Sicut dux ibi tyrannum non notat, qui virgis Judæos cædat ; sic neque *schebhet* virgam ejusmodi. 3. Si Judæ manus futura prædicitur *in cervicibus inimicorum* ejus, quomodo Juda ab his opprimendus, aut etiam vexandus intelligi potest?

22. *Ad* 2$^{um}$. R. *D.* Significat etiam tribum posita eo modo, quo hic Gen. 49. *N.* in sensu constructo, *schebhet Jehuda C.* Sic quando *schebhet* in veteri Testamento pro tribu sumitur, semper id in sensu constructo fit, poniturque *schebhet Jehuda*. At vero Jacob inquit : non auferetur sceptrum *de Juda, schebhet mijuda*. Deinde *schebhet* Gen. cit. loc. pro tribu sumi non posse, aliunde evidens fit : si enim *schebhet* hoc loco sumi deberet pro tribu ; igitur defectio tribus Juda poneretur pro signo temporis, quo Messias adventurus esset : nam Patriarcham hic notam dare voluisse adventus Messiæ, proxime probabitur; igitur et tolli ante tribus Juda debuisset, quam Messias veniret; quia, ut per se sequitur, quamdiu staret tribus Juda, nondum adhuc existeret nota et signum illud a Patriarcha positum, nimirum tribus illius defectio : sed hæc nullo modo dici possunt ; nam cum ex dictis et Judæorum consensu Messias ex tribu Juda nasci debuerit, hic ex tribu Juda nasci debuisset, cum hæc tribus non amplius extitisset; quod est impossibile.

23. *Ad* 3$^{um}$. R. *D.* Habent hanc significationem aliquando *C.* semper, et in hoc vaticinio *N.* Damus τὸ *had-ki* aliquando legi debere separatim, ita ut τὸ *had* pertineat ad præcedens *colon*, nec trahatur ad voculam sequentem

*ki*; adeoque ambo rei continuationem denotent, velut in allatis in probatione exemplis: verum in vulgari acceptione rei, de qua sermo est, desitionem frequentius importat. Exempla passim per Scripturam occurrunt, Gen. 3. v. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram.* Gen. 26. v. 13. *Ibat proficiens atque succrescens* (Isaac), *donec magnus effectus est.* Jud. 4. v. 24. *Crescebant... et forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.* Ruth. 1. v. 13. 1. Reg. 22. v. 3. etc. Et quidem Gen. 49. in specie pro desitione supremæ potestatis politicæ accipi, atque primo *had* pertinere ad sequens *ki* ex sequentibus motivis invicte contra recentiores Rabbinos quosdam, pauci enim sunt qui datam objectionem formant, evincitur.

1°. Si staret contraria illa Rabbinorum interpretatio, Jacob venturi Messiæ nullum determinasset tempus, sed tempus posuisset indeterminatum et vagum, quod est contra unanimem Rabbinorum veterum et Judæorum consensum, quibus ex traditione ab ipsis Jacobi temporibus adeo persuasum fuit, ablationem supremæ potestatis politicæ de Juda ceu notam adventuri Messiæ fuisse a Patriarcha positam, ut, cum in Herode defecisse sceptrum a Juda intelligerent, alii Joannem Baptistam, alii Herodem ipsum, alii cum Josepho Vespasianum Messiam dicerent; alii, teste L. Sanhedrin Jerosolymitano, quem Messiam salutarent, nescii, depilato sibi calvitio, indutique cilicio plorantes dicerent: *Væ vobis, quia recessit sceptrum de Juda, et nondum venit filius David*, Messias; alii demum Jesu Christo, Messiæ vero adhærerent.

2°. Ita referunt versiones omnes, Targi Hierosolymitani, quæ habet: *non auferetur usque ad tempus, quo veniet Messias*; versio LXX. Samaritana, Syriaca, Arabica, R. Rahue, R. Kimchi, etc. Item: Hebraicum ipsum a Rabbinis antiquioribus sic punctatum et receptum; ut proin nova hac interpretatione Rabbini illi recentiores suam declarent perfidiam, qua a totius gentis suæ tradita doctrina recedunt.

3°. Quia in Hebraico immediate ante τὸ *had* sub *raglau* ponitur *atnach*, h. e. duo puncta; igitur τὸ *had* ad præcedens *colon* pertinere non potest; et licet quoque sub *had* reperiatur accentus *jethif*; hic tamen duntaxat ex accentibus *ministris* est, qui nihil distinguunt, aut sejungunt, sed adhibentur explendæ tantum orationis gratia. Si velis, puncta et interpunctiones, etiam juxta Catholicos, idiomati hebraico essentialia non esse, sed longe post addita ab hominibus; igitur illum *atnach* sub *raglau*, posse poni æque sub, quam ante τὸ *had*, sicque ruere rationem datam: R. *N. utramque sequelam*; quia, admisso licet juxta veriorem sententiam Antec., cum punctatio Hebraici ab antiquioribus Rabbinis sic instituta fuerit, et ab antiquis Judæis communi recepta consilio; ex ea antiqua elucet traditio, docens, quomodo veteres Judæi legerint, et legi debeat.

23. *Inst.* 1. Etiam Doctores Catholici, inter quos Cajetanus et Huetius præsertim L. Demonstr. Evang. prop. 9. §. 7. per τὸ *donec*, sceptri vel regni continuationem notari volunt.

R. *D.* In sensu Judæorum, regni tantum temporalis *N.* Desitionem simul regni temporalis, et deinde continuationem spiritualis *C.* Longe discrepat Doctorum Catholicorum ab illa Rabbinorum interpretatio. Judæi

regnum temporale et politicum a Messia erigendum intelligunt, finem cum mundo habiturum : CAJETANUS regnum primo temporale signari censet, quod deinde a Messia vertendum sit in spirituale et æternum, nè ipso quidem mundi interitu finiendum. Similiter HUETIUS de duobus regnis sermonem fieri putat, temporali et æterno; prius finiendum antequam Messias veniat; alterum a Messia stabiliendum, spirituale scilicet : primum, ejusque finem seu notam temporis adventus Messiæ designari his : *Non auferetur sceptrum de Juda* : alterum promitti verbis illis : *Ipse erit exspectatio gentium*; vel ut Hebraicum habet: *et illi obedientia populorum*; quæ sine regno novo fundando a Christo non videntur explicari satis commode posse; Christi vero qua hominis regnum, licet etiam qua homo ex dono Patris, seu ex libera hujus constitutione sit Rex et Dominus omnium, esse tamen potissimum spirituale, ex aliis Scripturæ locis evincitur, et probabitur, ubi de titulis Christi. Illa igitur Cajetani et Huetii interpretatio Judæis favet prorsus nihil, cum uterque juxta Jacobi oraculum pro nota temporis adventus Messiæ ponat ablationem sceptri temporalis et politici a Juda, quod Judæi negant.

24. *Inst.* 2. Licet eod. c. Gen. 49. v. 26. dicatur, benedictiones Josephi confortatas esse, *donec veniret desiderium collium æternorum*, id est, Messias; illius tamen benedictionis cessatio in eversione regni Israelis non fuit signum adventus Messiæ; ergo neque cessatio, vel ablatio sceptri a Juda, etsi dicatur non auferendum, *donec* veniat Messias.

R. N. *Suppos. Antec.* per *desiderium collium æternorum* intelligi Messiam, sed de felicitate temporali Josepho in ejus posteris obventura sermo est. Et quidem Judæis hoc invicte ostenditur : 1. Ex textu Hebraico, quo uno ipsi moventur; hic vero clare habet : *usque ad terminum collium seculi*; ubi nec litterula est de verbo, *donec* veniret, nec de Messia. 2. Ex LXX. Judæorum peritissimis, dum simpliciter vertunt : *prævaluit super benedictiones montium stabilium in benedictionibus collium æternorum*. 3. Ex versione Syriaca, quæ reddit : *ad spem collium seculi*. 4. Ex Rabbinorum, quos hic refert CORN. A LAPIDE, consensu unanimi; et vero ex tota gente Judaica ne unus afferri Scriptor potest, qui hic agi de adventu Messiæ tradidisset. 5. Moyses demum ipse optimus haud dubie Jacobæi oraculi Interpres, benedictionem Josepho datam confirmans et repetens, Deut. 33. illam de perenni fertilitate collium terrestrium, qui Josephi posteris in divisione terræ Chanaan in sortem essent venturi, exponit. Quid ex Judæis, contra quos tantum hic agimus, etiam pertinacissimus his opponere posset, nihil profecto occurrit. Quin observo objectionem datam non a Judæis, utpote qui non aliam, præter datam interpretationem admittunt, sed Christianis a Doctoribus formari occasione Vulgatæ nostræ, quæ habet : *Donec veniret desiderium collium æternorum*, ubi Interpretes quidam per τὸ *desiderium* Messiam, per τὸ *donec* tempus adventus ejusdem notari putant, ut OLEASTER. Sed cum meliore et communi ferme Doctorum sententia dicendum omnino judico, in sensu litterali nullo modo de Messia agi; quidquid sit de illa quorumdam sententia, Josephum typum gessisse Christi, quæ nobis nihil officit. Unde

Quantum ad Vulgatam attinet, sciendum, τὸ *Taavath* hebraicum significare posse et terminum seu finem, prout ex varia radice deducitur. Deductum a *Taah* importat terminum; et ab hoc derivant vocem *taavath* Hebræi

omnes, cumque his Sanctes Pagninus, Theodoretus, *Q.* 109. in Gen. plurescque Christianorum alii, sicque juxta hos prophetiæ sensus est, quem ante innuimus, scilicet: benedictiones illæ durabunt usque ad finem collium æternorum vel seculi, h. e. usque ad finem mundi; vel: non erit illarum finis. Deductum vero ab *ivvah* desiderium indicat: sed etiam tunc litteraliter rectissime de terra illa intelligitur, quæ sorte assignanda erat filiis Joseph Ephraim et Manasse, assurgens in colles fertiles et amœnos, ideoque desiderabiles. Et revera dimidiam tribum Manasse trans Jordanem in confinio terræ Moab ad colles Arnon recepisse sortem ex Deut. 3. et Num. 32. patet; Ephraim vero ad montem Samariæ. Hos igitur colles Interpres noster vocat *desiderium,* scilicet adjectivum *desiderabiles*, quales erant, mutando in substantivum, phrasi alias in Scripturis recepta. Dicuntur *æterni* hebr. *holam,* quia æternum possidendi a Josephi posteris; vel saltem quia optaverat Jacob, juxta illa: *fiant in vertice Nazareni,* etc. ut æternum possiderentur. Sicque verbo sensus litteralis et planus est: *Benedictiones patris tui* (quibus ego pater tuus benedico tibi) *confortatæ sunt* (h. e. simul fultæ sunt) *benedictionibus patrum meorum,* ut durent, quamdiu stabunt colles illi desiderabiles tibi obventuri, qui æterni sunt; h. e. inquit Mariana, durabunt usque ad finem mundi. Hæc expositio ideo est merito tenenda, quod perfecte congruat cum textu originali, cum LXX. versionibus aliis; ipsoque Moyse Deut. 33. meliusque contra Judæos salvet oraculi Jacobæi vim. Sed

25. *Inst.* 3. Licet Jacob asserat benedictiones Josephi confortatas esse, ut durent usque ad finem mundi; promissio tamen illa in se conditionata tantum fuit, ut ex eventu patuit, cum duæ tribus Ephraim et Manasse cum reliquis octo regni Israëlis, 4. Reg. 17. abductæ in captivitatem, ad possessiones pristinas reversæ non sint; ergo etiam Messiæ promissio data fuisse sub conditione dici potest; nisi populus peccatis suis ejus adventum retardaverit, vel plane impediverit.

R. *C. A. N. C. Disparitas est;* quia si qua prophetia vel promissio sub conditione fiat, hæc vel in eodem loco, vel in Scripturis alibi exprimitur; ut promissio de perpetuitate templi Salomonici, etc. 3. Reg. 9. v. 3. 4. seqq. Sic in specie promissio terræ illius felicis æternum possidendæ, primo simpliciter facta, in se conditionata fuit; si Judæi essent observaturi pactum, quod cum ipsis inire decreverat Deus; quam conditionem vero postea Moyses in Deuteronomio in adhortatione ad populum sæpius inculcabat et emphatice, Deut. 4. v. 24. 25. *Cave, ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum... si feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Deo vestro; ut eum ad iracundiam provocetis, testes invoco hodie cœlum et terram, cito perituros vos esse de terra, quam transito Jordane possessuri estis. Non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus, atque disperget in omnes gentes.* Unde tribus Ephraim et Manasse cum reliquis violantes pactum, possessione, quam habuerant, exciderunt. At quandocumque in Scripturis Messias promittitur, nulla unquam designatur conditio, a qua dependeat promissionis eventus; igitur absolute datam fuisse tenendum est, æque ac alia, quæ in Scripturis sine adjecta unquam conditione enunciantur, ne alioquin, si ita sine fundamento liceret excipere, nutarent Prophetiæ omnes, et simili modo everti possent. Deinde Messias non Judæorum

tantum gratia, sed gentium omnium promissus fuit, Gen. 49. cit. *Ipse erit expectatio gentium*. Gen. 18. v. 18. *Benedicendæ sunt in illo omnes nationes terræ*. Ergo præcise propter Judæorum peccata adventus ejus nec retardari, nec impediri debuit : sed neque propter peccata gentium ; ut enim hæc, licet gravissima plurimaque semper, non obstabant, quominus Deus Messiam promitteret ; sic neque, quominus promissum mitteret. Et denique cum Messias promissus esset ad peccata tam Judæorum, quam Gentium delenda, et adducendam justitiam sempiternam ,Dan. 9., propter nulla impediri, vel differri debuit.

26. *Obj. III.* Prophetia Jacobi sæpius fefellit ; ergo vel non est prophetia vera de Messia ; vel dici debet, fuisse conditionatam. *Prob. Ant.* 1°. Soluta servitute Ægyptiaca, populo per plures annos summo imperio præfuerunt duces Moyses et Josue, quorum neuter fuit ex tribu Juda, sed Moyses ex tribu Levi, Josue ex tribu Ephraim. Dein toto Judicum tempore, usque ad Saulem primum Judæorum regem, ex Judicibus quindecim, duo tantum ex tribu Juda, Othoniel et Abesan, fuere; Saul vero primus rex de tribu Benjamin fuit. 2°. Etsi potestas judiciaria defecisset in Othoniele et Abesan transiens ad Judices alios extra tribum Juda; Messias tamen non venit, 3°. Sceptro ad Davidem de tribu Juda ortum delato, mansit quidem summum imperium diu in Davidis posteris ; sed penitus periit in captivitate Babylonica. 4°. Multo ante Christum, qui Jesus Nazarenus dicitur, tempore duces erant Machabæi, genus non a tribu Juda, sed Levi ducentes, ut ex 1. Mach. 2. v. 1. 25. ; item 1. Mach. 13. et 14. aperte evincitur; ergo si vera prophetia esset, venire debuisset antequam Machabæi principatum tenerent.

*Observa.* Ob rationes allatas non pauci Interpretes, atque ex SS. Patribus varii illud Jacobi : *Non auferetur sceptrum de Juda,* non de hujus nominis tribu, sed de tota Judaica gente intelligi volunt, ut sensus sit : non auferetur Judæorum principatus, vel imperium, donec, etc. Verum hæc Christianorum Doctorum differentia imprimis nihil Judæis prodest ; sive enim per Juda propriam hujus nominis tribum, sive totam Judaicam gentem, a celebriore tribu Juda sic dictam, intelligas ; sceptrum tam ab ista, quam ab illa pridem ablatum est. Nos vero interim quod attinet, verba Jacobi juxta naturalem et obvium sensum, de priore dicta tribu Juda intelligimus; cum rationes allatæ commodam omnino solutionem admittant, ut nunc patebit. Confer deinde n. 36. Unde

R. *N. A. Ad prob.* 1am. R. *C.* Non tamen inde inferas : ergo prophetia fefellit ; Jacob enim non de initio sceptri, sed hujus ablatione, sive fine loquitur ; neque hoc asserit : sceptrum statim, vel ante omnes alios ad tribum Juda perventurum; sed illud solum : ex quo semel sceptrum ad Judam pervenerit, quocumque tempore hoc sit, non esse a tribu Juda auferendum, donec Messias adveniat.

27. *Ad prob.* 2am. R. Toto, quo Judices erant, tempore, neque penes tribum illam, ex qua desumptus erat Judex, neque penes totam Judæorum gentem fuisse sceptrum, dici potest. *Sceptrum* enim summam potestatem, summum imperium, dominatum, vel jus dominii denotat ex parte illius ; penes quem sceptrum est; Judices vero administrabant duntaxat populum ex præscripto legis, unde nomen traxerunt, a *jure dicundo* : de cætero

agentes ut ex consilio : populusque obediebat quasi ex libertate; non vero gubernabant populum more regum, vel summorum principum. Hinc nulla erat Judicibus potestas condendi leges, imponendi, exigendi tributa; aut quidquam suo arbitratu imperandi. Verbo : non erant domini Israël, nec aliquorum de Israël, ut constat ex Judic. 8. Nam cum Gedeon liberasset populum de manu hostium, Israelitæ gratiam præstituri pro beneficio ei dominatum cum offerrent : *Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui;* respondit Gedeon : *Non dominabor vestri; nec dominabitur in vos filius meus; sed dominabitur Dominus.* Ergo ante victoriam de Madianitis, licet Judex fuisset, dominium tamen non habebat; quid enim hoc ei offerrent, si habuisset? Neque post victoriam, licet pluribus adhuc annis Judex permaneret, dominatum Israelis habebat : *non dominabor vestri.*

*Si quæris*, penes quem igitur Judicum tempore summa potestas et dominatus fuerit?

R. Penes Deum ipsum, qui per se nunciosque regebat populum, ut liquet ex illo Gedeonis : *sed dominabitur Dominus.* Et 1. Reg. 8. cum populus petiisset sibi regem dari; præcipiebat Samueli Dominus : *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Tum 1. Reg. 12. Samuel id ipsum populo exprobrat. *Videntes, quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos; dixistis mihi : nequaquam; sed rex imperabit nobis; cum Dominus Deus vester regnaret in vobis.* Hinc forma regiminis inter Judæos eo tempore Theocratica fuit. Ex quibus patet, tempore Judicum in Othoniele et Abesan sceptrum nec ad tribum Juda pervenisse, nec iis officio defunctis ab illa ablatum dici posse.

28. *Ad prob.* 3am. R. *N. Ass.* juxta dicta n. 19. dum Evilmerodach Jechoniæ thronum super illos cæterorum regum omnium, qui Babylone morabantur, evexit; ut adeo tunc nondum periisse sceptrum dici possit, licet Jechonias tum Babylone existens, non omni illa et plenissima libertate et independentia, qua primitus reges Juda Hierosolymis, uteretur. Sed neque id prophetia Jacobi poscit; quæ præcise dicit, non auferendum sceptrum. Sic et tributarii reges vere reges permanent populorum suorum, in quos nihilominus suam potestatem exercent. Sic Herodes, Judæorum consensu, rex Judææ fuit; licet Augustum, a quo regia insignia acceperat, revereri superiorem deberet. Sed

29. *Dices* : De Jechonia hoc Jeremiæ 22. v. 30. dixerat Deus : *Scribe virum istum sterilem : virum, qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda;* ergo in Jechonia hoc saltem defuncto jam vaticinium Jacobi impletum fuit, et sceptrum defecit.

Responderi potest 1°. *D. A.* Sterilem quoad successorem regem cum titulo et potestate regis, qualem habuerat David, ejusque successores, juxta illa : *in solio David C.* Sterilem absolute, vel quoad successorem cum titulo ducis et potestate minore *N.* Nam imprimis absolute sterilis non fuit, cum septem habuerit filios, 1. Paral. 2. v. 17. et 18. inter quos secundo loco ponitur Salathiel pater Zorobabelis, distincti ab alio Zorobabele ibid. Phadaiæ filio. Deinde per hæc : *Et habeat potestatem ultra in Juda*, non excludi dignita-

tem regia minorem, ac potestatem prorsus omnem, aperte Scriptura docet Agg. 1. v. 2. et 14. Agg. 2. v. 3. ubi Zorobabel constanter *Dux* Juda dicitur. Idem Zach. 4. v. 7. etc.

*Nec dicas :* Per priora : *qui sedeat super solium David*, excluditur potestas regia; ergo per hæc : *et potestatem habeat ultra in Juda*, excluditur potestas omnino omnis, etiam minor quam regia. Nam

R. *N. C.* Non enim per hæc posteriora aliquid distinctum a prioribus innuitur; quod patet ex textu Hebraico, in quo pro his : *et potestatem habeat ultra in Juda*, legitur *moschel, dominatur in Juda*; *maschal* enim *dominari* in *Benoni* habet *moschel, dominatur*; sed, spectata Scripturæ phrasi, sedere in throno, et dominari, sive regnare frequentissime tanquam quid unum conjungi solet. Plurima hujus rei passim occurrunt exempla : sic Zach. 6. v. 13. *veioscheb oumoschal al Kiso*, id est, *et sedebit super solio suo, et dominabitur*, ubi sedere in throno et dominari sunt conjuncta, atque unum idemque significant; non autem duo distincta.

Responderi potest 2°. et magis ad litteram *D.* Sterilem, quia prorsus non prosperabitur *in diebus suis* : h. e. juxta verba, ut nullus eo adhuc vivente, de semine ejus vir, sive nullus filiorum ejus sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra, vel ullam, etiam qualemcumque in Juda *C.* Sterilem omni modo, ut nullus etiam nepotum post dies Jechoniæ sit habiturus aliquam potestatem in Juda *N.* Nimirum sterilem vocat, quia non prosperandus *in diebus suis*, sive vita : quomodo autem et quare prosperandus non sit, subjecta causalis indicat : *nec enim*; nam τὸ *ki enim* connectit sensum, *erit*, scilicet in diebus Jechoniæ, *de semine ejus vir, qui sedeat, etc.* h. e. filiorum aliquis, nam si hic nepotes et posteri omnes intelligerentur; maledictionem non restrinxisset ad dies vitæ, *in diebus suis*. Atque hoc verum est, nam et filius ejus Salathiel in captivitate mortuus est, relinquens filium Zorobabelem ducem Juda.

30. *Si dicas* cum quibusdam Christianis Doctoribus. Zorobabel non fuit nepos Jechoniæ illius maledicti, sed Jechoniæ alterius, scilicet Johanan primogeniti Josiæ, a quo etiam abducto in captivitatem procreatus Salathiel pater Zorobabelis ducis Juda. Vel certe Zorobabel tantum ductor fuit redeuntium e captivitate, non vero proprie dux Juda habens potestatem aliquam.

R. *N.* utrumque : Primum ob dicenda num. 156. Alterum 1°. quia simpliciter dicitur *dux Juda*, quod plus innuit, quam ductorem præcise redeuntium; neque enim ductor itinerantium ideo dux provinciæ aut totius gentis dici potest. 2°. Quia Agg. 1. et 2. constanter ante omnes, etiam ipsum Josedec sacerdotem magnum, primo loco ponitur Zorobabel dux Juda. 3°. Quia singularem Zorobabelis prærogativam aperte indicant illa Agg. 2. v. 24. *In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, et ponam te quasi signaculum, quia te elegi.* Et illa Zach. 4. v. 7. *Quis tu mons magne coram Zorobabel?* 4°. Eod. v. 9. dicitur manibus suis fundare domum Domini, eam perficere; certe non manibus propriis, ut cæmentarii; sed cogendo operarios, qui neglecto templo, sibi fabricabant domos Agg. 1.; igitur imperio aliquo pollere debuit.

31. *Si contendas porro* : Saltem post Zorobabelem series genealogica du-

cum in sacra historia prætermissa est; ergo signum est, tunc nullos fuisse duces, sed quod rerum potestas penes sacerdotes unice fuerit, sicque sceptrum transiverit a tribu Juda ad tribum Levi. Et vero invasuro Judæos Holopherne, unus Eliacim sacerdos magnus omnia disposuit, etiam quoad militiam.

R. *C. A. N. Cons.* Ratio est, quod post reditum e captivitate summa potestas non penes duces solos, sed simul, si non pars major, esset penes Synedrium; sive Concilium magnum, aut Senatum, mutata priore monarchica regiminis forma in aristocraticam, idque consulto; tum ne posthac, si rerum summa penes unum consisteret, is auctoritate abutens secum populum in vitia pertraheret; quemadmodum reges fecerant, quæ causa fuerat captivitatis, majorisque alterius mali esse potuerat deinceps; tum ne regimine monarchico regum Persiæ provocarent invidiam.

Ex facto Eliacim nihil evincitur: hortatus ille populum fuit ad orationem et pia opera, tum, ut aditus montium præcluderet, per quos via erat versus Jerusalem. Plus de eo non refertur. Sed ex hoc non sequitur summam in politicis potestatem fuisse penes Eliacim, cum etiam sacerdos qua sacerdos ad idem hortari possit, dum Religionis hostis imminet. Imo Eliacim debebat, ne sacra et templum, quorum cura ipsi incumbebat, profanarentur. Sic, quod quidem e Christianis hic adversarios attinet, si ingruente bello Turcico summus Pontifex indicat preces, jejunia, hortetur principes ad arma, etc. non ideo sequitur, Romanum Pontificem in orbe Christiano summam habere in politicis potestatem. Certe, qui e Christianis potestatem summam penes solos summos Pontifices fuisse volunt post captivitatem, rem catholicam contra Judæos non parum implicatam reddunt.

32. *Ad prob.* 4$^{am}$. *D. A.* Machabæi erant duces militiæ *C.* duces cum summo imperio ac regentes Judæorum Rempublicam vel supremi principes soli et in omnibus *N.* In LL. Machabæorum bellis tantum præfuisse leguntur. Sic 1. Mach. 2. v. 66. unde Machabæorum ducatus initium sumpsit, inquit Mathathias moriens: *Judas Machabæus fortis viribus.... sit vobis princeps militiæ, et ipse aget bellum populi.* Defuncto Juda Jonathas princeps et dux substituitur *ad bellandum bellum,* 1. Mach. 9. Dum et huic populus Simonem sufficit principem et ducem, *pugna,* inquit, *prælium nostrum,* 1. Mach. 13. v. 9. Unde si etiam disposuisse alia et ordinasse dicantur Machabæi, non id sua duntaxat auctoritate, sed de consensu Senatus *Sanhedrin* sive Synedrii gestum est, penes quem potissima semper potestas remansit usque ad Herodem.

Nec scrupulum moveat, quod idem Simon postea 1. Mach. 14. v. 42. dicatur *dux et princeps gentis Judæorum et sacerdotum,* ac talis etiam appelletur 1. Mach. 15. v. 1. ab Antiocho rege; nondum enim hinc sequitur, quod Respublica Judæorum supremam potestatem unice in Simonem transtulerit, ut hic, more alias regum, summo præesset imperio, quin dependeret ab ullo; sed (si etiam præter militaria cum civilia curasse permittamus dici, tametsi nihil referatur de hoc in Machabæorum libris) quia ob perspectam viri fortitudinem, dotes et merita ipsi Reipublicæ velut præfectura prima, ac administratio credita, ut, quidquid ageret, ratum haberet senatus et populus, velut a se ipso gestum, eo scilicet modo, quo subinde plenipoten-

tiarii provinciarum præsides regunt provincias, plectunt sontes, constituunt præfectos alios, exercent judicia, etc. potestate tamen a Republica vel summo Principe accepta, sive vicaria. Sic et Joseph dicitur *Princeps in terra Ægypti*, Gen. 42. *et dominari in omni terra Ægypti*, Gen. 45. eo quod plena quidem potestate, vicaria tamen, ac a Pharaone accepta, Ægyptum regeret; sic et passim in Scriptura, et a Judæis principes appellantur præfecti quicumque et optimates.

Sed *dices* cum Recent. quodam, 1. Mach. 15. v. 6. Antiochus rex *permittit* Simoni *facere percussuram proprii numismatis*; id vero regale quoddam est, et vero, summo principi proprium.

R. *D.* Permisit facere percussuram numismatis proprii ipsi Simoni, velut ejus sub nomine, quo modo alii principes cudunt numismata impresso nomine, insignibus, in signum summi imperii *N.* Tale enim numisma nullum videre licuit. Numismatis proprii *regioni*, scilicet Judæorum *C.* Additur enim proprii numismatis *in regione tua*; quod clarius reddit textus græcus καὶ ἐπεστρεψὰ σοι ποιῆσαι κόμμα ἴδιον νόμισμα τῃ χῶρα σου, *et permiserunt tibi facere percussuram proprium numisma regioni tuæ*, nimirum Judæorum; quo jure, cudendi numisma, ne uterentur, erant prohibiti; sed hoc ipsis conceditur ab Antiocho. Numisma vero Judæorum proprium erat *siclus Israelis*, *sechel ischrael*, sine Simonis vel nomine, vel effigie, cujusmodi numismata adhuc reperire est.

33. *Inst.* 1. Senatus Judæorum gratis asseritur. Vel 2. si permittatur; unde probabitur 70. illos viros conflantes Synedrium de tribu Juda fuisse? imo cum in hoc senatu judicandæ essent causæ omnium tribuum, verosimilius est, viros illum componentes ex omnibus tribubus fuisse selectos, ut fecit Moyses, dum illum instituit Exod. 18. 25. *et electis viris strenuis de cuncto Israel*, non tantum de tribu Juda, *constituit eos principes populi.* Num. 11. v. 24. *congregans* 70. *viros de senibus Israel.*

*Ad* 1$^{um}$. R. *N. A.* Jam enim post reditum e captivitate illius fit mentio 1. Esdr. 6. v. 7. dum Darius rex præsidem Tathanai jubet, ut dimittat fieri templum *a duce Judæorum et senioribus*; hic enim seniores, quales esse solebant viri in Synedrio, juxta illud Num. 11. distinguuntur a duce. 2. Machab. 1. v. 10. *Populus, qui est Jerosolymis et in Judæa, senatusque et Judas*; hic senatus opponitur Judæ Machabæo, imo illo præponitur. 1. Machab. 11. v. 27. *Rex Antiochus senatui Judæorum, et cæteris Judæis salutem.* 1. Machab. 12. v. 6. *Seniores gentis.* Versio LXX. habet *Senatus gentis.* Idem confirmant Judæorum antiquissimi et summæ apud illos auctoritatis codices, Talmudistæ et Rabbini, quos refert Raymund. Martini, L. 2. Pugionis c. 4. §. 3. 4. qui vocem sceptrum de Synedrio intellexerunt. Sic in Bereschit Rabba ad illa: *Non recedet sceptrum de Juda*, dicitur: *illud est camera, vel consistorium dolatum, vel politum, quod datum est in parte Judæ*; et ad illa: *Scriba de medio pedum ejus*, vel ut Vulgata nostra habet: *Dux de femore: Isti sunt sedentes Jabbets, ducentes sententias in Sanhedrin magna, et quid est, non recedet sceptrum de Juda? et nonne jam recesserunt Sanhedrin de camera magna?* In Bereschit Kezara Sect. 79. *non recedet sceptrum de Juda*, sic exponitur: *Hi sunt sedentes in Jabbets docentes sententias in Sanhedrin magna, quæ est sedens in camera dolata in parte Judæ,*

Ibi judicata fuisse judicia animarum sive mortis testatur ipse liber Sanhedrin Hierosolymit. c. Dine Mamonoth. Sic Rabbi Moses Hadersan in hoc libro ait : *et scriba de femore ejus; hi sunt Sanhedrin sedentes in consistorio Gazith ad judicandum judicia animarum ; hi nunquam de Juda auferentur, quousque veniat Schilo, qui est Messias.* Senatum vero istum, teste Philone L. de Temporib. sustulit Herodes ; *Sanhedrin*, ait Philo, *ex domo David delevit, et Ananelum quemdam et Sanhedrin ex proselytis suffecit.* Idem Josephus tradit L. 14. Antiquit. Judaicar. c. 17. *Herodes regnum adeptus omnes illos judices sustulit et regem, scilicet Hircanum de Assamonæorum gente.* Ex his colligitur, vix melius convinci Judæos nostros posse, quam in hac sententia, sceptrum eo tempore perdurasse in Synedrio, utpote pro qua stat simul Judaicæ gentis traditio et consensus. Hinc simul perspicitur, Synedrium istud non fuisse instar meri Concilii, vel Senatus alicujus, ut Perrerius putat.

*Ad* 2$^{um}$. R. Viros Synedrium post captivitatem conflantes fuisse de tribu Juda, patet inde, quod reliquæ tribus decem, quibus constiterat regnum Israelis, ad alias mundi plagas disjectæ e captivitate non redierint; hinc *disparitas* est de tempore Moysis, quo tribus omnes collectæ erant. Equidem cum tribu Juda Sacerdotum et Levitarum aliqui recensiti 1. Esdr. 2. et 2. Esdr. 12., item de tribu Benjamin redierunt; sed hi comparative ad eos de tribu Juda, qui reversi sunt, vix numerari merentur. Ad hæc tribus Benjamin per se semper omnium numero minima, aliquando ferme tota extincta, nequidem tota rediisse videtur, sed admodum pauci ; quod inde colligitur, quod in libris Esdræ reduces ex hac tribu nequidem memorentur; cum tamen, qui de Levi reversi, imo Nathinæi et filii servorum exacte recenseantur 1. Esdr. 2. Demus igitur, licet nullo ex capite (neque enim factum Moysis præcepti loco est) constet, ex reverentia in sacerdotale genus ex hoc nonnullos admissos fuisse in Synedrium, itemque ex tribu Benjamin; tribus tamen Juda semper inter omnes maxima et sola regno par, sicut numero sic auctoritate superior et dominatrix mansit, ut propterea sceptrum tum ablatum fuisse nullo jure dici possit.

*Nec refert,* quod 2. Esdr. 11. ubi recensentur incolæ Hierosolymitanæ urbis, de tribu Benjamin numerentur viri nongenti viginti octo ; de tribu Juda vero quadringenti sexaginta octo, eo quod hujus pars potior civitates cæteras inhabitare mallet ; non enim propterea Benjamitæ summum senatum cum tribu Juda ex æquo conflaverunt, cum verosimile non sit nulloque constet judicio, tribum Juda summam potestatem, quam post reditum adhuc tenuerat in Zorobabele, cedere voluisse Benjamitis, vel cum his dividere, sed potius contrarium testetur laudatus ante Philo, rerum Judaicarum peritissimus et scriptor celeberrimus, qua laude semper floruit, cum dicat, Sanhedrin Herodis adhucdum tempore fuisse *ex domo David.*

34. *Inst.* 2. Jacob duo posuit, non ablatum iri sceptrum de Juda, et non defuturum *ducem de femore*, donec Messias veniat ; licet ergo tum sceptrum perdurarit in Synedrio ex tribu Juda ; non tamen erat dux de femore.

R. *D. A.* Posuit hæc duo conjunctim ita, ut ad utrumque æqualiter referatur illud, *donec Messias veniat N.* Ut referatur solum ad prius, *non auferetur sceptrum C.* Solet enim Scriptura, cum plura præmisit, extremo loco ponere aliquid, quod tamen non ad omnia præcedentia, sed ad unum

aliquod illorum tantum referatur. Habe exemplum: Gen. 15. dixit Deus Abrahæ: *Peregrinum* erit *semen tuum in terra non sua, et subjicient illud servituti, et affligent illud quadringentis annis*; hoc ultimum, *quadringentis annis* tantum refertur ad illud primum, *peregrinum erit semen tuum in terra non sua*: nam servitus et afflictio Hæbræorum in Ægypto longe brevior fuit ducentis annis, cum a Jacobi in Ægyptum descensu usque ad egressum Hebræorum ex Ægypto numerentur anni non plures 215., de quibus tamen detrahendi sunt adhuc anni 70., quibus vivente Joseph Hebræi quiete feliciterque in Ægypto degebant. Hinc illa: *Dux de femore*, velut per supererogationem Jacob addidit, ac si diceret, multos etiam duces interea de tribu Juda futuros.

*Adde*, quod juxta Hebræorum quidem libros, qui hodiedum in summa apud Judæos veneratione sunt, et juxta Rabbinos veteres, quos n. præc. retulimus, et quorum plures Galatinus et Martini afferunt, per *ducem de femore* non intelligatur homo quidam individualis, sive physice unus; sed totus ille senatus, sive unus moraliter, quo sensu sæpe plures nomine unius veniunt. Videlicet Hebr. *Mechoqeq* a *Chaqaq, scripsit* vel *descripsit, expressit*, scribam significat, et quidem juxta Rabbinos citt. legislativum; quod etiam conjunctio ejus cum voce *schebet* indicat; non vero hominem, vel rabbinum simplicem; a *Chaqaq* enim in conjugatione *Pohel* dictatorem, legislatorem importat. Atque per hunc scribam legislativum, dictatorem, legislatorem Rabbini citati non singularem hominem, sed totum senatum intellexerunt, quasi unum moraliter: quo sensu etiam hodie senatus, e. g. Reip. Venetæ, et olim Romanus, licet ex pluribus individuis constans, quasi unus moraliter, dicitur dictator, legislator. Id quod contra Judæos plus habet roboris, ob priscæ suæ gentis consensum et traditionem.

35. *Inst.* 3. Adhuc multis post Christum, nimirum Jesum Nazarenum natum et mortuum, annis perstitit Synedrium, ut constat ex variis ejusdem actis Luc. 10. inquirentis in vitam et doctrinam Christi; Act. 6. examinantis Stephanum, et Act. 7. lapidantis, aliisque, quæ refert Josephus Antiquit. Judaic. c. 8.; ergo, si ablatio sceptri de Juda esset venturi Messiæ signum, Christus noster longe serius nasci debuisset, quia sceptrum juxta nos perduravit in Synedrio, hoc vero usque ad excidium Hierosolymæ, ferme 40. post Christi mortem annis.

R. 1°. Juxta Philonem cit. n. 33. Synedrium illud non fuisse de tribu et femore Judæ; quia, juxta eumdem, Herodes Synedrium illud prius de Juda et domo David delevit substitutis *proselytis*, h. e. conversis ex gentibus; ergo cum hi de tribu Juda non essent, ante Christum, tempore Herodis regnum adepti, revera defecit sceptrum in Juda. Nec refert, quod Herodes unum, teste Josepho, vivum servari voluerit ex Synedrio; hoc enim fecit, ut ait Josephus, ut ex eo traditiones edisceret. Nec unus ille superstes dici poterat Synedrium, aliorum, si quam tamen potestatem reliquerit Herodes senatui novo, oppressus numero et pondere. In hac sententia omnia illa non stringunt, quæ de Synedrii potestate, Herodis tempore et post, disputant alii.

R. 2°. Qualecumque fuerit Synedrium post Herodis tempora; 1. certum est, illo regnum adepto ablatum fuisse penitus sceptrum de Juda, cum ipse auferret Synedrium; quod signum posuerat Jacob. 2. Nihil poterat amplius

auctoritate sua; sed si quid egit, vel de consensu Romani præsidis, vel nulliter et suo periculo egit; ut liquet ex facto Anani Pontificis, *qui*, teste Josepho, L. 20. c. 26. *Pontificatu privatus fuit, quod Festo mortuo, et Albino in itinere constituto concilium fecerit Judicum, contra Jacobum fratrem Jesu.* Idem antiqui Rabbini testantur; nam in L. Sanhedrin dicitur : *Legunt magistri, quod per annos* 40. *ante templi destructionem expulsi fuerint Judices de consistorio Gazith*, extra quod non licebat facere animarum judicia ex Deut. 17. v. 8. *Et habitaverunt in Hamith; et statim ex eo tempore*, ait ibid. R. Abdimi, *nunquam amplius criminale judicium judicarunt.* Hinc in Christum inquisiverunt, ut eum accusarent. S. Stephanum occiderunt, vel ut homicidæ privati, vel ex Pilati permissu. Sicque litteras dederunt Saulo, Act. 9. Quin Pilato dicenti : *judicate eum secundum legem vestram*, respondent : *Nobis non licet interficere quemquam.*

36. Si demum *quæras*, cur potius tribum Juda, quam totam Judæorum gentem intelligamus per illa Jacobi : *non auferetur sceptrum de Juda?*

R. 1°. Quia Judam filium hic alloquitur Jacob; nihil vero cogit hæc : *non auferetur sceptrum de Juda, etc.* abstrahere a Juda Jacobi filio et transferre ad omnes Jacobi posteros; tota enim certe primaria ratio, cur Doctores quidam verba ea ad omnes pertinere tribus velint, est, quod alias non appareat, quomodo Machabæorum tempore sceptrum in Juda perstiterit usque ad Christum : sed vanus hic metus est, ut ex dictis liquet; ergo nec ad tribus reliquas transferri debent; quia non licet, nisi aliud Scriptura ipsa suadeat, subjecta materia, velut subinde in Prophetis, ita orationem velut mutilando transferre a sensu uno ad alium, ut Lutherus fecit, L. de Potest. Pap. illa Matth. 16. *super hanc petram, etc.*, ex oratione Christi constanter ad S. Petrum directa, ut huic primatum eriperet, deflectendo ad Apostolos omnes.

R. 2°. In his : *Juda, te laudabunt fratres... catulus leonis Juda,* intelligitur Juda Jacobi filius, hujusque tribus; ergo et dum subdit Jacob : *non auferetur sceptrum de Juda.*

R. 3°. Postquam Jacob dixisset : non auferetur sceptrum de Juda, addit : *et Dux de femore ejus*; at quo vero sensu id Jacob dixisset, si prophetia hæc : *non auferetur*, etc. intelligenda esset de tota Hebræorum gente? nemo enim ex femore integræ alicujus nationis nasci dicitur; sed ex femore illius, qui gentis et nationis caput est.

R. 4°. Jacob Gen. 49. v. 28. dicitur *benedixisse singulis benedictionibus propriis*; sed si per *Juda* hic non intelligatur Jacobi filius, et tribus hujus nominis, solus hic non habuisset benedictionem propriam, quia illa de sceptro fuisset communis omnibus.

*Dices* 1°. Cum recentiore in Diatrib. de vaticin. Jac. benedictionem Judæ propriam contineri in his, quod Juda *laudandus* sit a fratribus 1. ob insignes victorias, quibus reges Juda potituri essent, ut probant hæc alia : *catulus leonis Juda : ad prædam, fili mi, ascendisti : accubuisti ut leo*; 2. propter alias tribus Juda excellentias et prærogativas, ut, cum in castris ponendis cæteras præiret, in divisione terræ Chanaan primam sortem ferret, etc. vel 3. ut alii volunt, ob hæc sequentia : *Ligans ad vineam pullum suum*, etc.

quibus terræ illius indicatur fertilitas, quam præ aliis habitura erat tribus Juda; ergo.

R. *D. A.* Tota benedictio Judæ propria his continetur *N.* Aliqua, et velut secundaria *C.* Jacob Judam non tantum laudandum dixit, sed et adorandum : *Juda, te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui,* etsi vero *laudandus* a fratribus ob insignes victorias, aliasque prærogativas dici possit; non tamen *adorandus,* qua voce principatus importatur, cum adoratio deferatur non nisi superiori, nec sumatur in Scriptura aliter quam pro subjectione ab inferiore præstita superiori. Adorandus igitur dicitur Juda ob sceptrum, quod ea tribus erat habitura a Davide usque ad Christum : *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat,* etc. sequentia vero : *Ligans ad vineam pullum suum,* etc. non pertinere ad Judam, sed ad Messiam, ipsa verborum, et positionis, totiusque contextus evidentia clamat. Nam, cum de Messia dixisset Jacob : *Donec veniat qui mittendus est; et ipse erit expectatio gentium,* subdit : *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam : lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino,* etc. ubi τὸ *ligans,* etc. aperte refertur ad præcedentia, *qui mittendus est,* ut constat ex modo loquendi in persona tertia, *pullum suum... asinam suam... lavabit... pallium suum... oculi.... ejus;* si enim hæc ad Judam pertinerent; ergo, cum hunc alloquatur in persona secunda, *o fili mi,* dicere debuisset, pullum tuum, asinam tuam, lavabis, oculi tui.

*Dices* 2°. Hæc : *Non auferetur sceptrum de Juda,* non ad Judam pertinere Jacobi filium hujusque nominis tribum, indicat mutata loquendi ratio; antecedenter enim Patriarcha filium alloquitur in vocativo, *Juda, te laudabunt,* etc. at hic non dicit : *non aufertur sceptrum de te, fili mi,* sed : *non auferetur sceptrum de Juda;* ergo. *Conf.* Si enim, juxta dicta, ex modo loquendi in tertia persona verba subsequentia : *ligans pullum suum... lavabit,* etc. referenda sunt ad eum, *qui mittendus,* cur ex eadem mutatione orationis non poterit dici, Jacobum a persona singulari transiisse ad Judæos, et fratres alios?

R. *N. A.* Si enim hæc ratio aliquid probaret, ergo nec benedictio Josepho data huic soli conveniret, cum Jacob benedicens Josepho a v. 22. multa de hoc in persona tertia proferat.

*Ad Conf.* Disparitatem facile Grammaticus dabit; hæc enim : *ligans ad vineam pullum suum,* etc. sic profert Jacob in persona tertia, ut simul filium alloquatur in vocativo : *ligans ad vineam pullum suum, o fili mi!* quo evidens fit, hæc : *ligans, lavabit,* etc. dici a Patriarcha ad filium non de filio ipso, alias dicere oportuisset, *lavabis,* etc. sed de alio, scilicet, *qui mittendus est,* cui tanquam substantivo basis hæc *ligans,* etc. adjective tribuuntur; unde et nulla hic est orationis mutatio. At in altero non dixit Patriarcha : non auferetur sceptrum de Juda, *o fili mi!* sed simpliciter : non auferetur sceptrum de Juda.

*Dices* 3°. Jacob illa : *Non auferetur sceptrum de Juda,* direxit ad filios omnes, quia universus populus erat a tribu Juda nomen sortiturus, quod, auctore Josepho, accidit post captivitatem Babylonicam, a quo tempore omnes Jacobi posteri dicti sunt *Judæi,* ipsaque eorumque regio *Judæa* appellata.

R. *N. A.* quod gratis asseritur; permisso enim quod nunc, ob confusionem tribuum, Hebræi vulgari nomine dicantur Judæi, unde probabunt adver-

sarii, hoc prævisum fuisse a Jacobo (neque enim singuli prophetæ prævideruut omnia) vel si præviderit, eum ex illa ratione verba direxisse ad filios omnes? Sed præterea in Scriptura sacra V. T. omnes Jacobi posteros fuisse *Judæos* uno nomine dictos, post reditum e captivitate, nullum habetur vestigium; quin constanter potius adhuc et tribus inter se, tribum Benjamin a tribu Juda distingui comperimus in libris Esdræ. Demum reduces e captivitate fuisse Judæos dictos horumque regionem *Judæam*, inde est, quod cæteræ decem tribus non redierint, sed tribus Juda: proprio igitur nomine tunc dicebantur Judæi, eorumque regio *Judæa* a tribu Juda; equidem et Benjamitæ reduces recensentur ab Esdra; at, quia horum exigua tribus comparata tribui Juda ad hanc se haberet velut accessorium ad principale, a scriptoribus profanis dicti potius sunt Judæi a tribu Juda tanquam a parte potiore et nobiliore, quam Benjamitæ a tribu Benjamin.

37. *Obj. IV.* Herodes non erat alienigena, sed genere Judæus; ergo sublato licet per Herodem Synedrio, sceptrum tamen a Juda nondum ablatum erat. *Prob. Ant.* 1°. Nam Herodem *duxisse genus a primoribus Judæorum,* qui in Judæam venerant a Babylonia, testatur Nicol. Damascenus scriptor Herodi coætaneus apud Josephum Antiquit. L. 14. c. 2. 2°. Teste Josepho, eodem, L. 20. c. 6. cum Judæos inter et Syros Cæsareæ orta esset contentio de pari jure civitatis, et Judæi opponerent, urbis conditorem Herodem esse regem Judæum genere, hoc Syri non inficiabantur. 3°. Juxta Joseph. L. 15. Antiq. c. 16. Herodes in concione ad Judæos, hos vocat *tribules suos.* 4°. Strabo L. 6. vocat Herodem, Judæorum *indigenam,* seu vernaculum. 5°. Herodiani Herodem habebant pro Messia, quod non fecissent, nisi Judæus fuisset; cum scirent Messiam ex semine Abrahæ, imo et Davidis nasciturum.

R. *N. Ant.* Quo genere fuerit Herodes rex ex Josepho discimus L. 1. de bello Judaico c. 5. ubi de Antipatro Herodis patre scribit: *Erat autem genere Idumæus, nobilitate et opibus gentis suæ princeps.* Herodem alienigenam fuisse consentiunt Patres, etsi eorum quidam illum origine Ascalonitam, et solum nativitate Idumæum faciant, ut S. Ambr. L. 3. in Lucam. Eusebius L. 1. Hist. c. 6. *paterno genere Idumæum, materno Arabem* scribit.

*Nec dicas* cum Scaligero et Casaubono, Herodem, etsi Idumæum, alienigenam tamen dici non posse, cum Idumæi integro fere seculo ante devicti a Joanne Hircano, facti sint Judæi, juxta Joseph. Antiquit. L. 13. c. 17. et L. 15. c. 11. circumcisionem et Judæorum ritus amplexi. Accedit, quod a prima origine Idumæi fratres essent Judæorum Deut. 23. v. 7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est,* nimirum ex Abrahamo per Esau, a quo terra dicta Edon, unde Idumæi, juxta Aug. L. 1. QQ. in Genesin Q. 120. Nam quod devicti Judæorum sacris adhæserint, solum probat Herodem proselytum, et Judæum religione fuisse, non genere. Porro licet Idumæi dicti sint Judæorum fratres, ratione descendentiæ ex Abrahamo per Esavum, respectu tamen Judæorum vere talium alienigenæ erant, habentes ritus et principes ab Israelitis diversos. Populus vero judaicus, cui datæ promissiones illæ fuerant, erat is, qui ex Abraham descendebat per Jacob, solus circumcisionem servans.

R. *N. A. Ad prob.* 1am. R. Ita quidem Josephus refert, sed simul eumdem

turpis adulationis reprehendit et mendacii : utpote qui hoc confinxerit, ut filii Herodis sibi gratiam conciliaret.

*Ad prob.* 2am. R. Josephus factum refert; dictum a Judæis non ideo approbat. Sed Josephi mentem jam vidimus. Nimirum Judæi ita dixerant partium suarum studio : ut nempe jus civitatis contra Syros sibi asserrerent.

*Ad prob.* 3am. R. Judæos *tribules* vocat, ut eos sibi demereatur. Quin ita vocare suo modo poterat, cum, utpote proselytus Judæorum sacra amplexus, Judæorum populo velut insitus esset. Quo tamen non obstante, tales censebantur alienigenæ, non veri Judæi; secus ac in Christianis accidit; nam veri Christiani sunt quicumque sive Judæi, sive Turcæ, sive Tartari, etc. postquam sacro lavacro abluti fuerint; quia scilicet Christianus fit, non nascitur, ad Gal. 3. v. 26. *Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu... non est Judæus, neque Græcus, neque servus*, etc. At Judæi veri nascuntur, et potior est apud istos originis ratio. Deinde esto, Herodes Judæus fuerit quomodocumque, non tamen ex Judæis erat, sed Idumæis; proin non ex femore Judæ; unde in eo non impletum fuit vaticinium.

*Ad prob.* 4am. R. *D.* Indigenam vocat genere *N.* religione *C.* Constat ex modo dictis.

*Ad prob.* 5am. R. Herodiani homines fanatici, numero pauci, et ob idipsum odiosi omnibus, Messiæ titulo Herodem colebant; quia, ut ait Epiphan. hær. 20. n. 1. cum viderent sceptrum translatum esse ad externum hominem, Herodem esse Christum putarunt; quod hoc consequi videretur ex Scriptura : *non auferetur*, etc.; in hoc tamen deceptos esse, quod Messias non de gente extera, sed stirpe Juda proditurus esset. Nisi dicere malis, ad hoc ab Herode subornatos fuisse, qui omnibus artibus persuadere nitebatur Judæis, se ex Judaica esse stirpe progenitum; atque idcirco, ne ambigendi locum relinqueret, omnes Judæorum genealogias, et instrumenta publica comburi jusserat. Cæterum ita constans erat oppositum, ut ex aliis Judæorum sectis vix aliqui minis et tormentis cogi potuerint, ut in Herodis fidem jurarent. Vide Josephum.

38. *Obj.* V. Si in Jacobi vaticinio tam solide stabiliatur Messiæ adventus; cur igitur hoc vaticinio contra Judæos disputando, nec Dominus noster, nec Evangelistæ, nec Apostoli unquam usi sunt, quos tamen constat cæterorum prophetarum testimoniis frequenter usos esse?

R. Ideo, quia ex prophetia Jacobi illud solum concludi potest, quo tempore natus est Salvator noster, eo tempore Messiam venturum esse; tunc enim primum sceptrum a tribu Juda defecerat, translatum in Herodem alienigenam. Sed hoc Judæi non negabant. Quin pro certo habebant tam docti, quam vulgus in proximo esse Messiæ adventum. Unde Samaritana dicebat Joan. 4. *Scio, quia Messias venit.* At vero hominem illum, qui dicebatur Jesus, filius Mariæ, et, ut putabatur, Joseph, illum inquam verum esse Messiam, qui exspectabatur, quod Judæi negabant, et adversus eos urgebant Apostoli, hoc inquam, ex prophetia Jacobi demonstrari non potest. Non ergo mirum, Dominum et Apostolos hac prophetia usos non fuisse. Eadem est responsio ad prophetiam Danielis, de qua in sequenti; qua ex eadem ratione contra Judæos usi non sunt.

## ARTICULUS II.

### AN ET QUOMODO EX CELEBRI SEPTUAGINTA HEBDOMADUM VATICINIO (DAN. 9.) PROBETUR CONTRA JUDÆOS MESSIÆ ADVENTUS?

39. Illustre hoc vaticinium contra Judæorum perfidiam semper Christianis validissimi instar præsidii fuit. Nam Messiæ tempus, necem; Judaicæ religionis et urbis, quæ arx illius erat, interitum; templi et sanctuarii demolitionem perpetuam; sacrificiorum ac ceremoniarum perpetuam abolitionem tam perspicue designat, ut, si frontem haberent Judæi, quam mentiendi assiduitate detriverunt; negare non auderent, jam pridem finitum esse illud annorum spatium, quod Messiæ adventui, illiusque neci præfinivit angelus. En verba angeli ad Danielem, cum is ad Deum preces funderet, Dan. 9. v. 24.

*Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum et urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt: et rursum ædificabitur platea et muri in angustia temporum.*

*Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Circa prophetiam hanc quædam prænotanda veniunt.

40. I. Hebdomas sive septenarius in sacris Scripturis vel pro diebus septem, vel pro septem annis sumitur; alius enim hebdomadarum usus in Scriptura non occurrit; sed neque in scriptore quocumque alio, vel gente. Pro septem diebus sumitur, Levit. 23. v. 15. Dan. 10. v. 2. ubi de se ait: *lugebam trium hebdomadarum diebus.* Pro septem annis vero, Levit. 25. v. 8. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem.* Quibus evolutis sequens annus quinquagesimus erat Jubilæus Judæis, juxta v. 10. ibi. In hoc vero vaticinio, ut dicetur infra, hebdomades, de quibus sermo est, sunt hebdomades annorum, ac proin, si multiplices 70. per 7. septuaginta hebdomades faciunt annos 490. Quod enim ORIGENES Tr. 28. in Matth. (al. comment. in Matth. n. 40.) ait, unamquamque harum hebdomadum diem decem annis constare, error est, ut ex illo Levit. 25. cit. vides.

41. II. Septuaginta illæ hebdomades dicuntur *abbreviatæ*, h. e. ut intra illas antequam finiantur plene, *ungatur Sanctus Sanctorum*, sive verus Messias, qui impleat visionem et prophetiam. Vel, ut alii volunt, sensus est: hæ paucæ solum hebdomades definitæ sunt, cum Deus potuisset plures

decernere; quo sensu Matth. 24. v. 22. dies persecutionis Antichristi *breviati* dicuntur.

42. III. Angelus, postquam initio universim spatium annunciasset 70. hebdomadum, quarum decursu omnia illa essent complenda, 70. hebdomades dividit in tres partes : scilicet in hebdomades septem, et in sexaginta duas, et in unam, quæ ultima est, quamque dimidiatam vocat v. 27., cuilibet futuros eventus et res memorabiles assignans. Pars prima, sive *hebdomades septem*, id est anni 49., continent tempus quo non templum solum, sed et civitas Jerusalem cum muris, plateis, domibus, propugnaculis restauranda sit. Has 7. hebdomades vocat *angustiam temporum*, sive quia tempus hoc breve est pro exstruenda urbe tanta et munita una cum templo; sive propter vicinorum infestationes hostium, tempore fabricæ, 1. Esdr. 4. et 6. Sic enim tempora misera et difficilia passim angusta dicuntur.

His evolutis succedent *hebdomadæ sexaginta duæ*, sive anni 434., et notant tempus intermedium a restaurato templo et urbe, usque ad initium prædicationis Christi. Dum vero inquit angelus : *et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*, harum initium neque a tempore loquentis angeli, neque *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*, sive concessione decreti regii, de quo Art. seq.; sed a restaurato templo et urbe duci debet. Ratio est evidens; quia, cum in versibus præcedentibus dixisset angelus, quod ab emanatione edicti regii usque ad Christum ducem, universim futuræ sint hebdomades 69., si hæ sexaginta duæ fluere ab ejusdem decreti emanatione deberent, hic versus : *et post hebdomades sexaginta duas*, etc. manifeste pugnaret cum præcedentibus, citiusque occidi debuisset Christus, quam orbi innotuisset.

*Hebdomas una, sed dimidiata*, prædicationis Christi tempus reliquum continet, tum Passionem ejusdem ac mortem, quæ evenit in hebdomadis ultimæ, sive septuagesimæ, dimidio. Porro hebdomada una multis *confirmabit pactum*, h. e. Testamentum novum, quod æque ac Testamentum vetus pacti nomen obtinet.

43. *Dico*. Ex allato Danielis vaticinio de septuaginta hebdomadibus, Christum vel Messiam advenisse, contra Judæos solide evincitur.

*Prob*. Nam 1°. eo in vaticinio nemo designatur alius, quam Messias. 2°. Tempus adventui ejusdem præfinitum ibidem ab angelo, scilicet 70. hebdomadarum, spatium pridem evolutum est; ac 3°. quæ post necem Christi futura prænuntiantur, exacte impleta sunt omnia; ergo et necesse est, pridem Messias advenerit.

*Prob. Ant.* 1ª. *pars*. Nam 1°. *Sanctus Sanctorum, qui impleat prophetiam* qui *deleat peccatum*, qui *adducat justitiam sempiternam*, etc. nemo esse alius potest, quam Messias; vel si quis sit alius, assignent hunc Judæi, si possint. 2°. Quia in hebraico hic Sanctus Sanctorum v. 26. aperte *Messias* vocatur. 3°. Quia dicitur implere visiones et prophetias; sed Messias est, ad quem prophetiæ omnes diriguntur. 4°. Quia Rabbini celebriores, et veteres plerique Messiam intelligunt : R. Ozia in Seder olam, R. Josue ibid., R. Barachias, R. Moses Tironensis, R. Hioces, R. David, R. Abrabam, etc. qui Talmudicos libros conscripsere. Vide Martini in Pugione Fidei.

*Prob.* 2ª. *pars.* Per hebdomades Danielis imprimis intelligi non possunt hebdomades dierum, ipsis affirmantibus Judæis. Et ratio est evidens: quia cum 70. hebdomades dierum conficiant dies 490., tantillum temporis spatium templo, urbique una cum muris, propugnaculis de novo exstruendis sufficere non potuit: atqui tamen juxta prophetiam hæc omnia intra illas hebdomadas, imo intra primam earum partem, sive 7. prioribus perfici oportuit. Superest igitur, ut sint hebdomades annorum; hæ vero annos 490. conficiunt. *Subs.* Atqui hæ annorum hebdomades jam pridem elapsæ sunt; ergo. *Prob. subs.* Hæ enim initium sumunt, ut ait angelus, *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem* : h. e. ab edicto regio, quod proprie *exit*, cum editur: quo rex Persarum dabit Judæis facultatem restaurandi urbem, eversam a Nabuchodonosore rege Assyriorum antepenultimo: quatuor vero edicta a diversis regibus Persiæ in Judæorum gratiam data fuisse legimus, de quibus Art. seq. Sed a quocumque ex his hebdomadarum ducas initium, etiam ab ultimo Artaxerxis, dato regni ejus anno vicesimo, jam anni supra bis mille ducentos et amplius effluxerunt; ergo hebdomades illæ, quæ tantum conficiunt annos 490., pridem elapsæ sunt.

*Prob.* 3ª. *pars.* Nam 1°. post necem Messiæ *civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo.* Impletum hoc est in Romanis sub duce Tito funditus Jerosolymam evertentibus. *Deficiet hostia et sacrificium;* quæ certe defecere; nec enim templum amplius, nec altare habent Judæi. *Post finem belli statuta desolatio..... et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* : quæ a Romanis inducta, uti jam 17. seculis stetit, sic et deinceps durabit; ne enim inani spe jactare se possent Judæi, addidit angelus, *usque ad consummationem.* Hæc sane in luce et omnium oculis posita penetrare deberent in Judæorum animos; sed tam hebes est illa gens, tamque pertinax, ut, quibus veritate ac ratione resistere nequeunt, horum fatigare potentiam intolerabili commentorum stoliditate conentur. Nam nihilominus

44. *Obj. I.* Per hebdomadas Danielis non intelliguntur hebdomadæ annorum, sed jubilæorum, vel decenniorum, sic, ut unaquæque hebdomada septem annorum decades, h. e. 70. annos conficiat; vel plane seculorum: atqui sic hebdomades illæ nondum elapsæ sunt; 70. enim hebdomades *Jubilæorum,* cum annus Jubilæus Judæis quinquagesimus sit, annos conficiunt 24,500. *Decenniorum* 4,900. *Seculorum* 49,000. Sed hi nondum effluxerunt; ergo.

R. *N. Ant.* 1°. Quia in sacris Scripturis, vel alibi nulla fit unquam mentio de hebdomadis decenniorum, jubilæorum, vel seculorum; sed dierum duntaxat, et annorum. 2°. Quia templum Solymæum, cujus devastatio juxta prophetiam non præcedit, sed sequi debet elapsas hebdomadas, jam pridem eversum est. 3°. Quia per hebdomades simpliciter positas, annorum duntaxat septimanas significare solebant Hebræi; alias, ubi de dierum hebdomade agitur, expresse adjicientes nomen *dierum.* Quem numerandi modum etiam astrologi veteres, medici ac philosophi observarunt, teste Censorino de die natali c. 4. et Gravesonio Tr. de myster. et annis Christi diss. 15. Hodieque apud Talmudistas non infrequens est.

45. *Obj. II.* Septuaginta hebdomades illæ ponuntur ab angelo, tanquam numerus certus ac definitus pro incerto et indefinito; ergo ex prophetia hac nondum sequitur, quod Messias jam advenerit. *Prob. A.* Sic enim etiam Matth. 18. v. 22. *Non dico tibi usque septies; sed usque septuagies septies.* Apoc. 7. v. 4. *Ex tribu Juda duodecim millia signati;* et ita percurrendo singulas tribus, numerus determinatus pro indeterminato ponitur.

R. *N. A. Ad prob. N. Cons.* Licet enim aliquando in Scriptura numerus certus ponatur pro incerto; inde tamen regulam universalem non licet statuere, quasi Scriptura nullibi exprimeret numerum determinatum ac certum, cum contrarium constet ex innumeris ferme Scripturæ exemplis. Et quidem hic per hebdomadas 70. intelligi numerum determinatum et definitum, et præcise tantum spatium temporis, ex ipsa prophetia manifestum fit; nam Messiam adventurum esse aliquando, sive tempore aliquo nondum determinato, noverant Hebræi omnes, et præ cæteris Daniel; si ergo angelus solum indicare voluisset Messiam adventurum aliquando, nihil sane novi Daniel attulisset; neque inde tam hic quam totus populus capere vel minimum solatii potuisset. Atqui tamen novum quid nunciaturus venerat angelus, quo Danielis Messiam anhelantis desiderium leniret; hoc enim angeli verba loquuntur. Notentur illa angeli ad Danielem verba: *Nunc*, ait angelus, *egressus sum, ut docerem te, et intelligeres... Ego veni, ut indicarem tibi... Tu ergo animadverte... intellige.* Sed numquid illud, quod Daniel jam doctus erat, intellexerat pridem a pueritia? Certe necesse non erat, idcirco egredi, venire angelum. Fixum igitur et determinatum tempus adventus Messiæ ponere voluit. Insuper angelus ait, intra illas hebdomadas adhuc, sive ante earum finem, occidendum esse Messiam; ergo non post illas, tempore adhuc incerto, venire dici potest.

46. *Obj. III.* In hac prophetia non est sermo de Messia. *Prob.* 1°. Quia in hebr. non legitur *Sanctus Sanctorum*, sed *Sanctitas sanctitatum*, quo indicatur templum, vel sanctuarium. 2°. Quia Daniel non hoc rogabat, ut Deus mitteret Messiam, sed ut restitueret urbem et templum; ergo ut relatio angeli accommoda sit petitioni Danielis, de restauratione urbis et templi intelligi debet.

R. *N. A.* et *prob.* 1am. Quia 1°. hebraicum sine recentioribus punctis additis lectum aliter, idem sonat ac *Sanctus Sanctorum*, sicque legerunt LXX. 2°. Etiamsi legatur *Sanctitas sanctitatum*; nihilominus Messias intelligitur; quia hic, non templum, delere iniquitatem potest, adducere justitiam sempiternam. 3°. Quia post 70. hebdomades templum non sanctificatum, vel unctum, sed profanatum et funditus eversum fuit sub Tito.

*Ad prob.* 2am. R. *T. A. N. Cons.* Licet enim rogarit pro restauranda urbe et templo; nihilominus liberalissimus Deus, ad solandum Danielem et populum, ea occasione utrumque promisit: restaurationem urbis cum templo, et Messiæ adventum; ac quoniam adventus hujus tempus nondum revelasset Judæis determinate, simul hoc determinat; ideo ait Gabriel. v. 25. *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem*, etc.

47. *Obj. IV.* Per *Christum Ducem* intelligi posse Zorobabelem, vel Josedechum, vel Nehemiam; ergo.

R. *N. A.* Nam 1°. nullus ex his Sanctus Sanctorum dici potuit; vel peccatum delevit; vel adduxit sempiternam justitiam; vel occisus fuit. 2°. Hi singuli vivebant tempore factæ Danieli revelationis; sed Christus ille Dan. 9. diu post futurus prædicitur.

48. *Obj. V.* Initium istarum hebdomadum duci debet ab excidio primi templi sub Nabuchodonosore, ut sensus sit: ab *exitu rei*, h. e. ab exitu, sive fine urbis Jerusalem *usque ad Cyrum ducem hebdomades septem... et post hebdomades* 62. *occidetur Christus*, h. e. ultimus rex, scilicet Hircanus, vel Agrippa, vel certe ipsum sanctuarium; ergo. *Prob. A.* 1°. Quia hebr. *dabar* etiam *rem* significat. 2°. Quia Cyrus etiam *Messias* dicitur. 3°. Quia ab excidio templi usque ad Cyrum fluxere 7. hebdomadæ.

R. *N. A.* Quod nonnisi commentum inane desperantium hominum est. Nam 1°. esto, *dabar* etiam *rem* significet, quo fundamento per *rem*, quod vocabulum generalissimum est, urbem, templum præcise denotant. 2°. Cyrus quidem Messias vocatur, Is. 45. sed hic de Cyri nomine nulla fit mentio. Et licet Cyro, tanquam Christi typo, Messiæ nomen permittamus; hic tamen per *Christum Ducem* nequit intelligi, cum notæ characteristicæ ducis hujus Cyro non conveniant: quod sit Sanctus Sanctorum, deleat peccatum, justitiam sempiternam adducat, quod sit occidendus post hebdomades 62. Licet enim demus Cyrum, quod alii pernegant, occisum fuisse a Tomyri Massagetarum regina; non tamen hoc post 62. hebdomades contigisse dici potest. 4°. Non dixit angelus: usque ad Christum Ducem esse hebdomadas duntaxat septem; sed *septem et sexaginta duæ*, quæ conjunctim sumi debent, ut faciant summam unam, more Hebræorum, qui per plures numeros minores proponunt summam unam. Sic Ezech. 45. v. 12. *Viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli*, hoc est sexaginta, *mnam faciunt.* Nec refert, quod post *schibha, septem*, in hebr. habeatur accentus *atnach*; nam præterquam, quod accentuatio a Rabbinis facta, canonica non sit, accentus hic non semper distinguit solitarie positus, ut patet ex Gen. c. 1. v. 1. ubi Deus *creans*, per *atnach* non sejungitur ab accusativo sequenti: *Cœlum et terram.* Et quidem hic Dan. 9. non distingui 62. a 7. hebdomadis, patet ex omnibus versionibus aliis, quæ non habent accentum *atnach.* Unde et LXX. habent ἑπτὰ καὶ ἑβδομάδες ἑξηκόντα δύο. 5°. Denique nec Agrippa occisus fuit, cum, teste Josepho L. 2. de Bell. Jud. c. 16. et Tacito L. 5., usque ad mortem, Vespasiani et Romanorum favore fruitus sit; sed neque hic, neque Hircanus, occisus quidem ab Herode rege, cæteras Messiæ notas habuit; uti neque sanctuarium, cum mortalium nemini, sed soli Messiæ antonomastice tali vel principali, convenire possit, *Sanctus Sanctorum*, etc. Ex his patet resp. ad probationes.

49. *Obj. VI.* Hæc ab exitu sermonis bene explicantur de sermone Jeremiæ, quo c. 25. v. 11. et c. 29. v. 10. prædixit Judæorum e captivitate reditum, *cum cœperint impleri in Babylone* 70. *anni, visitabo vos; et suscitabo super vos verbum meum bonum*; ut sensus sit: ab exitu sermonis, quem in Jeremia legisti, de reditu Judæorum, sunt 7. et 62. hebdomadæ; nam Daniel c. 9. hanc Jeremiæ prophetiam tunc legerat: atqui sic saltem Jesus Nazarenus esse Messias non potest; nam stante hac expositione, hebdomades multis ante

annis elapsæ fuissent, quam Jesus Nazarenus venit. *Prob.* Quia Jeremias hæc jam dixerat anno quarto Joachimi regis, ante captivitatem; captivitas vero ipsa duravit annis 70. juxta Christianos autem omnes ab edicto regio de restauranda urbe, quod vel circa vel post captivitatis finem datum Judæis, usque ad Jesum Nazarenum sunt 69. novem hebdomadæ; ergo si hebdomadæ ab illo Jeremiæ sermone fluere inciperent, tot quoque annis, quot sermo Jeremiæ præcedit edictum regium, citius finiri eas oportuit, ac proinde 70. et pluribus ante Jesum Nazarenum annis.

R. *N. A.* Nam 1°. si angelus sermonem Jeremiæ intellexisset, dicere debuisset: ab exitu sermonis, *ut destruatur, et iterum ædificetur* Jerusalem; is fuerat sermo Jeremiæ, cit. loc. utrumque prædicentis. 2°. Juxta angelum post hebdomades 69. occidendus est Messias; sed si a Jeremiæ sermone numerari velis hebdomadas, quis tunc, aut ubi occisus Messias in designato illo tempore, atque iis quidem notis, de quibus supra insignitus? 3°. Juxta historicos omnino omnes, et singulariter juxta Judæos ex Talmud in Megilla c. Megilla Nigreck, et juxta Esdram falsum est, ab ista Jeremiæ prophetia usque ad restaurationem urbis fluxisse 69. hebdomadas. Nam juxta Judæorum chronotaxin ex Megilla cit. usque ad consummationem templi secundi, sexto Darii regis anno, 1. Esdr. 6. v. 15., ab excidio templi primi, quod non multo ante præcessit Jeremiæ sermo, anni sunt 78. Sive igitur urbem simul restauratam cum templo dicas post edictum Cyri; sive sub Darii antedicti successore Artaxerxe, 2. Esdr. 2., ne medietatem quidem habebis hebdomadarum 69.

50. *Obj. VII.* 1°. Juxta prophetiam hanc 70. sunt hebdomades usque ad *unctionem* Christi. Item, post 69. dicitur constituendus *Dux.* Atqui hæc verificata fuisse in Jesu Nazareno, ostendi non potest. 2°. In *dimidio hebdomadis* 70. ut prophetia sonat, *deficiet hostia et sacrificium:* atqui post Christi Nazareni mortem, adhuc facile 38. annis, nimirum usque ad excidium urbis et templi duravit hostia et sacrificium. 3°. Post Jesum Nazarenum peccatum non accepit finem, cum plurima fiant adhuc in dies. 4°. In hebraico non legitur: *et non erit ejus populus, qui eum negaturus est*; sed solum: *et non ei*; igitur sensus esse potest: non erit ei rex Agrippa; vel: non erit ei sacerdos, etc. 5°. Inter Christianos ipsos magna est dissensio de illarum hebdomadarum initio.

R. *Ad* 1$^{um}$. R. *D.* 70. hebdomades *completæ* usque ad unctionem *N. abbreviatæ* juxta n. 40. scilicet intra illas *C.* Sed facta est hæc unctio tum in conceptione Christi Nostri, dum ejus humanitas, media unione hypostatica, uncta fuit ipsa divina personalitate Verbi; tum in baptismo, anno vitæ ejus trigesimo, qui respondet initio hebdomadis 70. cum palam a Patre declaratus esset Dux, Magister, Matth. 3. v. 17. Luc. 9. v. 35. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Quo et S. Petrus alludit Act. 10. v. 38. *unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute.* Hinc et patet responsio ad alterum.

*Ad* 2$^{um}$. R. *D. M.* Deficiet quoad valorem *C.* Quoad usum *subd.* simul et repente *N.* successive et mediate *C.* Quoad valorem defecerant simpliciter et omnino, Christo moriente, utpote reprobata a Deo. Hucque pertinet illud Malach. 1. v. 10. Quoad usum jam deficere inceperant respectu eorum omnium, qui credebant in Christum, quorum in dies augebatur numerus, Apostolis Jesum prædicantibus jam ante urbis excidium.

*Ad* 3$^{um}$. R. *D*. Peccatum non accepit finem quoad satisfactionem condignam pro illo per Christum factam ; et quoad actualem exclusionem ab aditu cœlestis gloriæ *N*. Quoad actualem sui commissionem *C*. vel *subd*. Ex culpa Christi *N*. hominum, gratia quam meritus illis Christus est abutentium *C*. Sic et Christus adduxit justitiam sempiternam, scilicet quoad sufficientiam et in actu primo, promerendo homini gratiam, ut huic cooperando peccatum vincat, sicque consequatur justitiam ; non autem quoad efficaciam in actu secundo, quasi homo justus futurus sit et beatus sine omni cooperatione sua libera, aut gloriam consecuturus sit turpi otio ac velut dormiendo ; talis enim Messias promissus, qui homines faciat impeccabiles, nec in hac prophetia, nec alia habetur.

*Ad* 4$^{um}$. R. 1°. Etiamsi in Vulgata nostra legeretur eodem modo, quo in hebræo, *et non ei ;* quid hinc solatii pro Judæis ? Manebit enim nihilominus verum, elapsas esse hebdomades, dissipatam esse civitatem cum sanctuario, defecisse hostiam, perdurare desolationem ; proinde, cum hi tristes occisi Messiæ effectus sint ; illum jam pridem advenisse.

R. 2°. Quod imperfecto sensu scripsit Daniel, *et non ei*, recte et apposite expressit versio latina, sive Vulgata nostra. Nam 1. τὸ *non ei* indubie ad Messiam referri debet, utpote de quo solo præcedit mentio ; deinde subintelligi debet verbum *sum*, nimirum *est*, vel *erit ;* hoc enim *erit* Judæi omnes subintelligunt ; et patet ex adductis eorum interpretationibus. Igitur *non erit Messiæ ;* sed quis, aut quid non erit Messiæ ? scilicet non amplius in populum, juxta illud Osee 1. v. 9. qui eum negabit et occidet. Ideo τὸ *non ei* immediate occisioni Messiæ subjicitur : *occidetur Messias : et non ei*. 2. Si ob necem Messiæ perpetuo deserenda sit a Deo civitas et sanctuarium juxta illa : *statuta desolatio..., usque ad finem perseverabit desolatio* (alia enim causa tantæ pœnæ afferri nequit juxta dicenda) ; multo magis reprobandus hoc loco populus innuitur, in quem solum proprie Christicidium cadit. Et hoc fuit, quod totum eloqui Danieli non permisit dolor, interrumpens scribenti spiritum. Implicite tamen indicavit per sequentia : *et civitatem et sanctuarium dissipabit populus, etc.* haud dubie non exanimes solum lapides peccati incapaces ; sed maxime incolas. Quod igitur Daniel implicite, versio latina nostra magis explicite reddidit : *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est.*

Confirmatur responsio inde, quod, teste S. Hieronymo, apud Cornelium a Lapide veteres Rabbini sic legerint : *Non erit illius imperium, quod putabat se redempturum ;* scilicet spiritualiter. Sed hoc quoad sensum a Vulgata nostra non differt. Demum ex eventu illustratur veritas Vulgatæ nostræ : nam ex præsenti Judæorum statu nihil æque colligi potest, quam non esse illos amplius populum Dei. Confer dicenda n. 71. Sicut ex moderno Jerosolymæ statu templique devastatione colligitur, non esse amplius urbem et templum Dei. Sicut ergo in prophetia urbis templique devastatio exprimitur ab Angelo ; sic et multo magis reprobatio populi haud dubie revelata Danieli fuit ; quam et proinde hic æque scribere voluit, ac devastationem urbis templique ; sed ubi, nisi sub his : *et non ei ?*.

Quod denique Judæorum interpretationem attinet, illa per se ipsam corruit ; nam 1°. stante illa deberet legi : et non *ipse* erit rex, vel sacerdos ; sed textus habet : et non *ei*. 2°. Duplex Agrippa fuit, senior, et junior. *Senior*

occisus non fuit; sed consumptus a vermibus, teste Josepho L. 19. Antiquit. c. 8. *Junior* non rex Judæorum fuit, sed Chalcidis; neque occisus ipse, sed etiam post urbis excidium superstes fuit, teste Joseph. L. 3. de bello Jud. c. 3. 5., item Tacito L. 5.

*Ad* 5um. R. Nihil Judæis prodesse hoc Christianorum scriptorum accidentale dissidium, cum in plerorumque systemate integra maneat prophetiæ vis: impletas esse hebdomadas; occisum esse Christum in dimidio hebdomadis ultimæ; defecisse hostiam, etc. proin Messiam advenisse. Sed ut, quæ nostra sit sententia circa hebdomadarum initium, pateat,

### QUÆRES: UNDE LXX. HEBDOMADARUM SIT DESUMENDUM INITIUM?

51. Præsenti in controversia plures ferme opinionum varietate Chronologi æque, ac Historici, Theologique dissonant, quam in male ordinata urbe horologia: aliis plus æquo maturius; aliis plus minusve æquo tardius hebdomadas illas et inchoantibus et finientibus. En causam tantæ discordiæ, et controversiæ statum!

Archangelus Gabriel Danieli signum, unde ducendum esset 70. hebdomadarum initium, illud dederat: *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem,* h. e. ab eo tempore, quo a rege Persiæ Judæis non templum modo, sed urbem quoque Jerosolymam 70. abhinc annis dirutam restaurandi facultas decreto regio, vel edicto dabitur; *exire* enim *sermonem* idem est, ac dari, vel, ut hodie dicitur, emanare decretum sive edictum. Sic dicitur: *exiit edictum a Cæsare Augusto,* etc. Luc. 2. v. 1. At vero quatuor edicta a diversis Persiæ regibus esse in Judæorum favorem data, constat. Primum a *Cyro,* anno regni Persici primo, 1. Esdr. 1. Alterum a *Dario Hystaspe,* anno regni ejus secundo, 1. Esdr. 2. Tertium ab *Artaxerxe Longimano,* anno regni ejus septimo, 1. Esdr. 7. Quartum ab *eodem,* anno regni vigesimo, 2. Esdr. 2. Hinc jam quæritur, a cujus, ex his quatuor, edicti exitu repeti debeat 70. hebdomadarum initium?

Hæc vero edictorum, quæ exiverunt, diversitas, quid mirum, si scriptores in contraria studia et sententias distraxit? Præsertim, cum in coordinatione Danielis hebdomadum ad auctoritatem profanam magis, quam sacram respexerint: ac potissimum ad regum Persiæ chronotaxin, qua tamen in omni profana historia nihil obscurius est, aut incertius, ob scriptorum, qui de illis tractarunt, inter semetipsos discordias. Nobis, quibus prælectionum academicarum et temporis habendi ratio, non vacat hic referre ac ponderare opiniones singulas, tum quod non paucæ earum per se ipsas corruerint, utpote minus verosimiles, et minus consonæ tam chronologiæ, quam sacris Scripturis; tum quod easdem satis perstringant alii, inter quos vid. P. Schwarz S. J. in Colleg. Hist. Part. 1. q. 21.

Unde et tres duntaxat e singulis hodie in usu sunt: *prima*, quæ hebdomadarum initium ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani repetit: *altera*, quæ ab anno septimo ejusdem: *tertia*, quæ hebdomadas a Cyro, anno regni Persici primo, exorditur; quam, quia expeditius, ac sacris Scripturis conformius hebdomadas explanat, nostram facimus.

52. *Dico.* Initium LXX. hebdomadarum Danielis ab edicto Cyri, quod Judæis anno regni Persici primo dedit, recte desumitur. Ita cum P. Calini S. J.; hoc solo discrimine, quod is numerare hebdomades incipiat a tempore factæ Danieli revelationis, h. e. duobus annis antequam Cyrus rex Persiæ fieret; nos vero simpliciter ab anno primo monarchiæ ejus Persicæ.

53. *Prob. I.* Cum eodem : Si non posset, vel non deberet hebdomadarum initium deduci ab anno primo Cyri; ergo vel ideo, quia in edicto Cyri nulla fit mentio de restauranda urbe Jerosolyma, sed de solo templo; vel quia obstat scriptorum profanorum auctoritas quoad chronologiam : sed nihil horum obstat; ergo recte, imo potius, hebdomadarum initium ab anno primo Cyri deducitur.

*Prob. min.* (quæ sola hic in controversiam venit) *quoad* 1am. *p.* In edicto Cyri contentam fore facultatem, non templum modo, sed et urbem Jerosolymam restaurandi, jam fuerat assertive prædictum per diversos prophetas et pluries : Is. 44. v. 28. *Qui dico Cyro : pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis* : en qualem : *qui dico Jerusalem : ædificaberis; et templo : fundaberis.* Et c. 45. v. 13. *Ipse* (Cyrus) *ædificabit civitatem meam,* dando scilicet de ædificanda decretum. Jeremias c. 30. nomine et jussu Dei ait : *Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Jacob, et tectis ejus miserebor, et ædificabitur civitas in excelso suo, et templum juxta ordinem suum fundabitur.* Hoc vero vaticinium datum fuisse de edicto Cyri, Esdras testatur L. 1. c. 1. *In anno primo Cyri... ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis, etc.* Ergo revera vel in edicto Cyri contenta fuit facultas restaurandi urbem, vel uterque propheta falsum dixit; quod ultimum dicere impietatis est.

54. *Prob. min. quoad* 2am. *p.* Quia tota scriptorum illorum auctoritas nititur 1°. testimoniis Græcorum historicorum veterum; 2°. Chronologia Olympiadum, et 3°. Astronomia. Sed hæc sunt fundamenta prorsus incerta, imo probabilius falsa; ergo. *Min. prob.* Quoad duo posteriora vid. in Object. n. 69. Quoad primum, quod caput est, antequam ostendatur,

Observa : Controversiæ cardinem duntaxat versari in parte hebdomadarum prima, quæ res persicas a Cyro ad usque Alexandri M. de Dario Codomanno victoriam complectitur, quam nos ex libris divinis Esdræ, Nehemiæ, Danielis potius, quam repugnantibus Græcorum historiis esse ordinandam contendimus : et scriptores Græcos, quoniam plurimum inter se ipsos dissident, Scripturæ sacræ melius, quam hanc illis conformandam. Quod nemo vitio dabit, cum sana ratio dictet, non solem horologio, sed hoc illi esse adaptandum. Quod vero hebdomadarum partem alteram attinet, quæ res Græcas Seleucidarum, Ægyptias Lagidarum ab Alexandri victoria ad usque pugnam Actiacam, Christum natum passumque, continet; quoniam hic omnes inter se consentiunt, cum omnibus consentimus. Omnes enim conveniunt, Darium devictum esse ad Arbelam anno Iphyti 446., Olympiadis 112. secundo. Pugnam Actiacam commissam esse anno Olympiadico 747., Juliano 16. Christum natum esse anno Olympiadico 776., mortuum 808. In his, inquam, conveniunt, saltem ex hypothesi, ubicumque

demum cœperit prima Olympias ; et recte, quia in Alexandri regno chronologia sacra et profana conveniunt. Igitur

55. *Prob. quoad* 1$^{um}$. : Quia scriptores illi inter se ipsos quam maxime differunt, tum in numero regum Persiæ usque ad Alexandrum, tum in numero annorum, quibus imperarunt. Sic, duce Curtio, Eusebius reges Persicos a Cyro usque ad Alexandrum M. numerat 14., alii 13., alii 11., alii 10., alii 4. His vero alii annos regiminis universim assignant usque ad Alexandrum 250., alii 235., alii 231., ut Eusebius, alii 200., alii 118., etc. Sic, etsi subin in quibusdam regibus conveniant, longissime iterum discrepant in numero annorum, quo singuli regnarunt : atque aliter hos numerat Ctesias, aliter Metasthenes, aliter Herodotus, Dionysius, Diodorus Siculus. Habe exemplum : Cambysi Herodotus assignat annos regiminis 7. Ctesias 19. Artaxerxi Mnemoni idem annos 42. Metasthenes 55. Plutarchus 60. Alii 40., etc. : atqui in tali repugnantia, inquit Eusebius ipse adversarius potissimus L. 10. c. 3. (al. 9. et 10.) Præp. Evang. *quando ita confuse de temporibus* (Regum Persiæ ante Alexandrum) *scribitur, universa titubat historia;* ergo hoc fundamentum in illorum historicorum testimoniis prorsus incertum est ; et proin ineptum ad decidendam priorem hebdomadarum partem.

56. *Conf.* 1. inde, quod scriptores illi se mutuo mendaciorum redarguant. Sic de Ctesia ait Plutarchus : *Oratio ejus ad fabulas, et scenica figmenta deflectit : fabularum incredibilium, atque stolidarum colluviem infarcit.* Sic, quod Herodotus affirmat, negat Xenophon, etc. et ne longior sim ; tam de Plutarcho, quam de omnibus ante se, ait Josephus Judæus L. 1. cont. Appion. *Certe in suis libris alii alios plerumque refellunt, et iisdem de rebus diversissima scribere non dubitant.* Et de hoc ipso Josepho non tam P. Calini, quam critici alii, in specie Gravesonius hanc crisin tulit : *Cum igitur sub tot mendis cubet regum Persarum historia, a Josepho scripta, vel ab aliquo Judæo corrupta, nemini mirum videri debet, si, etc.* Quis ergo tali fundamento tuto innitatur ?

57. *Conf.* 2. Afferendo causas tantæ varietatis et tot errorum : 1$^{a}$. quam tradit Josephus Judæus : quod a primordio curatum non fuerit apud Græcos, ut annales conficerentur; id enim, inquit, *erroris causam et mentiendi licentiam præbuit iis, qui postea de rebus antiquis scribere voluerunt.* Plures idem cit. loc. refert; quibus addi jure potest 2$^{a}$., scilicet mutatio nominum usitata Persis; sic Cambyses Cyri filius, etiam Assuerus, nomine alias Medis proprio, dictus est; estque idem ille, de quo 1. Esdræ 4. v. 6. *in diebus autem Assueri.* Sic Crophastus post Cambysen 9. mensium rex, etiam Artaxerxes dictus ; estque idem ille, de quo 1. Esdr. 4. v. 7. *et in diebus Artaxerxis.* 3$^{a}$. Consuetudo assumendi filios, ut regni consortes. 4$^{a}$. Multitudo principum, seditionum, etc. Hinc factum, ut ex pluribus nominibus plures reges fingerent cum specialibus epochis ; aut filiis conregnantibus divisas a patribus epochas darent; aut ex rebellibus, qui ad tempus purpuram assumpserant, veros reges cum propria annorum serie efformarent, ut Eusebius ; consequenter annos a Cyro ad Alexandrum nimium augerent ;

adeo ut, si vera hæc essent, necesse foret, pridem ante Christum effluxisse hebdomadas, si harum initium sumatur a Cyro. Ex tanta igitur discordia recte

58. *Infertur* : Ex historicis antiquis præferendos esse hoc loco, qui propius ad S. Scripturam accedunt; tales vero sunt, qui a Cyro ad Alexandrum M. et reges et annos pauciores numerant; velut Herodotus, Ctesias, licet carpantur in aliis; item Trogus Pompeius, Justinus, recensentes reges duntaxat octo, cum multo minore quam historici cæteri annorum serie. Quod vero hi propius accedant ad Scripturam sacram, partim patebit ex Art. seq., partim constat ex Daniel. 10. v. 1.; ubi in anno Cyri tertio angelus revelavit Danieli reges Persiæ, Cyrum secuturos. *Ecce tres stabunt*, h. e. non erunt duntaxat tres exiguo tempore, quales fuere Cambyses vivo patri conregnans potius, quam regnans, teste Herodoto; Orophastus rex 9. mensium; Xerxes, qui potius foris bella gessit, quam regnaret, ejus filio Artaxerxe Longimano regnum moderante, ut ex Herodoto et Justino colligitur: sed *stabunt*, i. e. regnabunt longiore tempore; qui fuere *Darius Hystaspes*, *Artaxerxes Longimanus*, *Ochus*, adepto regno a Persis Artaxerxes, sive magnus bellator, a Græcis ob præstantem memoriam *Mnemon* vocatus. *Et quartus ditabitur opibus nimiis* (Darius Codomannus) *et cum invaluerit divitiis, concitabit omnes adversus regnum Græciæ; surget vero rex fortis* (Alexander M.) *et dominabitur, etc.*

At vero, qui cum Eusebio ex Curtio ita reges multiplicant, non tantum *tres stantes*, sed plures, imo sex, contra prophetiam, statuere debent, ut exhibet series regum Persiæ juxta Eusebium ex Curtio et Julio Africano; nimirum : *Cyrus* ann. 30. *Cambyses* 8. *Smerdes mensib.* 9. *Darius Hystaspes ann.* 39. *Xerxes I.* 20. *Artabanus mens.* 8. *Artaxerxes Longimanus ann.* 40. *Xerxes II. mens.* 4. *Sogdianus ann.* 1. *Darius Nothus* 19. *Artaxerxes Mnemon* 40. *Artaxerxes Ochus* 23. *Arses* 4. *Codomannus* 6.

59. *Prob. II.* Scopus angeli erat, Danielem, ut huic solatium afferret, instruere de tempore adventus Messiæ : atqui nihil præstitisset angelus, si hebdomadæ initium sumerent non ab edicto Cyri, sed alterius regis Danieli incogniti, de quo, quis esset, nihil dixerat angelus; proin nihil scire poterat Daniel : e contra recte instruxisset Danielem angelus, atque ille verum habuisset solatium, si ab edicto Cyri numerandæ essent hebdomadæ; ergo. *Maj.* patet ex contextu prophetiæ; cum contestetur angelus : *Egressus sum, ut docerem te..... Veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es; ergo animadverte et intellige..... Scito ergo, et animadverte; ab exitu sermonis*, etc. *Min.* æque patet; nam si initium haberent hebdomadæ ab edicto Danieli incognito, dando primum post Danielis tempora, ut ab Artaxerxe Longimano anno regni ejus septimo, vel vigesimo (cum nesciret de hoc edicto aliquid Daniel, et multo minus sciret, quando dandum esset edictum hoc, a quo usque ad Christum superessent LXX. hebdomadæ), etiam nescivisset, quando esset Messias venturus; sed solum scivisset, exiturum *aliquando* edictum, a quo usque ad Christum fluent nonnisi LXX. hebdomadæ; quod in re plus non erat, quam venturum *aliquando* Messiam; at hoc tam ante revelationem Daniel a pueritia, Judæique omnes noverant;

et quid proinde solatii Danieli attulisset angelus? E contra vero si a Cyro fluere inciperent hebdomadæ, Daniel, desideriorum vir, maximo suo solatio intelligere poterat tempus adventus Messiæ; nam ex Isaia noverat Cyrum regnaturum, noverat ex Isaia et Jeremia a Cyro edictum exiturum de restauranda urbe et templo; ergo ab hoc numerando hebdomadas, scire poterat Messiæ tempus. Imo ex his

60. *Adde* 1°. quod angelus in errorem potius duxisset Danielem, quam *docuisset*, si ab alio edicto, præterquam Cyri, hebdomades inciperent; nam cum ex Isaia et Jeremia constaret Danieli, a Cyro exiturum tale edictum, non poterat non judicare hoc esse edictum illud, a quo usque ad Christum fluent LXX. hebdomadæ; quia de alio edicto neque ex propheta aliquo constabat, neque ex sermone angeli; tum quia eo ipso tempore, quo apparebat angelus, Jeremiam Daniel volvebat, ut proin oratio angeli non posset non *relative* intelligi *ad exitum sermonis*, quem Daniel legebat in Jeremia; igitur angelus, si aliud edictum intellexisset, de hoc docere debuisset; vel non tam docuisset Danielem, quam in errorem duxisset.

*Adde* 2°. cum P. Calini : Si ab alio edicto quam Cyri, initium hebdomadæ ducerent, sequi hoc ingens absurdum, quod historia sacra, secus ac constanter fecerat alias, per tria et amplius annorum millia in patriarchis, regibus, aliisque eventibus addendo chronologiam, hic in solo Christo neglexisset tempora, etsi ad hunc tota ordinetur sacra historia; et quidem neglexisset tunc, cum vicinior esset Christus, cumque per Gabrielem Archangelum maxime notare videretur temporum seriem : *animadverte et intellige.. Scito*, etc.

61. *Obj. I.* Edictum, a quo numerandæ sunt hebdomadæ, debet esse tale, ut vi illius facultas data sit, non tantum restaurandi templum; sed etiam urbem, juxta verba angeli : *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem* : atqui tale non fuit edictum Cyri. *Prob min.* Nam in edicto, 1. Esdr. 1. non fit mentio de restauranda urbe ; sed solum de templo.

R. *N. min. Ad prob.* R. *D.* Nec fit mentio in aliis Scripturæ locis, Is. 44. et 45. Jerem. 30. *N.* in cit. L. Esdræ *subd.* Non fit mentio explicita de urbe, sicut de templo *C.* implicita et quoad rem *N.* Sic mentionem implicitam facit Esdras cit. loc. dum inquit : *Ut compleretur verbum Jeremiæ*. Atqui Jeremias non de templo solo, sed de urbe loquitur, et quidem hanc primo loco ponit, nec dicere potuisset Esdras, *ut compleretur*, si Cyrus tantum facultatem dedisset restaurandi templum; sic enim prophetia Jeremiæ verificata fuisset *secundum quid*, non vero *completa*. Unde citati loci Esdræ sensus est : Cyrum præter facultatem restaurandi urbem, dedisse facultatem *etiam* restaurandi *templum*, ut nimirum *compleretur* verbum Jeremiæ.

62. *Inst.* 1. Nullibi refertur, quando, aut ubi Cyrus dederit facultatem restaurandi urbem ante edictum de restaurando templo.

R. Non inde sequitur : ergo non dedit. Nam Cyrum dedisse facultatem illam, quandocumque, ubi, quomodocumque dederit, nemo sine gravi injuria utriusque prophetæ Isaiæ et Jeremiæ facile negaverit. Vel igitur abituris

Judæis cum duce Zorobabele viva voce dedit, vel scripto, quod ab Esdra non refertur.

63. *Inst.* 2. Si Cyrus facultatem dedisset restaurandi urbem, hanc æque expressisset in decreto suo, ac facultatem restaurandi templum; illamque æque parum omisisset exprimere Esdras, quam alteram de templo; ergo, cum nec Cyrus illam expresserit, ut videre est in decreto postea Ecbatanis reperto, 1. Esdr. 6., nec Esdras; signum est, quod Cyrus talem non dederit.

R. 1°. et *retorq.* contra eos, qui hebdomadas ab anno Artaxerxis Longimani septimo ordiuntur. Si Artaxerxes Longimanus, anno regni sui septimo, Esdræ, 1. Esdr. 7., facultatem dedisset restaurandi urbem, hanc æque expressisset, quam cætera, quæ petierat Esdras, quæque ibid. in specie exprimuntur, illamque æque parum omisisset exprimere Esdras, quam cætera, quæ petierat, et obtinuerat; et multo minus omisisset, quia Esdras ipse res illas petierat; ergo, cum nec Artaxerxes illam expresserit in decreto, quod extat 1. Esdr. 7., nec Esdras; signum est, quod Artaxerxes talem non dederit. Unde argumentum hoc magis apposite contra hanc adversariorum classem movetur, quam contra nos, cum illi nec in libris Esdræ, nec alibi in sacra Scriptura tota explicitum habeant fundamentum concessæ a Longimano anno regni sui septimo facultatis restaurandi urbem, secus ac nos, ut ex Isaia et Jeremia citt. patet.

R. 2°. *D, A.* Si par fuisset ratio pro exprimenda explicite facultate urbis, quam templi *C.* vel *T.* ob rationes dandas. Cum par ratio non esset *N.* Cum Cyrus specialiter exprimeret facultatem restaurandi templi, specialis erat ratio, scilicet religio ex parte Cyri, ut se gratum præberet Deo pro obtentis victoriis; accedebat et præceptum Dei. Hanc causam Cyrus statim in edicti sui fronte exprimit, 1. Esdr. 1. v. 2. *Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cœli: et ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem.* Hinc ad contestandam hanc gratitudinem inquit in edicto, quod suis illam sumptibus exstrui velit: *Sumptus autem de domo regis dabuntur,* 1. Esdr. 6. secus ac pro exstruenda urbe; licet et de hac præceptum extaret apud Isaiam cit. Inde etiam est, quod Esdras expresse referat facultatem de restaurando templo, contentus, si facultatem de restauranda urbe exprimeret quoad rem, quia ita fecerat Cyrus.

Porro cum Cyrus juberet Judæos *ascendere in Jerusalem,* 1. Esdr. 1. v. 3. ædificareque ibi domum Dei, idem quoad rem erat, quam dare facultatem simul restaurandæ urbis; neque enim aut verosimile, aut credibile est, Cyrum voluisse, ut templum hoc, quod ipse parabat religionis et gratitudinis causa, ad quod tam liberaliter sumptus decreverat, vasa aurea et argentea quinque millia quadringenta, 1. Esdr. 1. v. 11. dederat, esset in loco deserto, aut Judæos, quibus totus favebat, pecudum more degere ibi palantes sine civitate; ergo non erat necesse eamdem facultatem explicite ponere.

*Neque dicas*: ex hoc solum sequi, quod occasione templi dederit quidem facultatem, ut ibi habitent sacerdotes, qui offerant sacrificia, aliique adjutores; non autem ædificandi *civitatem* cum vallis, muris, politia politica. Nam 1°. non solos sacerdotes, horumque ministros voluit ire in Jerusalem, sed quotquot ex Judæis vellent; *quis est in vobis de universo populo ejus...*

*ascendat in Jerusalem*, 1. Esdr. 1. v. 3. 2°. De vallis, muris, fossis nihil locutus est angelus Danieli, sed solum de exitu sermonis, ut iterum *ædificetur Jerusalem*; ergo juxta angelum edictum, a quo numerandæ hebdomades, non necessario exigit, ut in ipso exprimatur facultas quoad munimenta ejusmodi; sed de his plura inferius. 3°. Politiam habuisse Judæos in Jerusalem, hinc patet, quod Judæi Babylone reduces *Zorobabelem ducem* agnoscerent omnes et sequerentur, 1. Esdr. 1. v. 2. Hunc ceu caput et principem populi ante alios alloquitur Aggæus, c. 1. v. 1. c. 2. v. 3.

64. *Inst.* 3. Cyrus 1. Esdr. 6. v. 3. dans facultatem Judæis ædificandi templum, fabricam ita limitat: *Et ut ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta et latitudinem cubitorum sexaginta: ordines de lapidibus impolitis tres; et sic ordines de lignis novis*: e contra templum a Salomone constructum altum erat cubitis 120. 2. Paral. 3. Unde sic: ratio, cur Cyrus ita limitaret fabricam templi, nec nisi tres ordines ex lapidibus permitteret, erat hæc, ut caveret, ne templum Judæis pro arce servire posset; ergo multo minus facultatem indulsit exstruendi urbem, et quidem cum propugnaculis.

R. 1°. cum P. Calini, hæc in medio edicti: *Et ut ponant fundamenta*, etc. spectare ad instaurationem urbis et mœnium, eo quod dimensio illa in sensu plano et obvio de templo intelligi non possit; cur enim decreto manco præscriberet rex latitudinem, et omitteret longitudinem? igitur intelligenda de mœnibus; cum murus latus et altus 60. cubitos, solidi munimenti sit, quale Judæi desideraverant. Certe dimensio ista in edicto nullo modo convenit cum dimensione illa templi secundi, quam anno vigesimo captivitatis viderat Ezechiel c. 40. et seqq., quamque annunciare jussus erat Judæis ad hos in captivitate solandos. Ezech. 40. v. 4.

R. 2°. Permisso, quod ad templum spectent, *N.* Cyrum ita limitasse fabricam ex allata ratione; nam quis hanc adversariis revelavit? Ex textu verior hæc causa eruitur: quia Cyrus suis sumptibus decreverat instaurari templum; *sumptus autem de domo regis dabuntur*, 1. Esdr. 6. Si vero Cyrus instaurare templum voluisset in altitudine, latitudine, longitudine ac magnificentia prima, qua illud Salomon exstruxerat, sumptus immensos ea fabrica exegisset, vixque totum suffecisset ærarium Cyri.

65. *Inst.* 4. Si Cyrus dedisset facultatem restaurandi urbem; ergo Judæi certe ea usi fuissent: atqui usi non sunt; nullum enim hujus habetur fundamentum; imo contrarium colligitur ex 2. Esdr. 3. ubi recensentur domus primum extructæ post annum Artaxerxis Longimani vigesimum.

R. 1°. Si daremus etiam, Judæos hac facultate continuo usos non fuisse quacumque ex causa, sive quod ex studio religionis magis admoverint manus ad templi fabricam; sive ob defectum sufficientis apparatus pro templo simul et urbe; nihil inde contra nos; quia adhuc verificabitur propositio angeli, qua dixit *ab exitu sermonis*, h. e. decreti, vi cujus liceat restaurare urbem: non vero *ab executione sermonis*. Sed

R. 2°. *N. min. et prob.* 1am. Fundamentum enim habetur partim Aggæi 1. partim 1. Esdr. 4. In priore loco Aggæus increpat Judæos, quod neglecta domo Dei, sibi domos construerent: *Numquid tempus vobis est, ut habitetis*

*in domibus laqueatis? Et domus ista deserta?* v. 4. *Domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam.* v. 9. Nec dici potest, quod exstruxerint tantum tuguria et casas; per casas enim et tuguria non intelliguntur domus simpliciter tales; multo minus *domus laqueatæ.* In altero loco a v. 8. Prætores trans-Euphratæi apud Persiæ regem accusabant Judæos, quod *urbem* ædificarent: *Notum sit regi, quia Judæi qui ascenderunt a te ad nos, venerunt in Jerusalem civitatem rebellem et pessimam, quam ædificant exstruentes muros ejus, et parietes componentes.*

*Ad prob.* 2am. R. Domus, de quibus cit. loc., ab illis constructæ sunt Judæis, quos Nehemias anno vigesimo Artaxerxis reduxerat; non ab illis, qui jam multo ante, duce Zorobabele, Cyri tempore Jerosolymam redierant, ut constat ex 2. Esdr. 2. et 4.

66. *Inst.* 5. Accusatio illa erat mendax et conficta a Judæorum hostibus; ergo. *Prob. A.* quia adornata fuit ab his ideo, quod Judæi illos nollent admittere tanquam socios in restaurando templo, ut colligitur ex 1. Esdr. 4. v. 1. et seqq.

R. *N. A.* Unde hoc probabunt adversarii, cum nihil de mendacio referat Esdras, ut alias ipsi facile fuisset, et fecisset probabilius? Interim accusationem eam confictam non fuisse, sane evincunt rationes sequentes: 1a. quia accusatio illa, etsi jam Cyri tempore facta fuisset, 1. Esdr. 4. v. 5. in aula Cyri nunquam locum invenit; sed neque apud Cambysen Cyri filium et successorem effectum habuit, quia nimirum sciebat voluntatem patris sui. 2a. Si, ex supposito, Judæi non cœpissent restaurare urbem cum muris, cui bono aut malo accusationem hanc adornassent? non nocuisset Judæis, nec profuisset Judæorum hostibus; facile enim eam explosissent Judæi dicendo, se nequaquam restaurare urbem cum muris. 3a. Quia, cum eamdem accusationem postea detulissent ad Artaxerxem (sic dictum Persis, communi fere apud hos nomine, quod magnum illis bellatorem significat; cæterum idem est cum eo, qui ab Eusebio *Smerdes,* a Ctesia et aliis *Orophastus magnus* dicitur, qui se *Smerdem* esse dixerat Cambysis fratrem) rescripsit rex, quoniam *urbs* Jerusalem rebellis fuisset; prohiberentur viri isti, *ut urbs illa non ædificetur, donec, etc.* hoc vero edictum aerem quidem, sed non Judæos feriisset, si hi urbem non ædificassent. 4a. Ex modo accusationis; non enim inquiunt, id Judæos facere sine facultate, uti alias certe dixissent. ut tanto magis reges Judæis infensos redderent; sed tota ratio accusandi erat, quod urbs illa *rebellis* exstitisset, *et dominata* finitimis. Eadem quoque ratio regem movit ad prohibendam interim ejus restaurationem, 1. Esd. 4. v. 12. et 19. 5a. Quia Judæi, cum hoc ipsis objiceretur, non negabant a se urbem cum muris exstrui, quod alioquin haud dubie ad amoliendam a se rebellionis suspicionem ante omnia fecissent. 6a. Quia non sola plebs Samaritana et Cuthæa hoc de Judæis dicebat, sed ministri regii, gubernatores, de quibus præsumi non potest, quod regem maximo suo periculo circumvenire mendaciis voluerint.

*Inst.* 6. Hostes Judæorum decepti fuerant, erronee putantes, ædificari urbem, cum cernerent fundamenta templi, quia hæc valde spatiosa erant.

R. 1o. Secundum templum non adeo spatiosum fuisse, constat ex Judæorum fletu, 1. Esdr. 3.

R. 2°. Si sola plebs Samaritana et Cuthæa inspexisset fundamenta templi, concedi forte aliquid adversariis posset; verum, qui oculis suis inspexerant, erant gubernatores, sive prætores iique artis periti, qui facile discernebant inter fundamenta urbis et templi; cum longe alia sit structura integræ urbis, et unius templi.

67. *Inst.* 7. Viri Jerusalem, 2. Esdr. 1. v. 3. renunciarunt Nehemiæ Susis anno vigesimo Artaxerxis Longimani, muros Jerusalem dissipatos esse, et portas combustas; idemque Nehemias ipse testatur, 2. Esdr. 2. v. 13. cum impetrata a rege venia venisset Jerosolymam; ergo Judæi nondum cœperant ædificare urbem; et revera decepti erant Judæorum hostes visis templi fundamentis.

R. 1°. *D. A.* Renunciarunt dissipatos muros *de novo* a Samaritanis aliisque Judæorum hostibus; quos scilicet Judæi e captivitate reduces restaurare cœperant *C.* muros dissipatos a Nabuchodonosore, quando hic expugnata Jerosolyma, et capto Sedecia muros everti jusserat *N.* Certe anno Artaxerxis vigesimo non audivit murum dissipatum esse et exustas portas a Nabuchodonosore; id enim sciverat pridem. Igitur sermo est de muris dissipatis de novo, quos Judæi restaurare post captivitatem cœperant. Patet inde amplius, quod ad nuncium istud Nehemias perculsus fuerit adeo, ut multis diebus fleret; igitur eo nuncio res nova ei allata fuerit, necesse est; non, quod a pueritia noverat, muros olim a Nabuchodonosore eversos fuisse.

R. 2°. Permisso etiam gratis *Ant. N. Cons.* Plus enim non sequeretur, quam muros non fuisse reparatos ex integro, nec portas; quo non obstante potuerunt Judæi ædificare velle muros et portas; sed, cum urgerent opus, continuo fuisse impeditos ab hostibus. Sic etiam ipse Nehemias in restauratione murorum adeo resistentes sibi hostes habuit, ut Judæi armati vacare operi deberent, 2. Esdr. 4. v. 13. Et quidem alterutram ex his responsionibus nobiscum amplecti debent, quotquot vel ab anno secundo Darii Hystaspis, vel ab anno septimo Artaxerxis Longimani ordiuntur hebdomadas. Cæterum responsionis postremæ fundamentum est, quod supra innuimus; videlicet angelum pro signo initii hebdomadarum posuisse concessionem decreti, vel facultatis restaurandi urbem; non vero perfectam decreti executionem.

*Si dicas* cum Petavio contra resp. ultimam : Angelum posuisse edictum tale, vi cujus statim urbs fuerit restaurata et perfecta : 1. Quia alias nimis cavillatorie locutus fuisset angelus. 2. Quia dixit : *et rursum ædificabitur platea et muri in angustia temporum.*

R. *N. A. et prob.;* Nam hoc ipso, quod angelus assignarit decreti concessionem, *ab exitu sermonis*, jam poterat Daniel numerare hebdomadas.

*Ad prob.* 2am. R. *D.* Ædificabitur platea et muri statim *ab exitu sermonis N.* intra illas 70. hebdomadas, tempore ab angelo non determinato *C.* Plus ex prophetia inferri nequit, ut legenti patebit. Ex his duabus responsionibus elige quam velis.

68. *Obj. II.* Eusebius a Cyro usque ad Alexandrum M. numerat reges Persiæ 14., iisque annos tribuit 321.; ergo, si a Cyro ducatur hebdomadarum

initium, multo ante Christum tempore hebdomadæ jam completæ fuissent. *Prob. Cons.* Nam juxta illos, qui a Cyro ordiuntur hebdomadas, plus multo temporis fuit ab Alexandri M. victoria usque ad Christum, quam a Cyro usque ad Alexandrum; ergo cum jam a Cyro ad Alexandrum M. fluxerint anni 231., et hebdomadæ LXX. faciant annos 490., inque hebdomadis ultimæ dimidio, h. e., anno 486. mortuus sit Christus, necesse est, completas ante fuisse hebdomadas.

R. 1°. Herodotus, Ctesias, Trogus Pompeius, etc. longe pauciores reges numerant, aliqui tantum octo, iisque annos tribuunt longe pauciores.

R. 2°. *D. A.* Eusebius numerat tot reges erronee *C.* secus *N.* Nimirum plures reges intrusit, eorumque auxit annos. Sic intrusit *Artabanum, Xerxem II, Sogdianum, Arsetem,* cum vario annorum errore; nam relati ante auctores aiunt, hos fuisse duntaxat belli duces, nunquam reges. Item sic male divisit *Ochum Mnemonem* cum duplici annorum computo, cum fuerit unus idemque: nam teste Trogo, et Justino L. 10. c. 3. Ocho immediate successit Darius Codomannus. Sic quoque Eusebius *Dario Notho* tribuit annos 19. cum idem Justinus loco cit. et Trogus affirment, Darium Nothum factum quidem regem, sed vivo adhucdum patre occisum. *Si jam quæris,* cur horum potius scriptorum moveamur auctoritate, quam Eusebii? R. Quia propius accedunt S. Scripturæ. Vid. n. 58.

69. *Obj. III.* Huic sententiæ repugnat chronologia Olympiadum; ergo. *Prob. A.* 1°. Ut refert Eusebius ex Julio Africano, annus primus Cyri, regni ejus Persici, coincidit cum anno primo Olympiadis 55.; si ergo hebdomades controversas ordiaris a Cyro, baptismus Christi incidet in Olympiadem 177. : atqui juxta communem correspondet Olympiadi 202. 2°. Themistocles Atheniensium dux, teste Thucydide scriptore regibus Persicis coævo, transiit ad Xerxem, datis ante ad Artaxerxem litteris; hicque transitus juxta Diodorum Siculum contigit Olympiade 77. h. e. anno octogesimo octavo, post annum primum Cyri : atqui in nostra sententia ab anno primo Cyri usque ad annum Artaxerxis Longimani vigesimum longe pauciores, necesse est, sint anni; et quidem a P. Calini tantum 49. numerantur.

R. *N. supp. Ant.* Scilicet posse ex chronologia Olympiadum ante Alexandrum M. peti solidum argumentum; quia ut ex illa probari aliquid posset, deberet nobis constare applicatio eventuum ad Olympiadas, e. g. initium Cyri ut Olympiadibus applicatum, h. e. prius constare deberet, quo anno regnare cœperit Cyrus in Persia, quam dicatur eum hac vel illa Olympiade regnasse. 2°. Ipse Olympiadis primæ character constare deberet : atqui neutrum constat : non 1$^{um}$., ut patet ex dissensione illa auctorum veterum; qui proinde sicut in numero regum Persiæ, ac in numero annorum, quibus regnarunt singuli, variant; sic consequenter necessario variant in determinando anno Olympiadico, quo quilibet regnavit; et modo augere, modo minuere Olympiades pro majori, vel minori numero regum et annorum, quem sibi scriptor aliquis statuerat, necesse habuit. Non 2$^{um}$., quia iterum non constat, a quo eventu prima Olympias initium sumpserit. Demus quod, ut vult Scaliger ex Ephoro, prima Olympias initium habuerit post Trojæ excidium annis 405. vel ut alii 406. vel ut Diodorus et Clemens 407.

vel ut Dionysius 408., etc., quia tamen nihil incertius, quam in quod tempus Trojæ excidium inciderit, sic consequenter nihil recti erui ex Olympiadibus pro eo tempore potest. Imo Varro et Censorinus totum Trojanum bellum inter fabulas numerant poetarum.

Addo palmare exemplum, in quo quilibet videat, quam parum certi quid habeatur ex chronologia Olympiadum. Quæritur, quo anno Roma sit condita? Respondet Timæus : 35. annis ante Olympiadem primam, Cinnius anno 4. Olympiadis 12., Polybius et Diodorus anno 2. Olymp. 7., Catullus, Cornelius Nepos, Dionysius Halicarnasseus ejusd. Olymp. anno 1., Livius ejusd. Olymp. anno 4., Varro, Plinius anno 4. Olymp. 6., etc. Et quis jam definiet, quo anno Olympiadico regnare cœperit Cyrus in Persia?

*Dices* : Sed hoc testatur Eusebius ex Julio Africano qui fuit accuratissimus explanator temporum : item, Thucydides adhuc obstat scriptor coævus regibus Persiæ.

R. 1°. Si ita moveantur fide et auctoritate Eusebii citantis Julium Africanum (nam ipsa Julii Africani scripta non extant; sed id unice ab Eusebii citantis auctoritate didicerunt adversarii) cur ergo cum eodem Eusebio consequenter hebdomadas non finiunt in Joanne Machabæo?

R. 2°. Si etiam Julius Africanus ita scripsisset, ut refertur ab Eusebio, nihil officit; scripsit enim post Christi tempora, proin majorem hac in re auctoritatem non obtinet, quam prisci illi scriptores, quos sequi necesse habuit, et quia ex discordibus illis scriptoribus de regibus Persiæ eos delegisse videtur, qui hos numero et annis multiplicant, addendo pro se annos Olympiadicos, annum primum Cyri Olympiadi 55. affixit. Quoad Thucydidem : ille quidem transitum refert Themistoclis, sed sine anno Olympiadico, quem primum Diodorus Siculus multis seculis posterior addidit, prout hoc chronologiæ suæ, cui repugnant alii, videbatur congruere.

Nimirum sicut chronographi nostri, stabilito primum Christi anno natali, tanquam cardine omnis systematis chronologici, sacræ historiæ eventus affigunt 194. Olympiadibus, et has eventibus retrogrado computu; sic et scriptores illi fecerunt, posito sui chronologici systematis fundamento, ascendendo per Olympiades usque ad Olympiadem primam, alligando eventibus Olympiades, et Olympiadibus eventus.

70. Hinc facile perspicitur, 1°. nimis incertum esse et lubricum fundamentum, quod pro explicandis LXX. hebdomadis ex Olympiadibus repetunt adversarii. 2°. Æque parum tutum haberi vestigium in auctoritate profana scriptorum veterum, quod et P. Schwartz Coll. Hist. part. 1. q. 21. in fine, se propria testatur hausisse experientia, cum celebriores chronologos ipse evolvisset, ex veterum historicorum testimoniis, temporum characteribus discordantibus, tam sibi oppositis, tam sæpe falsis, tam sæpe nimium dubiis ac incertis determinantes monarchiæ Persicæ chronotaxin. 3°. Proin priorem hebdomadarum partem non posse aut planius, aut contra Judæum efficacius determinari, quam ex Scriptura sacra, ut supra diximus; quod sola hæc nostra sententia præ cæteris singulare habet, utpote Scripturæ divinæ satis concordans, quod elogium eidem præ aliis tribuit P. Schwartz cit. ut eidem subscripsisset, nisi sola eum novitas detinuisset. Quanquam

non adeo nova dici possit, cum ea plures ante tenuisse referat CORNEL. A LAPIDE hic, inter quos ipse CLEM. ALEXANDRIN.

Ut vero dicta hactenus melius intelligantur, brevem hebdomadarum distributionem subjicimus.

HEBDOMADARUM DANIELIS CHRONOLOGICA DISTRIBUTIO.

| | An. |
|---|---|
| Ab *anno primo Cyri*, quo Judæi ex captivitate Babylonica reversi, usque ad *annum vigesimum Artaxerxis* II. sive *Longimani*. . . | 49. |
| Inde *ad initium* regni *Alexandri M.* in Græcia. . . . . | 68. |
| Hinc ad *mortem Darii Codomanni*, regis illius opulenti, Dan. 10. ab Alexandro devicti. . . . . | 6. |
| A *morte Darii* ad *mortem Alexandri M.* . . . . . | 6. |
| Quia 1. Mach. 1. v. 8. dicitur: *et regnavit Alexander annis duodecim, et mortuus est;* h. e. annis sex in Macedonia, juxta illud 1. Mach. 1. ubi dicitur, *post sex annos egressus de terra Cethim*, i. e. Macedonia, teste Epiphanio hær. 30. et *percussisse Darium*: deinde sex annis in Asia. | |
| A *morte Alexandri M.* ad initium *æræ Græcæ*, sive *Seleucidarum*. | 12. |
| Exinde ad *mortem Simonis Machabæi* in Doch occisi, juxta 1. Mach. ult. v. 14. 15. et 16. . . . . | 178. |
| *Hic finitur Historia sacra.* | |
| A *morte Simonis* ad *Christum* natum. . . . . | 134. |
| A *nativitate Christi* ad ejus *mortem*, quæ contigit anno ætatis ejus trigesimo quarto inchoato, proinde anni, sed non completi. . . | 34. |
| *Summa* | 487. |

Quod est dimidium hebdomadæ ultimæ. Proinde mors Christi in hac sententia incidit in annum Olympiadicum 808., h. e. annum quartum Olympiadis 202. Nativitas vero in 776. h. e., annum quartum Olympiadis 194., ut vult sententia communis.

## ARTICULUS III.

### IDEM MESSIÆ ADVENTUS EX EVERSIONE TEMPLI SECUNDI AMPLIUS JUDÆIS OSTENDITUR, ARGUMENTO PETITO EX AGGÆO ET MALACHIA PROPHETIS.

Cum visa templi secundi, quod duce Zorobabele, et Jesu Josedechi filio, soluta a Cyro captivitate Babylonica, restaurare cœperant Judæi, 1. Esdr. 3. angustia et paupertate; flerent Judæorum seniores, qui templi primi Salomonici magnificentiam et opulentiam viderant; Deus solaturus populum, et incitaturus, ut incœptæ fabricæ insistat, per Aggæum prænunciat prærogativas templi secundi præ primo, quod ad secundum templum Messias ipse venturus esset, his Aggæi cap. 2. verbis: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel: confortare Jesu fili Josedec, Sacerdos magne, et confortare*

*omnis populus terræ... Quia hæc dicit Dominus exercituum : adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes : et veniet desideratus cunctis gentibus : et implebo domum istam gloria... Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ : ... et in loco isto dabo pacem.*

Malachiæ vero prophetarum ultimi c. 3. *Ecce ego*, inquit Dominus, *mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis ; et angelus testamenti, quem vos vultis.*

71. *Dico.* Ex utroque vaticinio Messiam pridem advenisse evidenter evincitur.

*Prob.* Vi utriusque vaticinii Messias ad templum secundum venire debuit; ergo stante adhuc templo secundo. *Subs.* Atqui templum secundum pridem a Tito, sub Vespasiano Augusto, funditus eversum est; ergo etiam pridem et ante factam a Tito eversionem Messias advenit.

*Prob. Ant. quoad* 1$^{um}$. Qui in templum venturus hic prænunciatur, Messias est ; quia solus Messias dici proprie potest *desideratus cunctis gentibus;* sicque vocatur Gen. 49. v. 10. Nec obstat, quod paulo aliter legatur in hebraico, et apud LXX.; in hebraico : *venient desiderium cunctæ gentes ;* apud LXX. *venient electa omnium gentium;* non enim lectiones illæ differunt a Vulgata latina quoad sensum; nam in hebraico in verbo *bau* est enallage numeri, hebræis perquam familiaris; dum verbum duobus additum substantivis, quorum unum regitur ab altero, ut fit in allato vaticinii textu, convenit cum posteriore : exempla habes Gen. 4. v. 10. *Vox sanguinum fratris tui clamant ad me.* Job. 15. v. 20., etc. Sicque in hebraico sensus est : veniet desiderium cunctarum gentium, quod idem est, ac si diceres : veniet *desideratus cunctis gentibus.* Apud LXX. vero τὸ *electa* idem est, ac desideria ; recte autem Messias sic dicitur *gentium desideria,* quia hic completurus erat earum desideria. Deinde solus Messias perfecte promissam illam *pacem,* scilicet Deum inter et homines dare poterat. Item ab illo solo major templi secundi gloria desumi potuit, cum quoad cætera templo Salomonico esset longe inferius. Demum quem Judæi antonomastice *quærebant, volebant,* solus Messias fuit.

*Prob. Ant. quoad* 2$^{um}$. scilicet Messiam venturum prædici ad *templum secundum.* Nam 1°. hoc patet ex particula demonstrativa *istam ;* implebo *domum istam gloria ;* et ne esset ulla aliter interpretandi libertas, in hebraico energice ponitur, *hanc istam.* 2°. De illo templo hic sermo est, quod respectu primi Salomonici multo erat vilius et angustius, ut fierent etiam Judæorum seniores, 1. Esdr. 3.; ad quorum proinde erigendos animos Aggæus a Deo missus ; sed templum hoc erat templum secundum post captivitatem Babylonicam sub duce Zorobabele restaurari cœptum. 3°. Quia Aggæus quidem ait, hæc a se prædicta post *modicum* eventura : *adhuc unum modicum, etc.* Malachias vero *statim* venturum : *et statim veniet ;* si autem de templo alio, post secundi destructionem futuro, sermo esset, falso uterque locutus fuisset, cum jam ultra 17. secula destructum sit templum secundum, quin spes ulla affulgeat a longe, excitandi templi tertii; imo hoc nunquam futurum sit juxta Dan. 9. *Usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Hinc corruit Abarbanellæ Judæi recentioris interpretatio, vaticinium allatum de templo tertio explicare conantis.

72. *Obj. I.* Vaticinium Aggæi intelligi potest de Herode Ascalonita ; quia 1°. sub eo Deus adeo *commovit terram,* ut decem omnino hominum millia oppressa fuerint, teste Josepho L. 15. Antiq. Jud. c. 7. 2°. Quia hic templum a Zorobabele constructum diruit, novumque extruxit ; vel certe ita ampliavit secundum, et ornavit, ut eodem Josepho teste L. 15. c. 14. Antiq. splendore antecelleret Salomonico.

R. *N. A.* Quia, qui in templum venturus prænuntiatur, dicitur *cunctis desideratus gentibus* ; sed hic Herodes Ascalonita non fuit ; neque *testamenti angelus,* quod Malachias exigit. Hinc

*Ad prob.* 1am. *N. Cons.* Deinde non de terræ aliquo motu duntaxat Propheta loquitur, sed et de commotione *cœli, maris, omniumque gentium,* qualis in illo terræ motu non fuit.

*Ad prob.* 2am. Non diruit Zorobabelis templum Herodes, sed tantum, teste Josepho cit., antiquis fundamentis reliquis e templo Salomonico solutis nova imposuit ; imo, teste eodem, L. 20. c. 8. porticus Salomonis intacta permansit. Porro templum ab Herode ampliatum splendore superasse Salomonicum vel oratoria hyperbole, vel adulatio fuit ; patet inde : 1°. ex apparatu ad templum Salomonis adhibito, ad quod David bis mille quadringentos francicorum aureorum milliones reliquerat Salomoni ; tantam enim summam faciunt talenta illa 1. Paralip. 22. ; præter ea, quæ Salomon ipse addidit, quibus omnes Herodis divitiæ comparari nequeunt, qui regni Judaici tantum partem precario tenebat ; imo, teste ipsomet Josepho L. 20. Antiquit. c. 8. Herodes a Judæis rogatus, ut porticum Salomonis orientalem pariter restauraret, recusavit, quod fabrica illa pecunias plurimas exposceret. 2°. Sic Josephus idem L. 19. Antiq. c. 14. ait, regiam Herodis domum templo Salomonico fuisse augustiorem ; sed hoc ne Judæorum quidem unus affirmare ausus.

73. *Obj. II.* cum Abarbanella Judæo recentiore. Accentus non sunt coævi, nec primigenio cum hebræo idiomate nati, sed additi aliquot post Christum seculis ; ergo vel plane detrahi, vel substitui possunt alii ; proinde versus decimus sic interpungi, ut de tertio templo possit intelligi ; velut : *magna erit gloria domus istius secundæ,* quam nunc Judæi ædificatis. Deinde v. 10. *magna erit gloria domus istius novissimæ,* sive tertiæ, *plus quam primæ.*

R. Licet accentus hebraico idiomati coævi non sint ; non tamen idcirco pro cujusvis arbitrio detrahi et mutari possunt, cum a Rabbinis antiquioribus additi sint, qui, quomodo legendum esset, ex tradita a majoribus doctrina acceperant. Deinde *N.* quod præsens textus interpungi possit, ut Abarbanella vult ; 1°. quia hæc interpunctio repugnat textui chaldaico, græco, et antiquis Rabbinis. 2°. Quia contraria est textui hebraico ipsi ; nam in hebraico non repetitur, *magna erit gloria,* uti repeti deberet cum particulis *et,* vel *item,* vel *sed,* vel simili ; ergo hanc repetitionem ex suo cerebello Abarbanella confinxit. 3°. Quia Deus vult solari Zorobabelem, ut constat ex præcedentibus, quod domus, quam exstruebat ipse, gloriosior futura esset, quam prima, *et quid vos videtis hanc nunc ?* v. 4. Ergo sermo est de domo secunda, non tertia post Zorobabelem ab alio exstruenda.

74. *Obj. III.* Major templi secundi gloria deduci potest inde : 1°. quod ad

illud pervenerint majores divitiæ, ornamenta et munera; vel 2°. quod diutius steterit, quam primum; ergo.

R. *N. A.* quoad utrumque. *Quoad* 1um. quia qualiacumque sint munera, quæ Cyrus, Darius, Artaxerxes, reges Persiæ, et postea Herodes, aliive principes in templum intulerint; nunquam æquare poterunt templi Salomonici opes; imo quidquid pretiosi illatum erat templo sive a regibus Persiæ, sive aliis, abstulit Antiochus, 1. Machab. 1. v. 23. 24. Deinde in templo Salomonico præter immensas opes erant arca fœderis, virga Aaron, præsentia Dei in propitiatorio, urim et tummin, ignis perpetuus, quorum nihil in templo secundo fuit. Denique Deus ipse declarat, se templi secundi gloriam non ab auro et argento repetere; quia 1°. propter hæc nolebat commovere cœlum, terram, mare, et aridam, omnes gentes, sed propter Messiam: *et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus.* 2°. Quia v. 9. ait: *Meum est argentum, meum est aurum.* Si enim contextus sumatur, hic sensus est, possem ornare templum istud opibus præ Salomonico; meum est enim argentum et aurum; sed ornabo illud Messiæ adventu, juxta antecedentia; *veniet desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloria,* nimirum *desiderati* illius præsentia.

*Quoad* 2um. Etsi diutius steterit templum secundum, non tamen declarat Deus, quod inde majorem illius gloriam repetat. Dein sæpius profanatum fuit ab Antiocho 1. Mach. 1., a Romanis, Pompeio, Cassio, teste Josepho L. 14. c. 8. 13.

*Obj. IV.* Cum veniet ille *desideratus,* commovebit Deus *cœlum, terram, mare et aridam, et omnes gentes.* Sed hæc in ortu Jesu Nazareni non evenerunt; ergo hic saltem dici Messias nequit.

R. *N. min.* Sed singula hæc sub Jesu Nazareni, veri Christi, nati tempora evenerunt. Nam commovit Deus *cœlum,* multitudine angelorum canentium ortumque ejus pastoribus nuntiantium, Luc. 2. Stella apparente Magis, Matth. 2. Dein totum mundum adeoque terram, mare et aridam, omnesque gentes commovit Deus in descriptione *orbis universi* ex imperio Cæsaris Augusti, Luc. 2., populis singulis terra marique suas ad urbes, vel provincias, quibus accensiti erant, tendentibus. Prodigia alia, quæ cœlo et terra evenisse dicuntur, referunt Eusebius in Chronico, Orosius L. 6. c. 18. et 20: item L. 7. ex Dione, aliique varia. Verum cum ex his prodigiis a scriptoribus Christianis complura rejiciantur ut supposititia, alia dubiæ fidei sint, rem Christianam contra Judæos non multum promovebunt. Sed neque his indigemus, cum ante allata sufficiant.

## ARTICULUS IV.

### MESSIAM ILLUM, QUI PRIDEM ADVENIT, ESSE JESUM NAZARENUM VIRGINIS MARIÆ FILIUM A JUDÆIS CRUCIFIXUM OSTENDITUR.

Messiam advenisse pridem cum prophetiæ omnes, quibus ejus prænuntiatus adventus, impletæ evidentius clament, quam ut negari salva ratione possit; Judæorum varii, ne Jesum Nazarenum Messiam esse fateri cogantur, ad fabulas et deliria confugerunt. Messiam suum natum in die destructionis

templi, nondum tamen apparuisse dicunt *L. Berachot* Hierosolymit. Distinct. *Hajah*. Idem in prima *Bereschit Rabba*, legere est, diverso tamen modo, quia nunquam sibi constant mendacia; additurque, Messiam illum natum fuisse cruentatum sanguine ob ruinam sanctuarii; sed flantibus ventis deportatum ad mare magnum, ubi lateat quadringentis annis, *et octoginta in ascensu fumi apud filios Core, et octoginta in portis Romæ, et dein revertetur*. In L. Sanhedrin Dist. *Chelock* ad quæstionem, *quid faciat Messias in porta Romæ?* respondetur : *Sedet inter pauperes, patientes infirmitates, sive leprosos*. Verum dum infelices fictitium Messiam suum hactenus frustra quæsiverunt in fumo apud filios Core, interque leprosos Romæ, nos modo Messiam verum illis in sacrarum Scripturarum luce monstrare conabimur, juxta Christi monitum olim datum perfidis, Joan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*. Igitur

75. *Dico*. Messias qui in veteri lege promissus, jamque pridem advenit, est Jesus Nazarenus, Mariæ Virginis filius, a Judæis crucifixus.

*Prob*. Quia in hoc solo impleta sunt omnia, quæ in vero Messia implenda prophetæ prænunciarunt. Ex his alia sunt, quæ ortum Messiæ antecedere, alia, quæ comitari, alia, quæ subsequi oportuit : singula vero in Jesu Nazareno fuisse adimpleta nunc ostenditur.

Antecedentia et comitantia. Et quidem 1°. *nasci* debuit *ablato* ante *sceptro* a Juda, ut prophetia Jacobi patriarchæ vult, Gen. 49. Ante lapsas LXX. hebdomadas Danielis, in quarum ultimæ dimidio occidendum prædixerat Danieli Gabriel archangelus, Dan. 9. Utrumque vaticinium in Jesu Nazareno perfecte impletum fuisse, dant Articuli priores.

2°. *Ortum trahere* debuit *ex stirpe Abraham*, Gen. 12. v. 3., c. 22. v. 18., c. 28. v. 14. Descendere ex Davide, Is. 11. v. 10. *In die illa, radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum*. Item Ps. 88. v. 4. Quod Judæi ipsi affirmabant, tum interroganti eos de Messia Christo, cujus filius esset Messias, sine cunctatione respondebant : *David*. Matth. 22. v. 42. Sed Jesum ex stirpe Abraham esse ejus Virgo mater, Luc. 1. 55. insinuat : ex progenie Davidis esse, clamant cæci, Matth. 9. v. 27. *Miserere nostri, fili David!* turbæ, Matth. 12. v. 20. *Numquid hic est filius David?* Chananæa, Matth. 15. v. 22. *Domine, fili David!* turba plurima ipsa in urbe Jerosolyma et templo : *Hosanna filio David!*

3°. *Nasci* debuit in *Bethlehem* juxta Mich. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata... ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. At Jesum nostrum natum esse in Bethlehem testatur Matth. c. 2. v. 1. *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda*.

4°. *Nasci* Messias debuit *ex Virgine*, Is. 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Id impletum in Jesu nostro legimus Matth. 1. v. 18.

*Dicunt* equidem *Judæi* τὸ *halma* non præcise significare virginem, sed simpliciter puellam, seu juvenculam ætate, sive dein adhuc virgo sit, sive non. Sed contra est, 1. quod vox *halma*, quæ derivatur a *latendo*, *halam*, virginem nunquam a viro cognitam, semper in hebraico importet. Sic Gen. 24. v. 42. dicitur de Rebecca, nondum adhuc experta virum. Exod. 2. v. 8. de

sorore Moysis adhuc virgine. Ps. 67. v. 16. de virginibus illibatis, etc. 2. Sic vocem hanc interpretantur versio chaldaica, sive paraphrastæ Chaldæi Onkelos et Jonathan, summæ apud Judæos auctoritatis : LXX. Interpretes idiomatis hebraici peritissimi, qui clare sic reddunt ; ἰδοῦ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱόν. 3. Quia Isaias eo loco, ut spem regis Achaz omnipotentiæ divinæ intuitu erigat, miraculum promittit maximum ; et tanquam insolitum subjicit, futurum scilicet, ut *virgo concipiat, et pariat filium :* Sed si per τὸ *halma* significare voluisset juvenculam duntaxat ætate, quæ experta virum conciperet, quid in eo novi, nedum prodigii insoliti dixisset ?

5°. Messiam *præcedere* debuit, qui pararet vias ejus, Malach. 3. v. 1. *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et angelus testamenti, quem vos vultis.* Id S. Joannes Baptista præstitit, Matth. 2., Luc 1. Messiæ nomen futurum prædicitur *Jesus,* i. e. Salvator, Is. 12. 51. 62., etc. Item : *Emmanuel* Is. 7. Sed hoc Christi nomen fuit, Matth. 1. Luc. 1. Quin in titulo crucis legebatur : *Jesus Nazarenus.*

6°. Omne morborum *genus* prædicitur *sanaturus,* patrando miracula, Is. 35. v. 4. 5. *Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Hæc autem præstitisse Christum, testantur Evangelistæ passim ; similibusque aliis plena est historia Evangelica. Quin cum miraculorum ejus evidentiæ obluctari non possent Judæi, arti illa diabolicæ tribuebant.

7°. Futuram Messiæ *passionem et mortem* quoad singulas circumstantias tam distincte prænuntiarunt Prophetæ, ac si adfuissent oculati testes. Consilium principum, sacerdotum et seniorum de perdendo Christo, et causam odii prædicit Sapiens c. 2., David Ps. 2. *Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* Vendendum triginta argenteis, iisque emendum agrum figuli, Zacharias c. 11. v. 12. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos ; et dixit Dominus ad me : projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.* Conspuendum, cædendum in faciem, Jeremias Thren. 3. v. 30. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Isaias c. 50. v. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Flagellandum, et accusandum a falsis testibus, David Ps. 128. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Ps. 26. *Insurrexerunt in me testes iniqui.* Divisionem vestimentorum, Ps. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Felle et aceto potandum, Ps. 68. *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Perforationem manuum et crucifixionem, Zacch. c. 13. v. 6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? et dicet : his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* c. 12 v. 10. *Aspicient ad me, quem confixerunt.* Cætera opprobria, dolores, circumstantias, David Ps. 21., Isaias c. 53. prædixerant. Quæ vaticinia in Domino Jesu nostro ad apicem impleta fuisse, testes non solum libri Evangelistarum sunt, sed et ipsa urbs Jerosolyma, in cujus illa oculis evenerunt.

8°. Occisus Messias *resurgere* a mortuis debuit juxta Ps. 15. v. 10. *Non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum videre corru-*

*tionem*. Quæ non alium, quam Messiam attinent; hic enim *Sanctus Dei* antonomastice dicitur; sicut Dan. 9. *Sanctus Sanctorum*. Certe de Davide intelligi non possunt, ut volunt Rabbini recentiores; David enim defunctus corruptionem vidit, h. e. expertus est. Unde et Petrus Act. 2. v. 31. Paulus Act. 13. v. 35. hoc Davidis vaticinio sine metu contra Judæos usi. Deinde etsi permittatur Judæis, antecedentia in Ps. cit. Davidem de se ipso loqui; non tamen hoc de contextu subsequenti dici potest, ipso hoc indicante Davide, cum in antecedentibus fere loquatur in præterito, postea vero a v. 10. ut propheta in futuro. Jam vero Christum nostrum die tertio, velut ipse prædixerat, Matth. 12. v. 40., resurrexisse a mortuis referunt Evangelistæ uniformiter omnes: Apostoli prædicabant palam ubique, et coram principibus iisdem, qui Jesum condemnaverant, Act. 3. v. 13., Act. 4. v. 10.; quin ab his falsitatis redargui potuissent; aut haberent, quod Petro contradicerent, Act. 4. v. 13. 14.

9°. Demum *ascensionem* Christi prædixit David Ps. 67. v. 19. *Ascendisti in altum: cepisti captivitatem*. Ps. 109. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis. Missionem Spiritus sancti*, Joel c. 2. v. 28. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ*. Cum his vero confer, quæ de Christo nostro refert historia Evangelica Matth. ult., Item Marc., Luc. Act. 1. v. 9. Act. 2. etc.

## ARTICULUS V.

### EX SIGNIS ET VATICINIIS ALIIS JESUM NAZARENUM ESSE VERUM MESSIAM IN LEGE PROMISSUM OSTENDITUR.

Hic illa comprehendimus, quæ ex Messiæ adventu SUBSECUTURA prænuntiarunt Prophetæ, e quibus cum alii varia, ut Illustriss. HUETIUS in demonstr. Evang., noster THYRSUS GONZALEZ in Manud.; nos duntaxat sequentia magis efficacia delibamus.

76. I^mm^. est, Mosaicæ legis et fœderis rescissio; e contra legis novæ et novi pacti institutio. Disertis verbis utrumque a Jeremia prædictum c. 31. v. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: pactum, quod irritum fecerunt... Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*. Hinc primo conficitur, pacto et legi veteri revera subrogari debere legem novam cum pacto novo; proin cum alibi fœdus Mosaicum vocetur *legitimum sempiternum*, vel dicatur *æternum*; non posse hoc intelligi de æternitate absoluta, sed certa duratione temporis, ut amplius dicetur in *object*. Cæterum, qui potestate polleat abrogandi legem antiquam, et condendi novam, non alius esse quam Messias potest; is enim solus ex Rabbinorum veterum tum recentiorum consensu, cum venerit, toti mundo dominabitur, huic dando leges, juxta illud Ps. 71. *Adorabunt eum omnes reges terræ, et omnes gentes servient ei*. Et quod Isaias c. 33. de Messia dixit;

*Dominus Legifer noster*. Proin solum inquirendum, an immutatio illa jam evenerit, Jesum Nazarenum D. N. subsecuta? hic enim cardo vertitur, Judæis pro lege sua plus, quam pro aris et focis pugnantibus. Igitur

*Subsumo* : Atqui facta est illa immutatio, de qua Jer. 31., et subsecuta Jesum Nazarenum D. N. Ergo.

*Prob. subs.* 1ª. *p.* Abrogata est Mosaica lex, si 1°. abrogatum sit sacerdotium Leviticum : 2°. Si abolita sacrificia : 3°. Si antiqui fœderis conditiones non amplius servet ipse Deus : 4°. Si usque adeo legis veteris observantiam Judæis fecerit impossibilem : atqui hæc ita se habent; ergo. *Maj.* in dubium vocari non potest a Judæo rationis compote; nam cum Mosaicæ legis potissima pars sita esset in sacerdotii Levitici cultu ac religione, illudque cum hac necessariam haberet connexionem; sublato sacerdotio lex ipsa subsistere non potuit. Idem ex sacrificiis abolitis sequitur; quorum abolitionem quidem Deus adventus Messiæ signum manifestum posuit, ut ex professo dicetur infra. Ac demum si Deus ipse, inter paciscentes pars potior, stare amplius pacto nolit, vel ipso facto declaret, quod usque eo, non ultra, se servaturum pactum promiserit; imo faciat, ut pars altera implere pacti conditiones non possit; qua ratione pactum subsistet, quod non nisi conventione duorum perficitur? Hinc

*Prob. min. quoad sing. membra. Quoad* 1um. quidem et 2um. infra ex professo. Hic igitur interim *prob. quoad* 3um. Vi pacti illius obstrinxerat se Deus ad regendam et protegendam Judæorum gentem, ceu *populum peculiarem*, h. e. speciali providentia, qua *peculium*, sive thesaurum tuemur; ut proin Judæorum gens antonomastice diceretur *populus Dei*, et forma regiminis ab initio esset pure *theocratica*. Licet autem postea maxime post captivitatem Babylonicam ab externa administratione Reipublicæ gradatim recesserit Deus, sicque Theocratia fuerit sensim imminuta; nunquam tamen rescissum est fœdus Sinaicum, nec consequenter Theocratia, per illud fœdus instituta, fuit prorsus abolita, usque ad Christum regem, sive Jesum Nazarenum. Non diffitentur hoc Judæi; et, si malitiose vellent, ipsis clare ostenditur.

Nam 1°. abolita non fuit Judicum et Regum tempore; cum horum electio ad Deum pertineret, non ad populum, juxta præceptum clarum Deut. 17. Deinde reges non habebant summam potestatem *legislativam*, quæ illi duntaxat competit, qui omnia supremæ majestatis jura habet; sed *executivam*, qua vicarii Dei, Deut. 17. v. 18. licet cætera aliis prærogativis pollerent, ac proinde Theocratia non nihil imminuta, non tamen penitus ablata fuerit; sicque explicari et conciliari debent textus 1. Reg. 8. et 1. Reg. 12. de quibus n. 27.

2°. Post captivitatem adeo pactum non sustulit Deus, ut potius renovarit Agg. 2. v. 5.

3°. Post Malachiæ prophetarum ultimi tempora, licet quoad administrationem externam multis gradibus recesserit Deus; item spiritus cessaret propheticus; non tamen omnino omnia specialis suæ providentiæ pignora, etsi rara essent, sustulit Deus, ut ex historia Machabæorum liquet; usque dum nascituri Messiæ appropinquaret tempus. Atqui a 1700. annis et ultra populi Judaici res prorsus deseruit, nec ullum obiit regiæ potestatis officium : nullum dedit providentiæ suæ prioris indicium : nullum ad Judæos prophetam

misit : non dedit principem : non sunt amplius in laudem et gloriam Dei sui : excidium universæ gentis passus est, quin dedisset, ut alias, solatium, restitutionis spem. Quin effecit, ut Judæis ipsis veteris legis observantia esset impossibilis; nullam enim religionis (quæ templo adeo alligata erat, ut extra illud peragere sacrificium sacrilegium esset) possunt partem peragere; nec, eversa civitate, judiciarias exercere leges; ergo.

*Prob. subs.* 2ª. *p.* ex totius orbis consensu; sublato enim a Judæis Jesu Nazareno, nece crudelissima, hæc mala evenerunt : a Tito eversa urbs : dispersa gens : inducta templi desolatio, quæ perstat hodie, perstabitque semper.

77. IIum. est sacerdotii Levitici abrogatio et substitutio novi, juxta Davidis vaticinium : *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech;* quæ alteri, præterquam Messiæ, aptari non possunt; igitur sicut Melchisedechi sacerdotium, sic illud Messiæ et ab hoc instituendum, differre debet a Levitico. Clarius idem per Isaiam 66. v. 18. prædixit Deus : *Venio, ut congregem cum omnibus gentibus et linguis, et venient et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lybiam tendentes sagittam; in Italiam et Græciam ad insulas longe... et assumam ex eis in sacerdotes et levitas.* Hic declarat Deus, quod ex gentibus quibusvis assumpturus sit sacerdotes; ergo abrogandum erat sacerdotium vetus; cum illo, non nisi nati ex Levitica stirpe, fungi possent; et similiter substituendum erat novum. Atqui Jesus Nazarenus fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedechi, instituens in pane et vino sacrificium, quod proprium erat Melchisedecho; ita enim, auctore Jesu Nazareno, etiamnum toto in orbe offertur Deo sacrificium : Item, Jesus Nazarenus misit in omnes mundi plagas, et ad gentes Apostolos suos, ex illisque assumpsit sacerdotes, quos suis hodie oculis vident Judæi; ergo.

78. IIIum. est sacrificiorum abolitio. Connectitur hoc cum præcedenti; sed in particulari prædictum 1°. a Daniele 9.: *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus... et in medio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium.* 2°. A Malachia 1. v. 10. et 11. *Non est mihi voluntas in vobis... et munus non suspiciam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda* : atqui occiso Jesu Nazareno, defecit hostia et sacrificium. Vid. n. 50. Item, jam in omnibus gentibus offertur Deo oblatio, non cruenta, sed munda in pane et vino; ergo.

79. IVum. est idololatriæ exterminium, gentiumque ad veri Dei cultum conversio. In singulis ferme prophetarum paginis signum hoc Messiæ legitur. Pacto Abrahamitico hæc adjecta promissio fuit, ut in semine ejus benedicerentur omnes gentes terræ, Gen. 22. Ideo Messiam Jacob vocat *exspectationem gentium,* Gen. 49. Ipsi Doctores Hebræi semper de Messia intellexerunt illud Ps. 2. *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* De Messia loquitur Isaias 49. v. 6. *Ecce dedi te in lucem gentium.* Et 2. v. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus*

*Domini... et fluent ad eum omnes gentes.* Item 11. v. 10. *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Sophonias 3. v. 9. *Tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini.* Zacharias 13. v. 2. *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum; Disperdam nomina idolorum de terra.* Sed manifestum est, factam esse conversionem illam gentium ad agnitionem veri Dei per Jesu Nazareni, Christi et Domini nostri Apostolos, horumque successores, cum vix ulla supersit gens, quæ vel tota, vel ex parte saltem non agnoscat et colat verum Deum, relicto idolorum cultu.

80. *Obj. I.* Verba Jeremiæ supra debere de renovatione antiqui fœderis post captivitatem Babylonicam intelligi; quo scilicet tempore clarior erat, quam antea, Dei cognitio ob Synagogarum copiam, in quibus ter in hebdomade docebatur populus: fuit constantior Judæorum erga legem voluntas: majora comitabantur beneficia pacti renovationem, quam ejus olim promulgationem primam.

R. *N. A.* Non enim Jeremias de renovatione antiqui, sed institutione pacti prorsus novi loquitur; ait enim *feriam, dabo,* etc. sed antiquum jam dederat, ferierat; quodque renovatur tantum, non datur, aut fit simpliciter. Deinde pactum hoc novum, legemque novam, quam se daturum promittit Deus, opponit legi veteri: *Fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum;* at in data expositione adhuc fuisset pactum idem, quod olim pepigerat cum Judæis.

81. *Obj. II.* Ex præsenti Judæorum conditione non magis evincitur, rescissum esse pactum Mosaicum, quam in tempore captivitatis Babylonicæ; carebant enim etiam tunc civitate, templo, sacrificio, etc.; ergo.

R. *N. A.* Nam inter præsentem Judæorum statum, et illum tempore captivitatis nulla est proportio, 1°. ratione durationis; nam status ille nonnisi 70. duravit annis; præsens jam septingentis supra mille perstitit: 2°. Tempore captivitatis remansit Jerosolymis et in Judæa pars populi, fecitque Deus, ut nullæ illuc transferrentur coloniæ nec vicini populi occuparent sedes vacuas; nunc ad unum omnes terra Chanaan pulsi sunt. 3°. Babylone suos habebant Judices, qui juxta legem Moysis jus dicebant; imo succedens Nabuchodonosori Evilmerodach thronum regis Joachim elevavit super cæterorum regum thronos, qui Babylone erant; nunc alienis subsunt legibus, et principibus, plerumque Judaico nomini infensis. 4°. In priore statu mittebat Prophetas Deus, qui Judæos solarentur; 70. annos determinaverat Jeremias; Cyrum liberatorem prædixerat Isaias; novæ urbis et templi formam descripserat Ezechiel; certique erant Judæi de suo in patriam reditu: modo patria pulsi, sine lege, sine rege, sine templo, sine sacrificio, sine propheta, sine spe toto vagantur orbe; verbo: primi fœderis habent nihil.

82. *Obj. III.* Lex Mosaica in Scripturis dicitur æterna; ergo. *Prob. A.* Deut. 12. v. 32. Moyses ipse legem vocat *legitimum sempiternum.* Deut. 29. v. 29. vult *servari in sempiternum.* Similia extant alibi.

R. *D. A.* Dicitur æterna quoad præcepta moralia *C.* Quoad ceremonialia et judicialia *subd.* Æternitate absoluta *N.* relativa, quæ pertineat non ad

omnia futura tempora, sed ad definitum Reipublicæ ævum, videlicet usque ad Messiæ adventum *C.* Quoad moralia, quæ legi Mosaicæ communia sunt cum lege nostra Evangelica, lex Moysis simpliciter æterna dici potest, et habere perennitatem cum mundo. Quoad ceremonialia et judicialia, quæ legi Mosaicæ propria sunt, hæc æternitatem habet nonnisi relativam, h. e. quamdiu durabit Judæorum Respublica, nimirum usque ad Messiam. Patet ex allato Jeremiæ vaticinio, quo lex illa per Messiam abroganda asseritur: ex prophetiis, quibus prænuntiata fuit sacerdotii, sacrificiorum abrogatio; item ex Doctorum inter Judæos consensu, et vulgari Judæorum traditione. Sic in Talmude, *posterioribus post legem seculis Messiæ doctrinam servari oportere*, positive asseritur: in Midrasch Cohelet, *legem, quam homo discit in hoc seculo, vanitatem esse præ lege Messiæ.* R. Simeon in Jalkut, *Deum per Messiam novam legem esse daturum.* R. Maimonides ad illud Deut. 12. ubi Moyses legem vocat *legitimum sempiternum*, prohibens aliquid vel addi, vel demi, *Hæc*, subdit, *nos admonent, ne addamus, vel detrahamus aliquid pro nostro libitu; sed nihil prohibent, quo minus ipse Benedictus* (Messias) *addat, vel demat pro sua sapientia.* Unde et R. Joseph Albo pluribus abhinc seculis hanc putatitiam æternitatem legis cachinnis explosit.

*Inst.* Dum nos latine vertimus *in sempiternum, æternum*, etc. in hebraico est *holam*, etiam ubi de præceptis non moralibus agitur, quæ vox proprie dictam æternitatem importet.

R. *Concessa* 1ª. *p. A. N.* 2ªm. *p.* et *Cons.* Nam vox *holam*, nisi aliud suadeat subjecta materia, alias plerumque tempus finitum, certum ævum denotat. Constat 1°. ex Rabbinis peritissimis, R. Maimonide in more Nevochim, dum vocem hanc data opera exponit; R. Albo cit. et aliis. 2°. Ex Scriptura; sic 1. Reg. 22. v. 22. Samuel dicitur mansurus coram Domino *ad holam*, æternum, h. e. ut textus declarat, non recessurus a tabernaculo Domini per totam vitam. Sic Exod. 4. dicitur: *Erit ei servus ad holam, in seculum*, sed hoc est, usque ad annum Jubilæum. Sic porro sumitur Num. 8. 24., Prov. 22. 28., Is. 32. 14. et 45. 17. et 63. 60. Jer. 11. 10., Mal. 3. 4., in Ps. sæpe et alibi. 3°. Ex celebri apud Synagogæ Doctores distinctione inter *holam eze*, et *holam eba*, præsens seculum et futurum, per *holam eze* seculum ante Messiam; per *holam eba* seculum regni Messiæ indicare volentes.

83. *Obj. IV.* Jesus Nazarenus, Christus noster, fassus est ipsemet, ne videretur propheta falsus, se non venisse ad legem solvendam, sed adimplendam.

R. *D. A.* Non ad solvendam legem quoad præcepta moralia *C.* alia *N.* Hæc quidem etiam ipse adimplere voluit, proinde circumcidi, servare sabbatum, pascha, etc. sed adimplendo simul consummare, et substituere legem suam, figuræ figuratum.

84. *Obj. V.* 1°. Messias Is. 2. v. 2. venire debet *in diebus novissimis.* 2°. Adventum ejus præire Elias: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini*, Malach. 4. v. 5. 3°. Afferre pacem: *In diebus ejus orietur justitia et abundantia pacis*, Ps. 71. v. 7. adeo ut lupus habitaturus sit cum agno, pardus cum hædo, vitulus cum leone, Is. 11. v. 6. 4°. Adveniente Messia lux lunæ sicut lux solis erit, et lux solis septuplo major quam

antea, Is. 30. v. 26. 5°. Messias erit fortis bello, sibique subjugabit gentes omnes, Ps. 2. v. 8. Ps. 44. v. 6. : atqui nihil horum hactenus impletum est; ergo.

R. *N. min. Ad prob.* 1am. R. Per *dies novissimos* non intelligitur tempus mundi novissimum absolute, sed relative, vel comparative ad tempora præcedentia legis naturæ et legis Mosaicæ, respectu quorum tempus Messiæ novissimum dicitur, quia lex gratiæ, quam afferet, non habebit aliam post se. Nec Judæi dies absolute novissimos dicere possunt, cum sic plane corruat diuturnum illud Messiæ regnum, quod, ut Judæi fingunt, Messias aget Jerosolymis in Davidis solio per longam posterorum suorum seriem.

*Ad prob.* 2am. De secundo Christi adventu hoc dicitur, quo ad judicandum veniet; quia ait Propheta : *Antequam veniat dies Domini magnus et horribilis;* primus vero Messiæ adventus non horribilis, sed amabilis est. Vel si de adventu Messiæ primo textum quis velit intelligi, explicandus est de Joanne Baptista, qui Elias dici potest spiritu, virtute, zelo, juxta illud Luc. 1. v. 17. *Præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ.* Unde et Christus aiebat : *Elias jam venit, et non cognoverunt eum... Tum intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset,* Matth. 17. v. 12.

*Ad prob.* 3am. R. Si etiam de temporali pace quis velit textum accipi, nato Christo nostro pax summa fuit non in Judæa solum, sed provinciis omnibus Romani imperii. Rectius tamen de pace spirituali et interna intelligitur, juxta canentes angelos : *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis,* Luc. 2. Tum de pace Deum inter et hominem, quam attulit Christus *mundum reconcilians Patri.* Hæc : *habitabit lupus cum agno, etc.* allegorice dicta sunt, significantque, gentes deposita barbarie, ad prædicationem doctrinæ Christi velut mansuetos agnos ad illius ovile perducendos esse. Hoc indicat ratio, quam propheta his, *habitabit,* etc. aliisque similibus, subdit : *quia repleta est terra scientia Domini,* h. e. cognitione Dei, et Messiæ; at lupus naturalis illius incapax est. Nec adeo delirabunt Judæi, ut de naturali lupo et agno contendant prophetam loqui; alioquin et reliqua, quæ de Messia ibidem prædicantur, sic naturaliter oportebit sumere; cumque dicat : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus... Justitia erit cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium ejus,* etc. Messias erit virga naturalis, flos; justitia erit verum cingulum, etc. quo nihil ineptius.

*Ad prob.* 4am. Etiam hæc allegorice dicta sunt, denotantque mutationem futuram a terrenis ad cœlestia, a carnalibus ad spiritualia; homines multo clariorem habituros cognitionem de Deo, rebusque supernaturalibus. Quæ expositio plane conformis est prophetæ, dum c. 65. v. 17. ait Dei nomine : *Ecce ego creo cœlos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor;* quæ necessario sunt accipienda metaphorice, ac cœli novi et terra nova religionem novam legemque clare significant; neque enim adveniente Messia cœli destruentur et terra, alioquin et incolæ et Judæi ipsi destrui deberent antequam creetur mundus novus. Sicut ergo cœli novi et terra nova sumuntur metaphorice, sic major illa lux lunæ et solis in novo hoc metaphorico cœlo. Alii quoque textum de secundo Christi adventu exponunt.

*Ad prob.* 5am. R. Erit fortis bello non cruento, alioquin non *exspectatio gentium, desideratus cunctis gentibus* prænuntiari potuisset; sed spirituali,

convertendo gentes gratia sua, luce, et sanctitate doctrinæ. Unde *ad ipsum fluent omnes gentes;* secus fugituræ. Neque Messias imperium agere debebat tyrannicum, aut mundanum, juxta vaticinium Zachariæ c. 11. *Ipse pauper et ascendens super asinam.* Ecce apparatum bellicum! Quæ ergo de Messiæ victoriis canunt prophetæ, spirituales Messiæ progressus et Ecclesiæ triumphos significant.

85. *Obj. VI.* Messias juxta prophetarum oracula, restaurabit urbem, et templum Salomonis : colliget dispersos in orbe Judæos, ac reducet in Jerusalem : viventque ibi, et pristino ritu sacrificia offerent. Sed hoc nondum evenit. *Prob. M.* quoad singula. Ex Jeremia c. 29. v. 14. *Reducam captivitatem vestram, et congregabo vos de universis gentibus, et de cunctis locis, ad quæ expuli vos; et reverti vos faciam de loco, ad quem transmigrare vos feci.* Tum c. 30. et 31. sic restaurandam prædicit urbem, ut *non evellatur et non destruatur in sempiternum.* Ezechiel c. 40. et seqq. templum a Messia restaurandum descripsit; collectionem Judæorum prædixit c. 34. v. 12. *Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum; sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis et caliginis. Et educam eas de populis... et inducam eas in terram suam, et pascam eas... in montibus excelsis Israël erunt pascua earum.* Idem prædixit Amos pluribus c. 9.

*N. M. Ad prob.* R. Prophetæ ii singuli loquuntur de reductione Judæorum e captivitate Babylonica, et futura post illam restauratione urbis et templi secundi. Nam 1°. Jeremiam c. 29. de hac reductione et restauratione loqui evidens est ex singulis textibus, ac v. 10. clare inquit : *Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, et suscitabo super vos verbum bonum, ut reducam vos, etc.* Hunc etiam esse scopum vaticinii Jeremiæ, c. 30. et 31. evidens fit ex 1. Esdr. 1. ubi Esdras ait : *ut compleretur verbum Jeremiæ.* 2°. Templum quoque, quod vidit et descripsit Ezechiel, erat illud, quod restaurandum post captivitatem; hocque illi ostendit Deus ad solandos in captivitate Judæos : *Annuntia omnia, quæ tu vides, domui Israël* c. 40. v. 4. Vid. Corn. a Lap. hic. Quæ porro ex c. 34. Ezech. allata, pariter ad solandos Judæos dicta sunt; dixit enim hæc durante jam captivitate, ut constat ex c. præc. 33. v. 21. *Factum est in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ, etc.* postea causas tanti mali affert, et in c. 34. in specie reprehendit pastores domus Israel; ut proin sit connexio inter utrumque caput : a pastoribus vero delabitur ad oves, sive populum, quem citt. verbis solatur. Occasione vero pastorum, more prophetis usitato, rapitur ad pastorem Messiam v. 21. Eadem est responsio ad Amos c. 9.

*Nec obstat,* quod Jeremias dicat, civitatem cum templo restaurandam sic, ut non destruatur *in sempiternum* : nam τὸ *in sempiternum,* hebr. *had holam,* ut dixi Art. præc. dum de rebus temporariis sermo est, nec æternitatem absolutam, nec præcise diuturnitatem mundi importat. Vid. n. 82. Accedit, quod promissiones ejusmodi, de rebus temporalibus factæ, conditionatæ esse soleant. Hinc non est necessitas allatos textus exponendi in sensu mystico de perpetuitate Ecclesiæ.

Porro urbem templumque secundo destructa nunquam postea esse ad

Judæorum usus paranda, claris prophetarum vaticiniis habetur Dan. 9. v. 26. *Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas; et post finem belli statuta desolatio... Et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Oseæ 3. v. 4. *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari et sine ephod et sine theraphin, et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum..., et pavebunt ad Dominum... in novissimo dierum.* At si usque ad finem perseveratura desolatio; item, si usque ad novissimum diem in eo statu Judæi sint permansuri; nulla restaurationis templi spes est.

86. *Obj. VII.* Messias 1°. eriget regnum Judæorum felicissimum, et Judæos cumulabit immensis opibus, ac summa rerum abundantia, Is. 60. v. 17. *Pro ære afferam aurum, et pro ferro afferam argentum, et pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum.* 2°. Regnabit Jerosolymis æternum in Davidis solio, Is. 9. v. 7. *Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum.* Et Dan. 7. v. 14. *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur: et regnum ejus, quod non corrumpetur*; atqui hæc nondum habentur.

*Ad* 1$^{um}$. R. *D.* Eriget tale regnum temporale, refertum bonis temporalibus *N.* spirituale, refertum bonis spiritualibus et cœlestibus *C.* Hæc metaphorice Isaias adumbrare voluit cit. loc. Sicut dum c. 54. v. 11. inquit: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua; et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Non enim putem adeo insanire Judæos, ut hæc de antiqua sede sua, Jerosolyma, dicta velint.

*Deinde* Messiæ regnum non temporale futurum, juxta inveteratam Judæorum mentem, nec ejus gloriam in rerum terrenarum copia fundandam esse, Zacharias Judæis ad oculum, si videre velint, prænuntiat c. 9. v. 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce rex tuus* (Messias) *venit tibi justus et Salvator; ipse pauper et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ: et dispergam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli: loquetur* (Messias) *pacem gentibus; et potestas ejus a mari usque ad mare... tu quoque emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Ergo Messias rex Israel asina vehetur et pauper erit; non igitur illam afferet bonorum terrestrium abundantiam, sed spiritualium, justitiæ et salutis, procul dubio maxime animarum. Item: igitur sine apparatu regio, sine arcu belli, aut equis triumphos aget, educet vinctos, non de regum terræ carceribus, sed de lacu, in quo non est aqua, ab inferis. Huc adde prophetiam Danielis c. 9. et alias allatas, quæ cum hoc imaginario Judæorum regno nullo modo concordant. Unde

*Ad* 2$^{um}$. R. Etiam de regno æterno Messiæ spirituali et cœlesti intelligi debent, ex datis rationibus; quia in Scriptura Messias dicitur *pauper, humilis, vir dolorum, sciens infirmitatem, occidendus* Is. 53. *Desolatio perseveratura usque ad finem*, etc. quæ cum regno in materiali Davidis solio combinari non possunt.

87. *Obj. VIII.* Auctoritatem Judæorum veterum. Plerique olim in Jesu

Nazareno Messiam non agnoverunt; ergo non habuit Messiæ notas. *Prob.* Abhorret a divina bonitate in re tanti momenti Judæos incertos relinquere, et talibus notis delineare Messiam, ut, cum veniret, a suis non agnosceretur.

R. 1°. Judæis incredulis oppono alios, qui nomina Christo dederunt. Item, auctoritatem orbis universi, qui ad Christum evidenti completione oraculorum perductus est.

R. 2°. *D. A.* Non agnoverunt, neque, si voluissent, agnoscere poterant *N.* non agnoverunt, vel quia salutis incurii negligebant prædicationem Christi; vel, audita miraculorum fama, in eum non inquirebant ignavi; vel quia, in illum invidia et odio succensi, positive nolebant *C.* Potuerant et hi detegere in illo veri Messiæ notas, sicut multi alii detexerunt; et modo agnoscit orbis. Ejusmodi vero relinquere incertos, a divina bonitate nullo modo abhorret.

---

## SECTIO II.

### DE JESU NAZARENI, VERI CHRISTI ET DOMINI NOSTRI DIVINITATE CONTRA JUDÆOS ET HÆRETICOS.

Recentiores Judæorum Doctores ex inolita inter eosdem opinione, Messiam purum hominem fore, tametsi majores eorum plerique aliter senserint teste Galatino L. 6. de Arcan. fid., Jesu Christo Domino nostro, quem verum Messiam probavimus, divinitatem funditus abnegant. Idem hæreticorum non pauci præstiterunt; præ cæteris *Arius* quo hæreticorum nemo, ut Verbi divini, sic Christi divinitatem valentius impugnavit. Arii impietatem seculo XVI. redivivam stitit *Sociniana hæresis;* relicto Theologis documento, quam non perfunctorie, et velut decurrendo pertractanda sint dogmata, quod vix sit tam abominanda, et protrita licet Ecclesiæ auctoritate hæresis, quæ non reviviscat æque facile, quam olim difficile fuerat eamdem subvertere. Quare ad stabiliendum de divinitate Christi dogma catholicum, quod in mysterio Incarnationis caput est, Articulis sequentibus 1°. Messiæ divinitatem contra Judæos simul et hæreticos probabimus ex T. V. 2°. Contra hæreticos insuper ex T. N. et ad argumenta contraria respondebimus. Demum 3°. eruditorum gratia, utrum Liberius S. P. alicui formulæ Syrmiensi; vel S. Athanasii condemnationi subscripserit? inquiremus.

## ARTICULUS I.

### SYNOPSIS HISTORICA HÆRESIS ARIANÆ, TUM SOCINIANÆ.

---

### §. I.

*Arii ortus et initia.*

88. *Arius*, teste S. Epiphanio hær. 69. n. 1. natus in ea Libyæ parte, quæ Ægypto vicina, et Alexandriæ accensita, ut proinde passim ab aliis vocetur patria Alexandrinus, externa corporis specie eam præferebat morum gravitatem, qua facile hominibus illuderet; tum comitatem et blanditias in verbis, ut multorum animos caperet. Dialecticis in argutiis apprime versatus fuit. Ex S. Luciani, Antiocheni martyris, schola eum prodiisse inde probabile fit, quod Eusebium Nicomediensem *Conlucianistam* appellet, quo nomine S. Luciani discipuli gloriari soliti. Schismaticus ante, quam hæresiarcha fuit. Meletii enim schismatici partes ante secutus, teste Sozom. L. 1. c. 15. postea vero, deserto Meletio, a Petro Alexandrinorum Episcopo ordinatus est diaconus. Rursus tamen Ecclesia ejectus ab eodem, quod Meletianis se rursus adjungeret. Petro mortuo, Achillæ et Alexandri presbyterorum ope in communionem receptus, et ad ipsum presbyteratus ordinem promotus fuit. Verum cum Alexander in Petri defuncti sedem promotus esset, Arius, qui illam ambiverat, id invidiose ferens, cum in Alexandri, viri probi et perdocti, vita nihil haberet quod carpere posset, teste Theodoreto L. 1. c. 2. ejus doctrinæ contradicere cœpit, in eamque, quam proferemus, hæresin prorupit.

### §. II.

*Hæresis.*

Cum Alexander in conventu quodam de SS. Trinitate dissereret, et Filium Patri honore parem, ac ejusdem omnino substantiæ cum illo assereret; Arius dogma catholicum continuo impugnare cœpit, ac contra docere: *Filium Dei non esse Deum verum de Deo vero; non esse ab æterno, non Patri consubstantialem; sed isto minorem: a Patre creatum ex nihilo;* in quo capitalis Arii error versabatur, quem latius expressit in carmine, quod *Thaliam* vocavit. Deum tamen dicebat Filium, sed solum in sensu improprio, nimirum propter excellentiam, quod sit creaturarum omnium prima et præstantissima, per quam, velut instrumentum, Deus Pater cæteras creaturas procreasset.

Ad firmandum errorem illum, Filium patibilem esse dicebat, et revera passum in carne; quæque in Scriptura de Christo homine dicuntur, quod sitim, labores, dolores, etc. passus sit, ipsi Verbo, considerato secundum se, attribuit, ut Filius tanto inferior haberetur Patre, atque alterius prorsus et

dissimilis substantiæ vel essentiæ; cum substantia Patris passionum ejusmodi capax non sit. Atque ut etiam hoc melius persuaderet, a Verbo solam carnem sine anima assumptam; animæ vero loco, corpori assumpto fuisse secundariam illam divinitatem Verbi asseruit. Hoc plerique in *Ario* observarunt, S. Athanas. passim, S. Augustin. de Hæresib. n. 73. Epiph. Hær. 69. n. 49. Theodoret. Hæret. fabul. L. 5. c. 11. (opp. t. 4. p. 278. D.), et in specie S. Greg. Nyss. L. 2. cont. Eunom. (opp. t. 2. p. 481. D.) *hunc scopum hæresis istius fuisse*, docet, *ut ostenderent, humiliores voces, quas ex humana natura loquitur Christus, ab ipsa divinitate profectas videri, ut hac ratione validiorem efficerent blasphemiam.*

Verum, sive quod posterior hic de Incarnatione error non ita notus esset, ut S. Aug. cit. putat; sive quod solum appendix esset prioris de divinitate Filii, ideo tum a Nicænis Patribus neglectus, tum a plerisque, qui Arianam hæresin impugnavere, vel prorsus dissimulatus, vel levius tantum perstrictus fuit; cum, ut fit, omnes intenti essent ad extinguendum, quod latius grassabatur, et periculosius, de divinitate Filii erroris incendium.

## §. III.

### *Arii condemnatio.*

Cum Arii blasphemia, Alexandriæ primum prolata, mox per Ægyptum omnem, Lybiam ac superiorem Thebaidem serperet, Alexander mature malo occurrendum censuit. Quare, collecto multorum Episcoporum Concilio, *Arium* gradu movit, illum e presbyterorum ordine ejiciens, una et fautores illius, data ad Episcopos epistola synodica, quam refert Socrates L. 1. c. 6. in qua præcipuus Arii patronus Eusebius Nicomediensis asseritur.

Verum *Arius* gradu dejectus, et anathemate ab Alexandro percussus in Palæstinam se contulit, ibique tentans Episcoporum animos, alios sibi adversantes invenit, alios nihilominus sibi, suoque errori adjunxit. Scissa igitur hoc modo in partes Ecclesia, ut efficacius malo in dies latius serpenti remedium afferrent, S. Sylvester Rom. Pontif. et Constantinus M. Nicææ in Bythinia Concilium indicunt, anno juxta Bellarm. 327. juxta Baron. 325. Confluxere ad illud ex oriente Episcopi 318. Ex occidente advenere Apostolicæ Sedis Legati tres, Osius Cordubensis Episcopus, Vitus et Vincentius Eccl. Rom. Presbyteri; tum Nicasius Episcopus Diniensis in Gallia. Interfuit Constantinus M. ipse. Exitus Concilii hic fuit: damnatus, una cum blasphema hæresi sua asseclisque, Arius: fidei symbolum ab Osio conscriptum, quod a loco Concilii Nicænum dicitur, quo vera Filii divinitas asseritur, diciturque *Deus de Deo, lumen de lumine. Deus verus de Deo vero, genitus non factus,* ὁμοούσιος, h. e. *consubstantialis Patri.*

Fidem in Concilio firmatam litteris ubique promulgavit Constantinus; *Arium*, ejusque sectatores mulctavit exilio, ac perpetua notans infamia, *Porphyrianos* vocari jussit, a Porphyrio apostata, ut, cujus imitarentur mores, etiam nomen gererent. Arii *Thaliam* quoque, cæterosque libros ejus hæreticos flammis addixit, pœna mortis lata in eos, qui occultasse Arii libros deprehensi. Euseb. L. de vita Constant., Socrat. L. 1. c. 8., Theodoret. L. 1. c. 7.

Quinquennio tamen post, Constantia Imperatoris sorore morti proxima id postulante, Arius in aulam revocatur, emissaque æquivoca professione fidei, qua illusit pientissimo principi, redeundi Alexandriam facultatem obtinuit. At restitit S. Athanasius, tunc Alexandrinus Patriarcha, et Imperatorem litteris docuit, fieri non posse, ut, qui fidem violassent, et anathemate percussi essent, reciperentur non probata ante per pœnitentiam fide; neque cum Imperator id graviter ferret, hujus minis flecti potuit, ut Arium, cujus subdolum animum noverat, in communionem reciperet. Unde persecutionis in S. Athanasium motæ initium extitit; Eusebiani enim Arii asseclæ occasione temporis utendum rati, varia S. Athanasio affinxerunt crimina; et in pseudo-Synodo Tyria, maxime ab his ipsis conflata, licet comperta fuisset S. Athanasii innocentia, eumdem deposuerunt, Arium in communionem recipientes anno 335. in Concilio postea Jerosolymis habito.

Alexandrina tamen Ecclesia cum constanter Arium repelleret, Imperator Arium, urgentibus Arianis, qui Constantinopoli contra Marcellum Ancyranum fidei Nicænæ propugnatorem convenerant, vocavit Constantinopolim. Ibi oblata Cæsari fidei Nicænæ formula, ita se credere juramento professus est, sed restrictione mentali juramentum ad aliam formulam hæreticam, teste Socrate, referens, quam sub ala habebat reconditam.

Hinc S. Alexander Constantinopolitanæ tunc Ecclesiæ Præsul, prævidens triumphaturum Arium, cum S. Jacobo Nisibi Episcopo ad jejunia et preces confugit, eventu memorabili. Arium divina ultio sustulit; sabbato enim præcedente Dominicam, qua sperabat Arius se in ecclesiam introducendum, egressus e palatio imperiali cum pompa, Eusebianis satellitum instar eum stipantibus, in fori Constantini latrinis relaxata alvo, animam cum visceribus omnibus effudit, teste S. Athan. epist. ad Serapionem n. 3., S. Epiphan. hær. 69., Socrate L. 1. c. 15. et aliis.

## §. IV.

### *Sectæ Arianorum.*

89. Demortuo subin Constantino, in hujus successore Constantio patronum nacta Ariana hæresis, iis turbis concussit Ecclesiam, quibus plena est omnis historia. Quidam tamen sive moti Conc. Nicæni I. auctoritate, sive ut Catholicis illuderent, crudam nimis Arii hæresin temperandam putarunt. Hinc in tres sectas se diviserunt.

*Prima* quidem eorum fuit, qui Ario tenacius adhærentes, ejus hæresin ex integro constanter professi, *rigidi Ariani* dicti sunt; alias etiam *Anomæi*, quod Filium Patri in omnibus dissimilem esse contenderent, ut Arius. Hujus sectæ duces *Aetius* et *Eunomius* extitere, ut proinde etiam *Aetiani*, *Eunomiani* vocarentur.

*Altera* eorum fuit, qui *Semi-Ariani* nuncupati sunt. Rejiciebant illi vocem ὁμοούσιον, *consubstantialem*; Filium contra ὁμοιούσιον, h. e. Patri in omnibus, proinde et *in essentia similem* prædicabant; sic aliquo modo temperantes Arii hæresin, simulque unius *iota* adjectione immutantes sensum Nicæni catholicique dogmatis. Hujus factionis principes fuere *Basilius* Ancy-

ranus, *Georgius* Laodicenus, *Macedonius* Constantinopolitanus, idem ille, qui postea divinitatem quoque Spiritus sancti aperta hæresi impugnavit. An vero omnes, qui vulgo Semi-Ariani dicebantur, Verbi divinitatem vere negaverint; vel an vocem ὁμοούσιον, *consubstantialem*, rejecerint in sensu Pauli Samosateni, quæstio critica est, quam tractatam vide in Tr. de Deo Trino, auctore P. Kilber, et apud D. Collet Tr. de Trinit., Simonet. et alios.

*Tertia* demum istorum erat, qui Filium Dei nec *consubstantialem* aiebant cum Catholicis, nec *similem in omnibus* cum Semi-Arianis; neque etiam dissimilem cum Actianis et Eunomianis, sed ὅμοιον *similem* non in essentia, sed quadam velut repræsentatione; eo fere modo, quo sculptores ad similitudinem prototypi efformant simulacra, quæ quoad substantiam prototypo dissimilia sunt, illudque solum repræsentant: ita, aiebant, Pater sibi similem procreavit Filium, non ejusdem tamen secum substantiæ, divinitatis, æternitatis, sed quoad hæc dissimilem. Sectæ hujus caput fuit *Acacius* Cæsareensis Episcopus.

## §. V.

### *Hæresis Sociniana.*

90. Auctorem habuit *Lælium Socinum*; propagatorem vero præcipuum *Faustum Socinum*, prioris ex fratre nepotem; a quo utroque *hæresis Sociniana* nomen traxit, orta circa medium sec. XVI.

*Lælius Socinus*, Senis in Italia oriundus, intemperanti critica et petulanti ingenio, Calvinianæ doctrinæ placitis haustis, quo illa per se ducunt, eo extendit, ut, spreta Ecclesiæ auctoritate, religionis mysteria ad solam rationem humanam, ac philosophiam examinans, præcipua dogmata de SS. Trinitate et Incarnatione niteretur subvertere. Docuit enim 1°. cum *Valentino*, *Praxea*, *Sabellio*, etc. tres in Deo non esse distinctas personas, sed unum solummodo natura et persona Deum. 2°. Verbum, sive Filium, Patris meram esse creaturam, aliis licet creaturis nobiliorem, quod erat *rigidus Arianismus*. 3°. Christum esse merum hominem, qui nulla sui parte extitisset ante conceptionem ex Josepho et Maria, nisi in mente Dei. 4°. Christum quidem a Deo missum ad salutem hominum; non tamen proprie pro homine satisfecisse. 5°. Christum tamen appellari posse Deum, non natura, sed gratia ac adoptione, propterque excellentem potestatem, qua fuit a Deo Patre instructus; scilicet, ut Moyses dictus est *Deus Pharaonis*, aliique viri magni aliquando in Scripturis Dii appellantur, non in sensu proprio, sed improprio. Quo tutius pestiferam doctrinam spargeret, Italia egressus, in Poloniam se contulit; sed inde expulsus in Helvetiam venit, ubi Tiguri extinctus anno 1562. ætatis suæ 37.

*Faustus Socinus* vero patrui hæresin, quam hic morte præventus spargere non poterat, propagandam sumpsit. Basileam se contulit, ubi contra divinitatem Christi librum conscripsit. Inde vocatus in Transylvaniam plures blasphemæ hæresis sectatores brevi licet tempore habuit; unde in Poloniam digrediens, tandem in Palatinatus Cracoviensis ignobili vico morte sublatus est anno 1604.

## ARTICULUS II.

### MESSIÆ DIVINITAS CONTRA JUDÆOS ET HÆRETICOS EX VETERI TESTAMENTO OSTENDITUR.

Quoniam Judæi veteris Testamenti, utpote quod solum recipiunt, auctoritate maxime moventur; hinc, eorum gratia, Art. præsenti pro divinitate Christi ex illo argumenta depromimus, valitura etiam simul contra Hæreticos. E compluribus vero, quibus abundant veteris Testamenti tabulæ, sequentia duntaxat, quod vel sola sufficiant, seligimus.

91. Argumentum I. Ps. 2. v. 7. nomine Christi ait David: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nam

1°. Psalmum hunc de Messia intelligendum esse, consentiunt Rabbini veteres, teste Galatino L. 3. c. 7. Unde et Paulus Antiochiæ in Synagoga Act. 13. et scribens ad Hebræos c. 1. textu illo in hoc sensu utitur, quod non fecisset, nisi ab Hebræis ipsis de Messia intelligi novisset. Deinde si verba sequentia, maxime versus finem ponderentur, evidens fit, non posse alteri, præterquam Messiæ aptari; subdit enim v. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ*; sed nec David, nec ullus Judæorum rex unquam illa habuit: habebit tamen Messias solus, Judæis confitentibus; v. 12. autem monet: *apprehendite disciplinam*, Hebræi legunt: *osculamini filium*; ratio datur v. 13. sequenti, eo quod *beati omnes, qui confidunt in eo*; sed non omnes beati, qui in Davide confidunt, aut alio homine puro. Multo minus vero a Socinianis negari potest, cit. Psalmo de Christo agi, cum Paulus ipse supra citatis locis eumdem de Christo interpretetur; diserte ad Hebr. c. 1. v. 4. *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit; cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?*

2°. Christus eo loco dicitur Dei Filius *verus* et *naturalis*, non gratia, adoptione, participatione talis; quia dicitur *genitus*, quod filio vere et natura tali tantum convenit. Porro dum dicitur: *genui te*, intelligi debet *ex utero*, h. e. *substantia mea*, non vero ex nihilo; juxta Ps. 109. v. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Denique per *hodie* τὸ generatio æterna exprimitur et ante Luciferum, ut sensus sit *hodie*, hoc est, ab æterno genui te; cum enim æternitas divina contineat omnes temporis differentias, existatque semper tota, ut in ea nihil sit præteritum, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, ut ait in hunc Ps. Aug., optime per τὸ *hodie* vel *nunc* exprimitur.

*Dices* 1°. Cum Judæis: Psalmum cit. de Davide, non Messia loqui, 1°. Quia sermo est in præterito: *Quare fremuerunt... astiterunt*; si vero de Messia sermo esset, loqui decuisset in futuro. 2°. Quia etiam David *Christus Dei* dicitur, ut Ps. 17. 3°. Quia etiam v. 8. bene de Davide explicari potest; Moabitarum enim, Amalecitarum, aliarumque *gentium hæreditatem* obtinuit, quarum regna dici poterant *termini terræ* Israeliticæ. 4°. Quia confidentes in Davide saltem temporaliter *beati* dici poterant.

R. *N. Ass.* ex dictis supra. Præterea qua proprietate, vel verisimilitudine quis dicat de Davide, quod sit a Deo *genitus*, et quidem *hodie?*

*Ad prob.* 1am. *D.* Sermo est in præterito, sed cum significatione futuri, Prophetarum phrasi et more communi *C.* secus *N.* Solent Prophetæ res futuras efferre tum in præsenti, tum in præterito, cujus rei exemplis abundant Prophetarum paginæ. Nimirum, quia futura intuebantur ut sibi præsentia, quæque, se velut videntibus et coram oculis evenirent, hinc loquebantur postea de his in præterito, respective ad revelationes et visiones præhabitas, quæ erant præteritæ; nihilominus futura adhucdum significabant.

*Ad prob.* 2am. R. *D.* Dicitur Christus Dei antonomastice et per excellentiam, ut Messias *N.* in sensu minus communi et vulgari *C.* Per *Christum* hoc loco Davidem intelligi, totus Psalmus reclamat.

*Ad prob.* 3am. R. *N.* Per *terminos* enim *terræ* absolute et simpliciter non intelliguntur unius duntaxat regni fines. Deinde loquitur in futuro, *postula et dabo tibi*, etc. sed terminos terræ Israeliticæ jam David possidebat. Sed et gentium earum regna non erant *hæreditas* Davidis; illa enim sibi primum adjecerat jure belli: ait e contra textus, dabo tibi gentes *hæreditatem tuam*; ergo de Messia sermo est, qui jure filiationis suæ divinæ earum potestatem, uti totius mundi, accipiet; indeque in Scriptura sæpe *rex, desiderium, exspectatio gentium* dicitur.

*Ad prob.* 4am. R. *N.* Nec enim David ipse ita semper beatus fuit, ac proin multo minus in eo confidentes, nec, etsi temporaliter beatus semper fuisset, reddere sic *omnes* beatos potuisset. Sed neque antecedentia hanc interpretationem sustinent; immediate enim in hebraico præcedit Messias. *Osculamini filium, ne quando irascatur,* scilicet iste Dei filius, *cum enim exarserit ira ejus* (filii), *beati omnes, qui confidunt in illo;* igitur *in illo* antecedentia respicit, *ejus, filium.* Denique Dei solius est, vere beatos facere, qui in ipso confidunt: et Jeremias *maledictum* pronuntiat, *qui confidit in homine.*

92. *Dices* 2o. Cum Socinianis: 1o. Ex illo Psalmi loco saltem generatio Christi æterna et divina non evincitur; sed de resurrectione Christi, vel generatione ejus in tempore facta debet intelligi; ergo. *Prob. A.* Paulus ipse Act. 13. v. 32. de Christi resurrectione verba illa, *ego hodie genui te,* exponit. Imo Hebr. 5. v. 5. de Christi sacerdotio. Alii vero ex Patribus de temporali generatione Christi ex matre accipiunt. 2o. Nullibi Scriptura sacra vocem *hodie* ad designandam æternitatem adhibet. Verum etiam hæc frivola sunt; nam

R. *N. A.* Certe enim non per hoc præcise, quod mortalium hominum instar sit natus ex matre in tempore, et resurrexerit a mortuis, est *melior angelis effectus,* qui nequidem sic nati, nec mori potuerunt; ergo ob personam suam divinam ab æterno genitam, qua illud habet præ angelis, quod sit Dei Filius natura, non adoptione et gratia ut angeli.

*Ad prob.* 1am. R. *N. Cons.* 1o. enim omnes hos sensus littera amplectitur; verissime enim idem secundum naturam humanam procreatus fuit in tempore, et excitatus a mortuis, et tamen secundum divinitatem ab æterno genitus; quod clare ad litteram docet Michæas c. 5. v. 2. *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur* (juxta naturam

humanam) *qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*, juxta generationem divinam. 2°. Quia generatio Christi æterna et divina est radix et origo omnis in Christo excellentiæ, ut sacerdotii, etc. Et hoc duntaxat sensu Paulus Hebr. 5. verba illa, *genui te*, accipit.

*Ad prob.* 2am. *N. Cons.* Ex hoc enim plus non sequitur, quam sublimem esse hunc loquendi modum; sicut hunc alterum, *ego sum, qui sum*, Exod. 3. Quo tamen non obstante, sicut per hunc Exod. 3. licet illo Scriptura sacra nullibi amplius utatur, recte indicamus essentiam divinam sublimissimam: ita per priorem *hodie genui te*, divinam æternamque generationem Filii.

93. Argumentum II. Ex Isaiæ 9. v. 6. et 7. ubi: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus: Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.* v. 7. *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum ejus sedebit,... amodo et usque in sempiternum.* Ex quo sic: Hoc loco sermo de Messia est: atqui Messias hic prædicatur Deus; ergo. *M. prob.* nam 1°. versio Chaldaica expresse addit nomen Messiæ. 2°. Eadem mens fuit Rabbinorum veterum, teste Galatino L. 3. c. 19. 3°. Quia prædicata, quæ tribuuntur illi parvulo, nemini, præterquam Messiæ conveniunt, maxime quod de eodem v. 7. dicitur; omnium enim Judæorum consensu, Messias solus adeo multiplicabit imperium suum, pacem æternam afferet, sedebit super solium David in sempiternum. *Min.* constat ex textu. Latius hoc argumentum urget Euseb. L. 7. Demonstr. Evang. c. 4. et L. 9. c. 8., Chrysost. hom. 5. de incompreh. Dei natura.

*Respondent* partim *Judæi*, partim *Sociniani* 1°. Prophetam loqui de Ezechia rege; is enim admirabilis dici potest ab insigni illo miraculo in horologio regis Achaz, 4. Reg. 20. v. 2. 2°. Vox hebraica *El*, quam nos Deum vertimus, non significat Deum, sed fortem. 3°. In hebraico non est *vocabitur*; sed, *vocabit*; ut proin prædicata illa, inter quæ *El Deus* est, non parvulo illi, sed Deo conveniant. 4°. Saltem prædicata illa in Jesu Nazareno locum non habent; vel 5°. etsi permittatur, de Messia hoc textu agi; nomen Dei hoc loco non proprie sumitur; sed late pro viro magno et excellenti, quo sensu Moyses dicitur Deus: *Constitui te Deum*, Exod. 7. v. 1. Item Ps. 81. v. 6. *Ego dixi: Dii estis et filii excelsi omnes.* Sed

*Contra* 1um. est: quod Ezechias nec dici possit *pater futuri seculi*; nec princeps pacis, *cujus non erit finis*; cum ipse gravia bella cum Assyriis gesserit, et post ipsum graviora tulerint Judæi; quin a Nabuchodonosore, capta et diruta Jerosolyma, Babylonem captivi ducti; solutaque captivitate continuo a finitimis gentibus infestati, tandem a Romanis plane subversi sint, quin per tot secula frui ipsis pace licuisset. Præterea quomodo regnum Ezechiæ sempiternum fuit, quod post a Babyloniis dissipatum? Item, quomodo, prophetante hæc Isaia, Ezechias *parvulus*, qui multo ante natus erat? Sed neque ob miraculum illud Ezechias dici *admirabilis* potest, nisi impropriissime, cum proprie et vere admirabilis sit is, qui admirabilia efficit; at miraculum hoc Ezechias non patraverat.

*Contra* 2um. est: 1°. quod τὸ *Gibbor* in textu hebraico jam significet for-

tem; ergo τὸ *El* saltem hoc loco idem non significat, vel secus tautologia foret: 2°. quod pro hebr. *El*, Deum reddant versiones pleræque aliæ, LXX., Chaldaica, Syriaca, Arabica: 3°. quia τὸ *El* per accentum conjungitur cum adjectivo *Gibbor*; ergo ipsum substantivi locum tenet: 4°. quia *El* substantivi partes gerens, in singulari significat semper Deum verum; est enim contractum ex *Eloah*.

*Contra* 3um. iterum est: 1°. quod ante novam falsorum punctorum suppositionem, veteres Rabbini legerint in futuro passivo *ikkare*, vocabitur; testes hujus sunt versio Chaldaica, Syriaca, Arabica, et Rabbini veteres apud Galatinum. 2°. Legendum esse in passivo, non in activo *vocabit*, ipse textus demonstrat; nam τὸ *nomen*, sicut prædicata cætera, in hebraico in nominativo positum est; verbum igitur in passivo sit, oportet. 3°. Tam hæc, *Deus fortis*, quam prædicata cætera eodem in casu expressa sunt; igitur vel singula convenire debent illi parvulo, vel nullum. Sed hoc ultimum dici nequit; quia sic, in data interpretatione adversaria, parvulus ille nullum haberet nomen; quem tamen describere hic intendit Isaias, ejusque indicare nomen.

*Contra* 4um. est: quod in Jesu Nazareno singula conveniant. Nam *admirabilis* fuit tum in conceptione et nativitate ex Virgine per inoperationem S. Spiritus, juxta illud angeli, Luc. 1. v. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te*: tum in potentia et operatione, totaque vita. *Consiliarius* 1°. ob sapientiam et scientiam: 2°. quia docuit homines arcana Dei, cæteraque salutis media: 3°. et magis proprie fidelissime implevit consilium œconomiæ Dei de redemptione hominis. *Deus* ob unitam personam naturamque divinam. *Fortis* in passione. *Pater futuri seculi*, scilicet 1°. legis Evangelicæ, quam instituit; 2°. vitæ æternæ, cujus præmia nobis meruit, januamque resurgens et in cœlum ascendens patefecit. *Princeps pacis*, quam Deum inter et hominem restituit. *Multiplicabitur ejus imperium*, Christi enim nostri regnum toto diffusum orbe est. Non tamen aliter hæc accipienda esse, quam de pace et regno spirituali, diximus Sect. præc.

*Contra* 5um est: 1°. quia τὸ *El*, ut dictum paulo superius, substantivum in singulari positum, semper Deum, proprie sic a Judæis vocatum, designat, utpote contractum ex *Eloah*: 2°. quia LXX. clare habent Θεός, ut proin perfide Aquila, Symmachus, Theodotion, et Lutherus sustulerint nomen *Deus*: 3°. quia in Scriptura appellatio Dei simpliciter et absolute, sine ullo diminuente vel restringente, non tribuitur, nisi Deo vero; et præsertim conjuncta cum appellatione *fortis*, aut aliis ex nominibus divinis, e quibus etiam est *admirabilis*, ut constat Exod. 15. v. 11., Ps. 77. v. 15. et ex collatione Jud. 13. v. 18. Hinc patet *disparitas* ad allata exempla: Moyses, cit. loc. dicitur Deus; at non absolute, sed cum restrictione *Pharaonis*, ob patranda coram eo prodigia. Unde Chald. habet: *Constitui te terrorem Pharaonis*, omisso Dei nomine.

94. Argumentum III. Ex Is. 35. v. 4. et seqq. *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum et aures surdorum patebunt; tunc saliet, sicut cervus, claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Ex quo sic argumentor: Qui hoc loco prædicitur venturus, est Deus verus: sed Christus noster hoc loco prædicitur venturus; ergo.

*Major prob.* 1°. Quia Deus absolute et simpliciter positus in Scriptura Deum verum significat, ut dixi in præc. : 2°. ex pronomine *ipse*, *Deus ipse* veniet, quæ expressio alias frustranea esset : 3°. quia dicitur : *Ecce Deus vester*, Israelitarum ; at per Israelitarum Deum in Scriptura non nisi Deus summus et verus designatur.

*Min. prob.* 1°. Quia signa illa, quæ in adventu suo prænuntiatur operaturus, soli Christo nostro conveniunt. Nullus Prophetarum veterum illa edidit ; sed solus Jesus Nazarenus, Christus et Dominus noster, tantoque numero, ut illis plena sit Evangelica historia : 2°. in specie contra Socinianos, Arianos novos ; quia Christus ipse hanc Isaiæ prophetiam sibi applicat, Matth. 11. v. 4. discipulis a Joanne missis, an ipse Messias esset, quærentibus respondens : *Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, etc.* Urgent argumentum hoc S. Athan. de Incarn. Verbi Dei. n. 38., S. Cypr. L. 2. cont. Jud. c. 7., Euseb. L. 6. Demonst. c. 21. (edit. Parisiens. 1628. p. 300.)

*Dices* 1°. In hebraico τὸ *Deus* per accentum sejungitur a pronomine *ipse* ; ergo non satis evincitur hic prænuntiari Messiam, Deum hominem. 2°. Propheta hic alludit ad historiam Sennacherib regis (de quo c. 36. 37. seqq.) a quo Deus vere salvavit Judæos, mittens angelum, a quo deletus Sennacherib exercitus ; ergo. 3°. Quæ in contextu habentur, saltem in Jesu Nazareno verificata non sunt ; ergo.

*Ad* 1$^{um}$. R. In hebraico veteri hanc interpunctionem non esse ; neque adhuc in paraphrasi Chaldaica, neque in Targum Jonathæ.

Deinde permissa hac interpunctione, quid adversariis prodest ? sensus enim manet nihilominus idem, eademque energia ; quia pronomen *ipse* neminem alium, nisi Deum verum, respicit ; quia de nemine alio, præterquam illo, mentio præcedit.

*Ad* 2$^{um}$. R. *N. A.* Quia sic Deus non *ipse* venisset ; at juxta textum Deus *ipse* veniet, quod in sensu obvio, et communi interpretatione hominum idem sonat, ac veniet in persona propria. Hinc dum Deus subinde misit angelum, nunquam in Scriptura Deus *ipse* venisse dicitur.

*Ad* 3$^{um}$. R. *D.* Non verificantur in sensu materiali *C.* spirituali *N.* Neque enim adeo insanire adversarios crediderim, ut, quæ eo capite dicuntur, singula in sensu materiali accipienda putent, velut v. 1. *Lætabitur deserta et invia, et exultabit solitudo, etc.* alioquin et hæc Ps. 113. *Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium*, ita oportebit intelligere ; sed ubi Judæi ita saltantes montes viderunt ? Certe neque Rabbini, vel leviter experti, data Isaiæ verba ita crude accipiunt. In sensu vero spirituali quam optime verificata illa in Jesu Nazareno Christo nostro conspicimus : siquidem *deserta* ista, *invia, solitudo, arida*, h. e. gentilitas lege illius instituta ad veri Dei cultum, floret quasi lilium, etc. omni virtutum genere.

93. Argumentum IV. Ex Is. 45. v. 14. 15. *Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator.* Ex quo hæc conficitur argumentatio : hæc de nullo alio, quam Messia, dicuntur ; ergo hic verus Deus est, per naturam et essentiam. *Ant. prob.* Non enim hæc verba ipsius Prophetæ sunt ad Deum velut per apostrophen, aut admirationem ; quia Propheta præmittit : *hæc dicit Dominus, Jehova* ; ergo hæc

dixit *Jehova;* sed ad quem, nisi Messiam? quia solus hic Salvator ille a Judæis exspectatus. Igitur verba Patris sunt ad Christum. *Prob. etiam Cons.* 1°. Quia absolute et simpliciter appellatur Deus. 2°. Quia ita appellatur Deus, ut absque illo Deus non sit. 3°. Quia appellatur Deus Israelis, quo nomine verus natura et essentia Deus intelligitur communi Judæorum phrasi, et novorum consensu Arianorum, teste Bellarm. L. 1. de Christo. c. 4.

*Dices* 1°. Allata verba Cyrum spectant, de eo enim cit. Is. capite agitur. 2°. Si ad Christum pertinerent; sequeretur nimium, et contra nos, quod nec Pater, nec Spiritus sanctus esset Deus; sed Christus solus, quia dicitur, *tantum* in te Deus. 3°. Reliqua in textu non satis de Christo exponi possunt.

*Ad* 1um. R. *N. A.* Etsi enim ibi agatur de Cyro; isque etiam suo modo Judæorum salvator dici possit, ob donatam Judæis libertatem; non tamen Cyrus absolute et simpliciter appellari Deus potest; multo minus ità, ut absque Cyro Deus non sit. Igitur occasione Cyri, qui typus erat salvatoris Judæorum antonomastice sic dicti, h. e. Messiæ, Isaias, prophetarum more, a typo ad rem significatam, a Cyro ad Messiam, rapitur.

*Ad* 2um. R. *N. seq.* Particula enim exclusiva *tantum* solum idola, angelos, aliaque etiam creata excludit, ut sensus sit: non est alia in mundo divinitas, quam illa, quæ est in te, quæ tamen simul est in Patre et Spiritu sancto. Hinc generalis est Theologorum regula: cum voces exclusivæ adduntur personis divinis in attributis essentialibus, sive communibus, illæ solum excludunt res alias, quæ aliam habent a Deo essentiam; non vero alias personas divinas; cum enim hæ eamdem habeant essentiam, eadem etiam habent attributa.

*Ad* 3um. R. *N. A.* Nam 1°. Christo propriissime accommodatur: *in te est Deus,* quia Christi humanitati persona divina immediate unita est, illaque mediante, divina natura, ut exponit Cyrill. L. 1. in Joann. (opp. t. 4. p. 95. E.), Epiph. hær. 57. n. 7., aliique; tum quia in Christo qua Deo, etiam Pater est, ut ait S. Ambr. L. 4. de fide c. 3. n. 35., Cyrill. Alex. in Joan. L. 1. (opp. t. 4. p. 46. C.), Epiph. hæres. 57. n. 7., Athanas. orat. in illud: *Omnia mihi tradita sunt a Patre.* n. 5. 2°. Recte etiam dicitur Filio: *Non est Deus absque te,* ob naturæ unitatem, quia nec Pater est Deus absque Filio, neque est alius Deus a Filio, ut exponit S. Greg. Nazian. orat. 49. (al. de fide orthod. tract. 1. n. 13.) circa finem. 3°. Vere etiam appellatur *Deus absconditus* ob assumptæ humanitatis sacramentum, ait S. Hier. Item Deus Israel, Salvator, h. e. Jesus. Sic ex hac prophetia argumentatur Tertull. cont. Praxeam. c. 13., Euseb. L. 5. Præpar. c. 4., Hilarius L. 4. de Trinit. n. 38. et seqq.

Argumenta alia pluraque pertractant alii, maxime Euseb. LL. Demonstr. et Præparat., S. Cypr. cont. Judæos., S. Chrys. hom. quod Christus sit Deus., hom. 5. de incompreh. natura Dei., S. Ambr. L. 2. de Fide c. 3., S. Aug. L. 20. de Civ. c. ult. quos consulat, qui alia, præter allata, desiderat.

## ARTICULUS III.

### VERA JESU CHRISTI DIVINITAS DEMONSTRATUR AMPLIUS CONTRA HÆRETICOS EX TESTAMENTO NOVO ET ANTE-NICÆNIS PATRIBUS.

Ex pluribus novi Testamenti testimoniis de vera Jesu Christi divinitate ea iterum duntaxat, quæ sequentur, quia abunde sufficiunt, delibamus. Et quoniam Sociniani veram divinitatem Filii, sicut totius Trinitatis dogma, ignoratam fuisse clamitant ante Concilium Nicænum, sed ab hoc primum intemperanti in Arium odio decretam, injuriosa hæc eorum assertio impune, ac sine confutatione transmitti non potuit. Proinde sit

96. Argumentum I. Ex Joan. 1. v. 1. ubi, dum divinam Christi generationem, quod nullus ante Evangelistarum fecerat, declarandam sumit, ita de illo inquit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil,* etc. Unde sic : Hic sermo est de Christo, confitentibus Socinianis, Arianis novis, et antiquis; nam sermo est de Verbo, quod caro factum est. *Subs.* Atqui Verbum caro factum hic asseritur Deus verus; ergo Christus est Deus verus. *Prob. subs.* quia appellatur Deus absolute et simpliciter, sine addito restringente vel diminuente, *et Deus erat Verbum.* Juxta regulam vero priore Articulo datam, vox *Deus* ita simpliciter posita nulli nisi Deo vero et summo in Scriptura tribuitur.

*Respondent* 1°. S. Evangelista ante dixerat, *et Verbum erat apud Deum*, sed præpositio *apud* diversitatem sonat; nihil enim, ut recte S. Cyrill. in Joan. (L. 1. p. 15. D.) ait, apud semetipsum esse dicitur; ergo Verbum a Patre diversum est; proin non consubstantiale, nec verus Deus. Sed

*Contra est,* quod præpositio *apud* hic revera diversitatem, h. e. distinctionem sonet, non quidem naturæ, sed personæ; ideoque a S. Joanne adhibita, ut illam personarum distinctionem innueret. Hocque ipsum est, quod S. Cyrillus spectat, ex hoc textu Sabellianos impugnans, qui unam duntaxat eamdemque in Patre et Filio, sicut in Trinitate universim, personam asserebant. Unde argumentum S. Cyrilli erat : si Filius, sicut naturam eamdem cum Patre, ita etiam habeat eamdem cum illo personam, quomodo de Verbo dici potest : erat apud Deum? *Quomodo enim, quod unum numero est, ipsum apud seipsum esse intelligitur.* At vero S. Joannes, ne quis ex dicto suo, *Verbum erat apud Deum,* inferret : ergo ipsum non erat Deus; provide hoc antevertit dicens : *Et Deus erat Verbum;* innuens esse idem simul cum Patre Deum, eamdem cum illo habens naturam.

*Respondent* 2°. In græco ante vocem Θεὸς, *Deus*, non habetur articulus emphaticus ὁ, qui tamen semper præponi solet, et tantum, quando de Deo vero et summo sermo est. At

*Contra est* 1°. Falsum est illud adversariæ partis suppositum; nam 1°. nequidem in hoc ipso c. 1. Joan. semper ille articulus præfigitur Deo vero et summo, velut v. 6. *Fuit homo missus a Deo.* Item nec v. 12. 13. 18. nec semper alibi, Matth. 14. v. 13., Rom. 1. v. 7. etc. 2°. Etiam articulus ille sæpe

præfigitur, licet de Diis falsis sermo sit, Act. 7. v. 43., 2. Cor. 4. v. 4., Gal. 4. v. 8. 3°. Atqui saltem alibi Christum ille articulus præit, Rom. 9. v. 5. de quo loco statim infra agemus.

*Contra est* 2°. Præscindendo etiam a modo dictis, ratio omissi illius articuli apte redditur, quod Græci articulum præponere soleant magis subjecto, quam prædicato; hic vero *Deus*, licet ponatur initio, prædicati locum, *Verbum* vero subjecti tenet.

97. Argumentum II. Ex Joan. 10. v. 30. ubi inquit Christus : *Ego et Pater unum sumus*; ex quo tale ducitur argumentum : Christus per ea verba declarat, se habere unam cum Patre essentiam; ergo. *Prob. A.* 1°. Hic enim est sensus obvius et naturalis istorum, *unum sumus*; præsertim si jungantur illa v. 38. *Pater in me est, et ego in Patre.* 2°. Ex scopo Christi ea verba proferentis; argumentum enim Christi eo loco erat hoc : nemo potest rapere oves de manu Patris, quia Pater est major omnibus; ergo neque de manu mea; quia *Ego et Pater unum sumus*, h. e. eamdem habemus manum, sive ejusdem sumus potentiæ : sed potentia Dei est essentia; ergo idem erat, ac dicere : quia *eamdem habemus essentiam.* 3°. Adeo clare hic Christus prædicabat essentiæ suæ cum Patre unitatem, ut idcirco lapidibus eum obruere Judæi decernerent v. 33. *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Et tamen 4°. hanc Judæorum opinionem non corrigebat Christus; sed confirmabat argumentis novis, petitis ex operibus suis v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite.* Sic quoque hac in causa Joan. 5. v. 18. non corrigebat Judæos, sed sua amplius in opinione confirmabat.

*Dicunt* 1°. Christus Joan. 10. ait, se ita esse unum cum Patre, et se esse in Patre et Patrem in ipso, sicut (Joan. 17. v. 11.) orabat pro discipulis Patrem, *ut sint unum sicut nos*, et sicut se Christus ait *esse in eis* v. 23.: atqui hic intelligit tantum unitatem concordiæ; ergo.

R. *N. M.* Joan. 10. Christum non intelligere unitatem concordiæ, sed essentiæ, patet ex scopo Christi ibid. et rationibus datis. Præterea si Christus posterioribus verbis significare duntaxat voluisset, se esse in Patre et Patrem in ipso, eo modo, quo justi dicuntur esse in Deo, et hic in illis unione morali per gratiam, non necesse habuisset confugere ad opera sua : *operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre*; cum enim Judæi putarent Christum esse purum hominem, non alio modo credebant Christum esse in Deo, quam quo sunt homines cæteri.

*Dicunt* 2°. Christus Joan. 10. revera intellexit tantum unitatem *moralem*, et eo duntaxat modo se esse in Patre, quo filii *adoptivi*. Ait enim v. 34. quod eo solum modo se dixisset Filium Dei, quo olim Judices et Prophetæ dicti sunt *Dii* : ita enim porro refert S. Evangelista : *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi : Dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est;... quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis : quia blasphemas : quia dixi, Filius Dei sum.*

R. *N. A. et prob.* Illa enim Christi argumentatio non est *a pari*, ut Sociniani putant, sed est *a minori ad majus*; et sensus est : si homines a Deo principes constituti, et prophetæ, in lege appellantur Dii; quanto magis ego

me dico *Deum*, utpote qui sanctificatus sum a Patre, sanctitate substantiali, *per unionem hypostaticam*; et ab eo missus in mundum ad vitam largiendam hominibus. Deinde ad miracula provocat : *Si non facio opera Patris mei*, etc. Sed ad probandam sanctitatem accidentalem, *unitatem moralem* cum Deo *per gratiam*, hoc frustra fecisset; neque enim propterea a Judæis blasphemus habebatur, neque haberi poterat.

98. Argumentum III. Ex 1. Joan. 5. v. 20. *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna.* Ex quo hæc duplex conficitur ratiocinatio : 1ª. Christus hic prædicatur veri Dei *verus Filius*, quod idem sonat ac *naturalis*, nunquam enim filii adoptivi dici possunt filii veri. *Infero* : ergo est vere Deus; verus enim Filius ejusdem debet naturæ esse, cujus est Pater. 2ª. Etiam Socinianorum consensu per *verum Deum* designatur Deus summus et verus; inde enim volunt nomen veri Dei proprium esse Patris. *Subs.* Atqui etiam Christus hoc textu asseritur Deus verus : *et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus;* ergo.

*Respondent* : hæc : *Hic est verus Deus*, non pertinere ad Filium, sed ad Patrem, de quo etiam in hoc textu fit mentio, ut sensus sit iste : et simus in vero Filio ejus, h. e. Patris, qui *Pater est verus Deus*. Sed

*Contra est* 1°. Quod, stante expositione illa, textus fieret identicus et nugatorius; sensus enim fieret : *ut cognoscamus verum Deum. Hic est verus Deus.* 2°. Ex textu græco illa interpretatio refellitur; in hoc enim ante demonstrativum *hic* præcedit Jesu Christi expressum nomen : *in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus.* Igitur ultima verba illa : *Hic est verus Deus*, Filium, non Patrem, respiciunt.

99. Argumentum IV. Ad Rom. 9. v. 5. de Christo sic disserit Paulus : *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Ex quo ita decretorie contra Socinianos concluditur : Deus, qui est *super omnia*, est *Deus verus* et *summus;* nihil enim, nisi summus Deus est super omnia : sed Christus est Deus super omnia, sic enim verba sonant; ergo.

*Respondent* : Christum hoc loco non dici Deum verum, quia de eo prædicatur Deus cum addito, *super omnia*, scilicet creata; ut vero vox *Deus*, phrasi Scripturæ, denotet Deum verum, simpliciter et absolute poni debet sine addito. Verum

*Contra est* : quod, ut vox *Deus* designet Deum summum et verum, debeat quidem poni sine addito *restringente*, vel *imminuente;* non tamen sine tali addito, quo magis ipsa Dei essentia, et attributa exprimuntur; alioquin neque ipse Pater Deus summus et verus dici posset; eodem enim modo de illo ait Apostolus ad Ephes. 4. v. 6. *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes.* Per illa vero, *super omnia* summa Dei perfectio exprimitur. Numquid etiam in lege Deus summus frequenter additis variis nominibus ponitur, aliisque prædicatis, ut Deus *fortis*, Deus *Israel*, Deus *Jacob*, etc.? quia tamen hæc similia non sunt restringentia vocis *Dei*, sed singularem energiam continent, vero Deo non officiunt.

Neque alicujus momenti est, quod circa illum textum : *qui est super omnia*

*Deus*, argutiatur *Erasmus* apud Bellarminum hic; posse verba ea referri ad Patrem per exclamationem; si post illa : *ex quibus est Christus*, pro commate substituatur punctum; et vero ita legi apud S. Chrysostomum.

Nam 1°. neque res subjecta, neque verba hanc ad Patrem exclamationem patiuntur; articulus enim ὁ cum participio ὤν, *qui est*, sive *hic existens* relativus est, sententiam non inchoans, sed continuans. 2°. In editione Veronensi S. Chrysostomi hoc punctum non reperitur, quæ tamen editio emendatior est : sed extat tantum in versione Chrysostomi latina, auctore Germano Brixio; qua vero ratione in hanc irrepserit, incertum est; certe contra mentem S. Chrysostomi id factum, qui hom. 3. in Joan. verba illa, *qui est super omnia Deus*, non ad Patrem, sed ad Christum ipse refert. Demum esto, in S. Chrysostomo latino Germani Brixii habeatur punctum; an propterea corrigendi omnes Bibliorum codices, græci et latini, qui pariformiter comma vel virgulam, non punctum referunt? vel annon potius ab his corrigendus latinus Chrysostomi editor, cum nihil facilius, quam scriptoris unius incuria irrepere punctulum, imo quod usque adeo, ut addit Bellarminus, ab insidente musca relinqui potuit?

Argumentum V. Ex Ante-Nicænis Patribus; quo pateat impudentia mendacii Socinianorum, dogma de divinitate Christi ante Concilii Nicæni tempus nunquam creditum fuisse in Ecclesia. Sit ex illis primus

S. Ignatius M., qui Antiochiæ sedere cœpit anno Christi 71. Is vero epist. ad Magnesianos, n. 8. *Unus*, inquit, *est Deus, qui se ipsum manifestum reddidit per Jesum Christum Filium suum, qui est ipsius Verbum sempiternum. non post silentium progressum.* Quibus diserte significat, ab omni æternitate processisse a Deo Patre Filium, eumdemque esse Verbum; nam *progredi*, procedere, hic nihil est aliud, quam esse genitum. Neque potest locus hic detorqueri ad Socinianorum placitum, dum Christum alias aiunt appellari *Verbum*, vel *sermonem metonymice*, quod Dei summi verique sermones asportarit hominibus. Nam S. Ignatius ait hunc Jesum Christum esse Verbum *sempiternum*, quia *non progressum post silentium*, more scilicet verbi humani, quod post silentium ruptum oritur, et deficit in silentium; cui proinde Christum, Verbum, opponit; at si *metonymice* in dato sensu duntaxat *verbum* esset; neque esset progressum *post silentium*, neque oppositum verbo humano. Et epist. ad Philipp. (Biblioth. magn. PP. t. 11. p. 17. A. et E.) *Non in unum trinominem, nec in tres incarnatos, sed in tres ejusdem honoris credendum esse*; ac inferius : *Si Deus et homo est, cur iniquum vocas Dominum gloriæ?*

S. Justinus, qui sec. II. floruit, in Apologia 2ª. ad Senatum, n. 6. *Filius ejus*, ait, *qui solus proprie dicitur Filius; Verbum simul cum illo ante creaturas et existens, et nascens, quoniam per eum primitus cuncta condidit et ornavit.* Quo testimonio nihil pro generatione divina Christi potest dici expressius. Amplius eumdem Filium vere Deum esse, consubstantialem Patri, ostendit in Dialogo cum Tryphone, traditque Christum in T. V. *Deum et Dominum, Dominum virtutum, Deum Israelis*, quæ Socinianis consentientibus vero summo Deo propria sunt nomina, compellari : ipsumque esse, qui *Abraham, Moysi* et *Patriarchis* apparuit; quique nomine tetragrammato a Spiritu sancto nuncupatur.

S. Irenæus, qui eodem vixit seculo, L. 3. cont. Hæreses c. 6. n. 1. late

probat divinitatem Christi ; *Neque igitur Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitive et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset vere Deus... Quis Deus? de quo dixit, Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit, hoc est filius.* Hocque uberius urget c. 8. 12. et seqq. Ac tandem c. 20. (al. 18. n. 2.) *Exclusa est,* ait, *omnis contradictio dicentium : si ergo tunc natus est, non erat ergo ante Christus; ostendimus enim, quia non tunc cœpit Filius Dei, existens semper apud Patrem.*

Clemens Alexandrin. in Admonit. ad Græcos, seu gentes (opp. p. 5. D. et 68. D. edit. Paris 1629.) *Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus et Homo... Verbum divinum, qui revera est Deus manifestissimus, qui est universorum Domino exœquatus; quoniam erat ejus Filius, et Verbum erat in Deo.* Et L. 1. Pædag. c. 8. (opp. p. 113. C.) *Nihil odio habet Deus, neque Verbum; utrumque enim unum est, nempe Deus.*

His addi potest Antiochena Synodus habita sec. III. hanc esse traditionem, ab Apostolis usque eo, de Christo vero Deo in Ecclesia fideliter servatam, affirmans; dum e contra testatur Athanasius epist. de decretis Nicænæ Synodi n. 27. Arianos ne unum ex veteribus pro suo impio dogmate afferre potuisse. Plures vero Patrum sententias leges in Bellarm. hic, in Petavio, t. 2. Theol. Dogm. aliisque.

*Nota.* Argumenta contra dogma catholicum sumunt adversarii tum ex Scriptura sacra, tum ex Patribus, tum ex Ratione. Scripturæ textus, qui opponi solent, omnes ad tres classes reducimus. *Prima* est eorum, quibus solus Pater asseri videtur Deus summus et verus. *Altera* illorum, quibus de Christo affirmari videntur, quæ vero Deo convenire non possunt. *Tertia* denique aliorum, quibus abnegari Christo videntur, quæ vero Deo sunt essentialia. Igitur

100. *Obj. I.* Cum *Creilio* Socinianorum Achille. Solus Pater, etiam cum exclusione Filii et Spiritus sancti, in S. Scripturis asseritur Deus; ergo. *Prob. Ant.* 1°. Joan. 17. v. 3. Christus ipse inquit : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Atqui hic solus Pater asseritur Deus, etiam cum exclusione Filii et Spiritus sancti; ergo. *Prob. min.* Particula exclusiva *solus* excludit a communione prædicati omnes, præter eum, cui apponitur: atqui cui apponitur, est Pater; ergo. 2°. Ex 1. Cor. 8. v. 6. *Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos per illum ; et unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Sed hic Apostolus explicat, quis sit ille unus Deus, et simpliciter ait esse Patrem ; ergo. 3°. Ex 1. Tim. 2. v. 5. *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Atqui hic per *unum Deum* intelligitur Pater; nam *primo* inter hunc et homines Christus Mediator est. *Secundo* si Christus etiam esset ille unus, et idem cum Patre Deus; ergo esset Mediator etiam inter semetipsum et homines : sed hoc est absurdum; ergo.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *N. Supp.* quod particula exclusiva *solus* appellet super pronomen *te*, quod pertinet ad Patrem; sed afficit hæc sequentia, *verum Deum,* cumque his connecti debet, ut sensus sit, *ut cognoscant te, qui solus es verus Deus;* nam in textu græco inter particulam *solum* et inter

*verum Deum* interponitur articulus τὸν *illum* hoc modo, *ut cognoscant te solum illum verum Deum*; sic vero, opera intervenientis illius articuli, particula *solus* sejungitur a pronomine *te*, trahiturque ad sequentia, *verum Deum*. Sed ita præcipua Crellii machina corruit; non enim ideo, quia Pater est ille Deus, qui solus est verus Deus, excluditur Filius; nam diversissima hæc sunt : solus Pater est Deus, vel habet veram divinitatem : et Pater est ille Deus, qui est solus verus Deus; vel, habet eam divinitatem, quæ est sola vera divinitas. Licet igitur etiam Filius et Spiritus sanctus dicantur verus Deus; manebit tamen, quod sit unus solus verus Deus, una sola vera divinitas; eo quod eamdem numero habeant cum Patre divinam essentiam. Favet etiam huic responsioni versio latina, quæ post pronomen *te* habet comma, *ut cognoscant te, solum Deum verum.*

R. 2°. Permisso, non concesso, quod particula exclusiva *solus* Patrem afficiat; *N. min. Prob. D.* Excludit a communione prædicati omnes personas extraneas, alienas, ut falsos gentilium Deos *C.* Personas Deo internas; quæ sunt ejusdem cum illo naturæ *N.* Neque enim particula exclusiva *solus* semper omnia omnino a communione prædicati excludit : sed subinde res, vel personas determinatas, propter quas excludendas prædicato opponitur. Luc. 9. v. 6. voce de cœlo facta, *hic est Filius meus dilectus*... de Christo dicitur : *inventus est Jesus solus*; ubi per τὸ *solus* excluduntur Moyses et Elias, qui non amplius videbantur; non vero Petrus, Joannes et Jacobus, qui nihilominus aderant. Sic Joan. 16. v. 32. dum ait Christus : *me solum reliquistis*, soli excluduntur discipuli, ut patet ex adjectis : *et non sum solus, quia Pater mecum est.* Sicut igitur hic Christus se dixit relictum solum, et non solum diverso respectu; ita Pater dicitur solus verus Deus respectu falsorum numinum; non vero solus respectu Filii et Spiritus sancti ejusdem secum naturæ. Similia exempla alia passim in Scripturis extant. Sic 1. Cor. 2. v. 2. ait Paulus : *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum*, h. e. hunc solum. Act. 4. v. 12. *Non est in aliquo alio salus*, nisi in Christo; nullibi excludit Patrem.

*Ad prob.* 2am. R. *D. min.* Explicat quis sit unus Deus, excludendo Deos falsos *C.* secus *N.* Opponit enim eo loco Apostolus Deo vero Deos falsos : *Scimus*, inquit immediate ante, *quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus : Nam etsi sunt, qui dicantur dii sive in cœlo, sive in terra* (*siquidem sunt dii multi et domini multi*) *nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum, etc.* Eo igitur modo *unum Deum* hic vocat Apostolus Patrem, quo modo *unum Dominum* ait esse Jesum Christum; sicut ergo dum Christum dicit unum Dominum, non ab hoc titulo excludit Patrem, sed alios tantum; ita dum unum Deum dicit Patrem, non propterea a divinitatis consortio excludit Filium et Spiritum sanctum, sed falsa tantum numina.

*Ad prob.* 3am. R. *N. min.* Neque divinitati Filii quidquam officit titulus Mediatoris; neque in hoc absurdum quid est, quod Christus qua homo sit Mediator inter homines et se ipsum, qua Deus est. Nimirum Mediator est Christus, ut est homo subsistens persona Verbi, ita ut principium elicitivum operationum nos Deo reconciliantium sit natura humana; dignificativum vero duntaxat persona Verbi; nihil vero in hoc absurdi. Quin addo contra adversarios in hoc præsenti decretorum ordine, quo Deus hominem non

nisi via condignæ satisfactionis reparare statuit, Mediator esse non posset, nisi Deus esset homo, vel creatura rationalis; quia alias actiones theandricæ fieri non possent, neque proin condignæ.

101. *Obj. II.* Multa in Scripturis divinis affirmantur de Christo, quæ vero Deo convenire non possunt; ergo. *Prob. Ant.* 1°. Dicitur *creatus,* Prov. 7. v. 22. *Dominus creavit me initio viarum suarum*, ut habent LXX. Item Eccl. 24. *ab initio et ante secula creata sum.* Tribuuntur autem verba hæc incarnatæ Sapientiæ, quæ Christus est. Dicitur *factus,* Joan. 1. v. 15. *Qui post me venturus est, ante me factus est*, aiebat S. Joannes Baptista : item Gal. 4. Dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, Coloss. 1. v. 15. Igitur et ipse creatura est. 2°. Christus ipse se *Patre minorem* profitetur, Joan. 14. 28. *Pater major me est.* Unde et illius præceptis subjectus fuit, Joan. 15. v. 10. et 1. Cor. 15. v. 28. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse subjectus erit ei.* Item, supplices preces Patri obtulit. Hæc vero inferioritatem aliquam in Christo arguunt. 3°. Sæpe in Scripturis Christus simpliciter dicitur *homo, filius hominis, sacerdos*, a Patre *missus.* Quæ singula prædicari de Deo summo et vero non possunt.

R. *D. Ant.* Multa sic affirmantur de Christo secundum naturam ejus humanam *C.* secundum divinitatem *N.* Ita quod sit minor Patre, passus, et similia, de Christo juxta naturam ejus humanam prædicantur. Sub hac distinctione transmisso Antecedente, in specie

*Ad prob.* 1am. R. 1°. Si Christus sit creatus ante secula, τὸ *creatus* sumendo pro productione rei ex nihilo, quomodo igitur subsistet adversariorum dogma, Christum non extitisse ante Mariam?

R. 2°. *D.* Dicitur creatus, factus, secundum naturam humanam, et quidem in tempore *C.* secundum divinitatem *Subd.* Creatus, factus, h. e. genitus *C.* Productus e nihilo *N.*

*Nam* 1. τὸ *creare* apud Hebræos etiam largius sumitur, ita ut eorum phrasi *creari* dicatur, quidquid ab alio, modo quocumque, originem accipit : sic sumitur Ps. 50. *Cor mundum crea in me Deus;* et Ps. 101. *Populus, qui creabitur, laudabit Dominum.* 2. Apud Græcos vero *creare* et *generare* promiscue usurpantur, ut Ps. 89. v. 2., Deut. 32. v. 18. in quibus locis verbum græcum idem nunc creationem, nunc generationem apud LXX. significat. 3. Etiam apud Latinos, observante Hieron. in c. 4. ad Ephes. ; unde et parentes dicuntur *procreare* liberos. Cur vero *processio* Verbi nunc *generatio* dicatur, nunc *creatio*, rationem dat S. Thomas 4. cont. gent. c. 8. ex S. Hilar. L. de Synod. n. 17. Ut ita Verbo tribuatur, quidquid est perfectionis; removeatur e contra, quod est imperfectionis : *In generatione*, ait S. Doctor, *quod generatur, accipit naturam generantis, quod perfectionis est; sed in generationibus quæ sunt apud nos, generans ipse mutatur, quod imperfectionis est : in creatione vero creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo simul Filius creatus et genitus, ut ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, ex generatione unitas naturæ in Patre et Filio.*

Dum vero ante S. Joannem Baptistam *factus* dicitur, sensus est, quod illum in prædicando præcedat dignitate, ut patet ex causali immediate subjecta : *quia prior me erat*, scilicet generatione æterna (nam generatione

humana vel temporali prior erat Joannes), ideoque longe me dignior, *cujus non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, v. 27.

*Postremum* etiam *D.* Dicitur primogenitus omnis creaturæ, hoc sensu, quod sit creaturarum prima *N.* quod sit genitus, antequam fieret ulla creatura *C.* Nam Joan. 1. v. 18. *unigenitus* dicitur, *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*; sed si esset creaturarum una, non esset unigenitus. Recte etiam, secundum generationem ejus in tempore, juxta naturam humanam *primogenitus omnis creaturæ* dici potuit ab Apostolo, non quidem eo sensu, quod omnes præcat tempore, sed quia primatu et dignitate, *ut sit ipse primatum tenens in omnibus*, v. 18. ibid.

*Ad prob.* 2am. R. *D.* 1um. *Patre* se *minorem* profitetur ratione humanitatis assumptæ *C.* divinitatis suæ *N.* Secundum hanc enim æqualem se Patri docet: *ego et Pater unum sumus.* Joan. 10. Quod vero priore loco se minorem solummodo dicat ratione humanitatis suæ, patet inde, quia loquitur de suo ad Patrem reditu; ergo ea sub ratione se dicit minorem Patre, sub qua erat ad illum rediturus sub ratione divinitatis suæ, vel naturæ divinæ; secundum hanc enim semper in Patre fuit, et hic in illo, Joan. 10.; sed tantum ratione humanitatis; ergo.

Sic quoque, ratione humanitatis tantummodo, Patri *subjectus fuit*; ad eum *preces* supplices *fudit*; *præcepta implevit*; qualia tamen hæc præcepta fuerint, quomodo libere impleverit, suo loco dicemus, cum ea pertractare nondum hujus loci sit. Ac demum hoc sensu explica, quæ in *prob.* 3a. afferebantur.

102. *Obj. III.* illos Scripturæ textus, quibus quædam abnegari videntur Christo, quæ tamen Deo vero competunt, hoc modo: Deo vero et summo essentialis est omnipotentia, summa potestas, bonitas, perfecta scientia: atqui hæc Scripturæ divinæ Christo denegant; ergo. *Prob. min.* per partes. Nam 1o. denegatur omnipotentia, Joan. 5. v. 19. *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*; ergo. 2o. Summa potestas, Matth. 20. v. 23. *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis.* 3o. Bonitas, Matth. 10. v. 18. *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus.* 4o. Perfecta scientia, Marc. 13. v. 32. *De die illo, vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*; ergo.

R. *N. min. Ad prob.* 1am. R. *N. Cons.* Statim enim subdit Christus; *quæcumque enim ille* (Pater) *fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Filius ergo nihil facere a se ipso dicitur; tum quia, quidquid habet Filius, id a Patre per generationem accipit; tum quia est eadem utriusque Patris et Filii voluntas et natura, ut proin Filius nihil a se, h. e. solo, faciat sine Patre; opera enim ad extra, de quibus Joan. 5. loquitur Christus, indivisa sunt, et tribus personis communia.

*Ad prob.* 2am. R. *D.* Non est meum, h. e. non est æquitatis meæ, vel decentiæ, dare vobis jure propinquitatis, vel ex affectu sanguinis et carnis, ut postulatis *C.* non est meæ potestatis absolute dare vobis *N.* Christum reipsa omnem habere potestatem, diserte docet ipse, Matth. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*; sed quia mater filiorum Zebedæi primas sedes petebat pro filiis, propinquitatis præcise titulo, et ambitione muliebri; sapienter respondit Christus, non esse suum, primas in regno

suo sedes ita, ut cogitabant, distribuere; sed se, exemplo Patris, non carnales affectus attendere, sed merita: hinc prius passionis calicem ipsis hauriendum obtulit.

*Ad prob.* 3am. R. Non hic *se bonum* negat; sed ita respondebat apposite ad informandum adolescentem illum divitem: cum enim is Christum purum esse hominem putaret, eum tamen *bonum* compellaret; innuit Christus, non puro homini, sed soli Deo hoc prædicatum competere: *quid me bonum dicis,* quem purum hominem putas? *nemo bonus, nisi unus Deus*; i. e. si bonum vocas, ergo me Deum crede, vel bonum me non appella, ut ait S. Aug. L. 2. cont. Maxim. c. 23. n. 5.

*Ad prob.* 4am. R. *D.* Ait se nescire diem illum, vel horam cum restrictione et relative ad circumstantias *C.* se nescire simpliciter et absolute *N.* *Quomodo* enim *nescivit judicii diem*, ait S. Ambros. de Fide L. 5. c. 16. n. 203. *qui et horam judicii, et locum, et signa expressit et causas?* horam, Luc. 17., locum, Matth. 24., signa præambula ad apicem, Luc. 21. et quidem hoc ipso Marc. 13. v. 24.? Ait igitur, se nescire, tanquam *Magister et Doctor,* ea scientia, qua uti posset, vel communicabili discipulis ipsum interrogantibus: *Dic nobis, quando ista fient? et quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari?* Ad ultimum respondit v. 24.; prius se nescire ait, sed scilicet ita, ut hoc æque ipsis tanquam Magister, quem consulebant, aperire non possit, eo quod hoc non expediat.

*Inst.* 1. Juxta verba solus Pater scit, *nemo... nisi Pater*; ergo Christus absolute ab hac scientia excluditur. 2. Si Christus ideo se nescire dicat, quod scientiam illam tanquam Magister communicare non possit; ergo nec dicere potuisset, *nisi Pater*; si enim non expediat, ut Filius hanc scientiam communicet, neque expediet, ut id faciat Pater.

*Ad* 1um. R. Particula illa exclusiva non afficit personas divinas, quasi hæ ab illa notitia excluderentur; sicut dixi ad Obj. primam: Filius enim habet omnia, quæ habet Pater, Joan. 16.; igitur et hanc scientiam: est in Patre et Pater in illo, Joan. 10.; ergo hac scientia excludi non potest: sed solum afficit creaturas, *angelos,* etc.

*Ad* 2um. R. *N. seq.* Quia Pater per semetipsum nobis immediate non loquitur, nec per seipsum manifestat quidquam, sed singula per Filium suum, in quo *novissime diebus istis locutus est nobis,* Hebr. 1. quem videlicet nobis Magistrum et Doctorem misit; ergo non Pater, sed Filius dici potest nesciisse diem illum eo quo dictum modo.

103. *Obj. IV.* Auctoritatem Patrum Ante-Nicænorum eo quo sequuntur ordine:

I. S. Ignatius M. epist. ad Magnesianos (Bibl. magna PP. t. 11. p. 12.) *unum,* inquit, *et verum Deum Patrem suum annunciavit.* Epist. vero ad Tarsenses (ibid. p. 14. A.): *Christum esse Creatoris Filium, nec illum, qui est super omnia Deus, sed Filium ejus.*

Ante responsum ad hunc cæterosque Patres in genere, præmitto, dissimulari non posse, eos ante Nicænam Synodum de Verbo ejusque divinitate minus accurate hic illic scripsisse, nec semper singulos apices, terminosque ad libellæ vocasse rigorem; cujus causa est, quod nulla tunc esset circa divinitatem Filii enata hæresis, quæ tanta vi aggrederetur dogma illud

catholicum, ut postea Ariana pestis; quæque proin strictissimam scribendi rationem exigeret; ut merito dicas de illis, quod S. Aug. L. 1. cont. Julian. c. 6. de Patribus ante hæresis Pelagianæ ortum : *Vobis Pelagianis nondum litigantibus securius loquebantur.* Cæterum tamen singulorum orthodoxa mens aliunde patet, juxta quam, tum scopum in scribendo, ac subjectam materiam, eos explicamus. Igitur

*Ad* 1$^{um}$. R. *D.* Patrem annunciavit *unum et verum Deum,* ut a divinitatis consortio excludantur Dii falsi *C.* ut excludantur personæ divinæ aliæ, Filius et Spiritus sanctus, qui ob eamdem cum Patre essentiam sunt cum eodem unus solus verus Deus *N.* Non excludi Filium constat ex eadem ejus epist. cit. n. 99.

*Ad* 2$^{um}$. R. *D.* Dicit Christum Filium Creatoris, nec esse illum, qui est super omnia Deus, ratione humanitatis *C.* divinitatis *N.* Secundum hanc enim Filium unum cum Patre, ejusdemque honoris, vere Deum prædicat epist. ad Philipp. cit. n. 99.

104. II. S. Justinus multa tradit, quæ cum Christi divinitate non cohærent. Nam in dialogo cum Tryphone 1°. Patrem dicit esse causam Filii; hunc esse Deum alium a Patre n. 56. 2°. In Testamento veteri fuisse Patris nuncium, et paternæ voluntatis administrum n. 61. 125. 127. et 128. 3°. Non Patrem, sed Filium locutum Patriarchis, et ab his visum n. 127. 4°. Filium esse Deum Patris consilio et voluntate n. 127. Imo Patrem vocat Dominum ipsius Christi n. 126. In Apol. 2. (al. 1. n. 13.) autem inquit : *Filium secundo loco, Spiritum propheticum tertio ordine a Christianis non sine ratione coli.*

R. His loquendi formulis, etsi nonnihil duriuscule sonantibus, revera tamen aliud non intendit, quam ut contra Judæos, qualis erat Trypho, unicam admittentes in Deo personam, ostendat necessario admittendas esse personas plures, numero distinctas, in eadem licet unitate et identitate naturæ. Hinc ejusmodi loquendi formulis utitur, quibus illam personarum distinctionem adstruat; ubi, dum simul Patri prærogativas præ Filio videtur tribuere, ad summum vult, Patrem, non quatenus Deus est, sed quatenus est Pater, habere aliquam prærogativam supra Filium, sed solum *relativam* et *notionalem*, etsi quoad *absoluta* et *essentialia* sit inter eos summa æqualitas. Confer, quæ ex S. Justino dicta n. 99.

Ex hoc Justini scopo plana fiunt pleraque ex eo allata. 1°. Patrem ait *causam Filii,* id est, principium, ratione generationis; hinc nulla hic indicatur prioritas naturæ, vel temporis; sed tantum originis. Sic vocem *causa* intellexerant veteres, et adhuc post Conc. Nicæn. Patres, S. Damasc. L. 3. Orthod. fid. c. 5. S. Greg. Naz. orat. 29. (al. 20. n. 7.), vocat *Deum alium,* non natura, sed persona. 2°. Patris *nuncium* et *administrum,* quia Pater per appropriationem dicitur conditor omnium, quatenus est principium sine principio, et condidit omnia per potentiam a nullo acceptam; Filius vero simul, sed per potentiam a Patre generatione acceptam. Hinc iis vocibus Filium esse persona alterum a Patre significat. 3°. *Filium visibilem* olim Patriarchis fuisse, *non Patrem;* quia Justini et aliorum hæc erat opinio, Deum, qui olim apparuisset, et dictus Deus Israelis, fuisse Filium; hunc assumpsisse corpus, quia ad hominis redemptionem destinatus; unde sic

impugnabat Judæos et Patripassianos : invisibilis distinguitur persona ab eo, qui est visibilis; sed Filius fuit visibilis, non Pater; ergo. 4°. Esse *Deum ex voluntate Patris;* sed necessaria, quatenus Pater non coacte vel invitus, sed necessario generat Filium. *Patrem Dominum Christi* ait, ratione humanitatis; vel τὸ *Dominum* sumit improprie *pro principio*, cui conjuncta est quasi quædam præcellentia *relativa* et *rationalis*, quæ in absolutis æqualitatem non impedit. 5°. Denique *Filium secundo loco coli*, ut personam secundam et posteriorem origine; et Spiritum sanctum ut personam tertiam ab utroque procedentem.

105. III. Origenes L. 6. cont. Celsum n. 60. Patrem ait *præcepisse* Filio, ut mundum conderet; quod idem S. Irenæus dicit L. 3. c. 8. n. 3. Dein idem Origenes L. 8. cont. Celsum n. 14. Christum a quibusdam, inquit, *universorum Deum temere affirmari, quod nos non facimus, qui credimus ipsi dicenti : Pater major me est.* Alias *ministrum Patris*, uti et Irenæus; item *instrumentum* vocat.

R. Quæ mens Origenis fuerit hac in re, dubium reddunt oppositæ invicem sententiæ. SS. Hier. epist. ad Avit., Augustin. L. de Hæresib. c. 48., Epiphan. Hær. 64. postque illos alii ab Origene negatam esse divinitatem Verbi affirmant; vel certe eum vel maxime suspectum habent. S. Athanasius tamen non paucos ex Origenis contra Celsum libris textus contra Arianos protulit. Unde alii, duce S. Basilio L. de Spiritu sancto c. 29. Origenem inconstantiæ arguunt, qui nunc traditionis auctoritate compulsus orthodoxe de SS. Trinitate, nunc hæretice ex suo in Platonis doctrinam studio scripserit.

Prioribus singulis oppositi alii Origenem quoad hoc dogma ex toto orthodoxe sensisse asserunt, itaque explicant : Patrem ait Filio *præcepisse*, tum Filium *ministrum* fuisse; sed utrumque improprie : prius hoc sensu, quatenus generatione æterna Pater Filio suam communicavit voluntatem creandi mundum, uti et potentiam. Posterius in sensu eodem, quo supra S. Justinus Filium vocavit administrum. Eodem sensu etiam *instrumentum* dicitur. In L. 8. autem, dum Filium ait non esse *illum universorum Deum*, sensus est, non esse Patrem *persona;* contra Noetianos enim ibi agit, Filium unam cum Patre personam esse asserentes : proinde cum Filium dicit, non esse illum universorum Deum, Patris personam intelligit in sensu Noetianorum, quos impugnat, non vero essentiam. Cum deinde Patrem dicat Filio majorem; vel de hujus humanitate id dixit; vel, si de divinitate dictum fuisse quis contendat, iterum τὸ *majorem* sumit improprie, pro sola prærogativa originis, quam habet Pater, utpote divinitatis totius origo, et principium sine principio. Quod denique ex Origene L. 1. in Job obmovent Sociniani, quo rotunde negare videtur divinitatem Filii, Arianorum irrepsit perfidia post Nicænum Concilium et Syn. V. tum quia non concordat cum cætera doctrina Origenis in libris contra Celsum; tum quod nunquam error hic in Concilio aliquo, nequidem Generali V., ubi damnati Origenis errores reliqui, fuerit objectus.

106. IV. Tertullianus certe Christi divinitatem non credidit. *Prob.* Nam 1°. L. cont. Hermogenem c. 3. negat Filium esse ab æterno. En verba : *Quia et Pater Deus est; et Judex Deus est; non tamen ideo Pater et Judex semper,*

*quia Deus semper : Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante delictum ; fuit autem tempus, cum et delictum et Filius non fuit, quod Judicem et qui Patrem Dominum faceret.* 2°. Filium esse conditum in creatione mundi vel paulo ante docet L. cont Hermog. c. 18. et L. cont. Praxeam c. 6.

R. *N. Assert.* et addo, vix unum e singulis Ante-Nicænis Patribus aut clarius, aut expressius tradidisse hoc dogma catholicum, quod toto cont. Praxeam libro data opera demonstrat : ac quidem c. 5. æternam generationem Filii ita diserte tradit : *Ante omnia Deus erat solus... solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus, habebat enim secum, quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet*, qua Verbum denotare solet. Et c. 8. *Sermo* (Verbum) *ergo et in Patre semper, sicut dicit : Ego in Patre; et apud Deum semper, sicut scriptum est : Et Sermo erat apud Deum. Et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre : quia Ego et Pater unum sumus.* c. 2. vero hanc fidei regulam posuerat : *Custodiatur œconomiæ sacramentum, quæ unitatem in trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma ; nec potestate, sed specie : unius autem substantiæ, et unius status, et unius potestatis, quia unus Deus.* Ubi clare tres personas unius docet esse substantiæ, status, potestatis : per gradus vero ordinem originis exprimit : per formas vero et species, non naturam aut substantiam, ut ex oppositione, quam facit, palam est; sed personas et varios subsistendi modos, quos relationes seu personalitates appellamus. Unde

*Ad prob.* 1am. R. *N. A. Ad huj. prob.* R. Permisso hic de Verbo loqui Tertullianum, posteriora verba, in quibus vis ponitur *D. Fuit tempus... cum Filius non fuit*, quoad generationem ad intra *N.* quoad generationem ad extra *C.* Duplicem Verbi divini generationem distinguebant Veteres, unam proprie dictam, veramque, sive internam, qua Pater ab æterno et intra se Verbum genuit; alteram improprie talem, sive externam Verbi, quæ nihil est aliud quam ejus manifestatio; qua dicitur Pater generasse Verbum ad extra, quando per illud producendo creaturas, hoc, quod antea latuerat in sinu Patris, mundo manifestavit in principio temporum : more vulgari hominum loquendi, qui *generari, gigni*, pro *nasci exterius* sumunt; tuncque dicunt *Filium genitum*, quando emissus ex utero matris.

Hanc ultimam vero generationem intelligit Tertull. cum dicit, *fuit tempus, cum Filius non fuit*, ut colligitur ex ejus cum Hermogene controversia et ex contextu illius capitis. Hermogenes enim admittebat materiam æternam, improductam, sine omni actu tamen et forma, usque dum Deus, producendo mundum, illam varias in formas et species divideret : illamque propugnabat hoc ratiocinio : Deus fuit ab æterno; ergo etiam fuit ab æterno Dominus; Deus enim esse non potest, quin simul sit Dominus : atqui si materia illa extra Deum non fuisset æterna, Deus non fuisset ab æterno Dominus, quia sic nihil fuisset, cui dominaretur; ergo.

At Hermogenem ita refutabat Tertullianus : si Deus ideo præcise est ab æterno Dominus, quia est ab æterno Deus ; ergo etiam ex eadem ratione erit ab æterno Judex et Pater ; Deus enim æque Judex et Pater est, ac Dominus: atqui tamen non fuit ab æterno Judex et Pater ; non Judex, quia nulla ab æterno delicta extiterunt, in quæ justitiam exerceret ; non Pater, quia Filium, quem intra se conceperat ac jam perfectum habebat velut in sinu,

tunc primum emisit in lucem, cum per illum mundum conderet; ergo nec fuit ab æterno Dominus, in sensu Hermogenis, quia non fuit extra Deum illa materia, cui actu dominaretur.

Dixi supra : *permisso*, etc. nam nequidem hic sermonem esse de Verbo, vel Christo, respondent alii, volentes per *filium* hic intelligi adoptivum, hominem, vel Angelum.

*Ad prob.* 2am. Eadem est responsio.

107. *Inst.* 1. Tertullianus L. cont. Hermog. c. 18. de Sophia ait : *Denique ut necessariam sensit ad opera mundi, statim eam condit et generat in semetipso*; ergo vult tunc primum generatione interna esse Verbum genitum, cum esset mundum conditurus. 2. In creatione mundi Filium *factum esse* Patri *parem*, c. 7. cont. Praxeam; ergo nondum fuerat ad intra genitus, quia alias jam ante par fuisset. 3. Loc. cit. contra Hermog. sic argumentatur : si materia esset æterna, ergo præferenda esset Filio, ut quid antiquius : *quale est, ut Filio, Dei sermone unigenito et primogenito, aliquid fuerit præter Patrem antiquius ?... Ita et hoc nomine materiam Deo præponit Hermogenes, præponendo eam Filio,* etc.

*Ad* 1um. R. *N. Cons.* Neque enim hoc intendit Tertullianus, quasi tunc primum, paulo antequam esset mundum conditurus, generatione interna produxisset Verbum, ut constat ex ejus verbis supra. Sicut neque adeo crude quis accipiet Tertullianum, quasi paulo ante creationem mundi tunc primum sensisset, h. e. cognovisset Deus Sophiam ad mundi opera necessariam, cum omnia sciverit ab æterno. Sed quod prius, prioritate originis ante productionem Verbi, cognoverit Deus creaturas ut possibiles, et per Verbum producibiles prius, quam Verbum sit productum, et cognoscatur esse æternum et necessarium, per quod possibilia sunt entia contingentia; juxta ea, quæ dici solent Tr. de Deo Trino, ubi de processione Verbi. Tertullianus enim hic agit porro contra Hermogenem ejusque materiam improductam; estque hoc ejus præcise argumentum : Verbum, quod ex ipso Deo, et in Deo est, produci debuit, per quod tamen produci debuit, quidquid fieret extra Deum; ergo multo magis materia illa æterna Hermogenis producta dici debet, quia extra Deum. En ipsa, quæ hoc planum faciunt, Tertulliani verba immediate subjecta : *Agnoscat ergo Hermogenes, idcirco etiam Sophiam Dei natam et conditam* (productam) *prædicari; ne quid innatum et inconditum* (improductum) *præter solum Deum* (Patrem) *crederemus. Si enim intra Dominum, quod ex ipso, et in ipso fuit, sine initio* (origine, productione) *non fuit, Sophia scilicet ipsius,... multo magis non capit sine initio quidquam fuisse, quod extra Dominum fuerit.*

*Ad* 2um. R. Dicit esse *factum parem* Patri, hoc est, demonstratum parem in creatione, quia per Filium, h. e. potentiam ipsi a Patre communicatam, conditus est mundus; et Filius eum produxit cum Patre potentia pari.

*Ad* 3um. R. *N.* ita argui a Tertulliano : si materia illa esset æterna, esset antiquior Filio; sed quod esset præferenda Filio; adeoque ipsi Deo, cum Filius Dei sit Deus: ideo vero huic esset præferenda, quia materia illa dicitur improducta, carens omni principio, cum tamen Dei Filius, qui Deus est, productus sit, procedatque a Patre, principio suo et origine. Dum vero dicit : quale est, ut Filio Dei aliquid fuerit *præter Patrem antiquius*, solum

vult, Filium esse a Patre productum, et hunc illo esse priorem origine. Simili modo multæ aliæ locutiones metaphoricæ, quibus abundat TERTULLIANUS, exponendæ sunt: uti et, quæ ex THEOPHILO ANTIOCHENO, L. 2. ad Autolycum proferuntur, qui iisdem fere, quibus TERTULLIANUS, verbis usus fuit.

108. V. ATHENAGORAS, CLEMENS ALEXANDRINUS, DIONYSIUS ALEXANDRIN. divinitati Christi adversantur. Nam 1°. ATHENAGORAS generaliter inquit, Legat. pro Christ. n. 8. omne genitum aliquando incœpisse: ex quo infertur; ergo et Verbum proin æternum non est. Idem ibid. n. 10. Verbum vocat *primam Patris progeniem*, eo quod Verbum prodiisset a Patre, ut esset actus creaturarum, easque educeret e nihilo. 2°. CLEMENS ALEXANDRIN. L. 7. Strom. (opp. p. 702. A.) *naturam Filii esse soli omnipotenti propinquissimam docet.* 3°. DIONYSIUS vero apertius adhuc loquitur epist. ad Euphranorem et Ammonium (ap. Athanas. L. de sentent. Dionysii n. 4.), *Dei Filium opus factitium* nuncupans; Patremque se habere relative ad Filium, uti *agricola ad vitem, fabricator navis ad navem*; et concludit: igitur non erat, antequam fieret.

R. *N. Assert.* Nam 1°. ATHENAGORAS priori loco tantum de creatis loquitur, in quibus solis ea illius tenet regula. In altero vero loco de generatione illa Filii externa loquitur, cujus paulo ante meminimus. 2°. CLEMENS ALEXANDR. græce habet φύσις, quæ vox quidem communi acceptione *naturam* Latinis nunc significat, ipse tamen pro *persona* adhibet, more in primis quatuor seculis non infrequenti, in quibus naturam et personam, φύσιν et ὑπόστασιν promiscue usurpabant, de quo vid. PETAVIUM Tom. IV. Theol. dogm. L. 2. c. 3. et alibi; sic φύσιν *naturam*, pro persona sumit S. ALEXANDER Alexandrin. epist. ad Alexandrum Constantinopolitanum, SYNESIUS in hymno 3. v. 219., etc. 3°. DIONYSIUM quod attinet, verba ejus minus castigate prolata, ut jacent, equidem Arianismum redolent; catholice tamen sensit et explicavit; Arianismi enim propterea accusatus apud Dionysium Rom. Pontif. suam illi apologiam misit, qua se longissime abesse professus ab Ariana fæce, dicta sua, quæ ex nimio contra Sabellianos zelo, ut contra hos personarum distinctionem evinceret, incauto exciderant, orthodoxo in sensu exposuit. V. P. KILBER, Tract. de Deo uno et trino, disp. 5. c. 1. a. 2. n. 293.

109. *Obj. V.* 1°. Synodus Antiochena anno 270. habita rejecit vocem ὁμοούσιος consubstantialis. 2°. Idem fecit Antiochena alia an. 345. in qua et depositus ATHANASIUS. 3°. Filium non esse consubstantialem Patri definivit Conc. Sardicense an. 347. et Sirmiense an. 356. cui subscripsit ipse OSIUS CORDUBENSIS. 4°. Episcopi illi, qui Semi-Ariani dicti, in Synodo Ancyrana sub pœna anathematis vetuerunt usum vocis *consubstantialis*; et tamen orthodoxi habentur a S. ATHANASIO L. de Synod. n. 41., imo laudantur a S. HILARIO L. de Syn. seu de fide Orientalium n. 78. tanquam de re orthodoxa bene meriti. 5°. Eadem vox *consubstantialis* in Ariminensi Synodo Episcoporum 600. exempta fuit e Nicæno Symbolo, et suppressa. Et 6°. contra illam, sanctumque ATHANASIUM subscripsit LIBERIUS S. P. in formula Syrmiensi.

*Ad* 1$^{um}$. R. *D.* Rejecit in sensu Catholicorum *N.* in sensu Pauli Samosateni *C.* Hic vero impius et hæreticus erat; nam, ut ex S. ATHANASIO L. de Synodis n. 45. discimus, uti unicam in Deo essentiam, sic unicam cum

Sabellio personam asserebat; unde inferebat impossibile esse, Filium et Spiritum sanctum duas esse personas a Patre distinctas; quod ut ostenderet contra Catholicos, istud ejus erat ratiocinium, a paritate cum rebus creatis desumptum : Si Filius est genitus ab æterno ex substantia Patris, ergo erit Patri consubstantialis, pariterque Spiritus sanctus ab utroque procedens; ergo tres erunt in Deo substantiæ; sicut in creatis, quia filius est ex substantia patris, est huic consubstantialis, quia habet eamdem specie cum patre substantiam, sed tamen hoc ipso sunt duæ diversæ numero substantiæ; sic in divinis erunt substantiæ tres numero diversæ. Igitur Antiochena Synodus negat Filium esse consubstantialem Patri in eo sensu, in quo id male inferebat Paulus ex catholico dogmate; nimirum consubstantialem per divisionem substantiæ, quasi Filius haberet substantiam æqualem Patri, sed ab hujus substantia numero diversam.

*Ad* 2$^{um}$. R. Antiochena illa Synodus *Arianorum conciliabulum* fuit, rejectum a Julio S. P. et nullius unquam auctoritatis; nihil ergo Socinianis prodest argumentum inde petitum, utpote ab Arianis, suæ causæ et hæresis sociis.

*Ad* 3$^{um}$. R. *N.* Ita definivisse Concilium Sardicense; sed fuit Philippopolitanum, cui Ariani mala fraude Concilii Sardicensis affinxerunt nomen. Res ita se habuit. Cum demortuo Constantino, sub Constantio illius successore, et fautore Arianorum, vires resumeret Ariana hæresis, Julius S. P. Sardicæ, Illyrici urbe, Synodum generalem indixerat an. 347. ad Concilii Nicæni confirmandam fidem, ut proinde Conc. Sardicense dicatur adhucdum *appendix Concilii Nicæni*; quin olim sub ipsius Concilii Nicæni nomine veniret. Aderat etiam Athanasius, ut falsa objecta sibi ab Arianis crimina diluceret; quem cum Orientalium nonnulli pati nollent in Concilio; Occidentales tamen, utpote jam Alexandriæ Episcopum, excludere nollent, priores illi sectatores ac patroni, Sardica Philippopolim se contulerunt, vicinam urbem; ibique, ab aliis separati conflabant Concilium, cui dolose dederunt nomen Concilii Sardicensis. Decretum vero istud conciliabuli Philippopolitani, decreto contrario subvertit Synodus Sardicensis catholica. Ex hoc fonte ortum est illud inter historicos dissidium, dum illi cum Baronio statuunt Concilia Sardicensia duo, unum generale et œcumenicum, quod revera celebratum Sardicæ, præsidente Osio legato Julii; alterum reprobatum, quod est illud ipsum Philippopolis. Alii vero unum dicunt Conc. Sardicense, partim approbatum; partim reprobatum, per quod vero proprie intelligi debet ille Philippopolitanus conventus.

Quod *Sirmiense* Conc. spectat, formula, quæ in eo prodiit an. 357. secunda Sirmiensis fuit, sed fabricata ab Arianis, horum continens blasphemiam. Subscripsit equidem illi Osius, sed verberibus, tormentisque compulsus; ut proin subscriptio illa contra ipsos pugnet Socinianos. Ad sua vero reversus Osius, teste S. Athanasio Epist. ad Monachos, *Arianam hæresin feriit anathemate.*

*Ad* 4$^{um}$. R. Ita esse; quin et hodie excusari a non paucis, quod erudite præstat Tournely Tr. de SS. Trinit. Q. 4. a. 1. Sect. 4$^{a}$. Juxta hos vero Episcopi illi a voce abstinebant *consubstantialis*, de cætero rem voce illa significatam professi. Causas vero illius affert S. Athanas. 1°. quod voce illa abstinuerint ex reverentia in illos Episcopos, qui contra Paulum Samosatenum

dixerant : Filium non esse consubstantialem Patri. 2°. Quia putabant per vocem illam intelligi substantiam priorem, quam duo inter se partiti essent. 3°. Quod nullibi scripta reperiretur. Cæterum, quidquid sit de eorum fide, in eo peccaverant, quod in particulari sua Synodo Ancyrana ausi sint prohibere vocem, quam jam Synodus generalis Nicæna sua auctoritate consecraverat; quod in ipsis severe reprehendit S. Hilarius libro cit. n. 83.

*Ad* 5um. R. *D.* Fuit repressa ideo, quasi Nicæna Synodus hanc vocem male adhibuisset; vel quasi hac suppressione approbare vellent dogma Arianum, *N.* quia judicabant hanc vocem non necessariam ad exprimendum dogma catholicum; tum quia necessarium putabant supprimere vocem illam ad devitanda incommoda alia *C.* Metuebant enim, ne, si a voce illa non præscinderent, ipsis in exilium pulsis, Episcopi Ariani in eorum involarent Ecclesias cum magno rei Catholicæ detrimento; ita S. Athanas. Alteram causam affert S. Hieron. Dial. cont. Lucifer. n. 18. suppressam illam vocem partim propterea, quod expressa non esset in Scripturis, aliosque rudiores sua offenderet novitate. Factum tamen hoc ab iis fuisse sine fidei præjudicio; *non erat curæ Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto.*

110. *Neque dicant* Sociniani : Sed Patres Ariminenses anathematismum Valentis Ariani comprobarunt, redolentem dogma Arianum; cum enim Valens diceret : *Si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut sunt cæteræ creaturæ, anathema sit*; idem repetebant Episcopi, teste S. Hier. in Dial. cit. n. 18. Item communi cum Arianis fidei formulæ subscripserunt, quæ dogma idem involvebat.

R. 1°. Si daremus, quod tamen falsum est, revera lapsos fuisse Ariminenses Patres, æque parum præsidii in hoc lapsu haberent pro errore suo adversarii, quam in illo magni Osii, cum acta sua continuo revocarint, emissa Nicænæ fidei professione catholica.

R. 2°. Comprobarunt anathematismum Valentis, item subscripserunt communi fidei formulæ in sensu catholico, animo bono et simplici, nihil fraudis inesse suspicati *C.* in sensu Valentis et Ursacii *N.* Etsi anathematismus Valentis hunc perversum haberet sensum, Filium esse creaturam, sed non similem creaturis cæteris, inque hoc sensu intelligeretur a Valente; quia tamen hic sensus per anathematismos anteriores excludebatur, quibus anathema dicebatur iis, qui negarent Christum esse Deum, Dei Filium, ante secula ex Patre genitum : *Si quis negat Christum Deum, Dei Filium, ante secula ex Patre genitum, anathema sit*; ideo Patres alterum anathematismum conformiter ad præcedentem intelligebant in sensu orthodoxo sic : si quis dixerit Filium esse creaturam, ideoque in tempore productum ex nihilo, ut sunt creaturæ cæteræ, anathema sit.

Similiter illa fidei professio oblata a *Valente* et *Ursacio* licet hæretica esset, si spectetur auctorum sensus; spectatis tamen verbis, quibus concepta erat, in sensu obvio et proprio, nihil nisi orthodoxum et sanum continebat, ut probat S. Hier. Dial. cit. Et vero auctores hujus formulæ profitebantur aperte : *Credimus in unigenitum Dei Filium, qui ante omnia secula, et ante omne principium natus est ex Deo : natum autem unigenitum solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem genitori suo Patri secundum Scripturas.* Hæc vero, licet pro *consubstantialis* habeatur *similis,* omnia fidem catholicam

exprimebant de æternitate et divinitate Filii. Accedit, quod Patres non ante communionem iniverint cum Arianis, nec subscripserint formulæ, quam illi damnassent errores suos, anathematizando illos, *qui negant Christum, Filium Dei, esse Deum ante secula ex Patre genitum*; item eos, *qui dicunt* (ita autem dicebant Ariani) *erat tempus, quando non erat Filius*; *qui dicunt de non extantibus Filium*; vel: *non de Deo Patre*. Unde, quia formula juxta et post prævios illos anathematismos erat concepta, non poterat non a Patribus intelligi in sensu orthodoxo.

Etsi vero Ariani non sincere loquerentur, verbaque detorquerent a sensu obvio in alienum et perversum; Patres tamen putabant, eos sincere agere; *putabant*, ait Hier. *sensum congruere cum verbis*: quæ malignitas Arianorum Patrum fidei obesse non potest; quæ hinc amplius perspicitur, quod, cum Ariani, qui Arii blasphemias se simulaverant damnare, deposita larva spargerent Episcopos Ariminenses suæ subscripsisse fidei, hi cognita fraude subcriptionem suam continuo revocarint.

111. *Si dicas*. Attamen S. Ambrosius in L. 5. in Luc. n. 71. Patres Ariminenses *perfidæ prævaricationis reos* arguit. S. Augustin. epist. 50. (al. 185. n. 47.) *eos veneno periisse Ariano* dicit. Et S. Hier. Dial. adv. Lucif. n. 19. ob suppressam et omissam in formula vocem *consubstantialis*: *Tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est*; ergo revera approbaverant ipsum Arianum dogma.

R. *N. Cons.* Non enim sic culpantur ob hæresin Arii ipsam adoptatam; sed dicuntur *perfidæ prævaricationis rei*, quod vocem *consubstantialis* a Synodo generali Nicæna consecratam, ad conservandam fidem, et subvertendam Arianam hæresin, suppresserint; quod sine perfidia contra Concilium generale Nicænum non poterant Ariminenses. Hoc etiam, non plus, intendit S. Aug. Juxta S. Hier. vero *Nicænæ fidei damnatio conclamata est* ab Arianis duntaxat, mentientibus, Episcopos Ariminenses subscripsisse doctrinæ suæ; non a Catholicis; nam 1°. ipsi Patres Ariminenses, cognita fraude, male acta sine mora revocarunt: 2°. autem Concilio Ariminensi interfuere Episcopi non ultra 400.; longe autem plures erant dispersi per orbem Episcopi, qui semper catholice sentientes nunquam Ariminensium acta approbarunt; et vero in solo Occidente episcopales ecclesias 1,000., in Oriente 800. recenset P. Labbæus noster, ut taceam provincias alias. Ideo vero inquit Hier. *ingemuit orbis*, etc., quod Ariminenses consentiendo in suppressionem vocis *consubstantialis*; grave scandalum fidei dedissent, et in suspicionem hæresis incurrerint apud eos, qui eorum mentem ignorabant. Illa demum: *orbis se Arianum miratus est*, hyperbolen, vel exaggerationem redolent; vel sensus est: miratus est se arianum dici ab Arianis mentientibus; reipsa vero arianum non fuisse, ex illo ipso stupore colligitur; si enim re arianus fuisset, se talem miratus non esset.

112. *Urgebis*: Sed teste S. Greg. Nazianz. orat. 21. n. 23. 24. *Si perpaucos exceperis, qui vel ob nominis obscuritatem contemptui habiti sunt; vel ob virtutem restiterunt... omnes tempori obsecuti sunt: hoc tantum inter eos discriminis fuit, quod alii citius, alii serius in eam fraudem inciderunt*. Et Theodoreto teste L. 2. c. 21. *Alii metu perculsi, alii fraude inducti subscri-*

*pserunt ; quotquot vero consentire recusarunt, in ultimos orbis fines relegati sunt.* VINCENTIUS LIRINENSIS demum Commonit. n. 4. cunctos prope latini sermonis Episcopos partim vi, partim fraudibus deceptos ; quin universum Romanum imperium funditus concussum et emotum tum fuisse asserit ; ergo.

R. *N. Cons.* Nam 1°. S. GREG. hac sententia non involvit Episcopos Occidentis, tempore persecutionis illius, quam ibidem refert, in fide semper immotos ; sed, ut consideranti textum patet, de iis solum loquitur, quæ post habitam anno 360. Constantinopoli 50. Episcoporum Arianorum pseudosynodum in Oriente gesta sunt. Quia S. Doctor ibidem aperte declarat, se loqui de decem provinciis Asiæ, quas Georgius Cappadox Arianus, intrusus in Alexandrinam sedem, dire vexabat, fultus et abusus auctoritate Cæsaris. *Ægyptum*, inquit paulo ante, *incursionibus vastat... Syriam populatur : Orientis quantum potest arripit*, etc. *Hujus potentiæ Concilium illud fuit, quod Seleuciæ primum, deinde in hac amplissima civitate* (Constantinopolitana) *coactum est.* Quod expressius tradit S. HILAR. L. de Synod. n. 63. *Absque Episcopo Eleusio et paucis cum eo, ex majori parte Asianæ decem provinciæ, intra quas consisto, vere Deum nesciunt.* Hinc nequidem eo tempore maxime Episcoporum Orientalium pars a fide divulsa fuit ; et S. Doctoris verba, *si perpaucos exceperis*, ELEUSIUM spectant, et quosdam alios Episcopos illarum decem duntaxat provinciarum Asiæ.

2°. THEODORETUS vero de iis tantum Episcopis Ariminensibus loquitur, quos Nicæam Thraciæ deductos ibi refert ; quod Valentis formulæ subscribere nollent, quorum aliqui postea metu, aliqui fraude inducti subscripserunt, cæteris, qui id constanter renuebant, in remotas oras relegatis. Responsio ex initio sequentis capitis 22. ejusdem historici amplius patet, dum formulam ab universis veritatis propugnatoribus, maxime ab Occidentalibus, reprehensam refert, et in fidem continuo subjicit Damasi, aliorumque Occidentalium epistolam ad Episcopos Illyrici.

3°. VINCENTIUS LIRINENSIS cit. loc. auxesi oratoria rem amplificat, sicut et sæpe alias ; velut, dum Nestorium ab omnibus Orientis Episcopis primo damnatum asserit : atqui plerorumque scriptorum testimonio, Episcopi, a quibus primo damnatus Nestorius, numero circiter 200. erant, numerus vero Episcoporum in Oriente tum supra 700. stetit. Sic et loc. cit. amplificatione pari describit sacerdotum aliorumque constantiam ; ut proinde vel secum ipso pugnare VINCENTIUS dici debeat, vel usus exaggeratione. Vel, si mavis, verba, *cunctos prope latini sermonis Episcopos*, explica de cunctis Arimini congregatis, non in toto Occidente dispersis, de quibus contrarium constat ex scriptoribus antiquis, qui hac in re majoris sunt ponderis ; tum ex resp. antea ad Theodoretum ; tum ex Lucifero Calaritano Episcopo apud Sulpitium L. 2. Hist. Sacr., ubi refert Luciferi epistolam ad Constantium Imper., qua exprobrat Ariano principi, quod frustra conatus fuerit Occidentem pervertere. *Tua novella prædicatio et recens religio non solum adhuc limitem Romanorum peragrare non valuit, et utique te satis agente ; sed et ubi radices figere tentaverat, aruit, recedentibus scilicet omnibus Dei famulis, atque paucis tuis tecum manentibus.*

*Ad* 6$^{um}$. R. *N. utrumque*, de quo plenius nunc Art. seq.

## ARTICULUS IV.

### UTRUM LIBERIUS S. P. ALICUJUS REUS PRÆVARICATIONIS FUERIT, SIVE SUBSCRIBENDO CONDEMNATIONI S. ATHANASII, SIVE ULLI ARIANORUM FORMULÆ.

113. Tres distingui debent formulæ Syrmienses, ab Arianis in diversis Syrmii conventibus editæ. *Prima* anno 351. contra Photinum prodiit, et præter symbolum fidei 27. anathematismos continet; eamque S. Hilarius Lib. de Synod. n. 38. catholicum in sensum flectit, S. Athanasius vero Lib. de Synod. n. 27. illam a formulis aliis vere Arianis non secernit. *Altera* anno 357. suos natales habuit, arianam perfidiam aperta fronte ostentans; in ea Filius nec *consubstantialis* Patri, imo nec *similis* dicitur, etc. ut proin a S. Hilario dicatur L. de Synod. n. 10. *blasphemia per Osium et Potamium apud Syrmium conscripta. Tertia* anno 359. ortum habuit, ut contra Pagium et Valesium, qui in annotatis ad Sozomenum L. 4. c. 15. eam anno 358. procusam volunt, constat ex S. Athanas. L. de Synod. n. 8. dum editam ibidem dicit, *præsente Domino nostro piissimo et victoriis eximio Imperatore Constantio Augusto, æterno venerando, sub consulatu Flaviorum Eusebii et Hypatii, Syrmii undecimo calendas Junias*: id est, 22. Maii anni 359. Expungitur quidem in ea vocabulum *substantiæ*, vel *consubstantialis*, velut a populo ignoratum, et scandala parere natum, eo quod in Scripturis non contineatur; Filius tamen Patri *per omnia similis* dicitur.

114. Reum fuisse Liberium tam subscribendo condemnationi S. Athanasii, quam alicui ex Syrmiensibus formulæ, communior tenuit sententia, quæ post medium ævum invaluit, quo tempore credi primum cœpit Liberii lapsus, maxime postquam Faber indigestam quamdam MSS. farraginem sub nomine Fragmentorum S. Hilarii vulgavit, et post Fabrum Constantius ex eruditis Benedictinis Congr. S. Mauri, inter quæ Epistolæ quatuor sub nomine Liberii, in quibus fœdissimus illius lapsus non dissimulatur, repente comparuerunt. Adeo alte infixa hæc sententia ex tunc plerisque fuit, ut nequidem dubitarent, aut amplius inquirerent, num lapsus esset revera Liberius? sed in eo solo magnis contentionibus dissiderent, cui ex tribus Syrmiensibus formulis subscripsisset. Pro prima stat Baronius. Pro secunda Tillemontius Blondellum Calvini sectatorem refert; item Petavium, sed perperam, cum is Annot. in S. Epiph. pag. 316. (edit. Paris. a. 1622.) aperte declaret, se non disputare, utrum alicui formulæ subscripserit, diserteque dicat, esse posse, *ut nequaquam subscripserit; hæretici vero comprobatam ab illo hæresin falso jactaverint.* Pro tertia pugnant Pagius et Valesius. Tillemontius vero ipse, licet eorum ex numero, qui lapsum Liberii primi propugnarunt, dum Nota 55. in Arianos, inquirit, cui formulæ subscripserit Liberius, statim profitetur libere, ingentem esse illius examinis difficultatem, satiusque manere in dubio, quam pro alterutra parte aliquid decidere. Ut vel ex hoc dissidio quis æstimet, quam parum fidei mereatur Liberii lapsus.

E contra neque condemnationi S. Athanasii, neque ulli e tribus formulæ subscripsisse Liberium Joannes Stiltingus e Societate Jesu in Dissert. Critico-

Histor. aliique recentiores nunc contendunt, utque mihi quidem videtur, salvis aliorum judiciis, longe probabilius. Quare

115. *Dico.* Liberius S. P. neque condemnationi S. Athanasii; neque ulli unquam Arianorum formulæ subscripsit; neque eorum complexus est communionem: proinde in causa illa contra Arianos nunquam lapsus est Liberius.

*Prob. I. in genere.* Lapsus ille Liberii, qui prætenditur, 1°. repugnat scriptoribus et historicis partim Liberio coævis, partim post illum non adeo diu scribentibus. 2°. Non congruit SS. Patribus. Sed 3°. originem traxit ex monumentis supposititiis; ergo.

*Prob. Ant.* 1ª. *p.* Scriptores illi historiæ Ecclesiasticæ, et ex quorum testimoniis tota ferme pendet, quam habemus, de Arianismo historia, sunt Ruffinus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Sulpitius Severus, Cassiodorus. E quibus

1°. Ruffinus quidem L. 10. Hist. Eccl. c. 27. de causa reditus Liberii sic loquitur: *Liberius Urbis Romæ Episcopus, Constantio vivente, regressus est; sed hoc, utrum quod acquieverit voluntati suæ* (Constantii) *compertum non habeo.* Ex quo Ruffini loco, licet in eo non neget conceptis verbis, Liberium acquievisse; sic tamen saltem arguitur: si Ruffinus, Romæ existens, Liberium nosse potuit, qui certo Fortunatianum Aquileiensem Episcopum, cui Liberii lapsus et subscriptio imputatur, ubi studiis operam dedit, cognoverat, *certo compertum* non habuit, utrum *quod acquieverit voluntati* Imperatoris ad subscribendum; an vero ob Romanorum preces dimissus sit Liberius; unde igitur compertum habere poterant scriptores illi Neoterici, tam multis posteriores seculis, quæ tanta tradere confidentia cœperunt? Sed quod Ruffinus dubitanter, expressius dant alii. Nam

2°. Socrates L. 2. c. 37. *Liberius*, inquit, *non multo post ab exilio revocatus, sedem Episcopatus propterea recuperavit, quod populus Romanus seditione conflata Felicem Antipapam ejecerat; Imperatorque ipse, etiam invito animo, consenserat.* Ubi dicit 1. quod *propterea* recuperavit; ergo ob turbas Romanorum, non ob lapsum. 2. Quod Imperator *invito animo* hoc fecerit: sed si Liberius consensisset Imperatori, condemnando S. Athanasium, vel subscribendo alicui formulæ, non remisisset Liberium invitus; hæc enim causa erat relegandi Liberium, ut Imperator sic ex Pontifice extorqueret vi, quod alio modo non poterat.

3°. Sozomenus L. 4. c. 15. de Liberio ait: *Nam Liberium, utpote virum undequaque egregium, et qui pro Religione Imperatori fortiter restitisset, populus Romanus impense diligebat.* Hæc vero scribit de Liberio postquam Constantius jam decrevisset remittere Liberium, ac jam litteras dedisset ad Romanos. Ergo non tam ante exilium, quam eo durante constans manserat; nec aliter sciverant Romani; vel secus non egregium, nedum undequaque egregium, dicere vel potuisset, vel dixisset. Deinde disertis verbis ait, falsum ab Arianis sparsum fuisse rumorem de lapsu Liberii. *Cum Eudoxius, et qui cum illo opinioni Aetii favebant, Antiochiæ Hosii epistolam accepissent, sparsis rumoribus divulgaverunt, Liberium quoque consubstantialis vocabulum condemnasse.* En fabulæ de lapsu Liberii originem.

4°. Theodoretus L. 2. c. 17. postquam populi Romani studium pro revo-

catione Liberii retulisset, præsertim mulierum nobilium, Imperatori exponentium, quod nemo præsente Felice Ecclesiam ingredi auderet, subdit : *Flexus itaque Imperator, egregium illum, omnique laude dignissimum ab exilio redire jussit*; ergo non ob Liberii lapsum flexus. Deinde postquam lecta fuisset epistola Imperatoris in circo, qua Liberium et Felicem simul præesse voluit Ecclesiæ; refert, omnes una voce exclamasse : *Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus... post has Christianissimæ plebis acclamationes, pietate ac justitia plenas, rediit admirandus ille Liberius.* Ergo certe in exilio lapsus non fuerat. Numquid propter lapsum erat *egregius ille, omni laude dignissimus,* imo *admirandus* redux Liberius? Similia hactenus dictis apud Sulpitium Severum, et Cassiodorum reperies.

5°. Romani tunc in fide constantissimi summo gaudio et plausu redeuntem excepere Liberium, ut hic quasi victor urbem intraverit, velut notat historia; non est igitur verosimile, Romanis innotuisse aliquid de ullo Liberii lapsu: si enim Felicem propterea solum, quod ab Arianis ordinatus, cum his communicaret, licet cætera Nicænæ fidei formulam, teste Socrate et aliis, servaret, adeo sunt aversati, ut nequidem vellent, eo præsente, ingredi Ecclesiam, atque urbe expulerint; quomodo Liberium prævaricatorem, a condemnatione S. Athanasii, subscriptione formulæ, communione cum Arianis maculatum, et tanto studio repetivissent, et tanto plausu recepissent? Non apparet certe, quomodo cum tanto Romanorum gaudio conciliari queat Liberii lapsus. Non invenit etiam Baronius, quomodo illa conciliaret; ideoque contra auctoritatem antiquorum omnium, nullo nixus testimonio, maluit dicere, Liberium invenisse abalienatos a se Romanorum animos.

6°. In Menæis omnibus Græcorum, in quibus Liberii *ut Sancti et Confessoris* annuntiatur memoria, aperte asseritur, operam adhibuisse Constantium, ut Liberium a communione S. Athanasii abstraheret, et ad suam hæresin pertraheret; sed id efficere nunquam potuisse; et proin aperte negant lapsum Liberii; imo nunquam illum Græci crediderunt. Sed solos Latinos scriptores post medium ævum hæc invasit credulitas, orta ex supposititiis quibusdam monimentis.

116. *Prob.* 2ª. *p.* Nam 1°. S. Ambrosius, Romanus origine, qui Romæ studiis operam dederat, Pontificatum gerente Liberio, ut eum optime noverit tam ante, quam post exilium, sanctitatem Liberii summis laudibus celebrat L. 3. de Virginib. c. 1. ubi S. Marcellinæ sorori suæ, quæ virginitatis velum a Liberio acceperat, orationem ab eo tunc habitam recitat; item c. 4. post finem hujus orationis. Idem S. Basilius fecit eodem fere tempore; epist. 263. n. 3. (al. 75.) ad Occidentales, S. Epiphan. hær. 75. aliique, quotquot de Liberio scripserunt. At non ita Liberii sanctitatem extulissent, si hujus reditum iis credidissent maculatum sceleribus, qualia sibi post medium ævum finxere scriptores Latini, et inter primos Tillemontius; quem, ut fit uno præeunte, facile secuti alii, illius argumentis sua voluerunt scripta exornare. Vel si persuasum habuissent Patres Liberii lapsum, hunc diluere decuisset, et commendare Liberium a pœnitentia, quod nullus fecit.

117. *Conf.* 1. Si de lapsu Liberii constabat aliquid eo tempore, si de hoc

extabant ipsius Liberii epistolæ, quomodo factum dicemus, ut ea de re nulla omnino reperiatur mentio in scriptis vel ullius Patrum partim coævorum, partim secutis post seculis florentium. De lapsu Hosii frequenter et acriter conqueritur S. Hilarius Lib. de Synod. et contra Constantium Imp., nusquam de Liberio, quamvis lapsum ejus ignorare non posset, si verus esset. Liberium laudibus extollit S. Athanasius, nullibi prævaricationis redarguit; nam quæ de lapsu Liberii in quibusdam ejus operibus leguntur, hæc postmodum addita fuisse ab aliis, aperte videbimus.

Porro scripsit iis temporibus contra Arianos Lucifer Calaritanus, adeo ab Arianis abhorrens, ut Ariminensibus Patribus ob suppressum ὁμοούσιον, sive vocabulum *consubstantialis*, nunquam reconciliari voluerit; num concoquere potuissent tam pudendum Liberii lapsum, si verus fuisset? Sed tamen de hoc ne verbulo memorat; sed cum Liberio semper communicavit: eo solum nonnihil Liberio subinfensus, quod Ariminenses recepisset in gratiam; quantum indignaturus Liberio, si hic ipse tantus, et major Ariminensibus prævaricator fuisset? Scripsit item Marius Victorinus Afer; scripsit S. Phæbadius, Episcopus Aginensis; sed ambo nihil de lapsu Liberii; sed quid mirum? cum nequidem Semiariani Episcopi, licet vexarentur ab orthodoxis, nunquam ad Liberii scriptionem provocarint. Objecerant S. Phæbadio Ariani lapsum Hosii, ut testatur ipse in Biblioth. PP. Lugdun. Tom. 4. pag. 305., sed nunquam de Liberio aliquid.

*At dices* : S. Hilarius Lib. contra Constantium n. 11. Liberii lapsum hisce innuit, dum Imperatorem ita alloquitur : *Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum, eripuisti inde Episcopum : et o te miserum, qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris.* Verum

R. *N. A.* Hæc enim, *utrum majore impietate remiseris,* nequaquam lapsum Liberii respiciunt, sicut neque hæc, *utrum majore impietate relegaveris,* arguunt aliquam culpam Liberii; sed impium Constantii factum tam in relegando, quam remittendo Liberio; magna enim impietate relegaverat, quod, arrogata sibi auctoritate, caput Ecclesiæ eriperet; æque magna impietate remiserat, quod remisisset ita, ut vellet Felicem simul cum Liberio præesse Ecclesiæ, ut num. præc. ex Theodoreto vidimus; utrum vero magis impium, Ecclesiam orbare capite, vel facere Ecclesiam bicipitem?

118. *Conf.* 2. Fasti Hieronymiani apud Florentinium; antiquissimus Codex Epternacensis; item Corbeiensis; Martyrologium Augustanum, Labbeanum, et Gellonense; Turonense apud Martennium; Martyrologia alia MSS. ex genere Hieronymianorum; Auctaria Bedæ; Appendix Adonis; plura Usuardi auctaria, et plurima recentiorum Martyrologia cum Galesinio, cujus Martyrologio ante Baronianum usa est Romana Ecclesia; verbo : Quotquot ab eo tempore extant, Liberii mentionem faciunt; sed ne unum est, quod ejus lapsum referat. At concipi non potest, qui factum sit, ut e tot scriptoribus ne unus lapsum Liberii perstringeret, si verus fuisset.

*Dices* : Silentium scriptorum de aliqua re nihil probat; cum sit argumentum negativum.

R. Equidem silentium hoc non esse semper argumentum convincens, aut quod rem decidat, 1°. quia subin de facto aliquo non erat occasio scribendi : 2°. quia unus, alterve auctor, coævus licet, factum aliquod ignorare potuit :

3°. quia quidlibet attingere non erat scopus scriptoris cujuslibet; nec enim omnes de re qualibet scripsere : 4°. si scriptor coævus partium studio correptus, vel suspectus fuerit, etc.

Sed propterea male universim hoc argumentum rejicitur. Quin locum habere debet 1°. si concurrat cum argumentis positivis : 2°. si posceret occasio, ut factum referretur : 3°. si ignorantia scriptorum præsumi non possit : 4°. si de studio partium suspecti dici non possint : 5°. si non pauci duntaxat, sed plurimi numero, et quotquot historiam, ad quam factum pertinet, ex professo tractant, nihil memorent : 6°. et maxime, si, qui contra commune omnium silentium asserit factum aliquod, id non sufficienter probet argumentis positivis, indubiis ; cum hæc probatio in quovis ordinato judicio incumbat asserenti factum, et delictum ; vel si plane innitatur suppositititiis. Ratio horum est ; quia secus, historiarum loco, fabulis demum redundabunt omnia.

Atqui in præsenti controversia, 1°. hoc scriptorum silentium concurrit cum argumentis positivis n. præc. : 2°. poscebat referri hoc Liberii factum scribendi occasio, cum de reditus ejus causa ex professo agerent, quam tamen ejus lapsui tribuit nemo ; imo ne Arianorum quidam illius temporis, si Philostorgium strenuum in paucis Arianum excipias, sed cui statim respondebitur : 3°. communem illam scriptorum ignorantiam et Patrum, in specie S. Hilarii Pictavorum Episcopi, eo tempore viventis, et acerrimi Arianorum hostis, nemo nisi temere præsumet : 4°. nec studium partium illis objici potest ; qui enim Patrum Ariminensium acta non modo non dissimularunt, sed eos agitarunt etiam ; qui reliquorum Pontificum nævos diligenter notarunt, cur, aut cui bono unius Liberii lapsum tacuissent? certe si reprehendendus fuisset a lapsu Liberius ; idem commendandus fuisset a pœnitentia, cum redux ab exilio nihil zeli omiserit contra Arianos : 6°. qui lapsum Liberii posterioribus seculis divulgarunt, neque argumenta afferunt hunc sufficienter probantia, imo nequidem authentica, ut mox dicetur.

119. *Dices* : Philostorgius in Epitome L. 4. n. 3. teste Photio, *tunc* (scilicet cum Constantius Sirmium venisset) *etiam eumdem Liberium*, inquit, *et una cum illo Osium Episcopum contra consubstantialis vocabulum, et contra Athanasium subscripsisse. Postquam vero subscripsissent, Osium quidem ad sedem suam, Cordubam scilicet Hispaniæ, abiisse ; Liberium vero Romanæ Ecclesiæ præfuisse.*

R. Manifestum est, hic a calumniatore pro vera historia referri falsum rumorem, quem sparserant Ariani, cum lapsus esset Hosius, de consensu quoque Liberii in eamdem hæresin. Patet ex eo, quod utrumque simul eodem tempore lapsum, ac simul ad Ecclesiam suam remissum asserat ; sed ambo notorie falsa sunt : primum ; quia formula, cui subscripsit Hosius, erat secunda Sirmiensis arianam hæresin aperta fronte præferens ; at nemo catholicorum ait, huic subscripsisse Liberium, quod et infra probabitur : secundum ; quia Hosius rediit anno 357. Liberius autem anno 358. omnium consensu scriptorum. Sic et respondere debent ad Philostorgium, qui a nobis dissentiunt, et Liberium vel primæ, vel tertiæ formulæ subscripsisse contendunt ; ne secus Liberium faciant aperte hæreticum.

120. *Prob.* 3ª. *p.* Fundamentum, cui tota structura innititur de Liberii lapsu, sunt quatuor epistolæ sub Liberii vulgatæ nomine; quædam loca reperta in operibus S. Athanasii, et S. Hieronymi: atqui hæc ut genuina admitti non possunt; ergo. *Min.* sat clare *constabit solutione objectionum;* uti pariter, fragmenta illa divulgata sub S. Hilarii Pictaviensis nomine, quibus insertæ erant quatuor illæ epistolæ, et a quibus istæ ob auctoritatem nominis S. Hilarii fidem invenerunt apud multos, S. Præsuli nonnisi ridicule tribui posse.

121. *Prob. II. in specie* de formulis singulis Sirmiensibus.

I. Liberius non subscripsit formulæ primæ. *Prob.* 1°. *negative*: Subscriptio hæc asseritur sine ullo auctore antiquo, sine ulla ratione idonea, sine ulla verisimilitudine; imo contra omnem verisimilitudinem; ergo male asseritur. *Prob. Ant. quoad* 1ᵘᵐ. *membr.* Nam duo textus afferri solent ab adversariis: primus ex epist. Liberii ad Orientales depromptus est; sed hanc epistolam supposititiam esse, ut ante dixi, ex manifestis indiciis in solutione objectionum constabit: alter ex fragm. 6. sic vulgo dictorum fragmentorum S. Hilarii petitur; de quo nunc statim dicemus. Reliqua membra ex sequenti probatione positiva elucescent.

*Prob.* 2°. *positive.* Concilium Sirmiense, in quo *Photinus* damnatus est, conditaque prædicta fidei formula, tam antiqui, quam recentiores historici passim figunt anno 351. cum Petavio, qui illo anno habitum probat in Annotatis ad S. Epiphanium pag. 317.; atqui non est verisimile huic formulæ subscripsisse Liberium. *Prob. min.* Imprimis cum formula illa conderetur, Liberius nequidem adhucdum erat Romanus Pontifex, sed talis creatus primum fuit anno 352. 23. Maii. Deinde vero a Liberio facto Pontifice ante exilium nunquam exegit Imperator, ut huic formulæ, sed ut condemnationi S. Athanasii subscriberet; propterea enim Liberium, quod condemnare S. Athanasium nollet, cum aliis Episcopis idem renuentibus relegatum fuisse, concors est scriptorum relatio; et constat ex ultimo Liberii cum Imperatore colloquio, quod refert Theodoret. L. 2. c. 15. Cur igitur sollicitatum dicemus Liberium ad subscribendum illi formulæ, anno quidem secundo, vel tertio exilii sui, h. e. anno 357.? quo tempore novas cudebant formulas Ariani, et de priore illa anni 351. non erant amplius solliciti; et minime Imperator. Certe tempus, aliaque acta omnia anno 357. et 358. plus, si supponatur alicui subscripsisse Liberius, favent secundæ, quam primæ formulæ. Vidit hoc Petavius, ibid. pag. 316., ideoque dixit: *Hoc vero certissimum, neque priori illi contra Photinum editæ subscripsisse; et si ex tribus Sirmiensibus aliquam admiserit* (ex hac hypothetica locutione male ab aliis pro formula secunda citatur Petavius), *non aliam, quam secundam, cui et Osius assensus est, comprobasse.*

*Dices:* Juxta S. Hilarium Fragm. 6. n. 7. *Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius catholicam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt, qui conscripserunt: Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Sylvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Acticus, Julius, Surinus, Simplicius, et Junior... omnes hære-*

*tici*. Atqui multi saltem ex his certo non fuerunt auctores formulæ secundæ Sirmiensis; ergo primæ.

R. N. Allata verba ex Frag. 6. esse S. Hilarii; præterquam enim, quod totam fragmentorum farraginem cum Baronio et Bellarmino abnegaturi simus S. Hilario, illa certe ex Fragm. 6. recitata S. Præsuli tribui non possunt.

1°. Quia vocantur *omnes hæretici*: atqui hoc falsum est, et ipsi repugnat Hilario; nam inter recensitos Episcopi multi erant Semiariani, ut Basilius Ancyranus, quem laudat S. Athan. L. de Syn. n. 41., quique habito Concilio secundam Sirmiensem formulam damnavit; Silvanus Tarsensis S. Basilii M. familiaris; Demophilus, aliique; illos autem S. Hilarius nunquam habuit hæreticos, sed summis extulit laudibus, coluit ut fratres, et viros sanctos et apostolicos, L. de Synodis, ubi sic eos alloquitur n. 77. 78.: *Reliquus mihi sermo ad sanctos viros, Orientales Episcopos dirigendus est... et dabunt veniam ex communi conscientiæ fide secum liberius locuturo. O studiosi tandem Apostolicæ atque Evangelicæ doctrinæ viri! quos fidei calor in tantis tenebris hæreticæ noctis accendit! Quantam spem revocandæ veræ fidei attulistis, constanter audacis perfidiæ impetum retundendo.* Et infra n. 91. *Homoousion nescio, nec intelligo, nisi tantum absimilis essentiæ confessione... Pium est quod volumus, ne damnemus Patres, ne animemus hæreticos.* Item n. 88. *Date veniam, fratres, quam frequenter poposci: Ariani non estis; cur negando homoousion censemini Ariani?* En! S. Hilarius ait 1. Semiarianos in homoousio confiteri id, quod ipse confitetur Hilarius: 2. se habere cum ipsis ejusdem fidei conscientiam: 3. eos Apostolicæ atque Evangelicæ doctrinæ studiosos esse: 4. eos afferre spem revocandæ fidei: 5. non esse Arianos, sive hæreticos. Quomodo ergo idem S. Hilarius dixerit, ut in Fragm. cit. *hæretici omnes?* Numquid semetipsum compellavit hæreticum!

2°. Fragm. cit. hæc formula, quam ibi Liberius fertur dixisse catholicam, vocatur ariana *perfidia;* ideoque in fragmentis iisdem, ubi refertur epist. Liberii ad Orientales, cit. n. 120. anathema infligitur Liberio ob subscriptionem hujus formulæ; item vocatur *apostata, prævaricator*: atqui formulam primam S. Hilar. Lib. de Syn. a n. 38. ad 63. ut catholicam exponit, laudatque.

*Neque dicas*: a S. Hilario dici *perfidiam* ratione consilii et fraudis auctorum illius formulæ; non ratione sententiarum, quibus constat. Nam 1. auctores formulæ illius erant ad magnam partem Semiariani, quos ut perfidos nunquam habuit Hilarius. 2. Si perfidiam intellexisset dato sensu, quomodo ob subscriptionem hujus formulæ, quæ ex mente ipsius Hilarii habebat sensum catholicum, quæque in hoc sensu, ipsius Hilarii testimonio, erat admissa a Liberio, huic poterat infligere anathema, eum vocare apostatam, prævaricatorem, quin Hilarius in se Hilarium has ipsas censuras tulisset? 3. Data responsio non est accommoda textui; Hilarius enim *perfidiam* hic vocaret illud, quod Liberius fertur dixisse *catholicum;* hic enim est sensus naturalis et obvius: atqui Liberius formulam ratione sententiarum, quibus constat, dixisset *catholicam;* nam fraudes suas utique Liberio non patefecissent Semiariani. Accedit, quod Fragm. cit. dicatur perfidia

*descripta, conscripta*, quæ in sensu communi rem, ut scripta jacet, designant.

122. II. Liberius non subscripsit formulæ secundæ. Ita nunc plerique catholici contra Blondellum Calvinicolam.

*Prob.* Nam 1°. huic formulæ subscripsisse Liberium diserte negat Sozomenus, juxta n. 115.

2°. Si formulæ huic subscripsisset Liberius, dubitare non possumus, quin, sicut Hosius remissus fuit in Hispaniam, quod subscripsisset huic formulæ, sic quoque remissus Romam fuisset Liberius, et multo magis, quod jam Constantius Liberii reditum promisisset Romanis; at Hosius anno 357. post subscriptionem jam remissus fuit; Liberius non nisi anno 358.

3°. S. Hilarius L. de Syn. non modo frequenter dicit, ab Hosio receptam fuisse formulam secundam, sine ulla de Liberio mentione, sed etiam a n. 78. clare insinuat, solum ex iis, qui Ariani non erant, fuisse Hosium, qui illam formulam receperat, sive qui consenserat, ut non solum vox ὁμοούσιος *consubstantialis*, sed etiam ὁμοιούσιος *similis substantiæ* omitteretur, quod primum in illa formula tentatum est ab Arianis; disserens enim cum Semiarianis, *Oro vos*, inquit, *ne quisquam alius ex his præter senem Osium, et ipsum illum nimium sui sepulcri amantem, reperiatur qui tacendum existimet de utroque.*

4°. Hinc Ariani solius auctoritatem Hosii objiciebant catholicis; nunquam Liberii Romani Pontificis, ut discimus ex S. Phœbadii contra Arianos opusculo; attamen illa Liberii majoris fuisset ponderis.

5°. S. Epiphan. similiter hær. 86. n. 14. affirmat, de Hosii lapsu mire triumphasse Arianos, quos tamen fraudis arguit: *Quo nomine Ecclesiam condemnare se posse, putarunt* (Ariani) *iis litteris, quas ab venerabili Episcopo Hosio per fraudem abstulerunt, in quibus dissimilis essentia legitur.* Si tanti triumphi materia erat consensus Hosii, forte fraudulenter extortus et ex parte fictitius; quos non cecinissent Ariani triumphos, si tantumdem dicere potuissent de Romano Pontifice? Tentarunt id quidem per calumniam, velut ex Sozomeno vidimus n. 115., sed cujus paulo post ipsos puduit; ut colligitur ex eorum mox secuto silentio.

123. III. Neque subscripsit Liberius formulæ tertiæ: imo huic omnium minime subscripsisse dici potest.

*Prob.* Tertia formula Sirmiensis composita est anno 359., ut docet S. Athanas. L. de Synod., ubi eam refert n. 8. *Edita est catholica fides, præsente Domino nostro piissimo, et victoriis eximio Imperatore Constantio Augusto, æterno, venerando, sub Consulatu Flaviorum Eusebii et Hypatii clarissimorum, undecimo Calendas Junias*; id est 22. Maii anni 359. At Liberius jam anno præcedente 358. Romam redierat, ut communis habet sententia Chronologorum cum Baronio, Pagio, Tillemontio, Papebrochio nostro, et Stiltingio contra alios, qui in eo solum ab hac communi sententia differunt, quod reditum Liberii adhuc citius, scilicet anno 357., nullus vero post ann. 358. contigisse dicat; et ratio aliqua sententiæ petitur ex L. 14. de Episcopis, quæ data legitur VIII. *Idus Decembris, Constantio nonum, et*

*Juliano secundum Consulibus*. i. e. anno 357. quæ data dicitur ad Felicem; ergo Liberius adhuc erat in exilio; nam redeunte Liberio, Felix Roma cessit continuo.

124. *Dices* 1°. Cum *Pagio* et *Valesio*. In conventu Sirmiensi habito anno 358. præsentibus Imperatore, et legatis Concilii Ancyrani, Basilio Ancyrano, Eustachio Sebasteno, et Eleusio Cyziceno composita fuit illa tertia fidei formula, quam recepit Liberius; ad quid enim alias ille conventus fuisset celebratus?

R. Bona pace tantorum virorum *N. Supp.* quod inter formulam Sirmiensem secundam anni 357. et inter Sirmiensem tertiam anni 359. ulla condita fuerit intermedia Sirmiensis formula. Constat ex S. Athanasio L. de Syn. ubi de proposito referens omnes Arianorum formulas, post secundam Sirmiensem n. 29. recitatam, mox eod. n. 29. pergit ad tertiam Sirmiensem, eamque recitat et ligit anno 359.; alia vero intermedia ipsi incognita fuit. Idem amplius evincitur ex S. Hilario L. de Syn. Et vero si condita aliqua formula intermedia, quæ illa? Cur illam in forma non producunt adversarii?

*Ad quæsitum* R. Conventum Sirmiensem habitum fuisse ad preces legatorum Concilii Ancyrani eod. ann. 358. habiti, in quo reprobata fuerat secunda Sirmiensis formula. Agebant igitur Legati apud Constantium, ut ipsi præcipui secundæ impiæ Sirmiensis formulæ auctores, Valens, Ursacius, Germinius, subscribere compellerentur anathematismis, contra illam Ancyræ compositis, qui erant numero 12., atque sic damnare impietatem apertam, quam ipsi protulerant. Hæc manifesta sunt ex S. Hilario L. de Syn. n. 2., quem S. Præsul ad Episcopos Galliæ, qui formulam eamdem damnaverant, paulo post conscripsit.

125. *Dices* 2°. Cum aliis tertiæ, et primæ formulæ patronis simul. Ex Sozom. L. 4. c. 15. in conventu Sirmiensi a Legatis proposita fuit quædam formularum collectio, quæ continebat 1. formulam Sirmiensem primam contra Photinum: 2. aliam editam in dedicatione Antiochensis Basilicæ contra Paulum Samosatenum, qua reprehenduntur *consubstantialitatis* defensores, velut sub hujus obtentu vocabuli propriam hæresin stabilire conantes. Atqui ex eodem Sozom. ibid. huic collectioni subscripsit Liberius; ergo revera subscripsit formulæ Sirmiensi primæ; vel alicui formulæ inter primam et secundam intermediæ.

R. *Permisso*, illi conventui interfuisse Liberium, et alios a Sozom. enumeratos, *N. min.* et vehementer metuo, ne plures adversarii hic, ubi Sozom. agit de iis, qui in conventu illo ad subscribendum compulsi, Liberium Africæ Episcopum confundant cum Liberio Romano Pontifice; nam eos referens, qui subscripserunt, ait: *Effecerunt* (Legati) *ut Liberius, Athanasius, Alexander, Severianus, et Crescens* (NB.) *Africæ Episcopi ei formulæ* (sed græce Ei, scilicet Libello, in quem omnia conjuncta fuisse immediate ante dixerat) *consentirent. Consenserunt pariter Ursacius, Germinius et Valens, et quotquot ex Orientalibus partibus aderant.* Quid vero cum Liberio gestum fuerit, speciatim postea docet, nimirum quod Legati a Liberio quoque *confessionem susceperint*; sed qualem? adverte: *qua eos*,

*qui Filium secundum substantiam et per omnia Patri similem non esse asseverent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat.* En quam scite hic distinguat Sozom. Liberium ab iis, qui contra consubstantialitatem subscripserant? Eos vero ab Ecclesia alienos pronunciare, qui negarent Filium Patri per omnia similem, non erat subscribere alicui formulæ Sirmiensi, sed damnare aperte arianam hæresin, quod semper fecerat Liberius tam ante, quam post exilium. Ratio vero, cur hoc speciatim a Liberio postularint Legati, illa fuit, quod diceretur Liberius, negasse Filium similis cum Patre substantiæ, quem rumorem scilicet, teste Sozom. cit. n. 115. post lapsum Hosii sparserant Ariani.

Dixi : *permisso,* etc. nam Liberium dicto conventui interfuisse, uti et Episcopos alios plures, quos refert Sozom. negat Stiltingius noster ex S. Hilario, quod ei plus debeatur fidei, utpote tunc viventi. Et vero de tribus tantum, qui ad subscribendum compulsi, memorat S. Hilar. L. de Syn. n. 78. et 81. ubi Ancyranos legatos alloquitur; nimirum de Valente, Ursacio, et Germinio.

126. *Obj. I.* S. Hilarius in fragmentis ipsas refert Liberii epistolas, quibus hic Pontifex testatur ipse, se communionem amplecti Arianorum; e contra S. Athanasium excludi a communione sua Liberii, sive Ecclesiæ Romanæ, et litterarum consortio; verbo : condemnatum esse; ergo.

R. 1°. *N. supp.* Fragmenta illa S. Hilario prudenter tribui posse; est hoc non meum solummodo de fragmentis illis, sed virorum gravissimorum judicium. Bellarmin. L. de Scriptorib. Eccles. libros fragmentorum ait esse alterius, qui S. Hilarium imitari voluit. Baronius in Appendice t. 3. Annal. ad ann. 352. velut corrigens priorem opinionem, luculenter declarat, fragmenta omnia Hilariana, quæ tum fuerant recenter a Fabro edita, non posse prudenter S. Hilario attribui. Non meminit eorum S. Hieron. in Catalogo Scriptor. licet singula alia Hilarii opera diligenter referat. Extare plurima in fragmentis illis, quæ Hilarii fœtus non sunt, inquit D. Collet, Tr. de SS. Trinit. pag. 326. Singula S. Hilario abnegat Stilting. S. J. in vita de S. Liberio Papa. Item auctor Gallus Dissert. Crit. de S. Liberio; utque plures omittam, Coustantius ipse, fragmentorum Editor in Præf. se, pluresque dubitare ait, num vere S. Hilarii sint; quasdam tamen ratiunculas pro Hilario affert, sed quæ ne attendi quidem merentur. Ac Natalis Alexander Liberii epistolam ad Orientales, non obstante, quod fragmentis inserta sit, negat esse posse Liberii, licet cætera non magnus Liberii patronus; et, quid plura requires? Quesnellus ipse, teste Collet cit. Et ne ex sola auctoritate, licet illa tantorum virorum sufficere posset, id dicere videamur, rationes accipe; sed ante tamen quoad fragmentorum istorum originem

*Observa.* Per fragmenta, vulgo S. Hilarii dicta, venit illa scripturarum collectio, quæ sub nomine S. Hilarii edita a Nicolao Fabro, inque novissima editione operum S. Hilarii Pictaviensis a Petro Coustantio Benedictino vulgata. Fatente eodem, fragmenta illa non sunt inventa in MSS. codicibus eo ordine et modo, quo sunt edita; sed *erat* (verba sunt editoris) *monstrosa quædam rerum facies, et inordinata, confusaque variarum epistolarum congeries.* Deinde prior pars nullius inscripta erat nomine; sola posterior pars additum ferebat Hilarii nomen in fronte cum addito,

*Sancti*; ut vel exin pateat, Hilarii nomen ab alio adjectum fuisse, neque enim Hilarium, semetipsum canonizasse, quis dicet. Hinc quæstio esse non potest, an fragmenta eo modo, quo extant nunc, composita a S. Hilario sint; sed solum, an fragmenta illa dissoluta ex aliquo S. Hilarii opere excerpta sint; eaque ratione sint S. Hilarii? Etsi vero ex ipsa origine jam dubia, et fide digna non sint; ipsas tamen rationes habe, quantum puto, satis convincentes, fragmenta illa S. Hilario prudenter tribui non posse: Nam

1°. Unde, amabo! editores illi nosse poterant, partem primam fragmentorum potius S. Hilarii esse, quam alterius, cum nullius esset nomine inscripta, in qua tamen pleræque Liberii epistolæ insertæ legebantur? Ex quo Hilarii libro excerpta sunt? Quis parti secundæ S. Hilarii nomen addidit? Hæc vero omnia declarare, probareque oportebat antequam continuo S. Hilario tribuere totam illam inconfusam farraginem. Verum

2°. Fragmenta illa innumera continent vitiosa, falsa, S. Hilario prorsus indigna, et directe contraria. Ex plurimis, quæ illi notarunt, qui fragmenta de sensu fere ad sensum examinarunt, cumque S. Hilarii operibus genuinis contulerunt, delibare placet sequentia, quæ opinor, abunde sufficiunt. Fragm. 2. n. 21. ait personatus Hilarius, quod S. Athanasius Marcellum Ancyranum a sua communione separarit, et quidem *anteriore tempore, quam Photinus* accusaretur: atqui istud non ab Athanasio, sed ab Eusebianis, sive Arianis factum. Audiamus S. Athanasium ipsum in Histor. Arianor. ad Monach. n. 6. *De Marcello autem Galatiæ superfluum fortasse fuerit mentionem facere; omnibus enim compertum est, Eusebianos ab eo antea impietatis accusatos, eum vicissim accusasse, eorumque opera senem illum exulasse.* Num in fragm. 2. falsi et erroris reum nunc argues S. Hilarium, in illius temporis historia versatissimum? ut probat ejusdem Lib. ad Constant.

Fragm. 4. refertur epistola sub Liberii nomine, quam fictitiam probat late ipse editor fragmentorum Constantius; et admittunt omnes; etiam qui cætera lapsum fuisse Liberium tuentur. Et ratio evidens est; quia in hac dicitur Liberius condemnasse Athanasium jam multo ante exilium: atqui hoc est notorie falsum; nam Liberium ideo relegatum fuisse, quod S. Athanasium condemnare nollet, concors clamat historia. Quid igitur nunc dicent hujus Hilariani operis vindices? eratne simplex adeo Hilarius, ut epistolam tam clare Liberio suppositam, pro genuina habuerit, suoque inseruerit operi, ad ignominiam præclari Pontificis, quo nemo magis, etiam adversariorum consensu ante exilium, protegebat S. Athanasium?

Fragm. eod. post recitatam illam Liberii epistolam subdit fictitius Hilarius: *Quid in his litteris non sanctitatis? quid non ex metu Dei eveniens est? Sed Potamius, et Epictetus, dum damnare urbis Romæ Episcopum gaudent; sicut in Ariminensi Concilio continetur, hæc audire noluerunt, etc.* Eratne sanctum, et ex Dei timore profectum, condemnare S. Athanasium, cujus causa erat connexa cum fide? recedere ab ejus communione, communionem contra Arianorum amplecti? Ita dixerit S. Hilarius Pictav. maximus Ecclesiæ Doctor, et columna illo tempore habitus? Quin ex hoc loco fragmenta illa potius Luciferiani alicujus schismatici esse, quam S. Hilarii rectius colligitur.

Fragm. 6. ter anathema infligit Liberio ceu apostatæ, ut vidimus n. 121. At etiam defensores lapsus Liberii id a S. Hilario potuisse proficisci negant: etenim S. Doctor fertur scripsisse fragmenta post reditum Liberii, quo tempore nemo fortius Liberio orthodoxam fidem propugnavit; adeo ut ejectum Roma Felicem nollet ante in communionem recipere, quam imperatorem ipsum Constantium damnasset; rescinderet acta Ariminensia, omnes nutantes in fide firmaret. Quis vero S. Pontifici, ut quidem adversarii loquuntur, tam egregie pœnitenti, tam strenue pugnanti, anathema dictum ab Hilario putet? Nimis hoc remotum a maxima S. Doctoris prudentia. Vid. item n. 121.

Sic in quolibet ferme fragmento indignum aliquid vel sanctitate, vel prudentia, vel eruditione, vel modestia S. Hilarii reperire est, quæ singula hic referre non fert præsentis instituti ratio. Vid. Stiltingium ea singula recensentem. Quod si quis nihilominus S. Hilario fragmenta illa tribuere voluerit, mea id pace fiat; a me id nemo obtinebit, sed ob allata, si non plane Luciferiani alicujus schismatici, certe cum nominatis supra auctoribus, tum præterea cum Petavio nostro in Animadversionibus ad S. Epiphan., fatebor esse imperiti cujusdam, qui S. Hilarium imitari cupiens, Arianæ sectæ divortia non satis perspexit. Nunc ad ipsas Liberii epistolas, etc.

127. R. 2°. Singulæ Liberianæ epistolæ fragmentis illis insertæ supposititiæ sunt; atque æque parum tribui possunt Liberio, quam fragmenta S. Hilario. Antequam rationes demus,

*Observa.* Plures circumvolitasse epistolas sub Liberii nomine, sed quas vix unus eruditorum ut genuinas adoptavit, velut epistolæ Liberii ad S. Athanasium; hujus ad Liberium et similes; cum ipsum argumentum continuo lectori indicet, et, si habeatur ratio temporis, Liberii esse non posse; sed quæri potissimum de quatuor, quæ sic dictis fragmentis Hilarianis immixtæ. Prima in fragmento 4. n. 1. hanc inscriptionem fert: *Dilectissimis fratribus nostris, et coepiscopis nostris universis per Orientem constitutis Liberius Urbis Romæ Episcopus æternam salutem.* Tum epistola sequitur: *Studens paci et concordiæ,* etc. Altera in fragmento 6. n. 4. iterum ad Orientales data hac distinguitur inscriptione: *Dilectissimis fratribus presbyteris, et coepiscopis orientalibus Liberius.* Initium epistolæ habet: *Pro Deifico timore,* etc. Tertia ibid. n. 8. ad Valentem, Ursacium, et Germinium, Arianos in Illyrico Episcopos, data dicitur, incipitque: *Quia scio vos filios pacis esse,* etc. Quarta ibid. n. 10. Vincentio Capuano inscripta, ad omnes tamen Campaniæ Episcopos directa cum initio: *Non doceo, sed admoneo, sanctum animum tuum,* etc.

Atqui nulla harum epistolarum Liberio tribui prudenter potest: nam imprimis generaliter loquendo de singulis, quatuor illæ epistolæ fidem invenerunt præcipue, quod S. Hilarius suis illas fragmentis inseruisse crederetur; at quam immerito fragmenta illa dicantur auctorem habere S. Hilarium, puto, ex dictis constat. Equidem posteriores etiam Baronius ex collectione Cresconii Afri edidit; sed quantum quoque Cresconius colligendo scripturas deceptus fuerit, aliunde notum est; verum patebit illa epistolarum Liberii suppositio nunc plenius ex singularum examine. Nam

128. Prima aperte repugnat Arianorum historiæ; ex tenore enim epistolæ clarum est, scribi debuisse sub initium Pontificatus Liberii, si hujus sit; nam Orientales in ea dicuntur litteras dedisse ad Julium Liberii prædecessorem; en verba: *Studens paci et concordiæ Ecclesiarum, posteaquam litteras Charitatis vestræ de nomine Athanasii factas ad nomen Julii bon. mem. accepi.* Liberius vero dicitur epistola illa respondere, quod S. Athanasium a sua, sive Ecclesiæ Romanæ communione omni removerit; igitur sive jam primo, sive secundo, sive tertio Pontificatus sui anno ita respondisset Liberius, quod perinde est; saltem nonnisi ante exilium Liberii, quod anno 355. adiit, scripta fuit. Atqui, ut supra vidimus n. 126. de fragm. quarto, Liberius etiam exilium pati maluit, quam injuriosum aliquid contra S. Athanasium statuere. Ex sola hac observatione satis colligitur, fictitiam esse epistolam illam, sive eam Ariani procuderint, vivente Liberio, sicut et alias contra S. Athanasium fabricaverunt, teste S. Athanasio ipso in Apol. sive Luciferianæ sectæ schismaticus: quod ipsum est Constantii de hac epistola testimonium. Sed et primus fragmentorum editor Nicolaus Faber ingenue fatetur, epistolam hanc cum Arianorum historia consistere non posse. Item Baron. cit. et commune judicium est Natal. Alexandri, Collet, Quesnelli, etc.

129. Altera supposititia esse convincitur 1°. quia data dicitur ad omnes Orientis episcopos et presbyteros, quibuscum universis pacem se habere declarat ibidem fictitius Liberius; item rogat turpi assentatione, ut communi consilio et studio apud Imperatorem pro suo laborent reditu. At quid ineptius fingi potuisset de Liberio? Orientales enim invicem divisi erant, cum alii essent Ariani, alii Semiariani, alii adhuc bene multi Catholici; quomodo igitur cum singulis se pacem habere, dicere poterat Liberius, qui divisionem illam Orientalium jam expertus non ignorabat? Quomodo, cum hac in epistola dicatur referre, a se damnatum esse Athanasium, idque Imperatori notum esse, hortari poterat Orientales omnes, ut communi consilio et studio laborarent pro suo reditu, qui, supposita damnatione S. Athanasii, Catholicorum omnium, imo plurium ex Semiarianis, qui S. Athanasio non adversabantur, ut Basilius Ancyranus, etc. teste S. Athan. Lib. de Syn., potius in se odia concitasset? 2°. Si subscripserat contra S. Athanasium, quid jam necesse habebat Orientalium implorare opem? cum enim ideo relegatus esset, quod contra S. Athanasium subscribere nollet; dubitare non poterat, de suo Romam reditu a Constantio obtinendo, cujus perfecte voluntatem implevisset. Adde stylum epistolæ adeo hiulcum esse, inconnexum, barbarismis horridum, ut ne ferrea quidem ætate, necdum illa Liberii, hocque ipso dignus sit.

130. Tertia eadem suppositionis argumenta habet, quæ prima; nam et in illa apertius adhuc asseritur S. Athanasius a Liberio damnatus ante hujus exilium. Unde et Baronius, postquam epistolam hanc ad ann. 357. recitasset ut genuinam, postea, illa penitius expensa, in Append. ejusd. Tom. pag. 25. editionis Antuerp. genuinam esse non posse profitetur; sed *unam plane eamdemque fuisse manum Scorpii, quæ utramque scripsit epistolam sub nomine Liberii, ea occasione, quod diceretur Liberius vi coactus subscripsisse.*

At idem Scorpius etiam reliquas contexuit, utpote Liberio æque, imo magis indignas, quam sit prima et tertia; et occasio erat eadem.

131. Quarta non minus suppositionis convincitur, quam secunda; 1°. ex genere scribendi plusquam ferreo. 2°. Fingitur implorare patrocinium omnium Campaniæ episcoporum, iisque hunc in finem declarare lapsum suum. Quid ineptius? Nam Campaniæ episcopos, plerosque catholicos, ex epistola, qua lapsum suum, et damnatum a se Athanasium prædicat, alienasset a se potius. Nec egebat Campanorum patrocinio, si cedere vellet Constantio.

132. *Obj. II.* S. Athanasius lapsus Liberii testis est; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1°. in histor. Arian. ad Monachos, ut vocatur in editione Parisiensi; alias epist. ad Solitarios, n. 41. *Porro,* inquit, *Liberius extorris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit.* 2°. In apolog. cont. Arian. n. 89. scribit: *Cum autem non solum verbis mihi patrocinati fuerint, sed etiam exilium sustinuerint, ex eorumque numero sit Liberius Romæ Episcopus; nam etsi exilii ærumnas ad finem usque non toleraverit; attamen, quod conflatam in nos conspirationem probe nosset, biennio in exilii loco est commoratus.*

R. *N. A. Ad prob.* 1am. *respondent alii*, sparso ab Arianis rumore de lapsu Liberii, ut plures alios, sic quoque S. Athanasium decipi potuisse tunc in solitudinis Ægypti latebris degentem. Favet huic responsioni tempus: nam opus hoc, ut modo probabitur, scripsit eo ipso tempore, quo lapsum Liberii sparserant Ariani occasione lapsus Hosii, scilicet anno 357., quo Hosius subscripsit. Et vero de ipso ac vero Liberii lapsu, qui ipsi tribuitur, hæc S. Athanasius scribere non potuit, ut dicam modo. Hinc

*Ad* 1um. R. *N.* illa esse S. Athanasii verba; nam laudatum opus ante tempus, quo lapsus dicitur Liberius, jam conscriptum fuit, ut proin illa de Liberio non ab Athanasio scripta, sed ab interpolatore alio assuta sint. Ratio est, quia quæ isthoc in opere refert S. Athanasius, omnia jam ante finem anni 356., quo sanctus Alexandria in Ægypti solitudinem fugit, vel certe ante Pascha anni 357. contigerunt; nam in hoc opere postquam dixisset, persecutionem nondum quievisse, ultimo loco subnectit martyrium S. Secundi presbyteri: *certe jam* (græc. οὕτω γὰρ καὶ νῦν, id est, *sic et nunc*) *presbyterum Secundum... occiderunt... in quadragesima;* postque hoc ultimum particulare factum solum adhuc generaliter exponit Arianorum crimina. Atqui S. Secundus, plerorumque scriptorum de illa persecutione consensu, occisus fuit adhuc ante Pascha anni 357., et juxta S. Athanasium in quadragesima; ergo hoc anno 357. S. Athanasius illud opus conscripserat, quo tamen anno Hosius quidem, non tamen Liberius jam tum lapsus dicitur. Similiter in hoc opere ait S. Athanasius, Leontium Antiochiæ Episcopum adhuc vivere n. 4. *Ex quorum numero est Leontius, qui nunc Antiochiæ episcopus est*: atqui mors Leontii jam evenit prioribus mensibus anni 357. vel certe circa Pascha, teste Socrate L. 2. c. 37. aliisque, et mense Maio Romam perlata est ad Eudoxium tum Romæ, cum Imperatore existentem; ergo necesse est, ante Liberii lapsum opus illud S. Athanasius scripserit. Plura id genus vide apud auctorem Diss. Crit. de Liberio,

quibus invicte probat, verba illa de lapsu Liberii ab interpolatore assuta esse.

*Ad* 2um. R. 1°. Permisso etiam illa S. Athanasii esse; nihil tamen ex his pro lapsu Liberii evincetur; nam verba illa : *Etsi exilii ærumnas ad finem usque non toleraverit*, solum significant; etsi non fuerit in exilio ad usque vitæ finem, in eo tamen fuit biennio, nec plus etiam verba græca significant; ergo ex his Liberii lapsus colligi non potest. Nihilominus, quia historia non permittit, hæc verba tribui S. Athanasio,

R. 2°. Etiam hoc opus non tantum multo ante Liberii lapsum, sed usque adeo ante hujus Pontificatum scriptum fuit. Hoc alii dudum viderunt, etsi propterea a lapsu Liberium non excusent. Et quidem eruditi Benedictini editores operum S. Athanasii in Præf. pag. 118. apologiam contra Arianos circa annum 350., id est, duobus fere annis ante Pontificatum Liberii, et 7. vel 8. ante reditum ab exilio scriptam autumant. Idem Papebrochius ait in S. Athanasio cum cæteris. Ratio horum est, quod ex plurimis hujus apologiæ locis constet, editam fuisse, antequam *Ursacius* et *Valens*, qui ab Arianis partibus resilierant, et suam adversus S. Athanasium sycophantiam confessi fuerant, in impietatem reciderent, et adversus Athanasium se denuo Arianis jungerent, quod ut tardius anno 352. contigisse refert historia, et demonstratur ab iisdem. Opus igitur illud scriptum fuit inter annos 349. et 350. Omissis aliis, habe ultima, prout conscripta videtur, apologiæ verba : *Quis conspectis hujusmodi rebus, non fateatur, Valentem et Ursacium jure sese reos declarasse, ac resipiscentes ejusmodi litteras adversus se conscripsisse, quod mallent tantisper aliquo pudore suffundi, quam æternum sycophantarum supplicium luere.* Quæ ultima apologiæ verba fuisse iidem demonstrant latius. Duo igitur sequentes articuli, ex quibus allata in objectione verba petuntur, pluribus post annis fuere assuta; cumque rationem apologiæ non habeant, nec cum præcedentibus apte cohæreant, magna etiam sit styli differentia, ea interpolator, quiscumque fuerit, adjecit; de quo vid. latius id probantem Stiltingium in vita S. Liberii.

133. *Obj. III.* At certe S. Hieronymus lapsum fuisse Liberium testatur; ergo. *Prob. A.* Nam 1°. in Catal. script. Eccles. c. 97. in fine elogii Fortunatiani Aquileiensis episcopi, *Et in hoc*, inquit, *habetur detestabilis, quod Liberium, Romanæ urbis episcopum, pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit ac fregit, et ad subscriptionem hæreseos compulit.* 2°. In Chronico ad annum 352. *Liberius Romanæ Ecclesiæ ordinatus episcopus. Quo in exilium ob fidem truso, omnes clerici juraverunt, ut nullum alium susciperent. Verum cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotium substitutus, plurimi pejeraverunt, et post annum cum Felice ejecti sunt: quia Liberius tædio victus exilii, et in hæreticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intraverat.*

R. *N. A. Ad prob.* R. 1°. generaliter: Si locus uterque vere S. Hieronymi est, frustra agunt, qui ad excusandum a lapsu Liberium, cum primæ, vel tertiæ formulæ Sirmiensi subscripsisse volunt, quod utraque sensu catholica sit; verba enim S. Hieronymi, *ad subscriptionem hæreseos; in hæreticam pravitatem subscribens*, formulam secundam (vere arianam secundum sen-

tentias et sensum), respiceret. Hinc non dedignabuntur, si pro nobis omnibus respondeam. Quare

R. 2°. Neuter locus prudenter S. Hieronymo tribui potest; 1°. enim hoc loci utriusque conflictus, et contradictio clare indicat. In priore dicitur Liberius sollicitatione Fortunatiani fractus, *pergens ad exilium*, sive, dum ad hoc ibat; in altero dicitur *tædio victus exilii post annum*. Si fractus fuit a Fortunatiano, dum abibat in exilium, tuncque compulsus subscribere, quomodo *post annum* succubuit, victus *ab exilio?* Cave, ne, si nihilominus locos illos esse S. Hieronymi pertinaciter contendas, maximum Ecclesiæ Doctorem, vel reum arguas falsi, vel sculpas sine memoria. 2°. Quia utrobique falsum dixisset S. Hieronymus: nam imprimis Liberium subscripsisse jam tum cum in exilium pergeret, scriptorum omnium tam ante, quam post Hieronymum historiæ adversatur. Deinde æque constat, Liberium non subscripsisse ante Hosium; hujus enim occasione subscriptionem Liberii primum sparsisse Arianos novimus; neque post annum exilii rediit Liberius, ut ibidem dicitur, sed in tertio. Quomodo ergo dixisset, salva veritate, Hieronymus, Liberium post primum exilii annum subscripsisse; vel usque adeo, cum pergeret in exilium? Certe nec in scriptoribus ante se, nec coævis adeo peregrinus erat S. Hieronymus. 3°. In specie, quoad Catalogum, dubitari potest, hunc in multis postea mutatum et auctum fuisse ab aliis, quicumque illi fuerint; testantur hoc editores postremi operum S. Hieronymi, Martianæus in editione Parisiensi; Vallarsius, Maffeius in Veronensi; quin non paucas interpolationes et corruptiones observarunt in Origene, Eusebio Cæsareensi, Gregorio Nazianzeno, etc. in nonnullis codicibus, hinc et illud de Liberio probabilius fluxit. Quoad Chronicon vero nequidem operose probandum est, in libris MSS. et editis corruptissimum fuisse multis additionibus et interpolationibus. Tale fuisse agnoscunt et probant editores præcedentis seculi, Pontacus, Scaliger, Tillemontius t. 11. in S. Hieronymo art. 2., quod additiones illæ res continerent S. Hieronymo indignas. At hoc de Liberio non minus indignum est Hieronymo ex dictis; imo et 4°. huic contrarium; causam enim exilii Liberii bene noverat, sicut et episcoporum cæterorum, qui una cum Liberio relegati, nimirum, quod nollent condemnare S. Athanasium, quam ipse reddit c. 95. Catal., ex cujus damnatione intendissent Ariani occulte sibi viam sternere ad damnationem Nicænæ fidei. Si ergo ex S. Hier. ipso, quæstio non erat de subscriptione ipsius hæreseos, sicut revera non fuisse diximus supra, et docet S. Athan. in apol. ad Constant. non est vero simile S. Hieronymum dixisse, Liberium a Fortunatiano in itinere sollicitatum fuisse ad *subscriptionem hæreseos*.

Similis præcedenti objectio ex Libello precum Marcellini et Faustini peti potest; at cum ambo homines schismatici Ursiniani, Luciferianique fuerint, S. Damaso Liberii successori infensissimi, ut ex eorum præfatione liquet, referta mendaciis, et calumniis in S. Damasum; ab omnibus orthodoxis vapulant, nec est, quod eos moremur. Unum ex dictis collige, quam infirmis fundamentis nitatur lapsus Liberii.

# SECTIO III.

## DE VERITATE INCARNATIONIS CONTRA GENTILES.

Non inquirimus modo in argumenta, quibus ex ratione et Scripturis divinis directe gentilibus demonstretur Incarnationis veritas; ex una enim parte, sublimius est hoc mysterium, quam ut ratione naturali colligi, ac demonstrari queat; et vero hoc ipso mysterium esse desineret, si ratione humana demonstrari posset, ut loquitur Conc. Tolet. XI. *Si ratione hoc mysterium colligeretur, non esset mirabile; si exemplo, non esset singulare.* Ex altera vero parte nec novi, nec veteris Testamenti tabulis gentiles moventur. Hinc 1°. dabimus modos, quibus aliunde nihilominus gentili mysterium idem, saltem indirecte demonstretur, tum directe et ab extrinseco. 2°. Ab eorum vindicabimus argutiis, putatitiis implicantiis; et 3°. in specie genealogiam Christi ab antilogiis.

### ARTICULUS I.

#### UTRUM, ET QUOMODO CONTRA GENTILES PROBETUR INCARNATIONIS VERITAS?

134. *Dico.* Incarnationis mysterium gentilibus efficaciter probari potest. Conclusio stabit ex secuturis probationibus. Nam

*Prob. I. Indirecte* per *motiva generalia,* quibus suadetur et fit evidenter credibilis *fidei Christianæ veritas:* quæ possunt esse sequentia: 1°. Religio Christiana ejusque mysteria, non alio quam divino afflante Spiritu, multis ante seculis prænuntiata fuere: 2°. Infinitis sunt confirmata prodigiis: 3°. Pro hac religione innumeri Martyres, omnis sexus, ætatis, conditionis mortem forti et læto animo obiverunt: 4°. Hæc religio jam ultra 17. secula uniformiter et constanter toto ferme orbe floruit et aucta est, a potentissimis licet hostibus impugnata: 5°. Omnes, qui vel sanctitate vitæ, vel miraculorum gloria inclaruerunt, eamdem professi sunt: 6°. A sapientissimis et sanctissimis viris constanter a suo ortu tradita fuit: 7°. Homines ad omnem virtutem format: 8°. Nihil continet a recta ratione alienum: 9°. Modus, quo mundus ad Christi religionem conversus, prorsus mirabilis est, et excedens humanas vires, ut per prædicationem duodecim rudium, pauperum piscatorum inductus est mundus ad credendum hominem crucifixum esse Deum, aliaque sublimia mysteria, ad amplectendam legem carni et sanguini adversantem, etc.

Quæ, similiaque latius deducunt Theologi Tr. de fide, Segneri in Incred. non excus., Thyrs. Gonzalez in Manud., Gotti de verit. Relig. nosque ipsi paulo post. Hinc talis fit discursus: Quod docet religio divinitus instituta et vera credendum tanquam fundamentum suum, illud prudenter negari non potest; atqui religio Christiana est divinitus instituta et vera; illaque docet

tanquam primarium suæ doctrinæ fundamentum, Christum esse verum Messiam, Deum et hominem; ergo. *Majorem* admittunt nobiscum. *Min.* habetur ex præmissis motivis generalibus credibilitatis; quorum nunc aliqua ad Christum ipsum applicabimus. Unde

135. *Prob. II.* Ex Prophetiis. Jesus Nazarenus Christus noster est verus Messias, si 1°. Prophetarum apud Judæos vaticinia, quibus Christum futurum prædixerunt et descripserunt, sint longe facta ante Jesum Christum nostrum; 2°. si sint a divino Spiritu orta et inspirata; 3°. in Jesu Nazareno perfecte impleta. Atqui hæc singula ita se habent. *Maj.* sua se evidentia probat; si enim illa vaticinia longe præcedentia a divino Spiritu inspirata in pseudomessia compleri vel fecisset, vel permisisset, cum ipse dictaverit, sicque mundum decipi; hoc ipso nec summe bonus, nec verax, nec proin divinus esset.

*Min. prob. per part.* Nam 1°. illa Prophetarum vaticinia longe præcesserunt Christum nostrum; hoc enim testantur Judæi omnes, in hoc testes minime suspecti, quia Christianis summe adversantes, a quibus illi etiamnum e prophetiis impugnantur. Sed et gentilium illud testimonio comprobatur; Ptolomæus enim Philadelphus, Ægypti rex, accitis Judæis peritissimis, 250. circiter annis ante Christum, divinos Hebræorum libros in græcum transferri curavit, teste Josepho L. 12. Antiquit. c. 2., Aug. L. 18. de Civ. c. 42. aliisque, ut proin gentiles ipsos illa vaticiniia non laterent. Illo autem tempore prophetæ jam desierant; nec ullus propheta post transactionem illam assignari potest.

2°. Ista vaticinia dictata et inspirata fuere a divino Spiritu; quod primo probatur omnibus illis argumentis generalibus credibilitatis, quibus Scripturarum veteris Testamenti divina origo probatur Tr. de Fid. Deinde si non essent illa vaticinia a Spiritu divino, ergo vel a dæmonibus, vel ab hominibus: neutrum dici potest. Non 1$^{um}$. quia, quæ in vaticiniis prænuntiantur, omnia dæmoni contraria sunt, ut eversio regni ejus, peccati destructio, religionis novæ et ad omnem sanctitatem perducentis implantatio; idololatriæ vitiorumque expulsio; ergo vaticinia illa dæmonibus tribui non possunt. Non 2$^{um}$. qua enim ratione fieri potuisset, ut tot homines tam diversi tempore, ætate, moribus, varia, quæ a causis naturalibus non pendebant, imo sibi, humano intuitu, repugnantia videri poterant, ut Messiæ divina generatio et humana, mors, etc. prænuntiassent, quæ tamen singula, fortuito casu, simul in uno homine et convenissent, et completa fuissent? Sane incredibilius hoc, et captu difficilius, quam Jesum Nazarenum verum Messiam, esse Deum et hominem.

3°. Singula vero completa esse in Jesu Nazareno constat ex Sect. 1. Maximi hoc argumentum fecit Origenes L. 8. cont. Cels. n. 48. et seqq. Et vero recte Tertull. in apol.: *Idoneum testimonium veritatis est veritas divinationis.*

136. *Prob. III.* Ex miraculis tum Christi, tum discipulorum ejus. Jesus Nazarenus Christus noster est verus Messias, Deus et homo, si se talem ipse dixit, dictumque suum veris comprobavit miraculis: atqui Jesus Nazerenus Christus noster, se verum Messiam, Deum et hominem esse dixit,

hocque dictum suum veris comprobavit miraculis; tum suis, tum discipulorum; ergo. *Maj.* inde manifesta fit; quia secus deceptio illa humani generis, quæ inde sequeretur, quod quis ad probandum se esse verum Messiam, cum non sit, veris uteretur miraculis, in ipsum redundaret Deum, quod esse non potest; quod autem redundaret in Deum, sequitur inde, quia vera miracula, cum vires naturæ superent, non nisi virtute divina, et Deo contra omnem naturæ ordinem operante fieri possunt; sic ergo nihilominus operante Deo, ut quis se Messiam probet, cum non sit, deceptio inde sequens redundabit in Deum: hoc vero ejus bonitati summæ et sapientiæ adversatur. Vid. n. 139.

*Min. prob. per part.* 1°. Ipse se Messiam, Deum et hominem dixit, Joan. 4. v. 25., Joan. 10. v. 30. Vid. n. 97. 2°. Hoc dictum suum comprobavit veris tum suis, tum suorum discipulorum miraculis. Hoc enim Judæi testantur, et Mahumetani, jurati cætera Christiani nominis hostes: priores, Joan. 11. v. 47. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit.* Occasione claudi a Petro sanati, Act. 4. v. 16. *Notum signum factum est per eos... et non possumus negare.* Posteriores in Alcorano, Azoara 5. 11. etc. Plena etiam his miraculis est tum Evangelii, tum Actuum Apostolorum historia.

Illa vero miracula ope dæmonis patrata non sunt; nec illusiones tantum dici possunt. Non 1$^{um}$. quia his miraculis evertebatur dæmonis imperium, eliminabatur idololatria, serebantur e contra justitia, temperantia, castitas, cæteræque virtutes. Cedere cogebantur dæmones ex obsessorum corporibus, fugere ad signum crucis, subjecti esse, etc. At nemo adversario suo contra se ipsum vires et arma suppeditat. Non 2$^{um}$. nam cæci a Christo sanati vere videbant, et quomodo his Christus illusisset ipsos videre, si non vidissent? Et si vivus fucum fecisset hominibus ipsis illudendo, quasi sanati essent, quomodo mortuus quingentis hominibus persuadere potuit, se ab iis tangi, videri, ipsis loqui; redivivum enim si dicant, hoc ipso maximum miraculum fatentur. Sed et fingere non poterant Apostoli, se loqui variis linguis; qui utpote de plebe infima vix vernacula propria scite loquebantur, et quomodo factum, ut quilibet tamen diverso licet suo in idiomate, eos intelligeret?

137. *Prob. IV.* Ex oraculorum silentio olim Patres Christum persuadebant gentilibus. Oracula illa, etsi subinde Pithiarum, ac sacerdotum fraudes essent, alias tamen ipsorum fuisse responsa dæmonum, tota prisca gentilitas credidit, et revera compertum habuit; nec aliunde, quam a dæmone illa responsa sæpe proficisci poterant, ut, cum ad petitiones in charta signata, clausaque petebatur responsio; quo modo, teste Macrob. L. 1. Saturn. c. 22. Trajanus tentavit oraculum Heliopoli. Hæc vero oracula, licet per plurima durarint secula, defecerunt paulatim, ita ut, ubicumque sedem figeret Christi religio, ibi etiam cessarent oracula. Silentium hoc non Christiani solum, sed et gentiles ipsi tradunt.

*Porphyrius* queritur Deos iratos, ex quo venit Christus, nihil respondere. *Plutarchus,* qui quidem ipse Apollinis sacerdos fuit, de oraculorum defectu librum conscripsit. *Julianus Apostata* idem confiteri necesse habuit; quo tamen apostasiam suam defenderet, id solum respondebat Christianis,

licet immerito et cum mendacio, Christianorum quoque sacros Vates defecisse. *Strabo* L. 7. oraculi Dodonæi defectum incusat.

Hoc oraculorum silentium gentilibus, quin inficiari possent, vel quid opponere, libere objiciebant Christiani, Justinus resp. 24. ad Orthod., Arnobius, Lactantius divin. Instit. L. 4. c. 27., Tertullianus Apolog. c. 23. Cyprianus de Idol. vanit. n. 7. Et S. Athanas. Lib. de Incarnat. n. 47. per solum Crucis signum muta reddi oracula refert, ac gentiles provocat, ut experimento rei veritatem comperiant. Vera igitur esse debuit Christi religio; et Christus Messias verus, non homo solum, sed et Deus: Primum; quia secus, erroris detegendi omnis via defecisset; cumque oracula illa sæpe res nefarias, crudeles, naturæ humanæ et rationi adversantes præciperent, velut adulteria, utque filios vel filias aliosque immolarent, etc. contraria vero illis omnia, justitiam, sanctitatem, etc. religio Christi præcipiat; oracula illa vel ipsi gentilium sapientissimi erroris damnarunt, Christianæ religionis veritatem professi et amplexi. Alterum vero, nisi esset simul Deus, dæmones non compulisset ad silentium.

138. *Prob. V.* Ex Sybillarum oraculis frequenter gentiles SS. Patres impugnarunt; S. Justin. in cohortatione ad Græcos n. 16. 37. et seqq. necnon et Apol. 1. (al. 2.) n. 44., Lactantius Firmianus divin. Instit. L. 4. c. 15. et 18., Clemens Alexandrin. L. 6. Strom. (opp. p. 636. C. edit. Paris. 1629.), Sybillæ vero mulieres vatidicæ apud gentiles, ut apud hebræos Prophetæ et Prophetides, erant, quæ varia de Christo prædixerunt Dei Filio. Unde teste Clem. Alexandr., Theophil. Antioch. ad Autolyc. n. 36. 38., Paulus Apostolus gentiles ad Sybillas inspiciendas hortatus est: *Agnoscite Sybillam, quomodo unum Deum significet; et Hystaspem legite, et invenietis Dei filium multo clarius esse scriptum.* Cicero ipse L. de Divin.: *Sybillæ*, inquit, *versus observamus.* In his ait contineri, *admittendum esse Romanis regem, si salvi esse velint;* subdit: *Regem illum nec ab hominibus, nec a Diis toleratum iri;* quæ Christum innuunt gentilismi et falsorum numinum eversorem.

Equidem Sybillarum oracula, ut de facto in octo libris Sybillinis continentur, corrupta sunt, nec genuina omnia; cum multa falsa contineant, et L. 8. auctor se Christianum dicat; universim tamen, quæque SS. Patres in primis temporibus usurparunt contra gentiles, dici non possunt figmenta Christianorum. Nam

1°. Si SS. Patres non scivissent, genuina esse illa Sybillarum carmina, ab ipsis gentilibus cognita ut talia, illa non attulissent ad convincendos ethnicos; quia sine effectu et potius cum religionis nostræ injuria et damno, quasi illa non aliunde, quam figmentis probari posset, attulissent; at tamen familiare hoc erat eorum argumentum; hoc enim pertractant Patres supra citt. aliique; cumque ipsis objiceretur, carmina illa a Christianis conficta esse, refutabant gentiles, ut Lactant. loc. cit. *His testimoniis quidam revicti, solent eo confugere, ut aiant, non esse illa carmina Sybillina; sed a nostris ficta, atque composita. Quod profecto non putabit, qui Ciceronem, Varronemque legerit, aliosque veteres, qui Erythræam Sybillam cæterasque commemorant, ex quorum libris ista exempla proferi-*

*mus. Qui auctores ante obierunt, quam Christus secundum carnem nasceretur.* Eodem modo istam objectionem gentilium, quam nuper renovarunt Blondellus, et ex catholicis plus æquo critici nonnulli, rejecit CONSTANTINUS M. in orat. ad Patres Concil. Nicæni., S. AUGUSTIN. in LL. Retract. et ep. 155. (al. 258. n. 5.) ad Martian.

2°. Jam multo ante Christi tempora hæc Sybillina oracula laudarunt ex scriptoribus gentilium præcipui, VARRO de lingua latina L. 5. et de re rustica L. 1. c. 1., CICERO de Divinat. L. 1., LIV. L. 3. 4. 7. Decad. 1. et Decad. 3. L. 1. 2. 5. 9., TACITUS L. 15. Annal., SUETON. in Octavio Aug. et in Julio Cæsare c. 69. cæterique, e quibus Virgilius illa de Christo vaticinia Sybillæ Cumanæ, mysterii ignarus, applicat Salonio, novi consulis Asinii Pollionis filio, Ecl. 4.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,
Magnus ab integro seculorum nascitur ordo,
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta Lucina, fave.....
Hoc duce, si qua manent sceleris vestigia nostri
Irrita, perpetua solvent formidine terras.

139. *Obj. I. Cont. argum.* a miraculis. Ex una parte dubium est, annon etiam spiritus mali patrare possint miracula; ex altera vero parte difficile est, verum miraculum secernere a falso; ergo non tenet hoc argumentum, quod a miraculis petitum. Ante resp.

*Observa :* In critica et delicata quæstione de miraculis, præsertim natura veri miraculi, triplex notari posse systema, vel sententiam. *Prima* est, quam Jacobus SERCES ingeniose defendit, speciali de miraculis tractatu. Hic omnem potestatem immutandi, suspendendi, aut ullo modo intervertendi naturæ leges, Deo reservat; adeoque rotunde negat, spiritus homine superiores ulla pollere miracula edendi potestate, et omnia, quæ feruntur, dæmonum mirabilia, veteratorum fraudibus et artibus accepta refert. Hujus sententiæ commendatio est, quod simplex sit, et aperta; quod soli Deo asserat immediatam rerum omnium administrationem : quod in ea summus sit miraculorum splendor et auctoritas, summa securitas; nulla etiam difficultas. Hoc solum ei officit, quod conciliari non possit cum omnium seculorum fide.

*Altera* est Samuelis CLARCKII, illustris apud Anglos philosophi, priori directe opposita in opere de religionis naturalis et revelatæ argumentis. Ubi observat, nos determinare non posse, qua virtute naturali præditi sint boni et mali angeli; nec qui a Deo eorum potestati sint positi limites : pauca esse in Scripturis miracula recitata, ad quorum productionem necessaria videatur omnipotentia, ut dicunt, absoluta : quod dæmones propter invisibilem eorum agendi modum patrare possint magna signa et prodigia : imo probabile esse, uti Deum in regendo Universo, spirituum ministerio; cursum rerum materialium nihil aliud esse, quam ipsam sive Dei, sive

agentium spiritualium inferiorum perpetuam efficaciam, juxta leges certas sese exerentem ; proinde non esse Deo, neque angelis difficiliorem legum naturæ suspensionem, quam conservationem, male ergo definiri miraculum, *id, quod est supra omnem potentiam naturæ creatæ.* Opera vero divina secerni ab operibus dæmonum ex doctrina, ad quam confirmandam fiunt illa, quæ dicimus miracula : 1°. doctrinæ manifesto falsæ, et impiæ nulla miracula conciliare possunt auctoritatem : e contrario talis doctrina quoscumque mirabiles effectus arguit fraudis diabolicæ : 2°. si autem doctrina talis sit, ut discerni nequeat, vera sit an falsa, et sit miraculorum quædam contentio, attendendum erit ad numerum et splendorem miraculorum.

Etiam in hac sententia salva est utcumque miraculorum auctoritas, et pro hac non spernenda afferuntur argumenta ex SS. Scripturis, Patribus et Historia, ut et quidam Catholici eam adoptarint; illud tamen merito displicet, quod in hac supponatur dæmonem cum Deo miraculis contendere.

Verum præplacet inter has duas sententias media, juxta quam negatur quidem angelis potestas patrandi ex viribus propriis miracula vera, quod vult sententia prima, relinquitur tamen illis naturalis potestas mirabilia opera faciendi, sed sic divino subordinata imperio, ut illam nunquam exerant ad consilia divina evertenda, aut labefactandam religionem in animis hominum; sed illa uti quandoque Deum, vel ad probandam pietatem suorum, vel justissimo judicio in eos, qui ad vocem veritatis diu obsurduerunt; tuncque divinam bonitatem cavere, ne prodigia edita a veritatis inimicis noceant bonis, electosque suos confirmare, ne decipiantur. In hac igitur sententia Deus solus ob sapientissimos fines causarum naturalium ordinem per se ipsum, aut per angelorum intervertit ministerium : dæmonum vero quæcumque naturalis sit vis, nulla est licentia; et ubi se nostris rebus immiscent, non suo relinquuntur arbitrio; neque unquam per eorum ministerium in confirmationem falsi miracula patrantur. Vide hanc sententiam expositam a Cardinali de Lambertinis, postea Benedicto XIV. S. P. in op. de Beatif. L. 4. p. 1. c. 3., item apud Stock. t. 2. de Relig. nat. et revel. princip. late propugnatam. His prænotatis

140. *Ad Ant. membr.* 1$^{um}$. R. *D.* Dubium est, annon spiritus mali possint patrare miracula vera *N.* hoc enim non possunt; miracula latius dicta, h. e. opera, quæ etiam mirabilia dicere solemus *Subd.* possunt hæc pro suo arbitrio *N.* potestate ex dictis subordinata ipsi Deo *C.* Vera miracula patrare non possunt, quia, ut ait Doctor Angel. in Quæst. disput. q. 6. de miraculis a. 5. in θ. *Cum operatio miraculosa sit quoddam divinum testimonium indicativum divinæ virtutis et veritatis ; si dæmonibus, quorum est tota voluntas ad malum, aliqua potestas daretur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret, quod divinam bonitatem non decet*; imo huic adversatur. Quæ igitur dæmones insolita et admiranda in corporibus operantur, juxta S. Th. 1. p. q. 114. a. 4. operantur vel per illusionem sensuum tam internorum quam externorum; vel per summam et imperceptam celeritatem, sublato aliquo corpore, et alio in ejus locum substituto, ut subito generatum videatur; vel applicando activa passivis, ut vel generetur aliquid insoliti et novi, vel modo hominibus incognito. Cæterum dubium esse non

posse de miraculis Christi et Apostolorum, an ex illius virtute patrata sint, constat ex dictis n. 136.

*Ad membr.* 2um. R. *D.* Difficile id est, si quilibet insolitus et admirandus effectus continuo habeatur pro miraculo *C.* si debite inquiratur *N.* Verum miraculum est effectus superans omnem naturalem virtutem causarum naturalium juxta D. Th. 1. p. q. 114. et S. Aug. L. 26. cont. Faustum. c. 3. Quia vero tribus excedi potest naturæ facultas, tres etiam sunt gradus veri miraculi. *Primus* et *supremus* est, quando facultas naturæ quoad rem ipsam superatur, uti cum sol vel stetit in cœlo, vel retrocessit; cum in morte Christi coirent sol et luna, quando plurimum aberant, ut tenebræ fierent, nimirum decima quinta luna; cumque hæc solis defectio tribus perdurarit horis; tantam enim moram non patitur sol, dum lunæ objectu obscuratur, sed citius pompam explicare incipit luminis sui. *Secundus*, quando exceditur naturæ facultas, non quidem illa, quæ fit, sed re potius illa, in qua fit; ut cum homini mortuo, aut plane jam sepulto, veluti Lazaro, redditur vita; aut vere cæco visus; potest enim natura tribuere vitam, non tamen in homine mortuo; potest infundere lucem, non tamen in oculo cæco causare sensationem visus. *Tertius*, quando naturæ facultas exceditur, si spectes ordinem et modum rei, quæ fit, ut cum socrus Petri, Christo imperante, momento a febri convalescit.

Hinc quidquid *venefici*, anus *bustuariæ*, ac *dæmones* efficiunt subin, permittente ad tempus Deo, etsi sæpe sint res veræ, vera tamen miracula non sunt; sic veri serpentes repere ac sibilare, veræque ranæ insultare et coaxare visæ sunt in Ægypto ex imperio magorum; vero igne de cœlo tactæ sunt oves Jobi; nec tamen vera erant miracula. *Sicut enim*, ait Augustin. L. 3. de Trinit. n. 16. *matres gravidæ sunt fœtibus; sic ipse mundus gravidus est causis nascentium.* Has nimirum causas, quas vocant virtutes activas et passivas, angeli, quoniam eas perspectas habent, jungunt, admoventque invicem, ut enascantur ranæ, aut colubri. Sed vera miracula sunt, quæ, præter has virtutes activas et passivas naturales, fiunt imperante Deo, et natura obtemperante per virtutem illam passivam, quam vulgo dicimus obedientialem; quæ potestas circa virtutem illam passivam obedientialem non est concessa angelis, præsertim malis, ob rationem datam num. præc. Ex his jam liquet miracula vera non esse, quæ patrarunt magi in Ægypto, nec quæ faciet Antichristus.

Denique nec *dæmones*, ut dictum, pro arbitrio ita uti possunt causis activis et passivis naturalibus; sed, ut vel ex ipsa Jobi historia liquet, quantum ipsis a Deo permittitur, qui id justis de causis potest ad tempus hoc ipsis indulgere, tunc tamen pro sua bonitate cavet; ne mirabilia id genus edita a veritatis inimicis, noceant bonis; electosque confirmat, ne sint deceptioni obnoxii, detegendo tandem mendacia, uti in Ægypto incantationes magorum, inque fine mundi illusiones Antichristi.

141. *Inst.* 1. Etiam *Vespasianus* cæco visum reddidit, teste Tacito L. 4. c. 18. Item *Apollonius Tyaneus* puellam Romæ defunctam revocavit ad vitam, multaque alia edidit miracula, quæ refert Philostratus; sic et plura gentilium miracula referunt alii.

R. *N. A.* Nam 1°. teste ipso Tacito cit. ante consulti medici respondebant:

*huic* ( cæco, qui a Vespasiano curatus dicitur ), *non exesam vim luminis, et redituram, si pellerentur obstantia* ; ex qua narratione constat *primo* vere cæcum non fuisse; *secundo* fit dubium, an Vespasianus ipse per se arte medica, an per medicos curarit, sicque annon, quod Imperator fieri jusserat, ipsi Imperatori tributum sit. 2°. Illud de Apollonio Tyaneo, ipse ut dubium narrat Philostratus cit. Videri potest Eusebius L. contra Hieroclem ( ad calcem Demonst. Evang. p. 514. et seqq edit. Parisiens. an. 1628. ) ubi, quæ de Apollonio narrat Philostratus, vel fabulosa esse demonstrat, vel magicis conficta præstigiis, velut quod se repente oculis Imperatoris aliquando subduxerit, et similia vires naturales dæmonis non excedentia, adeo ut Euphrates Philosophus aliique Apollonium magiæ accusarint coram Domitiano. Sed et Philostratus illa referens fide dignus non est, cum integro seculo posterior fuerit, nec ullum afferat suarum narrationum vadem. Sic *demum* varia alia, quæ mirabilia a gentilibus patrata dicuntur, veri nominis miracula dici non possunt, quia partim figmenta sunt, partim debentur præstigiis, de quibus latius consule Eusebium cit.

142. *Inst.* 2. Plurima patravit Moyses miracula eaque maxima; ergo si per hæc Christi nostri probetur divinitas, etiam Moyses esset Deus habendus.

R. *N. Cons.* Moyses patrabat miracula potestate non sua, sed Dei; dicebat, se cum potestate miraculorum missum esse ad Israelitas, ut cognoscerent, *quod Jehova esset Deus, et non esset alius præter eum* : alias miracula patravit non nisi ad divina jussa; potestatem patrandi miracula aliis conferre non potuit : Christus vero miracula edidit virtute propria; pro suo libitu, quando voluit; ut se ipsum probaret Messiam esse in lege promissum, simulque Deum ostenderet : paria, imo majora patrandi miracula facultatem ipse elargitus est discipulis, et quibus voluit, illique ea se facere testabantur non nisi in nomine, virtute Christi. Demum vitæ Christi mysteria, conceptio, nativitas, resurrectio, ascensio, continua miraculorum series sunt ex naturæ immutatione supernaturali contexta, quorum nihil in vita Moysis reperitur.

143. *Inst.* 3. S. Aug. L. de unit. Eccles. c. 19. ( al. ep. ad Cathol. cont. Donatist. n. 49. ) vult controversiam, quam habebat cum Donatistis, dirimendam esse non ex miraculis, sed divinis Scripturis : *Removeantur,* inquit, *ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum.* Et n. 50. *Utrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi de divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant.* Ergo agnovit infirmum esse hoc argumentum a miraculis petitum.

R. *D.* Vult controversiam illam non dirimendam miraculis veris *N.* fictis, qualia afferebant Donatistæ *C.* Deinde potius ex Scripturarum divinarum auctoritate dirimendam voluit, ut sic et citius et solidius finiretur, cum secus, si miraculis contendere voluisset, fuisset protrahenda longius, quia Augustinus ostendere debuisset, asserta illa Donatistarum miracula nihil aliud esse, *quam figmenta mendacium hominum, aut portenta fallacium spirituum.*

144. *Inst.* 4. Historiæ Evangelicæ auctoritas, cui innititur illa factorum à Christo certitudo, non meretur fidem : 1°. enim jam ab ætate Christi elapsi sunt anni sexaginta quatuor supra mille et septingentos; quomodo vero rerum in tam remota antiquitate gestarum certitudinem quis perspiciet? quam securitatem parere possunt monumenta tam vetusta? 2°. Illa facta non confirmantur nisi auctoritate Christianorum : scriptores enim profani aut dissentientia scribunt, aut de illis omnino silent : jam vero in propria causa nulla esse potest Christianorum auctoritas. Ita cum gentilibus omnes hoc ævo religionis revelatæ hostes.

R. *N. Ass. Ad* 1um : Si ista mille septingentorum annorum antiquitas tollat factorum certitudinem, dubitandum quoque erit, an fuerit olim ulla Judæorum civitas propriis consistens legibus; profligatus fuerit nec ne, apud Actium navali prælio Antonius : neque horum factorum, neque alterius cujuscumque ante natum Christum ulla erit auctoritas; sicque omnis fides humana ruet. Sed illa antiquitas historiæ Evangelicæ auctoritatem potius auget; utpote agnita ab omnibus ad hæc nostra tempora cujuscumque causæ patronis, a Judæis, a paganis, ab hæreticis, qui cavillandi causam levissimam semper arripuerunt; ut constat ex Apologia Justini, Origene LL. cont. Cels., Tertulliano L. de Præscript. c. 26. Celsus ipse, qui secundo seculo scripsit contra religionem Christianam, plura laudat ex Evangeliis, seque illa ex libris discipulorum Christi describere affirmat. Porphyrius, Amelius, Julianus imperator, ut ex priorum quidem scriptis liquet, eosdem agnoverunt; Julianus vero id solum opposuit, quod Evangelistæ, præsertim in genealogia Christi, non concordarent. Illa vero constans omnium hominum, etiam hostium vox, fidem et auctoritatem publicam, cui contradicere non est sanæ mentis, conciliat.

*Ad* 2um. R. *N. singula.* Nam 1°. historici profani et judæi Evangelistarum narrationem confirmant, in iis omnibus partibus, quæ ad eorum propositum pertinebant. Quod Augustus totum jusserit recenseri imperium Romanum, quo edicto in Bethlehem adducti sunt parentes Christi, refertur a Tacito, Suetonio et Dione. Magnam lucem, seu novum sidus, quo Magi de nativitate Christi certiores facti, visum in oriente, scripsit Chalcidius. Herodem magnam stragem fecisse infantium, nec propriis pepercisse liberis, narrat ceu rem omnibus notam Macrobius. Christum in Ægyptum a parentibus delatum, concedit Celsus, aitque (apud Origen. L. 1. contr. Celsum n. 38.) ex suo in Christianos odio, ibi Christum magicas didicisse artes, quibus postea miracula fecit. Pontium Pilatum Judææ præfectum fuisse, et ex ejus sententia Christum crucifixum fuisse, memorat Tacitus. Multos ægros a Christo sanatos fuisse et alia patrata prodigia, fatentur *Julianus* (apud Cyrill. Alex. cont. Julian. L. 6. opp. t. 6. sect. 3a. p. 191. E.), *Hierocles* (apud Euseb. contr. Hierocl. p. 512. ad calcem Demonstr. Evang. edit. Parisiens. 1628.), *Porphyrius*, *Mahomet*, et alii nominis Christiani hostes. Christum multa prænuntiasse, quæ postea contigere, scripsit Phlegon in Annalibus, sub ejusque mortem obscuratum cœlum, tremuisse terram : quem laudat et refert Orig. L. 2. cont. Cels. n. 33. et 59. 2°. Neque assignari potest scriptorum profanorum ullus, qui hagiographos novi Testamenti, cum scriberent, mendacii aut falsi in historia redarguisset.

St. Albert's College Library

145. *Obj. II.* Contra *Sibyllarum oracula.* 1°. Non est credibile, mulieres ethnicas a Spiritu sancto afflatas fuisse, ut de Christo clariora etiam, quam veri sanctique Prophetæ edicerent. 2°. Libri Sibyllini quam secretissime asservabantur in Capitolio; et teste Suetonio in Octav. Augusto c. 31. duobus forulis auratis absconditi tenebantur sub basi Palatini Apollinis. 3°. Quin conflagrante annis ante Christum 83. Capitolio, et ipsi, necesse est, Sibyllini libri incendio pericrint. 4°. S. Aug. L. 18. de Civ. c. 46. et 47. Sibyllina carmina ab alio impostore conflata asserit. Ergo etiam illa Sibyllarum vaticinia, quæ referebant olim SS. Patres, supposititia sunt.

R. *Ad* 1$^{um}$. *N. A.* Donum enim prophetiæ, utpote gratis datum, etiam in impio esse potest. Sic Deus in Testamento veteri Balaamo licet impio ad prophetandum usus est. Sic Caiphas scelestissimus prophetasse dicitur. Sic Matth. 7. 22. Christus declaravit reprobandos esse multos, qui in die judicii dicent illi : *Nonne in nomine tuo prophetavimus... dæmonia ejecimus... virtutes multas fecimus?* Hinc ut vitæ apparens sanctitas non est certum divini afflatus signum, sic nec improbitas semper Prophetas falsitatis certo arguit. Ac quod divinus Spiritus mulieres ethnicas afflaret, specialis esse ratio poterat; ut videlicet eo modo etiam ethnicos præpararet ad adventum Filii Dei, utpote qui Judæorum vaticinia vel ignorabant, vel non admittebant ut vera; vel de eorum veritate non erant instructi.

*Ad* 2$^{um}$. Falsum est, omnium Sibyllarum libros sic absconditos fuisse; sed solius Sibyllæ Cumanæ oracula observata tenebantur, teste eod. Sueton. Quanquam, hoc non obstante, testibus Valerio Maximo, et Dionysio Halicarnasseo, Marcus Attilius Petronio Sabino illorum copiam fecerit. Libros vero aliarum Sibyllarum, per manus omnium volitasse ætate sua, M. Terent. Varro ante Christum testis est. Et vero si Sibyllæ Cumanæ carmina adeo observata tenerentur, ut nulli ea inspiciendi copia fieret, qui igitur factum, ut *Cicero, Virgilius,* aliique illa carmina recitarent? Poterant ergo et sic in Christianorum delabi manus, præsertim quod ex primaria Romanorum nobilitate plures ad sacra Christianorum transirent.

*Ad* 3$^{um}$. R. 1°. Incerta est illa Capitolii conflagratio, cum nihil prorsus de ea meminerint *Livius, Suetonius, Tacitus,* præcipui inter Romanos historici. Imo *Suetonius,* in vita Octav. Augusti ait, hujus jussu, ob exesos prope characteres, descripta fuisse Sibyllarum carmina, et translata in templum Apollinis : et licet hoc postea sub Nerone conflagrarit, flammis tamen erepta fuisse, *Fl. Vopiscus* in vita Aureliani testis est.

R. 2°. Permisso Capitolii incendio, non ideo necesse est, libri Sibyllini pericrint, quippe in terræ recessu servari soliti, testibus Valerio maximo, et Dionysio Halicarnasseo.

*Ad* 4$^{um}$. R. *N.* id cit. loc. a S. Aug. dici; sed hoc solummodo habet : posse gentiles forte causari, Sibyllarum oracula, quatenus de Christo agunt, esse a Christianis conficta; ideoque tum proferri oportere Prophetarum vaticinia ex ipsis Judæorum, nostrorum hostium, codicibus. Cæterum S. Doctorem stare pro Sibyllarum vaticiniis, evidens fit ex c. 23. ubi de Sibylla Erythrea, *hæc sane,* inquit, *Erythrea Sybilla quædam de Christo manifesta conscripsit.* Tum versus profert, quorum primis litteris (quæ Acrostichis dicitur) Christum expressit. Acrostichis vero hæc est : Jesus Christus Dei

Filius, Salvator, Crux; quam Acrostichin quoque recitaverat CONSTANTINUS M. in orat. ad Patres concilii Nicæni.

146. *Obj. III.* Mysterium Incarnationis prout a Christianis creditur, multas involvit implicantias. Nam 1°. videtur impossibile ob immutabilitatem Verbi: hoc enim eo ipso, quod fieret homo, se aliter haberet; transiret a non esse ad esse; posset exercere operationes theandricas, quas ante elicere non poterat; ergo mutaretur; quod in Deo est impossibile.

2°. Videtur implicantia ex parte personalitatis Verbi, et naturæ divinæ; nam personalitas ex conceptu suo sonat aliquid alteri incommunicabile; natura vero divina jam in Verbo adæquat totam terminandi vim.

3°. Ex parte unionis; quia uniri est pati et perfici, quod in Deum cadere non posse, ipsa dictat luminis naturalis vis.

4°. Ex parte naturæ humanæ, quæ non potest subsistere subsistentia aliena; subsistere enim est stare per se; sed in Incarnatione natura humana staret per aliud, scilicet per Verbum. Quod vero natura humana non possit subsistere subsistentia aliena, *prob.* quia subsistentia creata est æque a natura inseparabilis, quam ejus existentia.

R. *N. A. Ad* 1$^{um}$. R. *N. ass. Ad prob. D.* Se aliter haberet *alietate* propria, recipiendo formam aliquam, per quam melioraretur, vel deterioraretur *N. alietate* impropria et late dicta, h. e. præcise terminando naturam humanam, quam ante non terminabat *C.* Item transiret simpliciter a non esse ad esse; velut pars incompleta, aut ut subjectum perfectibile, cum incremento vel decremento alicujus perfectionis *N.* per modum puri termini, qui perficit, non perficitur *C.* Sic quoque Verbum operatur theandrice tantum *denominative* absque nova perfectione sui, non *elicitive* cum virtute aliqua operatrice; cum Verbum inde non fiat principium elicitivum istarum operationum, sed tantum dignificativum, quod Verbo nullam de novo addit perfectionem intrinsecam. Hinc in Incarnatione nulla in Verbo accidit mutatio, sed se fere habet per modum subjecti logici, quod habet denominationem novam sine nova perfectione vel imperfectione.

*Ad* 2$^{um}$. R. *N. ass. Prob. D.* Sonat incommunicabile aliquid, alteri supposito *C.* alteri naturæ *N.* Potest personalitas se communicare naturæ, licet non personis, ut in divinis patet. Deinde *D.* etiam alterum: natura in Verbo jam adæquat vim terminandi necessariam, et ad intra *C.* liberam, et ad extra *N.*

*Ad* 3$^{um}$. R. *N. ass. Prob. D.* Uniri per modum subjecti, vel partis incompletæ, est pati *C.* solum terminative, per modum tantum perficientis *N.* Verbum nec per unionem perficitur, nec illam recipit, more subjecti physici, sive unio dicatur esse entitas modalis ab extremis realiter distincta, sive sit modus tantum metaphysicus; de quo suo loco. Si enim sit metaphysice solum distincta ab extremis, jam patet, eam realiter non recipi in aliquo subjecto; si vero dicatur distingui realiter, subjectum illius erit sola humanitas, ita ut terminetur solummodo ad personalitatem Verbi. Dicitur quidem Verbum intrinsece unitum humanitati; sed hoc aliud non sonat, nec plus, quam quod intrinsece terminet humanitatem.

*Ad* 4$^{um}$. R. *N. ass. Ad prob.* 1$^{am}$. R. 1°. *N.* illam sumptam universaliter; non enim omne subsistere, sed aliquod tantum, est stare per se, sive vi pro-

pria; nam subsistere in genere, est præcise naturam existere totaliter, seu habere complementum ultimum, ac terminum sui esse, qui haberi potest vel a re ipsa, vel ab altero conjuncto. Hinc

R. 2°. *D.* Subsistere absolute, est stare per se, h. e. stare vi propria et ex sufficientia propria, et esse se ipso ultimo completum *C.* subsistere denominative ab altero, cui unitur, est stare per se modo dicto *N.*

*Ad prob.* 2am. R. *N. ass. Disparitas* est, quod existentia præcise importet positionem rei extra causas, quæ proin necessario semper est, quamdiu res est: at subsistentia notat solummodo certum existendi modum, scilicet complete, totaliter; qui non necessario est a re ipsa, si natura unitur alteri supposito. Hæc similiaque plura commodius tractabuntur per decursum in suis locis.

147. *Obj. IV.* Incarnatio, qualis a Christianis creditur, summe Deum dedecet; ergo huic impossibilis est; positiva enim dedecentia alicujus in Deo impossibilitatem arguit. *Prob. A.* Dedecet Deum adeo deprimere majestatem suam, ut in Incarnatione; qua, dicente Paulo ad Philipp. 2. *semetipsum exinanivit formam servi accipiens*; ac teste eod. 2. Cor. 5. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Ad Gal. 3. *Factus pro nobis maledictum.* Item: sicut dedecet Deum, assumere naturam peccato vel infectam, vel inficiendam peccato; ita quoque dedecet assumere passibilem et morituram, ut verum sit dicere: *Deum pati, Deum mori.* En cur dixerit Paulus: *Prædicamus Jesum, et hunc crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* At

R. *N. A. Ad prob.* 1am. *D.* Dedecet Deum ita deprimere majestatem suam in se ipsa et vere, cum amissione perfectionis alicujus *C.* tantum secundum apparentiam, majestatem solum propter altissimos fines occultando sub humanitate; unde major divina gloria, et magis divinæ perfectiones relucerent *N.* Sic exinanivit se, quia se communicavit hypostatice humanitati, quæ comparatione Dei est quasi nihil, et quia sic apparuit homo, et quasi esset peccator, qui innocentissimus erat et verus Deus. Sic dicitur fecisse pro nobis peccatum, factus maledictum metonymice, et sensus est: fecisse pro nobis hostiam peccati, aut quia ipse, pro nobis ob peccatum maledicto subjectis, factus est hostia.

*Ad prob.* 2am. R. Est *disparitas*, quia peccatum est malum morale, quod divinæ sanctitati adversatur: pati vero et mori ratione naturæ assumptæ, non est malum morale, sed physicum, quod ob varios fines Deus velle potest.

Igitur *incarnari* Deum, non fuit *deprimere*, vel amittere perfectionem majestatis suæ, sed occultare ad altiores suos fines ostendendos. Quin Incarnatio illa Deo adeo non adversatur, ut vere conveniens, h. e. consentanea fuerit ejusdem inclinationi et perfectionibus, quæ ex illa magis relucent, ipsumque creaturis magis æstimabilem, laudabilem, et amabilem reddunt. Sic

1°. Conveniens est summæ ejus bonitati; sicut enim bono non repugnat, sed convenit ejus communicatio, ita bono summo communicatio summa; sed hæc per Incarnationem fit.

2°. Maxime conveniens est *amori Dei*; hujus enim proprium est se con-

jungere cum re amata : at maxima est illa conjunctio, per quam Deus fit homo; hinc Joan. 3. dicitur : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

3°. Ejus *summæ misericordiæ,* cum tali modo nos redemerit, ut proin Incarnatio a Paulo 1. ad Tim. 3. dicatur, *magnum pietatis Sacramentum.*

4°. Simul etiam *justitiæ*, quam ostendere et manifestare magis non poterat, quam peccata nostra expiando in proprio Filio. *Neque dicas* : idipsum repugnare divinæ justitiæ, ab innocente satisfactionem exigere. Nam

R. Hoc repugnat, si innocens sponte sua factus est fidejussor, et causam nocentis, satisfacere non potentis, libere ultro susceperit *N.* secus *C.* Verum Dei Filius *oblatus est, quia ipse voluit.* Is. 53.

5°. *Omnipotentiæ,* quæ ex admirabili utriusque naturæ divinæ et humanæ, in una persona conjunctione relucet. *Sapientiæ*, quæ modum invenit naturas a se invicem adeo remotas uniendi.

4°. *Specialis* etiam ratio *congruitatis* erat, Verbum potius incarnari, quam aliam ex personis divinis ; cum enim per Verbum omnia facta fuerint, conveniebat specialiter, ut per illud omnia repararentur ; et quia per Incarnationem homines adoptandi erant in filios Dei, ut ait Apost. ad Gal. 4. *misit Deus Filium suum... ut adoptionem filiorum reciperemus,* conveniens erat, ut Filius Dei naturalis incarnaretur, et ita fieret *primogenitus in multis fratribus*, ut ait Apost. ad Rom. 8.

*Si dicas* : Si ita conveniens fuerit Deo Incarnatio ; ergo ei necessaria fuit, maleque fecit tam diu differendo.

R. *N. utramque seq.* Convenientia enim hæc in Deo præcise est convenientia honestatis et decentiæ, vi cujus non solum non repugnat fieri aliquid a Deo, aut eum dedecet; sed quæ præcise sonat esse consentaneum et conforme Deo, ad manifestandas peculiares perfectiones suas. Sic Deo conveniens fuit mundi creatio, quin dedeceret creationis omissio. Hinc convenientia illa non fuit positiva in Deo hoc sensu, quod ei novam rationem boni, delectabilis, utilis afferret, quomodo conveniens naturæ humanæ fuit, cui maxima inde bona, quibus carebat, et quibus perfectior evasit, accesserunt; Deus in se summe felix et affluens, nullo extra se bono reddi beatior potest ; sed solum eo sensu positiva fuit, quo ante dictum.

## ARTICULUS II.

### GENEALOGIA CHRISTI A CAVILLIS ET ANTILOGIIS TUM GENTILIUM, TUM DEISTARUM, AC CÆTERORUM RELIGIONIS REVELATÆ HOC ÆVO HOSTIUM VINDICATUR.

Tria hic in controversiam veniunt : 1$^{um}$. an Christus vere *ex Davidis stirpe,* secundum generationem humanam, *descenderit ;* hinc enim religionis Christianæ veritas maxime pendet ; Christum enim, verum Messiam, de tribu Juda, et quidem ex Davidis stirpe futurum, Prophetæ omnes prænuntiant. 2$^{um}$. Quomodo conciliari possint Matthæus et Lucas, quorum prior c. 1. v. 6. Christi genealogiam a Davide ducit per Salomonem : *David autem genuit Salomon ex ea, quæ fuit Uriæ; Salomon autem genuit Roboam, etc.* Lucas vero c. 3. eamdem ordine retrogrado ducit ad Davidem per Nathanem,

alterum Salomonis fratrem ac Davidis filium, v. 31. *Qui fuit Mathata, qui fuit Nathan, qui fuit David.* Deinde præterquam, quod in progenitoribus Christi appareat quædam discrepantia, Matthæus *Jacob* Josepho patrem assignat : *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ* : Lucas vero Josepho patrem tribuere videtur *Heli*, scribens : *Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat.* 3um. Quomodo duo Evangelistæ iidem in genealogia Christi concordent cum veteris Testamenti historia ?

Christum ex Davidis stirpe non descendere : Matthæum et Lucam tam sibi invicem, quam historiæ Testamenti veteris aperte contradicere, olim Julianus Augustus Apostata, Porphyrius, aliique affirmabant, quos hodie sequuntur ea in re unanimes, Deistæ, Naturalistæ, Indifferentistæ ; verbo : omnes religionis revelatæ ac Christianæ hostes. Contra quos

148. *Dico I.* Jesus Christus Dominus noster ex stirpe David, secundum naturam humanam, progenitus est.

*Prob.* S. Matthæus continuo in fronte sui Evangelii ponit c. 1. *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham;* at si Christus revera non fuisset oriundus ex stirpe David, nec sacer Evangelista tam confidenter id scripsisset ; nec, si etiam scripsisset, siluissent Judæi : primum ; quia cum in Judæorum gratiam suum conscripserit Evangelium, omnem sibi apud hos fidem præcidisset statim initio Evangelii sui : alterum ; quia Hebræi cautissimi et diligentissimi erant in notandis servandisque genealogiis, eorum maxime, qui ex tribu Juda et stirpe David, ex qua proditurum Messiam noverant; et ex tribu Levi, ne sacerdotium quisquam ab ea tribu alienus invaderet. Unde et Josephus Lib. 1. contra Appionem Judæos præ cæteris nationibus in hoc exactos plurimum laudat. Attamen Judæorum nemo unquam S. Evangelistæ propterea est obloqui ausus. Sed nec ipsi Christo, licet Matth. 22. v. 42. non obscure, sicut sæpe alibi, filium Davidis se declararet. Cumque hoc idem de Jesu prædicarent turbæ; testaretur et Lucas c. 1., asseverarent Apostoli ad Rom. 1. v. 13., item ad Rom. 15. v. 12. et in Actib. Apost., nemine unquam contradicente, quamvis Judæi, aliique Christi hostes nullam omitterent occasionem eorum dicta cavillandi ; sequitur, eos pro comperto habuisse, Jesum ex Davidis stirpe satum fuisse.

*Confirm.* Cum Christus se Messiam esse sæpe diceret, non potuissent Judæi melius eum falsi convincere, quam dicendo, eum de stirpe David non esse; ex hac enim Messiam futurum, certo ex Prophetis tenebant; nullus tamen unquam id ausus fuit.

149. *Obj. I.* Ut constaret ex Evangeliis, Christum de stirpe David progenitum esse, constare deberet ex iisdem, B. Virginem Mariam, Christi matrem, de tribu Juda et de prosapia David ortam esse: atqui hoc non constat; quia Matthæus et Lucas genealogiam Jesu tantum per Josephum contexunt; qui tantum erat putatitius pater et adscititius.

*II.* Maria Jesu mater Luc. 1. 36. dicitur cognata Elisabeth, quæ erat de filiabus Aaron, sive hujus posteris; Aaron vero nepos Levi fuit, et proin de tribu Levi, 1. Paral. 6. 3. ergo et Maria de stirpe levitica fuit. *Prob. cons.* Nam vi legis Num. 36. 7. cautum Israelitis erat, ne, quam quis vellet, ad conjugii contubernium assumeret ex quaque tribu; sed *omnes viri ducent*

*uxores de tribu et cognatione sua, et cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient;* ergo si Elisabeth cognata Mariæ *de filiabus Aaron*, uxor Zachariæ sacerdotis de tribu Levi fuit, idem de Maria dicendum videtur.

*III.* Si Maria, Jesu mater, de tribu Juda, deque domo David genus traxerit; cur Evangelistæ genus Christi non per illam recensent?

*IV.* Non pauci SS. Patrum et scriptorum volunt, Lucam adornasse genealogiam Christi per lineam Nathanis sacerdotis; qui filius naturalis Uriæ sacerdotis fuerit, sed postea a Davide adoptatus post initum cum Bethsabea Uriæ uxore conjugium.

R. *Ad* 1$^{um}$. *N. min.* Cum enim Matthæus et Lucas initio historiæ suæ Jesum prædicent *filium David;* item constanter Apost. cit. et ad Gal. 4. et simul ambo Evangelistæ diserte protestentur, Josephum Jesu, utpote de Spiritu sancto concepti, verum genitorem non esse; consequens est, Mariam de tribu Juda, deque domo David prognatam fuisse; quia secus, Jesum nulla ratione *filium David* appellare potuissent. Deinde Lucam quidem genealogiam Christi texisse per Josephum infra negabimus.

*Ad* 2$^{um}$. *N. Cons. Ad prob.* iterum *N. Cons.* Lex enim illa Num. 36. illas duntaxat virgines spectat, quæ, prolis masculæ defectu, ex asse hæredes erant; non alias. Hoc clare indicat ratio legi subjecta: *Ut hæreditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur tribus;* et clarius textus hebraicus: *Omnis ideo filia possidens hæreditatem de tribubus filiorum Israel, alicui de familia tribus patris sui erit in uxorem.* Proin filia non hæres poterat extra tribum suam, cui vellet, nubere. *Sic ergo potuit fieri,* inquit S. Thom. 3. p. q. 31. a. 2. ad 2$^{um}$. ex Greg. Nazianz. carm. 39. de geneal. Christi. v. 44. et seqq. et ex S. Augustino contr. Faust. L. 23. c. 9. *ut pater Elisabeth uxorem habuerit de stirpe David, ratione cujus B. V. Maria de stirpe David, esset Elisabeth cognata. Vel potius e converso, quod pater B. Mariæ de stirpe David existens, uxorem habuerit de stirpe Aaron,* ut nihilominus semper B. V. Maria verum germen esset et tribus Juda, et stirpis Davidicæ; et Christus, etiam posteriori casu, vere de tribu Juda esset, quod exigit Paulus, Hebr. 7. v. 14. *Manifestum est, quod ex Juda ortus sit Dominus noster; in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est;* ad hoc enim sufficit, si modo Joachim pater B. V. de hac tribu fuerit.

Rectius argumentum illud adversariorum pro nostra applicatur parte, nam sic illud invertere licet: vi legis cit. Num. 36. cautum Israelitis erat, ne, quam quis vellet, ex quaque tribu assumeret in conjugii contubernium; ergo cum B. V. Maria desponsata esset Josepho, isque de domo David ac proin de tribu Juda esset, ut ait Luc. cap. 2. v. 4. occasione edicti Cæsaris Augusti: *Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem; eo quod esset de domo et familia David;* etiam B. V. Maria erat; præsertim, quod unica dicatur fuisse proles, cum nihil unquam de aliquo ejus fratre sit proditum, sicque vi legis cit. Josepho, ceu cognato, nupserit.

*Ad* 3$^{um}$. R. Quia id necesse non erat, sed satis indirecte Matthæus genus Mariæ prodidit, dum dixit desponsatam Josepho, cujus genus directe recenset; cum enim B. V. Maria unica parentum Joachimi et Annæ proles esset, ut modo dictum, et probat ex SS. Patribus Baronius in Appar., ac saltem nullus ejusdem frater, imo nec soror assignari potuerit; ac tamen S. Josepho nu-

pserit de domo David, signum est, Josephum cognatum fuisse B. Virginis; quia in tali casu nubere cognato præcipiebat lex, ac vere Josephum cognatum fuisse ostendit Euseb. Hist. Eccl. L. 1. c. 7., sequitur per se etiam B. Virginem de domo David fuisse. Lucas vero genealogiam Christi per Josephum non recenset, sed per progenitores B. Virginis, ut dicemus.

*Neque dicas* : B. V. Maria utpote summe pauper hæreditate carebat; ergo illa lex cit. ipsam non stringebat, ut Josepho ceu cognato hæreditatis causa nuberet. Nam

R. *N. A.* Contrarium enim tradit Epiphan. hær. 78. n. 7. *Beata Virgo*, inquiens, *Josepho tradita est, quo illam jura hæreditatis, quam possidebat, adegerant.* Esto igitur, beatissimæ Virginis hæreditas adeo ampla non fuerit, hæreditatem tamen aliquam possedit; quidquid imprudenter Lutherus effutiat in Comm. super *Magnificat*, eam adeo egenam et vilem describens, ut nec filiæ Annæ et Caiphæ Pontificum eam habere ancillam dignatæ sint.

*Ad* 4$^{um}$. Opinio illa Patrum et scriptorum probabilis non est: 1°. enim cum Apostolo Hebr. 7. supra cit. conciliari nequit. 2°. Urias nequidem Israelita fuit, sed Hethæus ex genere Chanaan; qualem constanter Scriptura pronuntiat, 2. Reg. 11. v. 4. 6., etc. ergo sacerdos esse non poterat, cum nequidem ulli Israelitæ, extra tribum Levi, aspirare liceret ad sacerdotium. 3°. Nathan, per quem Lucas in genealogia Christum ad Davidem refert, non fuit naturalis Uriæ filius postea a Davide adoptatus; sed filius naturalis Davidis et proprius, ex Bethsabea genitus post Uriæ mortem et initum cum hac conjugium, ut constat ex 1. Paral. 3. 5. David *in Jerusalem nati sunt filii Simmaa, et Sobab, et Nathan, et Salomon, quatuor de Bethsabea.*

150. *Dico II.* Evangelistæ S. Matthæus et S. Lucas in Christi genealogia 1°. non repugnant sibi invicem; 2°. nec veteris Testamenti historiæ. Pars posterior commodius constabit ipsa solutione objectionum. Igitur

*Pars* 1ª. *ostenditur I.* S. Matthæus enim genealogiam edidit Joseph, cujus pater naturalis fuit Jacob; hoc enim vox *genuit* sonat: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ*; sicque directe Josephum de Davidis stirpe demonstrans, indirecte et Mariam, verum Davidis germen ostendit, et simul Christum de Maria natum ejusdem esse cum matre stirpis prodidit juxta num. præc. E contra Lucas genealogiam Christi, non indirecte per Josephum, sed directe per veros Christi progenitores, quos secundum lineam maternam habuit, contexuit. Jam vero, sive quod non esset consuetudo Hebræorum, ut aliis placet, genealogias texere per feminas; sive quod S. Lucas aliunde patrem Christi naturalem, utpote de Spiritu sancto concepti, referre non posset, ideo gradum fecit a nepote ad avum, a Christo ad Heli, Mariæ patrem.

Unde 1°. quando inquit: *Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli*, relativum *qui* non refertur ad Joseph, sed ad Christum, et sensus est: Christus, putabatur esse filius Joseph, sed qui fuit Heli, id est, nepos Joachimi, patris Mariæ Christi matris; *Heli* enim, ut notat Calmet in Dictionar. S. Scripturæ, *Eliacim, Joachim* videntur esse synonyma; nam Heli per apocopen idem est, qui Eliacim et Joachim; sic Eliacim Pontifex, Judith. 4. vocatur Joachim, Judith. 15. et sicut *Jehova* vel *Ja* in *Joachim* est nomen Dei; sic et *El* est nomen Dei in *Eliacim*, sicque

proin utrumque nomen per apocopen idem est, quod *Heli*. Alii utroque nomine patrem Mariæ compellatum volunt, vel fuisse binominem, primo Heli, quod exprimit Lucas; deinde Joachim, quo vulgariter appellatur a Christianis; hoc nomen ab his verosimiliter obtinuit, ob Mariam filiam, futuram Dei matrem; *Joachim* enim ex etymologia nominis est *præparatio Dei*. Nec rara sunt in S. Scripturis exempla: plura eidem successu temporis ob singulare factum aliquod fuisse data nomina; sic pater Davidis dictus primo *Jesse* postea assumpsit nomen *Isai* in nuptiis cum conjuge; et quid mirum, si *Heli* ob filiam Mariam, Dei matrem, dictus simul *Joachim?*

2°. Hinc patet, cur Matthæus genealogiam ducat a Salomone; e contra Lucas ordine retrogrado Christum ad Davidem referat per Nathanem; Joseph enim, per cujus genealogiam S. Matthæus indirecte ostendere volebat, Christum esse Davidis filium, vere linea recta descendit ex Salomone. S. Lucas vero Christum per Nathanem, alterum Davidis ex Bethsabea filium et Salomonis germanum fratrem, ad Davidem refert; quia genealogiam Christi directe adornat ascendendo per Christi avum, virgineæ ejus matris patrem, scilicet Heli, qui linea recta ex Davide descendebat per Nathanem.

151. *II.* Paulo aliter Cornelius a Lapide Comment. in Luc. c. 3. utrumque Evangelistam conciliat. Juxta hunc S. Matthæus dum texit Josephi genealogiam, simul B. Virginis ejusque filii Christi per Annam, Mariæ matrem et Christi aviam texit, et sic ostendit Christum naturaliter a Davide, non solum per Heli et Nathanem, sed etiam per Salomonem descendere; nam, inquit ex auctoribus ibi relatis, tempore Christi notissimum fuisse, quod *Mathan*, de quo Matthæus, communis fuerit avus Josephi et Mariæ; Mathan enim 1°. genuit *Sobe*, quæ fuit mater Elisabeth, uxoris Zachariæ et matris S. Joannis Baptistæ. 2°. *Jacob*, qui genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus. 3°. *Annam*, quæ nupsit Heli, sive Joachim, ex quibus Maria Christi mater progenita. Quare dum unius genealogia describitur, ut Josephi, etiam alterius, B. V. et sic Christi describitur. Quia sic ergo B. Virgo per Annam matrem suam naturaliter per Mathan et Salomonem descendebat ex Davide, simul hoc ipso ostendit, etiam Christum Mariæ filium, secundum carnem ex Davide per Salomonem descendere. Cum ergo Matthæus sic genealogiam Christi texuisset per Annam ejus aviam usque ad Salomonem et Davidem; Lucas eamdem texere voluit per Heli Mariæ patrem usque ad Nathanem et Davidem, ut ostenderet, duplici titulo Jesum fuisse Davidis filium. Operæ pretium duxi ipsam genealogiæ Christi tabulam subjicere.

DAVID

*ex quo geniti*

| | |
|---|---|
| SALOMON<br>ROBOAM<br>ABIA<br>JOSAPHAT, etc.<br>ELEAZAR<br>MATHAN<br>*ex quo geniti* | NATHAN<br>MATHATA<br>MENNA<br>MELEA, etc.<br>LEVI<br>MATHAT |

| | | |
|---|---|---|
| SOBE *quæ genuit* ELISABETH *uxorem Zachariæ et matrem* JOANNIS BAPTISTÆ. | JACOB, ANNA, *quæ nupsit* HELI, *sive* Joachimo *ex quo geniti* | *ex quibus genita* |
| Cleophas, *vel* Alphæus, *cujus uxor* Maria, *ex quibus geniti* | JOSEPH, cujus uxor | MARIA mater JESU CHRISTI. |

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Salome *uxor Zebedæi, ex quibus geniti* Jacobus Major *Apost. et* Joannes *Evangelista.* | Maria *Matth.* 28. v. 1. | Jacobus Minor *frater domini dictus* Alphæi *primus Episcop. Hierosol. Actor.* 1. 13. *Marc.* 15. 10. *Gal.* 1. | Joses, *seu* Joseph *Matth.* 27. *Marc.* 15. | Judas *Apost. cognomine* Thaddæus. | Simon *Marc.* 6. *qui successit* Jacobo *fratri suo in Episc. Hieros.* |

Ex hac tabula perspicitur, B. Virginem per matrem S. Annam descendere per Mathan ex Salomone æque, ac descendit Joseph; per patrem vero Heli sive Joachim descendere ex Nathan. Rursus ex ea intelligitur, S. Annam fuisse sororem Jacob, et amitam Joseph, iedoque B. Virginem, per matrem Annam, et Josephum per patrem Jacob habere avum communem Mathan, eosdemque cæteros proavos usque ad Salomonem et Davidem; igitur Matthæum, dum texit genealogiam Josephi per Jacob et Mathan, texere quoque genealogiam Mariæ et Christi, qui per matrem et aviam Annam recta descendit ex Mathan, et cæteris usque ad Salomonem; et sic denique Christum tam per patrem, quam per matrem descendere ex Davide, quod ostendere Evangelistarum scopus fuit.

152. Fundamenta hujus opinionis sunt 1°. magna auctoritas plurimorum et doctissimorum virorum, quos refert CORNELIUS A LAP. hic; inter quos et S. HIPPOLYTUS Episcopus Portuensis et Martyr, apud Nicephorum L. 2. c. 3. Mathan dat duas filias, *Sobe*, matrem S. Elisabeth, ex qua natus S. Joannes Baptista, et *Annam*, matrem B. Virginis, ex qua natus est Jesus. 2°. Quia Lucam texere genealogiam Christi per hujus avum et patrem B. Virginis, teste CORNELIO A LAP. communis est Doctorum sententia, quos tum hic, tum SUAREZ magno numero citat, et sequitur 3. p. q. 27. Disp. 3.; ergo dicendum est, genealogiam Matthæi texi per S. Annam, eamque fuisse filiam Mathan; alioquin avi, abavique omnes, quos recenset Matthæus, ad Joseph tantum pertinebunt, nihil vero ad B. Virginem et Christum; cum tamen Matthæus statim initio dicat: *Liber generationis Jesu Christi*. 3°. Plurimorum Patrum S. AMBROS. L. 3. in Lucam, S. HIERON., THEODORET. in cap. 22. Jerem., S. BERNARDI in illud: *Signum magnum*, etc. tum Doctorum cum Suarez sententia est, B. Virginem et Christum ex *regibus* traxisse genus, adeoque non solo Davide, sed etiam Salomone, etc.

Hinc jam liquet, hunc secundum Evangelistas conciliandi modum præcellere adhuc priori; quod si tamen hic præplaceret, revera concedi oportebit, Christum ejusque virgineam matrem ex Davide per solum Nathanem genus trahere juxta Lucam, ac dicere, S. Matthæo solum propositum fuisse, ostendere, non quomodo B. Virgo et Christus naturaliter *per Salomonem* descendant ex Davide sed quomodo Christus sit filius David, ob Mariam desponsatam Joseph, juxta dicta n. 149. Resp. 1. ad 3$^{um}$. Eligat lector ex duabus his sententiis quam volet; in quem finem objectiones contra utramque subjicio.

153. *Obj. I. cont. sentent.* 1$^{am}$. Gratis asseritur, idem esse Eliacim, Joachim, Heli; aut patrem B. Virginis binominem fuisse. 2°. Immerito relativum *qui* trahitur ad Jesum, cum referri debeat, more suo, ad id, quod vicinius est, adeoque ad Josephum; de quo proinde cum dicat Lucas, *qui fuit Heli*, intelligi debet filius *legalis*; nam *naturalis* filius erat Jacobi. 3°. Deus promiserat Davidi Christum ex eo per Salomonem descensurum esse, 2. Reg. 7. 12., Ps. 88. 37. Sed in dato systemate non descendisset per Salomonem.

R. *Ad* 1$^{um}$. *N. A.* Patet ex ratione et exemplis allatis, quorum adhuc plura Scriptura suppeditat; dum e contra, qui Julii Africani systema sequuntur, Josephum fuisse filium legalem Heli, ne unicum ex tota Scriptura exemplum promere possunt genealogiæ legalis.

*Ad* 2$^{um}$. R. *N. ass. Ad rat. D.* Si id, quod vicinius, habeat se tantum per modum parenthesis interjectæ *N.* secus *T.* Hæc vero, *ut putabatur Joseph*, sunt interjecta per parenthesin; ad hæc vero sequens relativum referri non solet; sed ad id, quod parenthesin præcedit, quodque eo casu proin est vicinius, sicque apud Lucam est *Jesus*. Deinde relativum, *qui*, non semper ad id, quod vicinius est, sed non raro ad principalius, licet remotius, refertur. Habe exemplum, Gen. 29. 22. *Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum*, scilicet Laban ad Jacob, *dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cum ex more Jacob fuisset ingressus*, etc. Ubi relativum *quam* non ad nomen vici-

nius, *Zelpham*; sed ad principalius, utpote orationis velut fundamentum, licet remotius pertinet, ad Liam inquam.

*Ad* 3um. R. *N.* Hoc enim ex cit. loc. non evincitur; nam quoad primum, in sensu litterali sermonem esse de Salomone, verba indicant : *ipse ædificabit domum nomini meo;* additur quidem : *et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum;* sed hæc : *in sempiternum,* juxta dicta n. 82. non respiciunt semper omnia futura tempora, sed sæpe determinatam epocham, et tempus vitæ, sicque hic Salomoni regnum stabile ad dies vitæ ejus promittitur; ut amplius patet ex sequentibus : *qui,* scilicet Salomon, nam in Christum hæc cadere non possunt, *si inique aliquid gesserit; arguam eum in virga virorum,* etc. Quæ singula in Salomone impleta sunt. Ad alterum textum eadem est responsio.

154. *Obj. II. cont. utramque sentent.* In priore sententia Lucas texuisset genealogiam Christi per B. Virginem; in altera idem tenet, et præterea S. Matthæus præterquam quod texat genealogiam Josephi per Jacob, Mathan, etc. progenitores naturales ad Salomonem, simul genealogiam Christi per B. Virginem et Annam a Salomone deducit : atqui genealogias formare per feminas a Scripturarum consuetudine abhorret; ergo.

R. Neque Lucas, neque Matthæus *proprie* texuisse genealogiam per feminas dici potest : non prior; hic enim a Christo ad avum Heli, ne memorata quidem B. Virgine, gradum fecit; licet vero Heli esset pater B. Virginis; hoc tamen non erat texere genealogiam per feminas. Non posterior; nam S. Matthæus proprie directe texuit genealogiam Josephi; quanquam genealogia eadem simul ostendat, Christum per B. Virginem, et S. Annam aviam ex Salomone a Davide descendere; quia Mathan juxta dicta communis avus erat et Josephi et B. Virginis. Quod vero uterque Evangelista Christum ad Davidem referat per B. Virginis progenitores tam secundum lineam hujus *maternam,* ut S. Matthæus per Annam, quam *paternam,* ut Lucas, mirum videri non debet; quia Christus patrem naturalem in terris non habebat, per quem referri ad Davidem potuisset. Ideo, ne quis id carperet, ambo Evangelistæ diligenter monent, Christum de Spiritu sancto conceptum esse; hinc mutato conceptionis ordine in Christo, etiam genealogiæ ejus contexendæ ratio immutari debuit.

155. *Obj. III.* Potius videtur amplectendum systema Julii Africani; quia id plerique veteres, et quidem SS. Patres adoptarunt.

*Observa* : Systema Julii Africani, *ut hodie proponi solet,* vult *Mathan,* de quo Matthæus, ex uxore *Estha*, alii *Jescam* vocant, genuisse Jacob patrem naturalem Josephi sponsi B. Virginis; sed Mathan demortuo, eamdem Esthan nupsisse *Mathat,* de quo Lucas, quodque *Mathat* ex hac genuerit *Heli;* sed cum etiam Heli mortuus esset sine liberis, ejus uxorem relictam duxerit Jacob, utpote Heli frater uterinus ex Estha, juxta legem Deut. 25. v. 5. *Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri; sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui : et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel;* sicque Jacob vere ex relicta uxore Heli genuerit Josephum. Igitur in hoc systemate Joseph

est filius *naturalis Jacobi* ; et propter cit. legem, *legalis Heli* : proinde Matthæus texit genealogiam Christi per Joseph, ceu filium legalem Heli. En ipsum systema :

| Matthæi cap. 1. | Luc. cap. 3. |
|---|---|
| MATHAN | MATHAT |
| *ex* Estha *conjuge genuit* Jacob, | *ex eadem* Estha *vidua* Mathanis *genuit* Heli *fratrem uterinum* Jacobi. |
| JACOB | HELI |
| *ex vidua* Heli *fratris sui uterini genuit* Joseph, *sponsum B. Virginis*, | *ducta uxore, moritur sine liberis, relicta fratri* Jacob *vidua, ex qua proin* |
| JOSEPH | JOSEPH |
| *filius naturalis* Jacobi. | *filius legalis est* Heli. |

Dixi vero supra : *ut hodie proponi solet.* Nam in epist. Julii Africani legitur apud Eusebium Hist. Eccl. L. 1. c. 7. quod Mathanis viduam duxerit *Melchi* et ex hac genuerit Heli, fratrem uterinum Jacobi. Quod directe adversatur S. Lucæ, qui inter *Melchi* et *Heli*, adhuc duos interponit, *Levi* et *Mathan.* Nunc

R. *N. A.* Nam. 1°. abhorret hoc systema penitus a divinarum Scripturarum consuetudine ; in quibus ne unum exemplum, aut vestigium genealogiæ per patrem legalem est. 2°. Sequitur ex eo hoc ingens absurdum, quod neuter Evangelista referat ullum ex veris Christi secundum carnem progenitoribus, ut proinde de facto adhuc careamus *vera* genealogia Christi ; nam quomodo *genealogia Christi* dici poterit; dum, præter Davidem, ceu stirpem, ne unus ex veris ejus progenitoribus memoratur? 3°. Saltem probabilius est, legem Deut. 25. loqui de fratribus non uterinis, sed germanis, hi enim soli retinebant nomen et hæreditatem patris. 4°. Estha hic impertinenter adducitur ; esto enim in ea velut matre coeant uterini fratres Jacob et Heli ; coire tamen nequeunt in Mathan et Mathat cæterisque usque ad Davidem; nihil ergo illi fratres uterini hic faciunt ad genealogiam B. Virginis et Christi; ita ut ex illis ostendatur Jesus ex *semine Davidis, natus* Davidi *secundum carnem*, ut vult Scriptura. 5°. Quod JULIUS AFRICANUS ipse, licet hoc systema ipsi videatur optimum, illud tamen dubitanter proponat, dum inquit : *Sive itaque ad hunc modum, sive aliter habet res ista, non poterit quisquam, meo judicio, clariorem expositionem reperire. Quisquis autem æquo animo præditus est, idem quod nos, curabit, etiamsi certum desit testimonium.* SS. Patres Julium Africanum secuti sunt ; unde nemo vitio vertet, si utpote in re merissimi facti, ex datis rationibus, communem potius Theologorum, et Scripturæ interpretum aliter sentientium, sequamur. Sic et nemo hodie eos amplius Patres sectatur, qui Nathanem, Uriæ Hethæi filium, sacerdotem dicebant. Ac demum non tantum esse SS. Patrum numerum Julio Africano adhærentium, quantus a quibusdam asseritur, apud P. Calini videre est.

156. *Obj. IV. cont. p.* 2am. *conclus.* Utraque genealogia cum veteris Testamenti historia non concordat. Nam 1°. Matth. c. 1. *Joram genuit Oziam :*

at 4. Reg. 8. 24. et c. 11. n. 1. *Joram genuit Ochoziam; Ochozias genuit Joas, Joas genuit Amasiam, Amasias* autem *genuit Oziam;* ergo tres generationes prætermissæ sunt.

2°. Matth. cit. v. 9. *Achaz autem genuit Ezechiam :* atqui hoc est incredibile. *Prob. min.* 4. Reg. 16. 2. *Viginti annorum erat Achaz, cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit :* sic vero vixit annis 36. relicto regni hærede Ezechia. Præterea 4. Reg. 18. 2. Ezechias *viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset;* si jam 25. annos Ezechiæ subtrahas a 36. quibus regnavit Achaz, remanebunt 11.; ergo Achaz generasset Ezechiam anno ætatis suæ decimo, quod fidem superat.

3°. Matth. cit. v. 11. *Josias genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis;* atqui 4. Reg. 24. et 2. Paral. 36. *Joachim* pater naturalis Jechoniæ fuit. Præterea Josias in prælio Maggeddonensi occubuit, ante transmigrationem Babylonis, 2. Paral. 35. ergo Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis generare non potuit.

4°. Matth. v. 12. *Post transmisgrationem Jechonias genuit Salathiel;* sed Jerem. 22. 30. Jechonias dicitur sterilis : *Scribe virum istum sterilem.* Deinde apud Lucam c. 3. *Salathiel* dicitur filius *Neri.* Et demum 2. Paral. 35. Salathiel genitus dicitur in ipsa transmigratione Babylonis ; non ergo post illam primum genitus est.

5°. Matthæus ait : *Salathiel genuit Zorobabel :* at 1. Paral. 3. 19. Zorobabel ponitur *Phadaiæ* filius.

6°. Lucas inter Patriarchas, qui post diluvium vixere, immiscet *Cainan* filium *Arphaxad;* hujus autem Cainan inter Sale et Arphaxad medii nulla fit mentio in Testamento veteri.

R. *N. Ass. Ad* 1$^{um}$. *D.* Joram genuit Oziam immediate *N.* mediate *C.* Scripturæ enim phrasi etiam nepotes filiorum nomine veniunt : sic Christus filius David dicitur, et Judæi omnes filii Abrahæ. Unde et Is. 51. 2. ait : *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quæ peperit vos;* at tamen Isaiæ ætate plus mille anni numerabantur ab Abraham et Sara. Cæterum observat S. Hier. in cap. 1. Matthæi, Evangelistæ propositum fuisse tres tesseradecades in diverso temporum statu ponere; cur vero Matthæus præcise tres illas generationes prætermiserit, causam dat idem et ex eo Doctor Angelicus 3. p. q. 31. a. 3. ad 4. *quia Joram generi se miscuerat impiissimæ Jezabelis;* genuit enim Ochoziam ex Athalia filia Achab et Jezabelis, cujus stirpi maledixerat Deus, 3. Reg. 31. 21. Qua ratione etiam tribus Dan in recensione signatorum omittitur Apoc. 7. quia a cultu Dei deficiens se gentibus immiscuerat, Judic. 18. Non ultra tamen tertiam generationem Jorami posteritas est ab Evangelista omissa, quia, Exod. 20. 5. punitio Dei non nisi ad tertiam, vel quartam generationem protendebatur.

*Ad* 2$^{um}$. R. *N. min. Ad prob.* R. 1°. *D.* Remanebunt undecim, non computatis annis incompletis et inchoatis *C.* his computatis *N.* Scriptura ordinarie annos incompletos computare non solet; at si et hi computentur, Achaz, juxta S. Scripturæ interpretes, anno ætatis suæ decimo quarto Ezechiam genuit ; nimirum Achaz, cum regnare cœpisset natus erat 20. annos, et unum incompletum, quem Scriptura computare non solet; regnavit autem 16. annis completis, decimo septimo inchoato et non completo; adeoque mortuus est, anno ætatis suæ trigesimo octavo. Ezechias vero cum regnum

adiit, annum vigesimum quintum inchoaverat, sed nondum compleverat. Si igitur detrahas 24. annos Ezechiæ a 38. Achazi, hic Ezechiam genuit anno ætatis decimo quarto.

R. 2°. Cum P. Calini : *Viginti annorum erat Achaz*, cum quatuor ante mortem Joathami annis regnare cœpisset, et *sedecim annis regnavit* solus post mortem patris. Achaz igitur, cum mortuus est, annorum 40. fuit. Subtrahe his 25. annos Ezechiæ, et remanent Achazo 15. anni, quibus jam satis pubes generare potuit; frequens est enim in Scriptura, filios *sub patre vivo* regnasse.

*Ad* 3$^{um}$. R. *D.* Josias genuit Jechoniam secundum *N.* primum *C.* Et *D. min.* Joackim fuit pater naturalis Jechoniæ secundi *C.* primi *N.* Duos distinguere Jechonias oportet. *Jechonias primus*, qui et *Eliacim*, item *Joackim* dictus est; estque ille, quem Josias genuit; et fratres hujus Jechoniæ sunt *Joachaz*, seu *Johanan*, *Sedecias*, et *Sellum*, 1. Paral. 3. 15. *Jechonias secundus* vero filius fuit Jechoniæ primi, dicti Joackim, nepos Josiæ, et pater Salathielis, quem *post transmigrationem*, scilicet in ipsa captivitate genuit. Ubi quoad S. Matthæum, *nota*, quod in Jechonia finiat tesseradecadem secundam; in Jechonia vero secundo tesseradecadem tertiam ordiatur. Solutio hæc est S. Hier. in c. 1. Matth., S. Ambros. L. 3. in Lucam, aliorumque communior. Denique hæc, *in transmigratione Babylonis*, idem sonant, ac circa transmigrationem primam.

*Ad* 4$^{um}$. R. Ne idem bis repetamus, vide quæ sufficienter de hoc *Jechonia* diximus n. 29. *Salathiel* vero apud Lucam alius est ab illo, de quo Matthæus.

*Ad* 5$^{um}$. R. Zorobabel, de quo Matthæus, diversus est ab illo 1. Paral. 3. Unde mirum non est, si et diversi parentes utrique assignentur. Et vero duos fuisse Zorobabeles ex diversis et patribus, et filiis respectu utriusque dignoscitur.

*Ad* 6$^{um}$. R. *D.* Nulla fit *Cainanis* mentio in hebraico *C.* in versione LXX. *N.* Hos vero secutus est S. Lucas; sed LXX. saltem Gen. 11. *Cainanem* interserunt, supplentes hebraicum; quibus, etsi nos lateat vera causa ob quam a Moyse prætermissus sit, fides haberi debet, utpote hebraicarum traditionum peritissimis. Unde, ut phrasi mansueta utar, minus honorifica videtur eorum sententia, si non S. Lucæ scriptori Theopneusto, et LXX. Interpretibus, dum ab illis intrusum Cainanem volunt; saltem Ecclesiæ, quæ Cainanem nunquam censuit expungendum, et SS. Patribus plurimis, qui Cainanem retinuerunt; velut S. Hieron. qui jussu Damasi latinam S. Lucæ Evangelii versionem correxit, S. Aug. L. 16. de Civ. c. 3., S. Greg. Nazianz. 29. Carm. de geneal. Christi aliisque.

# DISPUTATIO II.

## DE QUIDDITATE, SIVE NATURA INCARNATIONIS.

---

Ab existentia ex ordinatæ methodi legibus ad investigandam quidditatem ipsam, sive essentiam progredimur. Hanc breviter æque, ac nitide ad mentem S. Scripturæ, ac Conciliorum expressam exhibet Athanasianum symbolum, a tota Ecclesia adoptatum : *Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est... Qui, licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem; sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ; sed unitate personæ.* Unde Incarnationis quidditas in duobus versatur articulis, natura duplici, et una in Christo persona; ac tota mysterii summa in unione hypostatica, sive personali, naturæ utriusque, divinæ et humanæ in una Verbi persona, quiescit. Hinc, juxta ordinem enatarum hæreseon, agemus Sect. 1ª. De unitate personæ. 2ª. De duplici in Christo natura. 3ª. De gemina Christi voluntate.

---

## SECTIO I.

### DE UNITATE PERSONÆ IN CHRISTO.

Dogma catholicum de unitate personæ in Christo scopulus Nestorii fuit; ad quem impegit, duas in Christo personas asserens. Quare articulo 1º. Nestorianismi epitomen historicam dabimus, quo dicendis major lux affulgeat. 2º. Dogma catholicum elucidabimus; et in sequentibus, quæ porro ad Nestorianismi historiam et crisin pertinent, disputabimus.

## ARTICULUS I.

### EPITOME HISTORICA NESTORIANISMI.

---

### §. I.

*Nestorii, ejusque hæresis initia.*

157. *Nestorius* impii architectus erroris, Germanicia, Syriæ oppidulo oriundus, monasticam vitam in Laura S. Euprepii professus fuit prope Antiochiam, una cum Joanne Antiochenorum postea Episcopo, et Theodoreto Cyrensis pariter Ecclesiæ deinde Antistite. Præceptorem ibi habuit Theodorum Mopsuestenum, a quo de Incarnatione Verbi male sentire didicit. Ab hoc instituto ad clerum translatus, et presbyter factus Antiochenæ Ecclesiæ, quod sermone promptus, ac disertus esset, docendi populi munus suscepit. Quo in munere ita se gessit, ut partim popularem plausum orationibus suis, quas eo dirigebat; partim externa severitate morum sibi venerationem conciliaret. Unde post mortem Sisinnii anno 427. Antiochia accitus *Nestorius*, ad ipsam Constantinopolitanam sedem evectus est. Ut primum vero Pontificatum suscepit, vehemens suum in hæreticos odium declaravit, in prima statim coram Theodosio Imperatore oratione, qua sic eum allocutus fuit: *Da mihi, Imperator, puram ab hæreticis terram; et ego cœlum tibi vicissim dabo: everte mecum hæreticos, et ego tecum Persas evertam.* At dum in hæreticorum perniciem incumbit Nestorius; hæreticus et ipse, imo architectus et princeps novæ est hæresis factus, quam olim a Theodoro præceptore haustam, non multo post spatio proferre et tueri cœpit.

### §. II.

*Nestorii impura dogmata.*

158. Fons et caput totius impuri dogmatis Nestorii fuit, quod unionem duarum naturarum in Virginis utero sic factam assereret, ut ante formatus fuerit homo integer et perfectus, subsistens subsistentia propria, et propriam habens personam, quam sibi deinde Verbum conjunxerit, non unione hypostatica, physica, substantiali, sed morali vel accidentali; 1°. *inhabitationis*, quatenus Verbum habitavit in eo, velut in templo, specialiori tamen modo, quam in justis cæteris; 2°. *unitatis*, seu conformitatis affectus, nimirum quatenus voluntas hominis semper conformis erat voluntati divinæ; 3°. *operationis*, quatenus homo ille fuit instrumentum Verbi; 4°. *dignitatis*, quod homo ille esset *divinitatis possessor*. Hinc fluebant errores alii.

1°. Duas in Christo personas esse, duos filios, Christos duos; licet hoc palam profiteri nollet; clam tamen, per ancipites sententias, et velut cuniculos adstruebat, teste S. Cyrill. epist. 8. ad cler. Constantinop. (opp. t. 5.

part. 2ª. sect. 2ª. p. 33. D.), S. Vincent. Lirin. Commonit. n. 12., Facundo Hermianensi L. 1. c. 4. Vigil. Tapsens. contr. Eutych. L. 2. n. 5.

2º. Verbum non esse vere incarnatum; et Christum secundum carnem dici Deum, ut olim Moyses, etsi major sit hominis Christi, quam Moysis dignitas. Ita *Nestorius* ipse apud Cyrill. Alex. LL. adv. Nestor. (opp. t. 6. p. 22. E. et 40. D.)

3º. Colligebat *Nestorius*, non oportere naturæ unius propria tribuere alteri. Hinc non recte dici : Verbum, sive Deum esse passum; et, qui hoc dicebat, Cyrillum errare, atque Apollinaristarum erroris reum esse.

4º. Sanctissimam Virginem Θεοτόκον h. e. *Deiparam* negabat appellandam esse; sed Χριστοτόκον *Christiparam*; Ἀνθρωποτόκον *Hominiparam* vocabat, Χριστοτόκον sumendo, non in sensu orthodoxo, quem alias illa vox habere potest; sed prout opponitur alteri Θεοτόκον indicando, non Deum a B. Virgine, sed hominem genitum fuisse; ut, plerorumque suffragio tota Nestoriana pravitas in voce Χριστοτόκον *Christipara*, velut in compendium redacta contineatur.

## §. III.

### *Gesta inter S. Cyrillum Alexandrinum, et Nestorium.*

159. Hæresi illa primum Constantinopoli disseminata, dici non potest, quantum offensi propterea fideles, qui a Concilii Nicæni temporibus solerter instructi, usque eo B. Virginem ceu Dei matrem coluerant. Quare Nestorio se scriptis continuo opposuere S. Proclus Cyzicenus, Joannes Cassianus, Marius Mercator, inter quos tamen S. Cyrillus Alexandrin. eminuit, qui, data primum ad Monachos Ægypti epistola, reticito auctoris nomine, eos contra pestilentem Nestorii hæresin præmunivit; tum aliam scripsit ad Theodosium imperatorem, sive librum de *recta fide*; item, ad imperatrices alteram, quibus recentem hæresin confutavit. Quin exulceratum propterea Nestorium, datis quoque ad eumdem litteris, placare studuit. Sed cum operam perderet, et Nestorius jam Romam ad Coelestinum I. scripsisset; ad eum quoque S. Cyrillus scripsit, Pontificemque de Nestorii dogmate instruxit.

Igitur Coelestinus Romæ anno 430. coacta Synodo, excommunicationis sententiam tulit in Nestorium, nisi intra decimum a denuntiatione diem, ejurata hæresi, *aperta et scripta confessione* profiteretur fidem; simulque S. Cyrillo vices suas committens, præcepit, ut, nisi pareret Nestorius, hunc a Romanæ Sedis, et omnium Episcoporum communione rejectum renunciaret; ipse autem Ecclesiæ Constantinopolitanæ provideret. Ea de re certiores simul S. Pontifex reddidit Nestorium ipsum: Constantinopolitanum clerum, populumque: Joannem Antiochenum: Juvenalem Hierosolymitanum, aliosque Præsules.

S. Cyrillus Romani Pontificis, et Occidentalis Ecclesiæ auctoritate fretus, ad Joannem Antiochenum, aliosque de Nestorio scripsit. Joannes quoque Nestorium ad resipiscendum hortatus est. Sed cum obfirmatus in hæresi expugnari non posset; S. Cyrillus congregata universa Ægyptiacæ diœcesis suæ

Synodo, tertiam ex illa scripsit epistolam, eamque synodicam ad Nestorium, cum duodecim capitulis quæ totidem anathematismis ipsius feriebant hæresin; simul denuntians, latam a Cœlestino contra ipsum sententiam ratam fore; nisi, damnato errore, illis capitulis subscriberet.

Nestorius inde in furorem actus, duodecim et ipse capitula, sive anathematismos, illis S. Cyrilli opposuit, quibus contra Catholicum dogma suam affirmavit hæresin. Nec verbis posthac furere contentus, factis persequi orthodoxos cœpit. Constantinopolitanos, qui ferme omnes ab ejus communione recesserant, dire exagitavit, præfectorum abusus potentia : item monachos, quos ubique habebat adversarios : Imperatorem quoque calumniis contra S. Cyrillum commotiorem reddidit. Quæ res, cum turbæ augerentur, convocando Ephesum generali Concilio causam dedit, Theodosio, consentiente Cœlestino, hac de re per Petronium monito, ut constat ex litteris Cœlestini datis ad Synodum.

## §. IV.

### *Synodus Ephesina, Generalis III., et Nestorii condemnatio.*

160. Cœpta fuit Ephesina Synodus anno 431., Episcoporum supra 200. numero celebris. Præfuit initio solus S. Cyrillus, tum jure suæ Sedis, utpote a Romana secundæ, absentibus adhuc Legatis Pontificiis; tum ut Legatus Sedis Apostolicæ ad exequendam sententiam in Nestorium latam, dum Legati advenirent Pontificis, Arcadius et Projectus episcopi, ac Philippus presbyter. Tota vero Synodus actionibus septem terminata. Ac licet de industria moras necteret Joannes Antiochenus, Nestorii amicus, ob veterem consuetudinem jam in Laura contractam; per legatos tamen, ut fieret Synodi initium, annuerat. Igitur

Actio I. die 22. Junii habita, in qua tertio citatus Nestorius ægre tandem respondit, se, cum omnes advenissent Episcopi, etiam affuturum; designabat vero Orientales, qui adhuc in itinere, vel apud Joannem Antiochiæ morabantur. Detrectante itaque judicium Nestorio, tandem ex præscripto et auctoritate Canonum ac Cœlestini, ut professi sunt Patres, damnatus est Nestorius, omnique episcopali dignitate, et sacerdotali gradu exutus, incredibili totius urbis lætitia.

At *Candidianus* Comes, Nestorio addictus, antequam synodalia acta conficerentur mittenda Imperatori, hunc calumniis in Synodum prævenit : item Nestorius, de vi et injuria a Memnone Ephesino sibi illata conquerens, quod is, cæterique adventum Joannis et Orientalium exspectare noluissent.

Interea aliquot post Act. I. diebus, adest Joannes Antiochenus cum 22. Episcopis, qui vix e curru descendens, adhuc pulverulentus, privatum conventum habuit; et exceptis Candidiani querelis de Cyrilli et Memnonis gestis, utrique Episcopatum abrogat; Cyrillus vero nominatim ab eo notatus est ob duodecim capitula, vel anathematismos, in quibus Apollinaris, Eunomii, Arii nefaria dogmata vulgasset.

Sed cum et Legati Pontificii interea advenissent, et Act. II. lectis iis, quæ contra Nestorium Act. I. acta fuerant, etiam ipsi in Act. III. subscribunt.

Act. IV. S. Cyrillus et Memnon libellos obtulerunt Synodo contra Joannem Antiochenum, rogantes, ut citaretur ad Synodum, ad reddendam sui facti rationem. Missi proinde ad Joannem Episcopi, a militibus quibus, vallatus erat, ex ejus imperio rejecti.

Act. V. Missis tertio ad Joannem Episcopis tribus, sed eo adhuc detrectante judicium, S. Synodus Joannem et Episcopos cum eo triginta tres schismatica Synodo collectos ferit excommunicationis sententia, omnique dignitate ac sacerdotali gradu privatos mulctat, irritaque decernit singula, quæ contra Cyrillum ac Memnonem gesserant.

Nestorii contra patroni, maxime *Candidianus* et *Irenæus* Comites, nihil non tentabant ad opprimendam Synodum, ejusque oblitteranda Acta. Imperatorem etiam eo calumniis contra S. Synodum commovent, ut ad Synodum scribens per Palladium Magistrianum omnia irrita decerneret. At S. Synodo se strenue defendente, Imperator veriora edoctus interea, subscribit latæ in Nestorium sententiæ, Maximianum presbyterum in Constantinopolitanam sedem loco Nestorii substituit, non parum operæ ad felicem exitum conferente S. Pulcheria virgine Augusta.

Nestorius vero ad Lauram rediit, cumque nec ibi a disseminando suo impio dogmate desisteret, Theodosius illum in oasim relegavit, ubi ærumnis confectus, exesa a vermibus lingua, qua sacrilegas in Dei Matrem voces ejecerat, vivere desiit.

### §. V.

*S. Cyrilli Alexandrini et Joannis Antiocheni reconciliatio.*

161. Oppressa Nestoriana hæresi, Theodosius in id deinde incubuit, ut S. Cyrillum ac Joannem Antiochenum ad concordiam reduceret. Quod anno 432., Sixto summo Pontifice, S. Cœlestini successore, perfectum est sub his conditionibus. 1°. Ut Joannes Antiochenus anathema diceret Nestorio. 2°. Ejus depositioni subscriberet. 3°. Ratam haberet Maximiani ordinationem, suffecti in locum Nestorii; ac demum confessioni fidei a Cyrillo missæ subscriberet. Quibus singulis a Joanne præstitis, pax inter utrumque Præsulem redintegrata fuit, et simul universæ restituta Ecclesiæ.

## ARTICULUS II.

### UTRUM UNIO UTRIUSQUE IN CHRISTO NATURÆ VERE SIT HYPOSTATICA SIVE PERSONALIS?

Paulo aliis subinde terminis quæstio eadem proponi solet : an unio Verbi cum humanitate facta sit in persona, scilicet Verbi? Item : an utraque natura divina et humana in Christo unitæ sint in unitatem personæ, scilicet ut in una persona Verbi subsistant? Sed ad idem recidunt; idemque sonant, ac : utrum una sit in Christo persona?

Cum vero Incarnatio definiatur per ordinem ad *naturam, personam, unionem hypostaticam,* horum, aliorumque terminorum intelligentia cumprimis necessaria est, tum ad ipsum hoc mysterium rite intelligendum,

tum diversas locutiones Patrum conciliandas; quorum vel neglectus, vel ignorantia Nestorianæ, Sabellianæ, aliisque hæresibus causam dedit. Quare

162. I. Natura, ut hic a Theologis sumitur, ipsam significat essentiam, sive rationem specificativam cujusque substantiæ, præscindendo, utrum in se, an in alio subsistat. In quem sensum definitur a Boetio, L. de persona et duab. natur. c. 1. *Natura est unamquamque rem informans specifica differentia.* Ita natura humana dicit animal rationale, quod specificam hominis differentiam efficit; sed præscindendo adhuc, an in se, an in alio subsistat.

Qui philosophice de *natura* disserunt, eam ab *essentia* saltem ratione distinguunt, et hoc discriminis ponunt, quod *essentia* ordinem solummodo dicat ad *esse rei*, abstrahendo ab operatione; *natura* vero ad operationem rei; illamque definiunt, *principium motus et quietis ejus, in quo est.* At, hodierno usu, Theologi in quæstionibus de SS. Trinitatis et Incarnationis mysteriis, *naturam, essentiam, substantiam* promiscue sumunt cum Ecclesia in Conc. Lateran. IV., in quo Patres abstrahendo a subtilitate illa metaphysica, in professione fidei enuntiant: quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus tres quidem sint personæ; *sed una essentia, substantia, seu natura.* C. *Firmiter.* de SS. Trinit. Ante Lateranense Concilium et adhuc tempore Conc. Florent., nomen *substantiæ* etiam pro *supposito* usurpatum fuit; explicante Joanne Theologo Sess. 18.

163. II. Subsistentia *ut sic*, juxta modernum usum spectata, sumi potest in concreto, tum in abstracto. Priori in acceptione est ipsa natura existens totaliter, et ultimo completa, et Patribus idem sonat, quod suppositum. Altera in acceptione, in qua communiter in Scholis sumitur, formam sonat, vel ultimum complementum formæ denominantis rem subsistentem. Unde natæ voces, *suppositalitas, personalitas;* quæ est ratio, per quam aliquid subsistit in supposito, vel persona. Subsistentia vero in abstracto describi potest *ultimus terminus, seu complementum ultimum, quo natura in ratione substantiæ completa, constituitur in ratione suppositi.*

Dixi 1°. *Subsistentia ut sic.* Natura enim in ratione substantiæ completa potest subsistere vel *subsistentia propria;* vel *aliena,* ut de facto natura humana in Christo. Ut tamen res dicatur subsistere, subsistentia propria, id insuper requiritur, ut sistat vel existat in se, et non in alio tanquam pars, sive, ut alii loquuntur, per unionem physicam non trahatur ad totum dignius. Unde subsistentia etiam dici solet, *totalitas*, sive *existentia in se.* Sic de facto natura humana in Christo non habet subsistentiam propriam, sed subsistit subsistentia Verbi, quia per ipsam sui a Verbo assumptionem, trahitur ceu pars ad totum dignius, quod est Christus. E contra Verbum, licet sistat in illo toto, quod est Christus, tamen sistit in se, vel subsistit subsistentia propria, quia totum illud, *Christus*, non est quid dignius et perfectius Verbo divino etiam solo, utpote jam ante infinite digno et perfecto.

An vero illa negatio unionis cum digniore constitutivum formale sit hujus subsistentiæ, vel an connotatum solum in obliquo? sicut pariter, an *ultimus terminus* ille, vel *ultimum complementum* istud sit modus physicus superadditus, vel tantum metaphysicus et respectivus, ac proin talis etiam forma sit subsistentia? Quæstio est metaphysica, in qua, salvis utriusque

partis juribus, nostra pace quis, quid velit, sentiat. Saltem in priori *connotatio* negationis istius, in altera *modus respectivus* abunde sufficit.

Dixi 2°. *Juxta modernum usum*. Nam a Latinis olim etiam accipiebatur pro essentia, ut patet ex Conc. Rom. apud Theodoret. Eccles. Hist. L. 2. c. 17. (opp. t. 3. p. 618. A. edit. Sirmond. an. 1642.) ubi dicitur Spiritum sanctum habere unam cum Patre et Filio subsistentiam, id est, essentiam; at communi postea consensu pro persona sumi cœpit a Concil. Constantinop. I. ep. ad Damas. (Labb. t. 2. p. 964. C.), Concil. Chalced. Act. 5. (Labb. t. 4. p. 568. B.), Concil. V. Generali Collat. 8. can. 1. (Labb. t. 5. p. 567. E.), et Generali VI. Act. 4. (Labb. t. 6. p. 681. D.).

164. III. Suppositum, ex natura et subsistentia in abstracto consurgit; et definitur: *Naturæ completæ individua substantia*, ubi per *substantiam* intelligunt *subsistentiam*. Hinc ad suppositum requiritur 1°. *Natura completa*, ideoque a ratione suppositi excluditur anima rationalis, etiam in statu separationis a corpore, quia natura non est. 2°. *Per se subsistens*, juxta num. præc. 3°. *Individua*, i. e. determinata et singularis.

165. IV. Persona a supposito differt, ceu a genere species. Suppositum enim quid generalius est, nec solum Deo, angelo, homini, sed etiam brutis, plantis, et substantiis inanimatis tribuitur. At vero persona non nisi substantiis ratione præditis, Deo, angelis, hominibus; unde et *dignitatis nomen* compellatur. Quare persona nihil est aliud, quam suppositum rationale, vel intellectuale, et definitur ex Boetio L. cit. c. 3. a D. Thoma q. 29. a. 1. 0. *Rationalis naturæ* (completæ) *individua substantia*, sive *subsistentia*, in sensu n. præc.

166. V. Hypostasis, usu nunc recepto, idem est prorsus, quod persona, ut *unio hypostatica* idem sonet, quod *personalis*, derivatione sumpta a persona Verbi, in qua fit naturarum conjunctio.

Dixi: *Usu nunc recepto*. Nam ante, et aliquantum post Nicænum Concilium *natura* et *hypostasis* promiscue usurpata sunt. Ante communius sumebatur pro natura et essentia; a Dionysio tamen L. 2. de Hierarch. pro persona sumitur. Post Nicænum vero communius pro persona, licet non ubique. Sic, apud Petav. L. 2. Theol. Dogm. de Incarn. c. 6., Cyrill. Alexandrin. veterem hypostasis sensum, nondum apud Alexandrinos antiquatum necessaria de causa contra Nestorium retinuit. Et D. Hieronymi ævo de voce *hypostasis* lis inter ipsos adhuc Patres fuit, Latinis adhuc frequenter illam pro *essentia* sumentibus. In quem sensum et ipse inclinasse Hieron. videtur, ep. 57. (al. 15.) ad Damasum scribens: *Taceantur tres hypostases, et una teneatur; venenum sub melle latet*. Nimirum, quod Ariani hypostasis nomine suum errorem tegerent; cumque tres in Deo hypostases dicerent, tres ipsi substantias diversas vellent intelligi. Rogat tamen Damasum Hieron., ut figat et determinet usum et significationem *hypostasis*.

At consentiente tandem Ecclesia utraque, Latina, et Græca, pro persona adhiberi cœpit, ex Conciliis n. 163. cit., et pro eodem sumi, *suppositum, persona, subsistentia, hypostasis*, quem morem in sequentibus nos quoque tenebimus.

167. *Dico.* Unio Verbi divini cum natura humana in Christo est vere hypostatica sive personalis, scilicet facta in persona Verbi; sic, ut in Christo sit una tantum persona, scilicet Verbi.

Conclusio est dogma fidei, definitum contra Nestorium in Concilio Ephesino, in quo recepta fuit epist. S. Cyrilli Alexandrini ad Nestorium cum 12. capitulis, sive anathematismis, quæ 12. capitula habita sunt postea ut Concilii Ephesini propria : anathematismo autem tertio (opp. S. Cyrill. t. 6. sect. 1ª. p. 149. B.) : *Si quis in uno Christo dividit subsistentias post unionem, anathema sit.* Similiter Concil. Chalcedon. Act. 5. (Labb. t. 4. p. 568. B.) : *Salva*, inquiunt Patres, *utriusque naturæ proprietate, et in unam personam atque subsistentiam concurrente : non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque Filium et unigenitum Deum Verbum Dominum Jesum Christum* (agnoscimus). Accedunt publicæ fidei professiones; 1°. in symbolo Apostolorum : *Credo... et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* 2°. in symbolo Nicæno, quod, cum declarasset, Christum esse *Deum de Deo, lumen de lumine, Patri consubstantialem*, addit : *qui propter nos homines... incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine : et homo factus est.* Atqui si duplex esset in Christo persona, jam non idem, qui Deus est Dominus noster, natus esset ex Maria Virgine. Unde in symbolo Athanasii, quod adoptavit Ecclesia, paucis totum ponitur : *unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

168. *Prob. I.* Ex S. Scriptura. 1°. Juxta S. Scripturam Christus unus et idem est Deus et homo simul : Ps. 109. : *Dixit Dominus Domino meo... ex utero ante Luciferum genui te.* Matth. 3. *Hic* (Christus) *est filius meus dilectus.* Ad Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus.* Atqui Christus unus et idem non fuit simul homo et Deus secundum naturam, ut probabitur Sect. sequenti; ergo secundum personam.

2°. Deus vere factus est homo. Joan. 1. : *Verbum caro factum est.* Ad Philipp. 2. *Qui, cum in forma Dei esset... formam servi accipiens.* Ad Gal. 4. *Misit Filium suum factum ex muliere.* Atqui certe non est factus homo per conversionem divinitatis in carnem; neque enim talis mutationis capax est Deus, neque hoc unquam ipsi somniarunt Nestoriani. Sed nec factus dici potest homo per unionem moralem, vel accidentalem, qualis est inter amicos, vel inter Deum et justos; quia, quantacumque fingatur amicitia, nunquam tamen amicus dicitur *factus* alter amicus, et quantocumque amore sanctus jungatur Deo, nunquam dicitur : Deus factus est ille sanctus. Et ratio a priori est : quandocumque sunt duæ personæ, vel substantiæ internæ per se subsistentes, non potest altera dici de altera, nisi denominative solum et adjective; sic homo dici potest vestitus, non autem vestis, quia inter hominem et vestem sola unio accidentalis intervenit; ergo cum tamen Deus dicatur *factus homo, filius hominis*, id intelligi debet per unionem physicam, hypostaticam, vel personalem.

3°. Scriptura sacra uni eidemque Christo utriusque naturæ divinæ et humanæ proprietates attribuit. Joan. 8. ait Christus : *Antequam Abraham fieret; ego sum.* Joan. 10. *Ego et Pater unum sumus*, et tamen simul : *Pater*

*major me est.* Joan. 6. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Joan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo,* etc. Atqui esse ante Abraham, et simul multis post seculis nasci de Virgine; esse unum cum Patre, et Patre minorem, etc. diversa plane sunt, et tamen eidem unique Christo tribuuntur; non uni ratione naturæ, ut probabitur contra Eutychianos; ergo ratione personæ. Et vero, si duæ fuissent in Christo personæ, ac duplex Christus, non potuisset sic loqui absque mendacio; pronomen enim *ego* personam loquentem designat; adeoque personam humanam, si fuisset in Christo; quia, qui hæc loquebatur, homo erat : atqui falsum est, Christum ut hominem esse ante Abraham, etc.; ergo.

4°. Ex sacris Scripturis B. Virgo Maria est vere Θεοτόκος, *Deipara*, quæ Deum genuit. Is. 7. 14. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel,* quod est interpretatum, nobiscum Deus. Luc. 1. 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ad Gal. 4. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere;* in græco est Γενόμενον, quæ vox *generatum* significat, sicut Γένεσις *generationem.* Ad Rom. 1. 2. *Quod ante promiserat per prophetas de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Atqui non hoc sensu dicitur Deipara, quod nudam divinitatem, Deumque purum genuerit; nemo enim unquam adeo desipuit, ut id cogitaret; ergo quod genuerit eum, qui Deus simul et homo est, propter intimam et hypostaticam utriusque naturæ unionem.

*Prob. II.* Ex Ratione. Nam duæ formæ, quæ in abstracto non prædicantur de se invicem, nec in concreto prædicantur; nisi ob conjunctionem in eodem supposito, ut patet in albedine et dulcedine; ut enim vera sit propositio : album est dulce; necesse est, utramque formam uniri in eodem supposito, ut lacte; vel si in diversis sint suppositis, falsa erit propositio. Sic vero se habet in præsenti materia humanitas et divinitas; quia una non est altera, et tamen Deus est homo, et homo Deus; ergo hoc est ob talium formarum, sive naturarum, conjunctionem in eadem persona; scilicet quia subsistentia terminans naturam divinam, est ipsissima subsistentia terminans naturam humanam.

169. *Obj. I.* Ex S. Script. 1°. Ad Coloss. 2. 9. divinitas in Christo inhabitare dicitur : *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* 2°. Ipsemet Christus Joan. 2. 19. humanitatem suam templum appellat : *Solvite templum hoc;* qua locutione et Patres aliquando utuntur, ac in specie S. Cyrillus L. 6. in Joan. (opp. t. 4. p. 631. C.) Christi humanitatem *divinitatis templum* appellat. Ergo in Christo datur tantum unio inhabitationis, quæ non potest esse physica, personalis, vel vere hypostatica.

*Ad* 1$^{um}$. R. *D.* In Christo inhabitat divinitas in sensu vulgari, quomodo quis dicitur inquilinus ædium, vel olim Deus habitasse dicitur in templo Salomonis *N.* inhabitat *corporaliter*, i. e. vere hypostatice unita *C.* Sic etiam anima dicitur habitare in corpore, scilicet metaphorice, quo non obstante, illi vera unione physica jungitur.

*Ad* 2$^{um}$. R. *D.* Humanitatem appellat templum in sensu vulgari, ut ante *N.* ratione singulari, ob hypostaticam et veram conjunctionem humanitatis,

sub qua divinitas latebat *C*. Sic etiam 1. Pet. 2. S. Petrus animam suam quasi in tabernaculo ait existere; atqui non ideo dicere voluit, animam suam cum corpore solum moraliter, accidentaliter unitam fuisse. Eadem est responsio ad Patres quosdam, ac S. Cyrilli verba, eadem metaphora utentis. Certe nemo hypostaticam Verbi cum humanitate unionem Cyrillo vehementius contra Nestorium defendit.

170. *Obj. II.* Ex Patribus. Ex his aiunt 1°. alii, ut S. Aug. L. de Agon. Christiano. c. 11. et alibi, Verbum assumpsit *hominem;* unde et in hymno Ambrosiano cantatur : *Tu ad liberandum suscepturus hominem.* Atqui vox homo personam humanam importat. 2°. Alii, ut Basilius serm. de Spiritu sancto ad Amphiloch. (apud Theodoret. in reprehens. 5. Anathem. opp. t. 4. p. 474. D. ) et Eustath. a Gelasio cit., L. de 2. nat. (Bibl. PP. t. 4. p. 424. ) Christum appellant *hominem Deiferum.* Item alii ut Athanasius ipse in Exposit. fidei. n. 1. et 4. et Joann. Damasc. de Fide L. 3. c. 15. (opp. t. 2. p. 235. C. edit. Venet. an. 1748. ) *Dominicum hominem, instrumentum divinitatis* vocant. Sed hæ locutiones unionem moralem, vel accidentalem rectius, quam hypostaticam sonant.

*Ad* 1$^{um}$. R. *D.* Dicunt a Verbo assumptum hominem in concreto *N.* in abstracto, per hominem intelligendo humanitatem *C.*

*Ad* 2$^{um}$. *iterum D.* Sic appellant Christum in sensu Nestorio favente, unionem accidentalem exprimere volentes *N.* in sensu orthodoxo, quem æque habere possunt *C.* Has similesque locutiones jam Theodorus Mopsuestenus in suæ causæ patrocinium congesserat; sed frustra : ut enim merito Leontius Bysantinus L. 3. cont. Nestorian. observat (Bibl. M. PP. t. 4. part. 2ª. p. 1010. D.) non de verbis, sed de sententiis ac verborum sensu, et mente proferentium quæstio moveri debet; cum vocibus iisdem tam Nestoriana hæresis, quam Catholica veritas exprimi possit.

Sic igitur dicunt assumptum *hominem*, indicantes integram hominis naturam, non mutilatam, assumptam fuisse, ut Apollinaris voluerat, aut umbratilem, ut Phantasiastæ somniabant. Unde et in symbolo Athanasiano de Christo dicitur: *Perfectus Deus, perfectus homo* ; sed quo sensu? *ex anima rationali et humana carne subsistens*, i. e. tota natura. Sic S. Epiph. hær. 77. n. 19. Dimœritas, h. e. Apollinaristas, redarguit, quod dici nollent: *Verbum assumpsisse perfectum hominem*, eo quod de puris hominibus ea vox in Scripturis adhiberetur; sed occurrit Epiphan. negans pravitatis aliquid subesse voci, et vim ejus explicat, ut sit idem, ac *in se ipsum formavit assumendo propriam humanitatem.* Quid clarius?

Sic Christum *Deiferum* (Basil. habet carnem Deiferam), *Dominicum*, etc. dixerunt, exprimere volentes veram unionem hypostaticam Verbi cum natura humana, teste S. Maximo Martyre in Scholiis ad caput 7. Libri de cœlesti Hierarch. (opp. S. Dionys. t. 2. p. 23. edit. Venet. an. 1756. ), ubi exponit, qua ratione Basilius Deiferam Christi carnem (idem est de reliquis nominibus) appellet: *Verum caro*, inquit, *ipsius Domini secundum substantiam et subsistentiam unita fuit ipsi Deo Verbo ; ideo etiam ipse carnem gestare a Patribus dicitur, et carnem induisse. Quid igitur absurdum, si etiam ipsius caro Deifera dicitur, tanquam ferens Deum Verbum secundum unitionem indivisibilem.*

Merito tamen has loquendi rationes CYRILLUS reprehendit in Nestorio, ob pravum hujus sensum, unionem accidentalem eruere conantis; at in viris catholicis, non suspectis, et spectata auctorum eas proferentium mente, omni erroris vitio carebant.

*Inst.* At S. CHRYSOST. hom. 3. in 1. epist. ad Hebr. docet ex illo Ps. 44. *Sedes tua Deus*, etc. ab Apostolo ostendi, duas in Christo personas dari: *Hic*, inquit, *et Judæos, et Pauli Samosateni asseclas, et Arianos, Marcellumque et Sabellium feriit, et Marcionem. Quomodo? Judæos quidem, ostendens duas personas, et Deum, et hominem.* Et infra: *adversus Marcellum, quod sint duæ personæ divisæ per hypostasin.*

R. *N. A.* Christi enim nomen in illa hom. cit. loc. nequidem legere est; sed simpliciter ait, duas esse personas juxta verba Prophetæ et Apostoli: *propterea unxit te Deus, Deus tuus*; sed hoc S. CHRYS. de duabus personis divinis intelligit Patre et Filio incarnato, confutare intendens Judæos; distinctas esse personas Patrem et Filium, non unam, ut erronee putabant Judæi; deinde Christum esse simul Deum et hominem, quem illi hominem purum erant arbitrati; hic enim idem Prophetæ et Pauli scopus erat. Quæ S. CHRYS. mens adeo perspecta erat *Nestorio* ejusque fautoribus, ut nec hæresiarcha ipse, nec *Theodoretus* Nestorii propugnator, licet perpetuus S. Chrysostomi lector, nec JOANNES ANTIOCHENUS, nec FACUNDUS HERMIANENSIS, acerrimus trium capitulorum defensor, alias diligenter S. Chrysostomi loca corradens L. 11. c. 5., unquam ad CHRYSOSTOMUM appellarit. Sed et S. CHRYSOST. dogma Catholicum jam ante Nestorii ortum adeo diserte et nitide docuit, et impium Nestorii dogma decretoria sententia feriit, ut magis non posset. *Valde pium*, ait S. CHRYSOST. epist. ad Cæsarium (opp. t. 3. p. 745. E.) Christum, *qui morte circumdatus est, confiteri in divinitate perfectum, unum Filium unigenitum, non dividendum in filiorum dualitatem, non alterum et alterum; absit; sed unum et eumdem Dominum Jesum, Deum, Verbum, carne nostra amictum... Fugiamus eos, qui dividunt naturam. Etsi enim duplex natura, verumtamen indivisibilis, et indissipabilis unitio in una filiationis confitenda persona.*

171. *Obj. III.* Si una esset in Christo persona, scilicet Verbi; ergo verum esset dicere: *unus de Trinitate est passus*: atqui hoc non; nam HORMISDAS S. Pontifex hanc propositionem in Monachis Scythiæ damnavit.

R. *C. M. N. min. et prob.* HORMISDAS solum repressit temeritatem et pertinaciam monachorum Scythiæ, qui hanc propositionem contendebant necessario adjiciendam esse definitioni Concilii Chalcedonensis; quasi hæc, nisi adderetur illa propositio, manca et imperfecta foret; atque ideo de Nestorianismi labe infectos habebant, qui dictæ propositioni subscribere renuebant. Quem intempestivum zelum, pertinacemque animum reprehendit HORMISDAS, ceu tumultuum et dissensionum causam, ac silere jussit de propositione ista, circa ipsam vero propositionem judicium non tulit. At hunc loquendi modum postea revera approbavit Ecclesia in Concil. general. V. Collat. 8. can. 4. et 5. (Labb. t. 5. p. 558.), JOANNES II. S. P. in epist. ad Justinianum, in qua et Imperatorem laudat, qui eam tuebatur; e contra damnat monachos Acœmetas contra sentientes.

172. *Obj. IV.* Ex Ratione. 1°. De conceptu substantiæ est, subsistere per se; definitur enim, *quod est per se*: atqui humanitas Christi est substantia; ergo debet subsistere per se; vel secus, non erit substantia. 2°. Si humanitas Christi careat proprio subsistendi modo, non erit vera et perfecta substantia; quia careret subsistentia sua, quæ est complementum naturæ, et hujus perfectio. 3°. Persona est *naturæ rationalis individua substantia*: atqui Verbum assumpsit naturam rationalem individuam; ergo. 4°. Persona Christi est composita, ex Synodo generali V. Collat. 8. can. 4. ubi definitur, *unitionem factam esse secundum compositionem.* Et additur: *subsistentiam Christi esse compositam.* Ergo duæ debent esse in Christo personæ; nam persona composita duas dicit personas simplices, ex quibus componitur.

*Ad* 1$^{um}$. R. *D.* De conceptu substantiæ est, subsistere per se; perseitate, quæ excludat inhæsionem alteri tanquam subjecto, more accidentium *C.* quæ excludat subsistentiam in alio *N.* Plus ex conceptu substantiæ nequit evinci: est de conceptu substantiæ posse subsistere subsistentia propria et connaturali; non autem ita actu subsistere, ac non posse subsistere subsistentia nobiliore et digniore, quæ vices suppleat subsistentiæ propriæ.

*Ad* 2$^{um}$. *N. A. Ad prob. D.* Subsistentia est complementum et perfectio naturæ, hanc perficiens in ratione naturæ, vel essentiæ *N.* illam constituens in ratione suppositi, et hoc tantum sensu perficiens *C.* At si constituatur in ratione suppositi per subsistentiam nobiliorem et digniorem, habetur complementum ultimum, et sic perfectio nobiliori modo, quem ex suo conceptu non excludit substantia.

*Ad* 3$^{um}$. *D.* Est individua substantia, i. e. subsistentia *C.* individua natura *N.* juxta n. 165. Ideo fit, ut persona, quia est naturæ rationalis individua subsistentia, substantiam faciat existere separatim, et incommunicabilem alteri. At Verbum non assumpsit naturam humanam jam subsistentem, et habentem personam propriam.

*Ad* 4$^{um}$. R. *D.* Persona Christi considerata *præcise* secundum id, quod dicit in recto, et secundum se, est composita *N.* considerata tam secundum id, quod dicit in recto, quam secundum id, quod dicit in obliquo *C.* Priore modo enim considerata, est personalitas Verbi, quæ est simplicissima. At quia personalitas Verbi subsistit in duabus naturis inter se unitis, ideo considerata posteriore modo recte dicitur composita, h. e. *subsistens duabus naturis;* ex quo nullo modo sequitur, ipsam compositam esse ex duabus personis simplicibus. Et hæc mens fuit Patrum Syn. V.; illud enim: *secundum compositionem,* opponunt Eutychianis asserentibus unionem factam secundum confusionem naturarum; et Nestorianis, volentibus factam secundum affectum, vel simili morali modo.

173. *Obj. V.* Specialiter contra, quod B. Virgo sit Θεοτόκος *Deipara.* B. Virgo non genuit divinitatem; ergo.

R. *N. Cons.* Ut enim sit et dicatur mater Dei, satis est, quod genuerit eum, qui est Deus; ferme ut in humanis: ut enim mulier sit, et dicatur mater hominis, satis est, quod eum genuerit, qui est homo, licet nobiliorem hominis partem, animam, non generet.

*Inst.* 1. Terminus generationis est suppositum: atqui suppositum divinum non potest terminare generationem temporalem; quia terminus gene-

rationis non potest esse ante actionem generationis : atqui suppositum divinum jam erat ante generationem temporalem ipsius Christi ; ergo.

R. *N. min. Ad prob. D. min.* Suppositum, vel persona divina, ut est simplex, et subsistens in sola natura divina, jam erat ante *C.* ut est composita, et subsistens simul in natura *N.*

R. *Neque dicas :* Sicut terminus generationis divinæ est persona : ita pariter generationis humanæ persona humana. Nam persona divina, cum infinita sit, terminare generationem humanam potest ; non sic e contra persona humana generationem divinam.

*Inst.* 2. Mater suo filio consubstantialis esse debet : atqui B. Virgo non est consubstantialis filio ; alias foret Dea, ut inferebat Nestorius.

R. *D. A.* Debet esse consubstantialis filio ex omni parte *N.* ex aliqua parte, secundum naturam, quam ipsi communicat *C.* Licet igitur non sit consubstantialis suo filio secundum naturam divinam, recte tamen mater Dei dicitur ; quia genuit eum, qui est Deus. Et ulterior ratio est, quia generatio terminatur ad personam, non ad naturam ; unde non solemus dicere, nec proprie dicitur, natura humana genita ; sed homo genitus : atqui homo, a B. Virgine genitus, est Deus ; ergo et illa mater Dei, juxta illud S. Elisabeth Luc. 1. *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

*Inst.* 3. Ergo eodem jure dici posset B. Virgo mater Verbi divini.

R. *D. Illat.* Mater Verbi formaliter *N.* materialiter, quatenus est mater illius, qui est Verbum Patris *C.* In rigore, *Verbum formaliter,* significat terminum generationis æternæ per divinum intellectum. Quo tamen non obstante, etiam in sensu catholico, passim dicitur mater Verbi, scilicet materialiter, sensu dato.

## ARTICULUS III.

### AN IN CONCILIO EPHESINO GENERALI III. CANONICE DAMNATUS SIT NESTORIUS? ET NUM HUJUS ERRORI ADHÆSERIT JOANNES ANTIOCHENUS CUM SUIS ORIENTALIBUS EPISCOPIS?

Primum negant ex *Calvini* schola et secta scriptores posteriores *Albertinus, Ægidius Gaillard,* aliique, non tam personæ Nestorii gratia, quam ea occasione detrahendi Synodo œcumenicæ, indeque ducendi argumentum, ad infringendam aliarum Synodorum auctoritatem. Quoad alterum ratio dubitandi quibusdam est visa, quod Joannes plura gesserit Ephesi, præcipue damnando S. Cyrilli 12. capitula, vel anathematismos ; quibus tamen hic S. Præsul dogma catholicum tuitus, damnabat nefariam doctrinam Nestorii. Sed

174. *Dico I.* Nestorius legitime ac canonice ab Ephesina Synodo damnatus est. Conclusio continet partes duas ; 1ª. quod *legitime,* sive juste, ob doctrinam hæreticam damnatus sit. 2ª. quod *canonice ;* sive quod in ejus condemnatione erratum non fuerit contra formam judicii. Igitur

*Prob.* 1ª. *p.* Nestorius vere hæresin docuit ; ergo legitime, et juste damnatus est. *Cons.* patet. *Prob. A.* Nam 1°. Nestorium docuisse, a Verbo assumptum esse hominem perfectum, subsistentem, constat ex symbolo ab

ipso Nestorio condito, quod Charisius presbyter Patribus Ephesinis obtulit, ut videre est Act. 6. (Labb. t. 3. p. 678. C.)

2°. Ideo aiebat hominem in utero B. Virginis formatum, sive filium Virginis, alium esse ab unigenito Dei Filio; ut loquitur Nestorius ipse in anathematismo primo contra Cyrillum (Labb. ibid. p. 423. C.) : *Si quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, et non potius nobiscum Deum : hoc est inhabitasse eam quæ secundum nos est, naturam, per id quod unitus est nostræ, quam de Maria Virgine suscepit : matrem etiam Dei verbi, et non potius ejus, qui Emmanuel est, nuncupaverit.... anathema sit.* Unde liquet, duos eum filios in Christo asseruisse, unum Filium Dei, alterum Virginis, quem Emmanuel vocat : huncque solum a Virgine genitum esse, sicque illam solius meri hominis matrem esse. Quæ duo sæpe aliis in scriptis repetit; prius in Quatern. 16. ex Conc. Ephes. Sess. 1. (Labb. t. 3. p. 525.), alterum in ep. 2. ad Cyrill. (opp. S. Cyrill. t. 5. part. 2. Sect. 2. p. 27.) Et serm. vel homil. 1. de Incarn. n. 6. (inter opp. Marii Mercat. part. 2ª. p. 5. edit. Garnerii.) : *Habet matrem Deus? Ergo excusabilis gentilitas matres Diis subintroducens... Non, vir optime, Maria peperit Deum.*

3°. Quod ex adoptato principio consequens erat, in Christo non dari unionem substantialem physicam, et hypostaticam, sed moralem duntaxat, atque accidentalem, ipse professus est. 1°. *Habitationis*, cum totum Incarnationis mysterium nihil esse aliud velit, quam *habitationem Dei in homine*, Quatern. 16. cit. 2°. *Dignitatis* ibid. Unde et ejus vox erat, Quatern. 16. (Labb. p. 524.) : *Propter eum, qui portat; eum, qui portatur, veneror: propter eum, qui latet; eum, qui apparet, adoro.* 3°. *Operationis, affectus*, ut iterum ex ipso Nestorio constat apud Cyrill. ep. 2. (opp. t. 5. part. 2ª. p. 20. B.) Quæ omnia, aiunt Patres Ephesini, se hausisse ex ipsis Nestorii scriptis, et sermonibus.

*Conf.* 1. Cum Joannes Antiochenus ad litteras Cyrilli propterea moneret Nestorium, ut ab his erroribus prædicandis desisteret, ad idemque hortaretur Cyrillus; præciperet Cœlestinus S. P. sub pœna depositionis, et excommunicationis, ut professione fidei orthodoxæ hos errores ejuraret; ac tandem ipsa Ephesina Synodus idem exigeret; nulli unquam paruit Nestorius; ergo, facto proprio, rursus se reum assertæ doctrinæ probavit.

*Conf.* 2. Testimonio veterum omnium, qui de Nestorio scripserunt, præcipue S. Cyrilli in anathematismis 12. contra Nestor. Item epist. ad Cœlestinum S. P.; Theodoret. L. 4. de hær.; Cass. L. 2. de Incarn. et L. 5.; Liberati in Breviario Caus. Nestor. (Labb. t. 5. p. 740.); ipsius Imperatoris Theodosii, cleri, et populi Constantinopolitani, ac totius Christiani orbis, qui constanter usque huc Nestorium ceu hæresiarcham execratus est; ut proin non appareat, qui sine impudentiæ et summæ temeritatis nota negari queat, etiamsi ab auctoritate Synodi œcumenicæ præscinderemus, Nestorium docuisse hæresin.

173. *Prob.* 2ª. *p.* In condemnatione Nestorii nihil ab Ephesinis Patribus erratum fuit quoad formam judicii et condemnationis canonicæ; ergo. *Prob. A.* Ut quis canonice condemnetur, requiritur 1°. criminis notitia, et debita probatio. 2°. Testes non suspecti, et non illegitimi. 3°. Diligens ante

sententiam inquisitio et examen. 4°. Concessa reo se purgandi copia. 5°. Judex competens. 6°. In reo pertinacia. Atqui hæc omnia in condemnatione Nestorii concurrerunt.

1°. Notoria erat Nestorii hæresis, quam scriptis et sermonibus disseminabat; ad quam tota Constantinopolitana urbs, exceptis paucis Nestorii assentatoribus, turbata fuit, adeo ut plerique de populo, clero, et senatorio ordine, Nestorium, ubi esset, refugerent, ne ejus se communione polluerent; et liquet amplius ex ante dictis.

2°. Testis erat clerus et totus Constantinopolitanus populus, qui Nestorii concionibus interfuit; item S. Cyrillus, Episcopi Ephesi congregati supra 200. et convocati ex omnibus partibus, quorum fides nullo ex capite suspecta reddi potest; iique omnes nullo ex delicto, aut aliunde illegitimi; item urbs Constantinopolitana.

3°. Judicium hoc non fuit præproperum, aut sine accurato examine; ut enim ex ipsis Concilii Actis constat, Act. 1. Nestorii scripta explorata sunt diligenter, et cum Nicæna fide, ac SS. Patribus, divinisque Scripturis collata.

4°. Nec conqueri potuit Nestorius, se non auditum, condemnatum fuisse; quippe juxta canones, tertio legitime citatus et honorifice, missis ad eum Episcopis, ut se Concilio sisteret; non modo non paruit contumax; sed missos etiam legatos, ne quidem aspectu et alloquio dignatus, superbe et contemptim abegit.

5°. Episcopi in causis fidei debite congregati, ut in Concilio generali legitimo, sunt veri et competentes judices; erantque tum illi uniti Ecclesiæ capiti, Romano Pontifici, qui jam ante quoque in Romana Synodo sententiam tulerat in Nestorium.

6°. Pertinacia Nestorii summa fuit; quippe sæpe monitus, ut ab errore desisteret: sæpe damnatus in pluribus particularibus ante Ephesinam Synodis: Romanis quatuor, tot Alexandrinis, accedunt Constantinopolitanæ; quibus singulis, uti et generali Ephesinæ se submittere renuit; ut proin merito Patres Ephesini condemnationis et depositionis sententiam miserint ad Nestorium, sub hac epigraphe: *Nestorio novo Judæ.*

176. *Obj. I.* Nestorius nullius eorum reus fuit, ob quæ est condemnatus; ergo. *Prob. A.* 1°. B. Virginem confessus est *Deiparam*, Θεοτόκον, serm. 5. n. 4. (inter opp. Marii Mercat. part. 2ª. p. 30.): *Si quis hac voce* Θεοτόκος *gaudet, apud me nulla est de voce invidia; tantum ne Virginem faciat Deam.* Et serm. 12. n. 7. (ibid. p. 86.): *Damna eos, qui dicunt secundum Apollinaris et Arii sensum Dei genitricem, et ego una tecum clamo* Θεοτόκον. Et n. 22. *Quæ peperit, propter unitatem dicatur genitrix Dei*, i. e. Θεοτόκος.

2°. Negavit Nestorius duas esse in Christo personas, duos filios; nam in epist. ad Cyrillum, quæ est inter Cyrillianas ordine quinta (opp. S. Cyrill. t. 2. part. 2ª. sect. 2ª. p. 26. E.): *Nomen Christi*, ait, *expertem patiendi, et patibilem substantiam in una et singulari significare persona.* Ac paulo post (ibid. p. 27. A.): *Divinitatis et humanitatis in unius personæ copulationem congruentium rationem* vocat.

3°. Idem Nestorius aperte profitetur apud Cyrill. L. 2. cont. Nestor. (opp.

t. 6. p. 44. D.) : quemadmodum unitas in Christo, ac divisio, vel duplicitas spectanda sit; scilicet : *nullam esse divisionem copulationis illius, neque filiatis; sed neque, qua Christus est, ullam inesse divisionem; verum divinitatis et humanitatis duntaxat.* Quare infert : *nec duos nos habere Christos; nec filios duos, sed unum.* Atqui hæ propositiones orthodoxe sonant; ergo.

R. *N. A. Ad* 1um. *D.* Confessus est Deiparam in sensu orthodoxo *N.* pravo et hæretico *C.* Nimirum, vocem Θεοτόκος, *Deipara*, tribui B. Virgini permisit, non in sensu catholico, juxta quem Deum genuit; sed in sensu maligno; eatenus, quia genuit hominem, qui postea unitus Deo, et factus Dei templum est; ut dictum in Concl. prob. 2. et ipse exposuit in epist. ad Cœlestin. (Labb. t. 3. p. 351. A.) : *Ferri tamen potest* hoc vocabulum (Θεοτόκον).... *propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa; non quia ipsa mater sit Dei Verbi; nemo enim antiquiorem se parit.*

*Ad* 2um. *D. similiter.* Negavit in sensu catholico *N.* hæretico *C.* Fundamentale enim principium totius Nestorii hæresis fuisse, quod Verbum sibi univerit hominem in utero B. Virginis perfecte formatum, sicque subsistentem in se, ac propriam habentem personam, vidimus n. 174. ex symbolo Nestorii. Dum vero subin personæ unitatem profiteri visus est; unitatem intellexit non aliam, quam moralem, eo quod persona in Christo humana esset moraliter unita personæ divinæ, unione habitationis, vel dignitatis, etc.; cum Incarnationis mysterium nihil aliud crederet esse, quam *habitationem Dei in homine*, ut modo ante et supra diximus. Quæ unitas coincidit cum unitate ex fictione juris; juxta quam tutor et pupillus, pater et filiusfamilias dicuntur et censentur persona una.

*Ad* 3um. Eadem est resp., et quidem his in locis aperte ipse unitatem dignitatis exprimit; nam in primo vox *dignitatis* ab adversariis prætermissa suppleri debet; sic enim cit. loco verba sonant : *nullam esse divisionem copulationis, quæ in dignitate consistit.* Et in altero ita habent : *sed unum et eumdem esse dignitate.*

177. *Obj. II.* Cum Synodus Ephesina sententiam ferret in Nestorium, nondum erat œcumenica; nam 1°. nondum aderat Joannes Antiochenus cum Episcopis suis Orientalibus. 2°. Nondum aderant Legati Pontificii, quippe qui nonnisi celebrata jam Actione 1., in qua damnatus Nestorius, advenerant. 3°. Nestorius ipse non adfuit; quin Episcopi stantes a parte Nestorii palam contestati fuerant, se irritum habituros, quidquid decerneretur in Nestorium antequam Joannes cæterique Orientales advenissent; ergo certe canonice damnatus non fuit.

R. *Ad* 1um. *N. A. Ad prob.* 1am. Licet de industria moras traheret, ut Nestorio faveret, ut ait Synodus Act. 5. (Labb. t. 3. p. 659. E.) in relatione ad Cœlestinum : *Tanta dilatione malitiose usus est, cum ipsum anteverterint, qui majori viarum intercapedine distabant*; ipse tamen jam per legatos consenserat ad dandum initium Synodo, etiam se absente. Ephesum vero cum advenisset, Synodus eum, ut interesset, honorifice invitaverat. Etsi daremus nihil horum observatum actumque fuisse, non ideo sequitur; ergo Synodum, propter Joannis cum suis absentiam, œcumenicam non fuisse, alioquin nulla unquam fuisset œcumenica Synodus; imo moraliter esset impossibile, ut haberi posset, cum in nulla unquam omnes convenerint Epi-

scopi; et fieri moraliter non possit, ut omnes conveniant, nullo excepto. Sed sufficit ad œcumenicitatem Synodi, omnes, qui jure convocandi sunt, legitime convocatos fuisse. Quod si ex convocatis adesse malitiose morentur, mora, secundum regulas juris, his solum, non aliis, nocere debet. Ac demum ex Orientalibus illis Episcopis Joannis Antiocheni plures nequidem ex jure convocandi, nedum exspectandi erant, cum, teste Synodo in relat. cit. (Labb. ib. p. 663. E.) ex his *alii essent ob graves culpas depositi; cum ipsis etiam Pelagiani, Celestiani.*

*Ad* 2$^{um}$. Cœlestinus executionem sententiæ jam Romæ in Nestorium latam commiserat S. Cyrillo; qui proin vices Romani Pontificis gerebat, ut adeo aliorum Legatorum Pontificis absentia nihil sententiæ in Nestorium latæ canonicitati deroget. Deinde Legati Pontificii, qui de novo advenerant, excussis diligenter in Act. 2. iis, quæ Act. 1. contra Nestorium decreta fuerant, et ipsi in Act. 3. subscripserunt.

*Ad* 3$^{um}$. Contumacia, qua Nestorius canonice citatus comparere noluit, utpote reus, ipsi soli, non Synodo obesse potest; alioquin in reum contumaciter comparere nolentem nunquam posset a judice ferri sententia. Idem est de Episcopis Nestorianis. Absentia vero Orientalium his juxta resp. ad 2$^{um}$. patrocinari non poterat.

178. *Inst.* 1. Cyrillus erat Nestorii inimicus; et tamen, promotore maxime Cyrillo, lata fuit sententia in Nestorium.

R. S. Cyrillum adversarium fuisse doctrinæ perversæ Nestorii, non personæ. Nam imprimis, antequam Nestorius spargeret hæresin suam, nullas prorsus cum Nestorio simultates habuit. Post vero nihil non movit Cyrillus, ut Nestorium aberrantem reduceret; ut constat ex ejus epist. ad Nestorium, et Joannem Antiochenum. Quod vero plane pertinacem impugnarit, tuendo dogma catholicum, pro officio fecit. Nec tam ipse promotor erat sententiæ in Nestorium, quam Ephesini Patres omnes, Nestorii scriptis diligenter excussis.

179. *Inst.* 2. Nestorii accusatores simul erant testes, imo judices; ut Cyrillus, Theodotus Ancyranus, Acacius Mitylenensis: at hoc repugnat formæ canonici judicii; ergo.

R. 1°. Quoad S. Cyrillum; nec proprie testis fuit, nec accusator Nestorii, sed accusator erat populus Constantinopolitanus: clerus urbis ejusdem; qui de doctrinæ Nestorii impietate querebantur: monachi qui pro convocanda Synodo libellum supplicem Imperatori obtulerant. Scripsit quidem de Nestorii doctrina ad Cœlestinum S. P. Cyrillus; sed postquam intellexisset, Nestorium prius ad eumdem scripsisse. Testes erant, qui de populo et clero concionantem audiverant, homilias Nestorii legerant, et reliqua Nestorii scripta: ipsi etiam anathematismi contra Cyrillum; et epist. ad eumdem. Cyrillus autem potius partes strenui defensoris fidei, et, accepta a Cœlestino facultate, executoris sententiæ Romani Pontificis egit.

R. 2°. Theodotus vero et Acacius, si quid in Concilio protulerunt contra Nestorium, non præcise qua accusatores egerunt; sed, more aliorum etiam judicum, ad declarationem justæ sententiæ, quæ fertur.

180. *Dico II.* Nunquam Joannes Antiochenus Nestorii erroribus adhæsit.

*Prob.* 1°. Non adhæsit iis ante Ephesinam Synodum. *Prob.* Post acceptas enim Cœlestini et Cyrilli litteras, Joannes, data ad Nestorium epistola, adeo non approbavit ejus errorem, ut ab eodem dehortaretur etiam Nestorium. *Etenim,* in epist. cit. (Labb. t. 3. p. 393. A.) *si id, quod nominis* (Deiparæ) *significatione offertur, non recipimus, restat, ut in gravissimum errorem prolabamur. Imo vero, ut inexplicabilem illam unigeniti Filii Dei œconomiam abnegemus. Quandoquidem nomine hoc sublato, vel hujus potius nominis notione repudiata, sequitur mox, illum non esse Deum, qui admirabilem illam dispensationem nostræ salutis causa suscepit; tum Dei Verbum neque se exinanivisse, neque in servi formam se demittens, ineffabilem quamdam benignitatis magnitudinem humano generi exhibuisse,* etc. *Quorsum vereris pium sensum convenienti voci* Θεοτόκος *prædicare?* et similia. Hæc certe Joannis animum a Nestorii impuro placito longe remotum produnt.

2°. Neque in ipsa Synodo, cum Joannes esset Ephesi; licet enim, ut primum advenisset, coacto propriis in ædibus cum suis Orientalibus conciliabulo, multa non excusanda egerit, sententiam depositionis ferendo in S. Cyrillum, et Memnonem; ejus contra Nestorium anathematismos rejiciendo, ceu de Apollinaris, et Eunomii hæresi suspectos; ipsam Synodum Ephesinam impugnando, etc.; ipsum tamen Nestorii dogma nunquam, nec sua in Cyrillum censura approbavit, teste Sixto Rom. Pontifice, in ep. post initam pacem ad Cyrillum data (Labb. t. 3. p. 1177. A.) : *Non se exuli vestro sanctus frater noster Joannes addiderat : non ejus est blasphema prædicatione deceptus.* Et S. Cyrillo ipso epist. ad Valerianum (opp. t. 2. part. 2ª. sect. 2ª. p. 171. A.) : *Religiosissimi totius Orientis Episcopi una cum Domino meo Joanne... scripta dilucidaque confessione omnibus palam fecerunt, se profanas Nestorii vocum novitates, æque ac nos condemnasse et anathematizasse, seque nullo unquam loco eas habuisse.*

3°. Minime vero post initam inter ipsum, et S. Cyrillum, et Ecclesias pacem, sive post Synodum; quod constat ex oratione, quam Paulus Emissenus Alexandriæ, illuc ea de causa a Joanne et Orientalibus missus, ad pacem cum Cyrillo ineundam habuit in festo Nativitatis, cum summa acclamatione populi, cujus hæc professio (Labb. t. 3. p. 1097. A.) : *Non igitur duos Filios asserimus; neque merum hominem Emmanuelem, qui ex Deipara Virgine natus est; neque gratiam, veluti Prophetam, aut Justum aliquem, plus aliis consecutum,* etc. Præterea ex ipsiusmet Joannis ad Sixtum summum Pontificem litteris, quibus exponit, se primum non æquo tulisse animo, quæ contra Nestorium gesta fuerant; sed adjungit (Labb. ibid. p. 1089. A.) : *Placuit et nobis quoque in S. Synodi sententia, qua Nestorium deposuit, acquiescere, ipsumque pro deposito habere, ac* (N. B.) *blasphemam illius doctrinam anathematizare.*

Igitur ex tota Actorum serie illud colligitur, Joannem Nestorii personæ, ob veterem amicitiam cum illo jam tum in monasterio ad Lauram contractam, quod in epitome historica supra notavimus, favisse quidem, et conatum, ut prævisæ eriperet depositionis sententiæ; at non adhæsisse Nestorii nefando dogmati.

181. *Obj.* Patres Ephesini 1°. in epist. synodica ad clerum Constantino-

politanum monent, quod Joannem cum suis anathematizarint (Labb. t. 3. p. 770. C.) : *quod cum Nestorio sentire, nequaquam cessent.* Idem aiunt in relat. ad Imperatorem. 2°. S. Cyrillus epist. ad Theopemptum scribit (opp. t. 5. part. 2. p. 92. D.) eos *Nestorii dogmata loqui, sentire, et confiteri*; ergo.

R. Patres Ephesini et S. Cyrillus sic scribebant, eo quod tam pertinaciter adhærendo Nestorii partibus et ipsam impugnando Ephesinam Synodum, se, non sine fundamento, suspectos fecissent apud omnes in urbe de Nestorii doctrina *C.* quod re ipsa hac infecti fuerint *N.* Res illa meri facti erat, cujus veritatem detexit exitus, eos revera Nestorii hæresi infectos non fuisse. Unde et S. Cyrillus, veritate comperta, correxit opinionem suam in epist. ad Valerian. cit. in Concil. Item epist. ad Acacium Mitylenensem.

*Nec* inde *sequitur,* temerarium fuisse hoc Patrum in Joannem ejusque Episcopos Orientales judicium; tum ob dicta in resp., tum ideo, quod citati a Synodo, ut fidei suæ contra Nestorium rationem redderent, id facere nollent. Hinc ad summum, in re meri facti, falsum fuit.

*Si ais :* Joannes cum suis in conciliabulo suo damnavit 12. capitula, sive anathematismos S. Cyrilli, quos totidem Nestorianæ doctrinæ erroribus directe opposuerat; ergo hos Cyrilli anathematismos damnando, hoc ipso approbavit doctrinam Nestorii.

R. *D. A.* Damnavit anathematismos S. Cyrilli, quatenus impugnabant doctrinam Nestorii *N.* quia, ut aiebat Joannes in decreto, utque ipse putaverat, Cyrillus impugnando Nestorium, lapsus videbatur in hæresin Apollinaris, Eunomii, et Arii *C.* At hoc falsum erat, ut ostendet Articulus sequens.

## ARTICULUS IV.

### UTRUM S. CYRILLUS IMPUGNANDO NESTORIUM LAPSUS SIT IN APOLLINARIS HÆRESIN; EJUSQUE EPISTOLÆ ET ANATHEMATISMI OMNIS VACENT ERRORIS CULPA?

*Apollinaris* hæresin S. Cyrillo, velut ab hoc in Epistolis et Anathematismis contra Nestorium expressam, primus objecit Theodoretus Cyrensis, Cyri Episcopus, Nestorio impense favens, et conciliabuli Ephesini contra Synodum œcumenicam præcipuum fulcrum. Post initam S. Cyrillum inter, et Joannem Antiochenum, ac reliquos Orientales, atque Ecclesias pacem, Orientalium variis opinio eadem insedit de Cyrillo : memorata hujus scripta ab errore Apollinaristarum pura non esse. Posterioribus nostris temporibus, ex Doctoribus Protestantium quidam Nestorium sanctis Patribus et Martyribus, S. Cyrillum e contra Apollinaristarum et Eutychianorum fæci adnumerant. At quoad primum interim

182. *Dico.* S. Cyrillus impugnando Nestorium in Apollinaris hæresin lapsus non est, ejusque scripta, Epistolæ, et Anathematismi omni errore vacant.

*Prob. I.* de Epistolis. 1°. Auctoritate ipsius Ephesinæ Synodi Act. 1. in qua lectæ sunt S. Cyrilli ad Nestorium litteræ et a Patribus approbatæ, qui suum de earum orthodoxia judicium hisce expresserunt in relatione ad Imperatorem Act. 1. (Labb. t. 3. p. 570. E.) *Cyrilli religiosissimi sanctissimique Archie-*

*piscopi epistolas de fide conscriptas cum hac expositione* ( Nicænæ fidei et Patrum ) *contulimus, collatisque dogmatibus ac sententiis consentaneas reperimus, nec ulla re doctrinam ejus a pia illa expositione discrepantem.* Ac in relatione ad Cœlestinum S. P. ( Labb. t. 3. p. 662. B. ) : *Lectæ sunt litteræ, quas sanctissimus.... Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus Cyrillus ad eum* ( Nestorium ) *scripserat; quas S. Synodus approbavit, ut recte inculpateque exaratas, atque in nullo dissentaneas divinis Scripturis, etc.*

2°. Auctoritate Cœlestini S. Pontificis in epist. ad Cyrillum, qua hujus zelum et fidei tuendæ studium dilaudat ( Labb. ib. p. 348. ) : *Nos quoque, dilecte Frater, nonnulla addituri eramus; nisi eadem omnia, quæ nos sentimus ac tenemus, te itidem sentire, ac tenere perspiceremus, et in fide tuenda fortissimum te propugnatorem esse, exploratum haberemus.* Et in altera ad Nestorium ( Labb. ib. p. 361. B. ) ait, se Ecclesiæ Alexandrinæ sacerdotis fidem probasse et probare, monetque Nestorium, ut eadem sentiat.

*Prob. II.* de Anathematismis. Nam et hos ab Ephesina Synodo approbatos fuisse, testatur Vigilius S. P. in decreto, quo exauctoravit Rusticum et Sebastenum, Romanæ Ecclesiæ diaconos; tum Joannes Sebastenus in epistola Synodica ad Leonem imperatorem; Liberatus in Breviar. Et profecto Synodus V. Collat. 8. can. 13. ( Labb. t. 5. p. 578. ) non alia de causa Theodoreti scripta quædam, tanquam impia, anathemate notavit, nisi quod 12. Cyrilli capitula sive anathematismos damnasset; eademque de causa, can. 14. Ibæ Edesseni feriit epistolam. Nec aliter insequentes Synodi judicarunt, quæ superiorum, et inter has quintæ Synodi Acta comprobarunt.

183. *Obj. I.* S. Cyrillus ipse agnovit postea, se ex nimio contra Nestorium studio in errorem incidisse Apollinaris; ergo. *Prob. Ant.* Si id non agnovisset Cyrillus, cur ergo, cum pacem iniret cum Joanne Antiocheno aliisque Orientalibus, ab iis non exegit, ut suos in Nestorium anathematismos approbarent; aut certe revocarent damnationem eorum, velut infectorum Apollinaris hæresi, unde tanta S. Cyrillo conflabatur infamia?

R. *N. A. Ad prob.* R. S. Cyrillum prudenti ex œconomia et studio restituendæ inter Ecclesias pacis, tacuisse de suis capitulis. Equidem inde Orientales aliqui causam sumpsere judicandi, Cyrillum retractasse sua capitula; sed immerito. Nihil enim prorsus retractavit, ut ipse declarat epist. ad Acacium (opp. t. 5. part. 2ª. sect. 2ª. p. 110. D. ) : *Volebant,* inquiens, *omnia aboleri, quæ vel epistolis, vel tomis, vel libris evulgaveram, et soli fidei, quæ a sanctis Patribus nostris Nicææ edita fuerat, consentire; ego vero ad ista ita rescripsi: Expositioni fidei, quam Nicæni Patres ediderunt, adhæremus omnes. Quæ vero recte contra Nestorii blasphemias scripsimus, ea ejusmodi esse, ut nulla nobis ratione persuaderi possit, ut recte scripta esse negemus.*

*Nec contendas*, hoc loco S. Cyrillum loqui solum de epistolis suis, aliisque libris, non 12. capitulis, vel anathematismis, ex quibus potissimum argumenta contra Cyrillum petuntur. Nam anathematismi Cyrilli erant pars epistolæ ejusdem tertiæ ad Nestorium et synodicæ, quam dedit ad Nestorium tum primum, cum a Cœlestino S. P. declaratus esset executor sententiæ, quam Cœlestinus tulerat in Nestorium; et cum ante celebrasset Alexandrinam Synodum.

184. *Inst.* 1. Orientalium plures, docti, catholicique Episcopi semper habiti, ut Andreas, Theodoretus, impugnarunt Cyrilli capitula, quod Apollinaris hæresin continerent; ergo.

R. Neutrius auctoritas valet quidquam : ambo adhærebant Nestorio, et Joanni Antiocheno ac hujus conciliabulo : scripseruntque contra Cyrillum ex hortatu tum Nestorii, tum Joannis ; quando hic conciliabulum cogebat Ephesi ad impugnandam Ephesinam Synodum. *Mandavit ergo*, inquit in Breviario c. 4. Liberatus de Joanne loquens (Labb. t. 5. p. 744. D.) *Andreæ et Theodoreto Episcopis Concilii sui, ut scripto ostenderent contra ipsa duodecim capitula, tanquam Apollinaris dogma instaurantia.* Sed et uterque a Cyrillo confutatus, ad id eum stimulantibus Patribus Ephesinis, ut liquet ex Conc. Actis. Sed et ab hac censura sufficienter a Synodo ipsa absolutus est S. Cyrillus, cum ista Act. 5. omnia decerneret irrita, quæ Joannes cum suis contra Cyrillum tentaverat. Demum Theodoretus ob impugnata duodecim Cyrilli capitula in Syn. gen. V., ut dict. prob. 2., pœnas dedit.

185. *Inst.* 2. Adhuc post Ephesinam Synodum, et pacem inter Ecclesias restitutam, duodecim Cyrilli capitula impugnabant Orientales catholici, et alii, neque tamen his contradicebat Cyrillus ; ergo signum est, quod retractaverit. *Prob. A.* Nam impugnabant Ibas Edessenus in epist. ad Marin Persam, Gennadius Constantinopolitanus Episcopus, vir sanctus, qui duodecim capitula ut hæretica damnavit, teste Facundo Hermianensi in Defens. trium Capitul. L. 2. c. 4. ; impugnabat et Isidorus Pelusiota, epist. L. 1. ep. 310. et 370.

R. 1°. *in genere :* Impugnarunt decepti, et quod Cyrilli mentem non essent assecuti *C.* vel *T.* secus *N. Dixi* : vel *T.* Non enim de omnibus citatis, quod *impugnarint*, verum est. Cur vero post pacem initam, adhuc Orientalium nonnulli putarint, Cyrillum retractasse capitula sua, dictum n. 183. in resp.

R. 2°. *Ad prob. in specie :* Ibas quidem impugnabat Cyrillum ejusque capitula, sed male ; nec enim in Concil. Chalcedonensi ante receptus est, quam, quæ in epistola ad Marin contra Cyrillum scripserat, ipse diluisset.

*Nec dicas :* Ipsa tamen Ibæ epistola in Synodo Chalcedonensi approbata fuit, testibus Facundo Hermianensi L. 5. et 6. et Liberato in Breviar. Nam

R. Id falsum esse, tum ex Actis liquet Concilii Chalcedonensis; tum diserte affirmat Synodus V. propter epistolam Ibam condemnans : unde in Chalcedonensi solum Ibas, a Dioscoro depositus, restitutus est sedi suæ, cumque jure suffragii admissus in consessum Concilii, postquam in Cyrillum scripta excusasset. Nullatenus vero epistola ipsa approbata fuit. Facundo tandem et Liberato hac in re fides non debetur, scribentibus pro domo sua, ut aiunt ; quippe acerrimis trium capitulorum defensoribus.

Ad Gennadium Constantinopolitanum, qui Anatolio successit, respondeo librum illius contra Cyrillum et hujus 12. capitula non extare. Ac Facundo quidem merito diffidi posset, ut qui in libris illis, quos pro famosis tribus capitulis edidit, in laudandis auctoribus non semel hallucinatus est ; observante Petavio Theol. Dogm. de Incarn. L. 6. c. 11. Sed permisso, quod S. Cyrillum impugnasset Gennadius ; id fecit deceptus falsis rumoribus, nec assecutus mentem Cyrilli. Hoc ipse demum Facundus fateri coactus est,

L. 2. c. 4. Gennadium *dicentis* (Cyrilli) *intentionem minus intellexisse.* Quin idem ejus judicium de Iba est L. 6. c. 3. ubi: *Fatendum est*, inquit, *hanc epistolam satis ostendere, quod reverendissimus Ibas, quemadmodum dictum est, cum Orientalibus, aliarumque provinciarum Episcopis, intentionem dictorum B. Cyrilli minus intelligens, et suspicatus quod negaret in Christo differentiam naturarum, consequens judicavit, quia in Apollinaris dogma incidisset.* Tum vero falsam illam Orientalium opinionem fuisse docet, ac Cyrillum defendit ibid.

Ad Isidorum Pelusiotam, respondeo : nego quod impugnarit Cyrillum ; sed solum hunc monuit, deceptus pariter falsis rumoribus a Joannis Antiocheni factione sparsis; scripsit enim hæc ad Cyrillum, quo tempore res Ephesi fervebat. Responsionem ipsa Isidori verba confirmant: *Multi ex iis, qui Ephesi coacti sunt, te traducunt ut tuas inimicitias persequentem, ac non ea, quæ Jesu Christi sunt, orthodoxe quærentem.*

186. *Inst.* 3. Acta Ephesinæ Synodi nihil referunt de judicio Patrum, circa tertiam Cyrilli ad Nestorium cum anathematismis epistolam ; ergo hi a Synodo approbati haud fuere.

R. *N. Cons.* Licet enim acta, quæ ad nos non integra pervenerunt, de hoc Patrum judicio nihil referant; epistolam tamen illam tertiam cum anathematismis receptam et approbatam fuisse, dubium fieri non potest, tum propter *prob.* 2am. supra ; tum singulariter ideo, quod Catholici, contra Acephalos disputantes Constantinopoli in collatione habita, id opponerent Acephalis ; quin hi vel negarent, vel negare possent. Habita est collatio illa Justiniano imperante.

187. *Inst.* 4. Si tertia illa Cyrilli epistola cum anathematismis sit vere orthodoxa et approbata Ephesi, cur ergo Concilium Chalcedonense illam non recepit? Ita jam olim Acephali objiciebant Catholicis. Ante resp.

*Observa* : In Act. 2. Concil. Chalcedonensis recitata sunt antecedentium decreta Synodorum, Nicænæ et Constantinopolitanæ primæ, tum Patrum testimonia, ut hanc sibi velut regulam ponerent, quam in condenda fidei formula sequerentur; inter Patres nominarunt Cyrilli epistolas duas tantum, alteram ad Nestorium, alteram ad Joannem Antiochenum. Harum prior est Cyrilli secunda ad Nestorium; posterior ea quam, reddita jam pace, per Paulum Emissenum misit ad Joannem; ut constat ex verbis Aetii Archidiaconi epistolas recitantis, in Actis Concilii. De tertia vero illa Cyrilli epistola nulla ibi facta mentio est, nec in alia Actione Concilii. Hinc dum Patres Act. 5. in definitione fidei, post symbola duorum primorum Conciliorum, Cyrilli quoque *Synodicas* ad Nestorium litteras recipere se profitentur, etsi per *Synodicas* tertia quoque intelligi forte posset, utpote quæ data est ex Alexandrina Synodo, et vulgo dicebatur *Synodica*, teste Dionysio Exiguo in Præfat., rectius tamen juxta Act. 2. per Synodicas litteras intelligitur secunda Cyrilli ad Nestorium, quæ etiam erat Synodica, data ex anteriore Alexandrina Synodo. Cur vero tertia illa Cyrilli epistola in Synodo Chalcedonensi commemorata non fuerit? cum Catholicis olim contra Acephalos in collatione (Labb. t. 4. p. 1767. E.)

R. 1°. Sed eam Concilium nec exclusit, aut rejecit: *Si* enim *omnes for-*

*mas et definitiones fidei in Epheso contra Nestorium facti Concilii suscepit et confirmavit Chalcedonense Concilium, quemadmodum hanc habuit refellere?*

R. 2°. Ratio fuit, quam iidem dabant Acephalis : *Quin adversus Nestorii blasphemias, quæ duas naturas in duas personas et duas subsistentias dividunt, unam personam et unam subsistentiam volebant definire; illa autem epistola duarum subsistentiarum intulit mentionem; propterea proprie eam nominare distulerunt, ut non invenirentur aut illi, aut sibi esse contrarii; sed magis illam alteram epistolam ejus præposuerunt, quæ super consensu symboli Nicæni laudata est; et eam, quæ ad Orientales scripta est.*

*Nec inferas :* Si Cyrillus dixerit duas in Christo subsistentias, hoc ipso errasset, cum una sit tantum, nempe divina, in Christo subsistentia.

R. *D.* Si dixisset in sensu, quo nunc vox subsistentia sumitur *C.* si in sensu, quo olim sumebatur *N.* S. Cyrillus per duas subsistentias intelligit duas naturas, essentias *existentes*; non vero sumpsit subsistentiam pro persona, ipsis Nestorianis id fatentibus, qui alioqui Cyrillum ut amicum amplexati fuissent.

Cyrillus constitutum jam ante annos fere centum οὐσίας et ὑποστάσεως discrimen exacte quidem observat in Dial. de Trinit. et in epist. ad Valerianum; at recedit ab hac consuetudine in libris contra Nestorium, quod ipse, fautoresque ejus οὐσίαν et ὑπόστασιν promiscue usurparent; non sumit tamen hypostasin pro persona, ut Nestorius; sed pro natura, eratque idem, quod subsistentia. Vid. Petav. Th. Dog. de Incarn. id longius ostendentem, de Trin. L. 4. c. 2.

188. *Obj. II.* S. Cyrillus tamen in anathematismis hæresin Apollinaris docuit; ergo. *Prob. A.* Nam anath. 1. ait de B. Virgine : *Peperit enim carnaliter Verbum, quod ex Deo est.* At Apollinaris docuit solam carnem assumptam fuisse. Item vox *carnaliter* sonat idem ac more aliarum feminarum.

R. In nullo horum sensu vocem *carnaliter* sumit Cyrillus, sed ut ipse Andreæ sibi hoc objicienti respondens declarat, *B. Virginem carnaliter genuisse Deum Verbum*, nihil aliud ei est, quam secundum carnem *genuisse Verbum;* quod apposuit ad evertendam Nestorii perfidiam, ut constaret, B. Virginem non hominem simplicem, ac nudum, sed Deum Verbum, non qua Deus est, sed qua carnem habet, genuisse. Reliqua, quæ naturarum in Christo differentiam attinent, contra quam et ex S. Cyrillo argumenta petuntur, vid. Sect. seq.

Huic similes pleræque objectiones sunt, quæ contra orthodoxiam Cyrilli ex illius anathematismis et scriptis contra Nestorium promuntur; proin pro solutione aliarum, quæ tum hic, tum contra naturarum in Christo differentiam formari possent, regulam hic observari volumus, ac semper alias, quam ipsi Patres figunt : Cum de auctoris cujusdam statu dijudicando agitur, non ex una alterave hinc inde collecta sententia, ac ne ex verbis quidem solis ferendum esse de eo judicium; sed ex continenti oratione, ex mente ac scopo scriptoris, qui per universi operis corpus tanquam succus quidam vitalis diffunditur. Hæc regula a S. Ambrosio traditur ep. 63. (al. 48. n. 4.) ad Sabinum : *Verbum si offenderit, virtutem professionis interrogato.* Et n. 6. *Etenim sermonem dubium mens non dubia obumbrat, et defendit a*

*lapsu.* Item a FACUNDO L. 9. n. 3. : *Quocirca non adspiciamus in furtivas sententiarum particulas, quas ideo præcidunt hæretici, ut in eis non appareat dicentis intentio.*

---

# SECTIO II.

## DE DUARUM IN CHRISTO NATURARUM DIFFERENTIA.

Apposite hic quis usurpet comparationem, quam præclare NOVATIANUS, scriptor pervetus L. de Trinit. c. 30. instituit, inter oppugnantes utrimque duas catholicum de Trinitate dogma hæreses, quarum alteri Sabellius, alteri patrocinatus est Arius : *Revera quasi inter duos latrones crucifigitur Dominus, quomodo fœnus aliquando est : et ita excipit hæreticorum istorum ex utroque latere sacrilega convicia.* Sic enim aliarum duarum hæresum medium est catholicum de Incarnatione dogma, hinc Nestorii, inde Eutychis, qui in illud contrariis ambo studiis sunt debacchati. De priori satis hucusque actum; de Eutyche nunc agendum est, qui unitatem, non solius personæ; sed, quod hæreticum fecit, naturæ in mysterium hoc invexit. Ac 1°. cognoscenda est illius historia : 2°. error ejusdem, in quo hæserit : 3°. vindicandum dogma catholicum de existente duplici in Christo natura. : 4°. quæ porro ad Eutychianismi criticam pertinent, examinanda.

## ARTICULUS I.

### HISTORIÆ EUTYCHIANÆ HÆRESIS SUMMARIA RELATIO.

---

### §. I.

*Ejus origo et incunabula.*

189. *Eutyches*, *Nestorii* primum diaconus, contra hunc strenuam Ephesinis Patribus operam navavit, cujus meminit Constantinopolitana Synodus sub S. FLAVIANO præside celebrata Act. 4. et Chalcedon. Act. 1. Postea presbyter factus, et Archimandrita celeberrimi Monasterii, teste LIBERATO, in Nestorianam hæresin implacabili ferebatur odio; ex quo, ut credibile est, et quibusdam S. CYRILLI sententiis male intellectis, in errorem Nestoriano oppositum incidit, docens, ut auctor est LIBERATUS, et quotquot de ejus hæresi scripserunt : *ante adunationem*, sive unionem, *duas in Christo fuisse naturas; post adunationem vero unam factam esse.* Hæc cum domi inter familiares crebris sermonibus agitaret, EUSEBIUS Dorylæi civitatis Phrygiæ Salutariæ Episcopus, Eutychi amicissimus, sæpe ipsum monuit, ne talia

eloqueretur. Sed Eutyche in concepta erronea mente perseverante, rem ad Flavianum deferendam judicavit. Præerat is Constantinopolitanæ Ecclesiæ, Proclo suffectus, qui anno 447. decesserat.

## §. II.

### *Eutyches in Synodo Constantinopolitana damnatur.*

190. Anno igitur insequente, cum esset Constantinopoli collecta Synodus Episcoporum 40., teste Theophane, ad dirimendam controversiam inter Florentium Sardium Episcopum, Lydiæ metropolitanum, et duos ejusdem provinciæ Episcopos, Joannem, et Cosinium, lite hac terminata, Eusebius libellum obtulit Synodo adversus Eutychen, quo hunc hæresis accusabat.

Missi igitur Joannes presbyter, et Andreas diaconus, qui illum vocarent; quibus respondit, se non solere, nec posse monasterio egredi; quod cum illi renuntiassent Synodo, simulque tam ipsi, quam Joannes Basilii Seleuciensis diaconus testarentur, Eutychen, se audientibus, dixisse unam tantum post incarnationem in Christo esse naturam; neque carnem ejus consubstantialem esse nostræ; eodem die missi alii, qui eumdem secundo citarent; sed irrito quoque conatu: quin, his non obstantibus, libellos per monasteria, quibus dogmata sua exponebat, ad Archimandritas misit, ut iis subscriberent. Quare tertia citatus vice valetudinem excusans, ad dies septem inducias rogavit. Quibus impetratis tandem 22. Novembris, comitante valida Monachorum manu, cumque ingenti stipatu militari a *Florentio* Patricio et magno Silentiario deductus, comparuit coram Concilio, fretus *Chrysaphii*, Eunuchi potentissimi in aula, favore, quem e baptismo susceperat, quique hanc illi pompam addiderat. Ab Episcopis et Florentio ipso interrogatus, hæresin suam libere et palam est professus; nec, quantumcumque rogatus, ejurare voluit. Quare damnatus a Concilio, sacerdotali dignitate, tum præfectura monasterii exutus est.

Flavianus Leonem S. P. Romæ de omnibus mature informandum censuit, atque acta Synodalia simul ei transmisit; sed et Eutyches ad Leonem appellavit, de illata sibi injuria conquestus. Leo paulo serius acceptis Flaviani litteris, cum diu anceps hæsisset, comperta tandem re, damnationem Eutychis ratam habuit; eaque occasione celeberrimam illam ad Flavianum epistolam dedit, qua Incarnationis dogma catholicum penitus declaravit, Asterio et Protogene Coss. anno 449.

## §. III.

### *Conciliabulum, vulgo Latrocinium Ephesinum.*

191. Interim Chrysaphius nihil omisit in favorem Eutychis, atque ad opprimendum Flavianum; eoque vertebat consilia, qui deposito Flaviano in Constantinopolitana sede Eutychen subrogaret. Quare apud Theodosium Cæsarem alioquin pium, at ob simplicitatem, aulicorum insidiis opportunum, calumniis Flavianum in suspicionem vocat, ac conque-

rente Eutyche de actis Synodalibus a Notariis corruptis, obtinet, ut generalis Synodus de novo congregaretur Ephesi, cui præesset *Dioscorus* Alexandriæ Episcopus, excluso a præsidentiæ jure Flaviano. *Barsumam* quoque Syrum archimandritam infamem sicarium invitavit Imperator, ac simul Leonem Rom. Pontificem; qui vero legatos misit Julium Episcopum, Renatum presbyterum, Hilarum diaconum, Dulcitium notarium.

Cœpta igitur est Ephesina spuria Synodus anno 449. sexto Id. Aug., ut est in Actis Chalcedonensis Concilii, quibus illa conciliabuli Ephesini inserta sunt, considentibus Dioscoro Alexandrino, et Julio, aliis Juliano Puteolano Episcopo, vices agente Leonis S. P., Juvenale Hierosolymitano, et Domno Antiocheno: etiam Flavianus adfuit, sed ut reus, nec suo loco considens. Episcopi convenere, teste auctore Breviculi, 360.

Instantibus Leonis legatis, ut Synodica ejus ad Flavianum epistola legeretur palam, id Dioscorus elusit. Post introductus et Eutyches, fidei suæ libellum obscuritatibus potius et amphibologiis plenum obtulit, excluso Eusebio Eutychis accusatore.

Lectis Constantinopolitanæ Synodi, in qua Eutyches damnatus, actis, mox jubente Dioscoro decretum Synodi Ephesinæ I. recitatum, quo prohibitum, ne quis præter ea, quæ ibi constituta erant, de fide amplius quæreret, aut retractaret; secus, si Episcopus, vel clericus esset, deponeretur; si laicus, communione privaretur: unde *Dioscorus* contra Flavianum et Eusebium, ceu Ephesini illius transgressores, quod novi aliquid de fide constituissent, depositionis sententiam tulit; Eutychen vero in integrum restituit; alios ad subscribendum metu compulit. Flavianus ad Sedem Romanam appellans, *cæsus et multis injuriis affectus*, ut ait Liberatus, *migravit ad Dominum*. Acta Concil. Chalced. Act. 4. a. Barsuma occisum produnt. Legati vero Leonis, quod constanter Flaviani damnationi contradicerent, a Dioscoro in custodiam dati, uno Hilaro excepto; qui ægre et clam fuga elapsus Romam pervenit, et de singulis Leonem edocuit; qui coacto Romæ Concilio novam a Theodosio Synodum petiit, sed frustra; cum Theodosius lege lata potius Ephesinum latrocinium firmavit, et extincto Flaviano suffecit Anatolium, cujus ordinationem, non ante datam professionem fidei, ratam Leo habere voluit, vetuitque recitari ad altare nomina *Dioscori, Juvenalis, Eustachii Berythensis.*

Illud his addendum, Dioscorum post finitum Ephesinum latrocinium, excommunicationis sententiam prope Nicæam tulisse in Leonem Pont. coactis ad subscribendum decem Episcopis.

Interea vero Theodosio fatis functo succedens Marcianus legem Theodosii sustulit; atque edictum promulgavit contra Clericos et Monachos, *qui relicto vero orthodoxæ Religionis cultu, Apollinaris vel Eutychetis hæresin et dogmata abominanda secuti essent*; ac cum Leone de convocanda Chalcedone generali Synodo convenit.

## §. IV.

### *Concilium Chalcedonense Generale IV. in causa Eutychis.*

192. Quare Chalcedonense anno 451. Concilium iniri cœpit, præsidente Leone per Legatos, Paschasium Lilybæi, Lucentium Asculanum episcopos; Bonifacium et Basilium presbyteros, quibus accessit ex auctoritate Pontificis Julianus Coënsis. Convenere Episcopi supra 600. Quid in qualibet Actione gestum, latius deductum vide Tract. de Princip. Theol. P. Kilber n. 137.; nos, quantum ad plenius intelligenda, quæ sequentur, satis est, rerum gestarum summam damus.

Act. III. Lata fuit depositionis sententia in Dioscorum his de causis: 1°. Quod similia saperet cum Eutyche. 2°. Quod Eutychen canonice a proprio Episcopo depositum in communionem susceperit. 3°. Quod S. Leonis ad Flavianum epistolam, quo minus legeretur, inhibuerit in suo conciliabulo. 4°. Quod excommunicationis sententiam in Leonem ferre præsumpsisset. 5°. Quod canonice ter citatus comparere detrectarit. Ac ne qua spes relinqueretur Dioscoro recuperandi episcopatus, quod ille in vulgus sparserat; edictum a Synodo publice propositum est, quo constaret, ita eum dignitate ac gradu spoliatum esse, ut nunquam in integrum restituendus esset.

Act. V. Anatolius, ut jussus fuerat Act. IV. suæ symbolum fidei protulit, quod minime omnibus arrisit; cum enim ab Asclepiade diacono recitatum esset, reclamarunt S. Leonis Legati cum Orientalibus quibusdam, quod in eo solum inesset, *ex duabus naturis esse Christum,* omisso eo, quod ad tollendam prioris sententiæ æquivocationem necessarium videbatur, et a Leone significatum erat: *in duabus esse naturis immutabiliter, inconfuse, indivise*, ut diserte testatur Leontius L. de Sectis Actione 6. ( Bibl. Magn. PP. t. 11. p. 516. A. ) Hinc inter Patres orta disputatio; sed cum abitum et novam de integro Synodum Romæ celebrandam minarentur Leonis Legati, nisi ex hujus præscripto formula fidei conciperetur; tandem in condenda definitione fidei S. Leonis epistolam, tumultuantibus contra Eutychianis Monachis, ceu regulam ex toto secuti sunt. Ac mox ead. Act. additum decretum, complectens symbolum Nicænum, Constantinopolitanum, duas Cyrilli epistolas, epistolam S. Leonis ad Flavianum, quibus tota de Incarnatione fides in compendio expressa, ac simul lectum, et omnium sententia probatum. Post etiam

Act. VI. Cui Marcianus ipse cum Pulcheria interfuit, rursus est recitata fidei formula superiori Actione confecta, et singulorum subscriptione firmata. Quo præstito Patres ad greges suos revertendi facultatem efflagitant. Quo indicatur, jam Concilium a Patribus pro finito habitum fuisse.

Et vero in Actionibus sequentibus aliæ pertractatæ causæ sunt, et conditi Canones, quorum examen alterius loci et crisis est. Illud tamen non prætermittendum, quod Act. VIII. Theodoretus Cyrensis Episcopus, et Act. IX. ac X. Ibas Edessæ Episcopus, a *Dioscoro* depositi, suis tandem restituti sint sedibus; sed quod ob impugnatos S. Cyrilli anathematismos de Nestorii hæresi se suspectos reddidissent, non ante, quam anathema dixissent Nestorio et Eutychi.

Tandem absoluta Synodo, et ab Imperatore publico edicto sancita, Dioscorus in pœnam relegatus Gangram Paphlagoniæ. Ægyptus tamen, Æthiopia, Alexandria Dioscoro etiam deposito servabant fidem. Ac Alexandria quidem divisa, nequidem, mortuo Dioscoro, ad pacem rediit.

## §. V.

### *Turbæ post Concilium Chalcedonense, et Henoticon Zenonis.*

193. Primos tumultus concitabant *Monachi* tum *Alexandrini*, tum *Palæstini*, priores ex suo in Dioscorum studio: posteriores eo stimulati a Theodosio monacho, Eutychis antiquo amico. Ambos vero tum Marcianus imperator, tum Pulcheria comprimere laborarunt.

At Marciano defuncto *Timotheus Ælurus* totam commovet Ægyptum, et tractis ad suas partes Monachis miscebat omnia. Quibus commotus Leo Marciani successor, pelli Alexandria Timotheum jubet, et Gangras relegari. Non minus Orientem turbabat *Petrus Cnapheus*, sive *Fullo*, sua fraude et perfidia; sed et hic, Leonis decreto, exilio damnatus, antequam in Oasim deportaretur, clam sibi fuga consuluit.

Leone defuncto, et Zenone imperante, Basiliscus tyrannidem invadit, et, cum Eutychianæ faveret hæresi, Timotheum Ælurum ab exilio revocat: qui illuc cum Petro Cnapheo venit, Acacio jam Constantinopolitanam sedem tenente. Basiliscus contra Chalcedonensem Synodum et S. Leonis epistolam edictum promulgat, contradicente Acacio; at tumultu populari Basiliscus fugere cogitur; atque Zeno cum exercitu urbem intrans, interfectoque tyranno, solus rerum potitur.

Zeno igitur rescissis Basilisci Actis, Acacio, qui Petro Cnapheo favebat, persuadente, ad conciliandos cum Catholicis Eutychianos, quasi mediam fidei formulam inter utrosque promulgavit. Quod edictum ἑνωτικὸν, *conciliatorium*, sive *unitativum* vocavit.

In hoc Nestorium et Eutychen damnat: de Dioscoro tamen, de Concilio Chalcedonensi, de epistola S. Leonis callide tacet; cæterum 12. Cyrilli anathematismos approbat; ac universim, non aliud esse admittendum symbolum, quam Nicænum, in Conciliis Constantinopolitano I. et Ephesino œcumenico comprobatum. Etsi vero sileat de Chalcedonensi Synodo, illius tamen fidem eo edicto profitetur.

Felix III. S. P. *Henoticum*, etsi non aperte damnaret œconomiæ causa, ne irritaret Zenonem, sicque graviora mala averteret; respuit tamen, et Legatos misit ad Zenonem, qui cum eo agerent. Sed hi primo in vincula conjecti, postea ab Acacio corrupti, fœde prævaricati sunt, ut etiam cum hæreticis communicarent. Quare Felix in Synodo Romæ coacta tam Legatos excommunicavit, quam ipsum Acacium: sic quoad rem et implicite simul damnans *Henoticum*, licet, œconomiæ causa, istud aperte non damnaret. Sed Acacius id parvi pendens, in hæreticorum communione perstitit. Quo ex tempore Romana Sedes a Constantinopolitanæ Ecclesiæ communione separata est, non nisi post annos 35. Justino Imperatore, et Hormisda Rom. Pont. redintegrata pace.

## §. VI.

### *Eutychianæ sectæ propagatio.*

194. Capitalem magistri sui Eutychis de una Christi, post unitionem, natura sententiam varios in sensus traxerunt Eutychiani. Ac quidem decem in sectas propterea divisi sunt. Quorum primo Alexandrini a *Petri Moggi* Patriarchæ sui communione divulsi, dicti sunt *Acephali*, teste Leontio L. de Sect. Act. 5. (Bibl. M. PP. t. 11. p. 512. C.) quod a capite, patriarcha suo, disjuncti, seorsim congregarentur. Recedendi a patriarcha Eutychianis Alexandrinis causa fuerat, quod Petrus Moggus a Zenone in sedem Alexandrinam restitutus, hujus *Henoticum* probasset, ac proinde nec damnasset Concilium Chalcedonense, uti, ut faceret, optabant.

Nomen hoc universis postea Eutychianis commune fuit. Dicti quoque sunt *Monophysitæ*, a natura una, quam dicebant in Christo, et *Ægyptii*; quod totam fere occuparent Ægyptum; et *Schematici*; quod non veram, sed in figura tantum Christi carnem agnoscerent. Mutationem alii in Verbo factam dicebant, quod *Verbum caro factum* diceretur. Huc refer *Theopaschitas*, de quibus in Proœmio.

Universæ vero illorum factiones ad duo hodie capita referuntur; *Eutychianorum* simpliciter, qui germanam magistri sui hæresin profitentur; et Acephalorum, sive Semi-Eutychianorum, qui in quibusdam ab illo dissentiunt; singuli tamen se S. Cyrilli tueri conantur sententia, qua *unam* dixit *naturam incarnatam*.

## ARTICULUS II.

### DOGMA CATHOLICUM DE DUPLICI VERA INTEGRAQUE NATURA, POST UNITIONEM, IN CHRISTO CONTRA EUTYCHIANOS ET SEMI-EUTYCHIANOS OSTENDITUR.

195. Eutychen post unionem non nisi unam in Christo naturam agnovisse, certum est omnibus; ita enim ipse in Constantinopolitana Synodo interrogatus, candide profitebatur: *Confiteor, ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post unitionem vero, unam naturam confiteor*. At non æque inter auctores convenit, quo sensu per unitionem, unam in Christo naturam factam Eutyches intellexerit? an mixtione; an confusione; an conversione unius in alteram; an demum compositione, quo modo corpus et anima componunt hominem; singuli enim illi sensus a diversis scriptoribus et Patribus hæresiarchæ tribuuntur. At dissidii hujus causa inde repetenda est, quod tum Eutyches ipse, tum ejus discipuli in exponendo suo dogmate, varii et mutabiles, prout premebantur a Catholicis, nunc hoc, nunc istud edicerent. Certe de Eutyche Flavianus id testatur epist. ad Leonem (Labb. t. 4. p. 14. A.): *neque sciens* (Eutyches) *quod dicit, neque de quibus affirmat*. At parum refert, quo sensu Eutyches suum dogma intellexerit, cum nullus subsistat ex singulis. Quare simpliciter

196. *Dico*. Natura divina et humana per Incarnationem Verbi, sive

unitionem, non coaluerunt in unam; sed utraque post unitionem inconfusa, impermixta, et integra permansit.

Conclusio est dogma fidei, definitum contra Eutychen in Synodo generali IV. Chalcedonensi; Constantinopolitana II. Ac jam ante a S. Leone S. P. in celeberrima epist. ad Flavianum, cui subscripserunt omnes Chalcedonenses Patres, quæque ab his posita fuit in decreto fidei.

*Prob. I.* Ex SS. Scripturis duplici modo: 1. iis textibus, quibus natura duplex evidenter asseritur: 2. aliis, quibus Christo contraria, quæ uni naturæ convenire nequeunt, tribuuntur.

1°. Igitur S. Scriptura duas in Christo naturas evidenter adstruit. Ad Philipp. 2. v. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* En duplex forma, sive natura Dei et servi inconfusa, impermixta, et distincta Christo tribuitur. Nec obstant hæc: *semetipsum exinanivit*; non enim se exinanivit, conversione divinitatis in carnem; hoc enim impossibile est, cum Deus essentialiter immutabilis sit; sed assumptione humanitatis, *formam servi accipiens.*

*Nec dicant* Eutychiani: equidem exinanivisse se Deum sine divinitatis conversione in carnem; sed assumptione humanitatis; verum ita, ut hæc a divinitate absorpta fuerit; sicque huic mixta perierit, veluti *gutta mellis aquis maris permixta*; ut eorum quidam fabulati olim, teste Theodoreto in Dialogo 2. (opp. t. 4. p. 77. B.)

*Contra est*: quod hoc Apostolo directe adversetur, qui de forma servi visibili, sensibili loquitur; cum statim subdat: *et habitu inventus ut homo*; ergo hæc forma servi assumpta non sic perierat instar guttæ mellis oceani aquis mixtæ, et evanescentis. Deinde quomodo in natura absorpta pati, crucifigi potuisset?

Item 1. Joan. 1. v. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ.* En rursum duplicem in Christo naturam distinctam, primo *divinam* Verbi vitæ; deinde *humanam*, quæ visa oculis, contrectata manibus.

2°. S. Scriptura Christo contraria tribuit: quod sit minor Patre, et tamen idem cum Patre, Joan. 6. quod a nobis discedat, et tamen quod nobiscum maneat in æternum, Joan. 16. et similia plura. Vid. n. 167. Atqui hæc in una natura salvari non possunt. Quibus adde

3°. Ea Scripturæ loca, quæ duas in Christo voluntates, ac consequenter totidem naturas distinguunt, velut Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* At Christus, qua Deus, voluntatem suam divinam imprimis non amiserat; hoc enim ei impossibile fuit: deinde voluntas Christi, qua Dei, eadem omnino erat cum voluntate Patris; ergo habebat adhuc aliam, qua homo; ergo et utramque naturam divinam et humanam. Inde tamen inferre non licet; ergo et duo essent in Christo volentes. Nam voluntas ad naturam, ut aliunde constat, pertinet; sed volens ad personam, ut patet ex divinis; quia licet tres personæ sint, non nisi una tamen voluntas est.

197. *Prob. II.* Ex Concilius. Nicænum disserte in Symbolo posuit: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis, et*

*incarnatus est, et homo factus est.* Idem repetit Constantinop. I. in symbolo; Ephesina œcumenica Synodus decret. de fide (Labb. t. 3. p. 690.), symbolum aliud, quam quod Nicææ fuerat editum, neque facere se professa est, et fieri deinceps vetuit; Chalcedonensis vero contrarium in Eutyche damnavit, ut dictum Art. priore. Sed et generales Synodi aliæ, Concilium Chalcedonense insecutæ; Generalis V. Act. 1. et Collat. 8., Generalis VI. Act. 11. 13. 18., etc.

198. *Prob. III.* Ex SS. Patribus, qui ante Eutychianismi tempora floruerunt, ex quibus sequentes delibamus.

1°. Ex Græcis Patribus : S. Ignatius M. in epist. ad Ephes. n. 7. et relatus ab Athanasio L. de Synod. pag. 709. n. 47. de Domino nostro Jesu Christo ita loquitur : *Unus medicus est, carnalis et spiritualis, factus et non factus : in homine Deus; in morte vita vera; et ex Maria, et ex Deo.* Post hunc Clemens Alexandrin. Pædag. L. 1. c. 3. cœlestem pædagogum illum ait, prodesse mortalibus *tanquam hominem, et tanquam Deum, quippe peccata indulgentem, qua Deus est; ut autem est homo, pædagogi more ad non peccandum instituentem.* S. Athanasius integris etiam libris naturarum discrimen in Christo tenuit : ut in ep. ad Epictetum, quam adversus Apollinaris dogma, tunc primum vulgari cœptum, elucubravit, n. 2. ait : *Potuitne, Christianis ab hominibus in dubium vocari, utrumnam Dominus noster ex Maria editus, substantia et natura Dei Filius sit; at secundum carnem, ex semine David et ex carne sanctæ Mariæ.* Ac L. 1. de Incarn. cont. Apollinar. n. 16. : *Dicendus erit Christus, perfectus Deus et perfectus homo : non quod divina perfectio in humanam perfectionem mutata sit, quod impium est dicere : nec etiam quod duæ perfectiones a se invicem divisæ dicantur, quod a pietate alienum est : neque per incrementum virtutis, et accessione justitiæ, absit : sed ratione existentiæ indeficientis. Ut utraque unus sint, omnino perfectus, idem Deus et homo.*

2°. Ex Latinis Patribus : Tertullianus L. adversus Praxeam cap. 27., ubi ad quæstionem illam, *quomodo Sermo,* sic Verbum vocat, *caro factus : utrumne quasi transfiguratus in carne, an indutus carnem?* sic respondet : *imo indutus. Cæterum Deum immutabilem et informabilem credi necesse est, ut æternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini. Omne enim quodcumque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod non erat. Deus autem neque desinit esse; neque aliud potest esse.* En quam scite omnem alterationem excludat. At L. de carne Christi c. 5. *Utriusque substantiæ* (naturæ) *census hominem et Deum exhibuit; hinc natum, inde non natum; hinc carneum, inde spiritalem; hinc infirmum, inde præfortem; hinc morientem, inde viventem.* Quid clarius? S. Ambros. L. 2. de Fide c. 4. (al. 9. n. 77.) : *Servemus distinctionem divinitatis et carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est.* Plures referunt passim alii, ut Cyprian. L. de Idolor. vanitate n. 11. Novatianum L. de Trinit. c. 16., ac quotquot de hoc mysterio tractarunt. Cf. Petav. de Incarn. L. 3. c. 6. et 7.

199. *Prob. IV.* Rationibus Theologicis : 1°. Si est una tantummodo natura, ea vel divina, vel humana est, vel ex utraque quid compositum;

h. e. divina simul et humana, vel neutra. Si sola est divina, Christus non est homo; si humana sola, non est Deus; si neutra, nec homo est, nec Deus; si utraque simul, nec Dei est natura talis, nec hominis, et sic Christus nec consubstantialis erit Patri, nec homini.

2°. Christus in illa unica fuisset passus; ergo æque in divina, quam humana; at in divina non potuit. Ita Leporius in Libell. emendat.

3°. Idem Christus dicitur Deus et homo: atqui fieri hoc non potest, nisi per unionem substantialem naturæ humanæ cum persona Verbi; impossibile enim est, ut duæ naturæ, formaliter distinctæ, de se invicem prædicentur in concreto, nisi in supposito uniantur. Cf. Petav. loc. cit. c. 9.

200. *Obj. I.* Joan. 1. *Verbum caro factum est;* ergo divinitas conversa est in carnem; sicut Joan. 2. v. 9. cum dicitur, aqua vinum *facta,* aquæ in vinum conversio designatur.

R. *N. Cons.* Neque enim Verbum, juxta verba Joannis, magis conversum in carnem dici potest, quam in maledictum, ob verba Apostoli ad Gal. 3., ubi dicitur *factus pro nobis maledictum.* Et ratio est, quod vox *factum* non semper indicet conversionem, sed etiam communi loquendi modo acquisitionem, assumptionem alicujus; velut dum quis dicitur factus rex, sacerdos, pontifex: sensus non est, eum conversum esse in dignitatem regiam, sacerdotalem, pontificiam; sed quod hanc assumpserit. Quando vero τὸ *factum* veram conversionem designet, quando non? a subjecta materia, ac circumstantiis pendet. Hinc est disparitas ad rationem additam; aquam conversam esse in vinum circumstantiæ clamant, nec etiam quid aliunde obstat, quo minus vere in vinum converti potuerit: at dicere, divinitatem converti in aliud, non patitur subjecta materia, cum talis mutatio Deo immutabili sit impossibilis: nec contextus; continuo enim subjicitur: *et habitavit in nobis;* at vero quod habitat, non est idem cum eo, quod habitatur, inquit S. Chrys. hom. 50. (al. 11. n. 2.) in Joan.; multo minus in hoc convertitur.

201. *Obj. II.* Ex SS. Patribus. Juxta S. Athanasium in symbolo, vel quiscumque hujus auctor dicatur: *Sicut anima rationalis et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus;* qua loquendi ratione et alii subinde Patres utuntur: atqui ex anima et carne fit una natura in homine; ergo et ita ex divinitate et humanitate una fit, vel componitur natura in Christo.

R. 1°. Unio hypostatica cum plane singularis sit, et exemplo careat, a nobis explicari nequit, nisi per quædam similia: quæ tamen simul in aliis dissimilia sunt, et mysterium hoc sublimissimum nonnisi imperfecte explicant. *Usi sunt igitur Patres,* ait Rusticus Disput. contr. Acephal. (Biblioth. M. PP. t. 4. part. 1ª. p. 809. D.), *hoc exemplo* (ab homine desumpto)...., *ut ostenderent unum Filium, unum Christum, unum Dominum, et ejus unam personam, substantialem. Nam* ait S. Aug. ep. 3. (al. 137. n. 11.) *sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit; ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit.* Vel ad ostendendum, quod, sicut in homine duæ naturæ incompletæ existunt in una persona humana: ita ex unione naturæ humanæ cum Verbo fiat, ut duæ naturæ completæ existant

in una persona Verbi, licet in modo plurimum differant unionis; ut auctor Exposit. Fidei sub nomine JUSTINI editus n. 11. MAXENTIUS Libell. cont. Acephalos (Biblioth. M. PP.t. 4. part. 2ª. p. 461.) EUTHYM. Panopl. p. 2. Tit. 15.; apud eumque S. ATHANAS. ipse declarans hoc simile, et differentiam assignans: *Hic* (Christus) *enim non ex rebus imperfectis habet, ut sit* (sicut homo), *sed perfectarum naturarum concursum ostendit in se ipso: atque illic quidem partes hominis sunt anima et corpus*: Unde

R. 2°. *D. M.* Sicut anima et caro unus est homo unitate suppositi, ita Deus et homo unus est Christus. Vel: sicut anima et caro, tanquam duæ naturæ incompletæ, existunt in una persona humana, ita per unionem naturæ humanæ cum Verbo duæ naturæ completæ existunt in una persona Verbi *C.* Sicut anima et caro sunt una natura completa, ita ex duabus naturis in Christo facta est natura una *N.*

202. *Inst. I.* S. IRENÆUS L. 3. cap. 21. (al. 19. n. 1.), TERTULLIAN. Apol. c. 21. Incarnationem vocant *mixtionem et mixturam;* ergo. S. AMBROS. vero L. 4. de Sacram. c. 4. et quidam alii dicunt, quod Verbum factum sit caro, sicut panis in Eucharistia fit corpus Christi: sed hoc fit per conversionem; ergo.

R. *Ad* 1ᵘᵐ. *D.* Vocant mixtionem stricte et proprie talem *N.* Per mixtionem intelligendo intimam ac substantialem naturarum unionem in persona *C.* Ita S. CYRILL. ALEXAND. contr. Nestorium L. 2. (opp. t. 6. part. 1ª. p. 33. A. B.), et S. AUG. epist. 2. ad Volusianum n. præc. cit. *Sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ et corporis; in hac mixtura est Dei et hominis; si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam; quanquam et in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur:* Igitur *duplex* distingui potest *mixtio: prima,* qua duo ita permiscentur, ut utrumque deperdat integritatem suam, qualis est liquorum mixtio; estque strictius dicta mixtio: *altera,* qua duo intime, salva tamen utriusque integritate, conjunguntur; sicque subin dicitur anima misceri corpori: deque hac sola loquuntur Patres, ut amplius ex contextibus liquet, tum inde, quod naturarum in Christo differentiam post unitionem diserte doceant; ut de TERTULLIANO dictum n. 198. De IRENÆO autem Lib. 3. cont. Hæret. 32. (al. 22.) quo toto capite contra eos hæreticos disputat, qui specie solum, h. e. apparenter, Christum fuisse hominem dicebant.

*Ad* 2ᵘᵐ. Solum docere intendunt, quod in Eucharistia sit vere caro et sanguis Christi: sicut Verbum vere habet carnem et sanguinem; ut ex contextu patet. Cæterum quoque de mente S. AMBROSII constat ex n. 198., de S. JUSTINI, cui idem tribuitur, ex Dialogo cum Tryphone: *nam quod tu asseris, Christum... nec hominem esse, ab homine* (B. Virgine) *propagatum, non solum præter fidem videtur esse; sed etiam stultum.*

203. *Inst.* 2. At DAMASCEN. in Dialectica c. 68. *Illud,* inquit, *scire attinet, hypostaticam unionem, unam rerum conjunctarum naturam efficere.* Et JULIUS S. P. in epist. ad DIONYSIUM Corinthiorum Episcopum: *Necesse est,* inquit;

*cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare; ac in divinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari*; ergo.

*Ad* 1um. *N. assertum.* Sed Billius, qui hanc versionem adornavit, temerarie vertit *naturam* pro *hypostasi*, nam in græco extat ὑπόστασιν, personam, non φύσιν naturam. Quin eod. cap. infra studiose probat Damascenus, ex duabus naturis tertiam aliquam non posse effici; item toto Lib. de natur. compos. et L. de duab. Christi voluntatibus c. 8. n. 5. stringentibus verbis: *Quæ ex diversis naturis composita est natura, nulli earum consubstantialis est. Nam unaquæque natura simplex suam tantum habet definitionem. Composita vero aliam definitionem habet compositam. Impossibile est autem; ea, quæ diversam definitionem capiunt, ejusdem esse substantiæ. Igitur si Christus una est natura, quomodo consubstantialis Patri erit, ac matri? Ille enim Deus est, hæc homo. Dei autem et hominis non est una natura.*

*Ad* 2um. R. Cum Leontio L. de Sectis Actione 8. (Bibl. M. PP. t. 11. p. 526. C.) epistolam illam non esse Julii, sed ab Apollinari scriptam; eo potissimum argumento, quod Gregorius Nyssenus in libro, quem contra Apollinarem scripsit, multa referat ex illa epistola, quæ refellit tanquam ab Apollinari dicta. Quanquam etiam permisso, inquit Eulogius Alexandrinus (apud Photium codice 230. p. 851. edit. Andr. Schotti, Genevæ 1612.) esse Julii, nomen naturæ pro persona sumpsit.

204. *Inst.* 3. Teste Ephræmio Antiocheno apud Photium cod. 229. et S. Maximo, plures ex Catholicis, numerari in Christo naturas acriter prohibebant, nolebantque dici *duas numero* naturas in Christo.

R. *D.* Id prohibebant aliquando ex simplicitate, bonum tamen sensum intendentes. *C.* Quasi ipsam naturarum differentiam in Christo negarent *N.* Sed supposita etiam naturarum differentia, nolebant nihilominus dicere *duas numero* naturas; sed ea de causa, quam affert S. Maximus ipse in Opusculis, *quod numerus omnis aut dividendi vim habeat, aut sit divisibilis, aut divisionem introducat.* Quod illi veriti, naturas *duas* post unitionem salvas esse profiteri nolebant, *ne quid sectionis; vel partitionis in Incarnationis mysterium irreperet.* Nam *divisio* removenda est ab hoc mysterio. At in hos solide quidem Catholicos, sed pro ratione temporis parum prudentes, invecti sunt S. Maximus in Opusculis, Ephræmius Antiochenus, Vigilius S. P. aliique.

205. *Obj. III.* Ex Ratione: 1°. Si in Christo duæ essent naturæ, duo etiam essent Christi. *Prob. seq.* Ideo in Trinitate unus est Deus, quia est unica natura; ergo a contrario, si duæ sint in Christo naturæ, duo erunt Christi. 2°. Per unionem hypostaticam constituitur compositum theandricum in ratione novi principii operationum supernaturalium; ergo etiam in ratione novæ naturæ; natura enim dicitur a Philosopho 2. Physic. c. 1. *principium motus et quietis.*

R. *Ad* 1um. *N. seq. Disparitas est,* quia concreta substantiva non multiplicantur, nisi multiplicentur simul natura et suppositum: hinc in Trinitate non multiplicatur Deus, quia non multiplicatur natura; quamvis tres personæ sint: Christus vero non multiplicatur, quia non multiplicatur suppo-

situm, etsi in eo sint naturæ duæ; hæ enim in una eademque Verbi persona subsistunt.

*Ad* 2$^{um}$. *N. Cons. Ad prob.* R. Non definiri a Philosopho naturam, principium motus et quietis simpliciter, sed cum addito : *ejus, in quo est, primo et per se.* Unde colligitur, de ratione naturæ, prout ab Aristotele definitur, esse, ut sit pars primaria et essentialis alicujus compositi, cujusmodi est materia et forma in compositis naturalibus. Hinc subjungit ibid. : *natura aut subjectum est, aut subjecto inest;* id autem, quod ex his compositum est, natura quidem non est, sed constat natura. Similiter igitur compositum ex duabus naturis Christi unitis in persona Verbi, non est una natura; sed constat ex diversis naturis mediate inviceem unitis. Deinde operationes illæ non debentur Christo ratione alicujus naturæ, quam includit; quia sunt supra exigentiam naturæ humanæ : natura autem divina non unitur immediate humanitati, sed personalitas; unde debentur Christo ratione personalitatis divinæ. Ex hactenus disputatis

206. *Infer, et collige sequentia.* I. Illa, quæ naturis secundum se sunt propria, etiam in Christo esse duplicia : 1°. Existentia duplex. 2°. Duplex duratio et præsentia localis, increata scilicet, immensitas, et æternitas ex parte naturæ divinæ; ex parte contra naturæ humanæ creata, et finita præsentia in tempore et loco. 3°. Duplex intellectus, divinus et humanus, duplex intellectio, scientia, voluntas, de qua Sectione sequenti, libertas. 4°. Duplex operatio, divina, quæ Christo communis est cum Patre, et humana, quæ dicitur *Theandrica.* Definita hæc sunt in Conc. Constantinop. II. *Omnia duplicia unius, ejusdemque Domini Salvatoris nostri J. C. secundum evangelicam traditionem asserimus; id est, duas ejus naturas prædicamus, divinam et humanam, ex quibus et in quibus etiam post admirabilem et inseparabilem unitionem subsistit, et unamquamque ejus naturam proprietatem naturalem habere confitemur; et habere divinam omnia, quæ divina : humanam omnia, quæ humana sunt, absque peccato.*

207. II. Quæcumque sunt in Christo propria uni naturæ secundum se, non posse tribui alteri naturæ etiam secundum se acceptæ, et præciso supposito. Unde falsæ sunt propositiones istæ : *Humanitas est Deitas; est Omnipotentia; est æterna, omnipotens, immensa, etc.* aut : *Deitas est corporea, mortalis, composita, etc.* Cujus ratio est, quia etsi in Christo detur communicatio idiomatum, ut suo loco ex industria ostendemus; non datur tamen nisi ratione suppositi utrique naturæ communis : igitur si naturæ præscindantur ab hypostasi, inter eas hæc communicatio inveniri non poterit; quia, in illis præcisis, ipsius communicationis deficit fundamentum, quod est suppositum. Sed de his exactius suo loco.

208. III. Unionem hypostaticam, licet negemus contra Eutychianos factam esse *in unitatem naturæ;* hoc tamen non obstante, in alio et sano sensu dici potest etiam suo modo facta *in natura,* et non tantum in persona; quia non tantum personalitas divina Verbi unita fuit naturæ humanæ, sed etiam natura divina eidem humanitati unita fuit, licet mediate tantum, scilicet mediante Verbi personalitate, ut amplius constabit Dissert. seq.

209. IV. Etsi natura divina dici possit incarnata, scilicet in Verbo; inde tamen non inferes : etiam dici posse *passam, mortuam* esse ; nam esse incarnatam, nihil importat aliud, quam esse unitam carni ; at huic vere unita est, saltem mediate, mediante personalitate Verbi ; nec per hoc mutationem subiit ; subiisset autem, si vere dici posset *passa, mortua,* etc. Unde nec divinitas debet dici passa, ut volebant Eutychiani ; nec solus homo, ut volebat Nestorius ; sed Christus est passus et mortuus, non quidem secundum formam aut naturam Dei ; sed secundum formam aut naturam humanam ; quia actiones suppositorum sunt.

## ARTICULUS III.

### S. CYRILLUM ALEXANDRINUM, CIRCA NATURARUM IN CHRISTO DIFFERENTIAM, ORTHODOXE SENSISSE, NEC FAVISSE EUTYCHIANIS OSTENDITUR.

S. Cyrillum suum esse, unanimi voce prædicabant, quotquot erant Eutychianismi sectæ : illum Eutychianismi reum scriptores heterodoxi quidam recenter insimulant, ac probare conantur adductis et congestis illius ex Libris sententiis ; ut operæ pretium sit, in genuinam hujus S. Patris mentem, de fide tam egregie meriti, studiose inquirere. Quare contra singulos

210. *Dico.* S. Cyrillus Alexandrinus quoad dogma de duarum in Christo naturarum differentia prorsus orthodoxe sensit, omnique Eutychianismi labe ac suspicione purus est.

*Prob.* clarissimis S. Cyrilli sententiis : 1°. S. P. in L. 1. contra Nestorium, hujus impietatem arguens, quod *Dei genitricem* appellari B. Virginem nollet, longa oratione contendit : etsi Divinitas ipsa ortum ex Maria non acceperit, ita ut existendi ab ea initium faceret, Deum tamen Verbum, qui ante omnia secula ex æterno Patre natus est, novissime vere secundum carnem esse genitum ; nitide simul utramque in Christo naturam integram, impermixtam, inconfusam, exprimit (opp. t. 6. p. 9. E.) : *Deus est revera Christus, et unus, ac solus Dei et Patris, non divisus in hominem seorsim et similiter in Deum ; sed idem existens et ex Deo Patre Verbum, et ex muliere homo nostri similis.* Quibus tum naturas in Christo differentes inesse, nec tamen divisas ; tum ex duabus unam non existere compositam, uti ex anima et corpore fit homo, docet ; nam et manere duas naturas asserit, quæ utrique generationi respondent ; et eumdem Christum non minus Deum esse, quam hominem *nostri similem :* quod falsum esset, si una constaret ex duabus composita natura et essentia. Nam totum ab unaquaque parte reipsa differt et essentia ; nec ambo inter se nomine et definitione conveniunt. Non enim homo est anima, nec animæ definitio homini tribuitur, nec appellatio in recto, sed vel in obliquo, *habens animam ;* vel denominative aut adjective, *animatus :* at Christus non solum *habens Deum,* aut *Divinus,* sed proprie Deus : similiter nec habens tantum hominem, vel humanus ; sed homo dicitur.

2°. L. 2. cont. Nestor. (ibid. p. 51. D.) : *Ergo unum confitere, naturas non dividens ; sed ita, ut scias interim ac sentias, aliam esse carnis rationem :*

*aliam divinitatis soli ipsi, Christo, convenientem. Non enim carnem ipsam Verbi divinitatem esse factam dicimus; sed divinam potius, tanquam ipsius propriam.* Quibus aperte naturas duas a se invicem distinctas, sed non divisas affirmat, ac sine confusione, vel conversione unitas in compositionem unius hypostasis vel personæ; hoc enim significat vocabulum ὁ εἷς, *unus.* Deinde passim in libris contra Nestorium, et aliis, unum esse Christum ac Dei filium prædicat, qui sit utrumque, Deus et homo; hoc autem nullo modo convenit in unum aliquem, cujus tertia quædam natura sit, ex duabus illis, unde constat et componitur, velut partibus conflata. Sed expressius

3°. In epist. ad Nestorium, quæ incipit, *Intelligo*, approbata in Concilio Ephesino (opp. t. 5. part. 2ª. sect. 2ª. p. 23. B.) : *Asserimus*, ait, *Verbum unita sibi secundum hypostasin carne animata rationali anima, inexplicabili modo hominem factum : et quamvis naturæ sint diversæ, vera tamen unione coeuntes, unum nobis Christum et filium effecerunt : non quod naturarum differentia propter unionem sublata sit; verum quod divinitas et humanitas secreta quadem ineffabilique conjunctione in una persona unum nobis Jesum Christum et filium constituerint.* Et

4°. In epist. ad Joannem Antiochenum, fidem suam uberius, accuratiusque declarans Cyrillus (ibid. p. 107. C.) : *Deum*, inquit, *immutabilem, et qui alter fieri non potest natura sua, factum hominis filium, unum deinceps intelligi cum carne propria, et e cœlo dici descendisse. Sed et hominem appellari de cœlo; qui perfectus in divinitate : et idem in humanitate sit perfectus, et in una intelligatur esse persona. Unus est enim Dominus Jesus Christus; tametsi non sit ignota naturarum differentia.* Hæc, inquam, Cyrillus in ea epistola, quæ in Chalcedonensi Synodo præsertim approbata est, et in fidei regulam adscita : et quoniam ab Orientalibus recepta est, ac velut conciliatrix quædam fuit pacis et concordiæ, tanto majorem auctoritatem habet, et ex ea mens S. Cyrilli clarius et certius dignoscitur.

His allatis similia plane in aliis Cyrilli scriptis occurrunt; in Commonitorio ad Eulogium (ibid. p. 133. A.), ubi dicit, errare Nestorium, non dicendo duas naturas, sed earum negando unionem substantialem. In ep. ad Valerianum (ib. p. 160.) et in duabus ad Successum epistolis.

*Conf.* S. Cyrillus cum Joanne Antiocheno, et Orientalibus in eamdem convenit expositionem fidei, quam ab illis oblatam admisit, et contra ejus obtrectatores defendit; at Orientales nullo modo suspecti unquam erant de Eutychianismo, quin, ut dictum, aliquando ante pacem, Cyrillum suspectum habebant, quod naturam humanam non perfectam cum *Apollinari* ipsis videretur adstruere in Christo, ut constat ex Sect. præc.; ergo dum eamdem cum Orientalibus expositionem fidei est amplexus et professus, satis et luculenter ab omni se Eutychianismi suspicione purgavit.

211. *Obj. I.* S. Cyrillus in ep. 1. ad Successum scribit (opp. t. 6. part. 2ª. sect. 2ª. p. 137. D.) : *Post unitionem naturas, alteram ab altera, non dividimus; neque in duos filios unum illum impartibilemque secamus; sed unum asserimus filium, ut et SS. Patres dixerunt, unam naturam Dei Verbi incarnatam;* ergo post unitionem non nisi unicam in Christo naturam

agnovit. Idem vero quoad unam naturam incarnatam repetit S. Cyrill. Athanasium citans in L. ad Reginas (opp. t. 5. part. 3ª. sect. 3ª. p. 48. A.).

R. *N. Cons.* Non enim S. Pater dixit, unam esse naturam Christi; sed *unam naturam Verbi incarnatam* : quod verissimum est, quia sola natura divina, in Verbo subsistens, incarnata est; et sensus dicti Cyrilliani est : naturam divinam Verbi unitam esse substantialiter humanitati in personalitate Verbi; et per hanc unionem subtantialem duas illas naturas coire in unam personam, unum Christum, qui simul est Deus et homo. Ita enim S. Cyrillus ipse declarat, illum, non alium, esse hujus tum suæ, tum aliorum Patrum sententiæ sensum, in commonitorio ad Eulogium (ibid. p. 133. A.) : *Licet duas naturas esse dicat* (Nestorius), *carnis et Verbi Dei differentiam significans; est enim alia Verbi, alia carnis natura : attamen unionem una nobiscum non confitetur; nos enim illas adunantes, unum Christum, unum eumdem filium, unum Dominum confitemur; et unam postremo Dei naturam incarnatam dicimus.* Sed et ep. 2. ad Successum (ibid. p. 143. E.) ita se purgat. *Si dicentes unam Verbi naturam, tacuissemus, ac minime adjunxissemus incarnatam, excluso propemodum dispensationis mysterio; esset fortassis illorum oratio non inepta, dum interrogare se simulant : ubinam est in humanitate perfectio, persona? quomodo subsistit illa nostra essentia? Sed quia et illa in humanitate perfectio, et essentiæ nostræ declaratio est, dum dicimus incarnatam; desinant baculo niti arundineo.*

Hinc liquet, studiose S. Cyrillum, nec alia de causa ita locutum, quam ut Nestorii se perfidiæ opponeret, vitaretque subdolam illius unitionem, quæ verbotenus uniebat naturas duas; re autem ipsa disjunctas, ac seorsim subsistentes habebat, non substantiali unitas nexu; sed morali. Quare ut ostenderet, illam naturarum in Christo conjunctionem esse substantialem contra Nestorium, ac *divisionis expertem*, Verbi unam naturam *incarnatam* dixit; h. e. naturam divinam ut subsistentem in personalitate Verbi.

Singula hactenus dicta ex Syn. gen. V. amplius elucidantur, dum Can. 8. sancit (Labb. t. 5. p. 574.) : *Si quis unam naturam Verbi incarnatam dicens, non sic ea excipit, sicut Patres docuerunt : quod ex natura divina et humana, unitione secundum subsistentiam facta, unus Christus effectus est... anathema sit.* Ubi dum dicit : sicut *Patres docuerunt*, declarat, quo sensu dictum illud S. Cyrillus acceperit.

212. *Inst.* 1. In L. ad Reginas cit. hæc : *unam Verbi naturam incarnatam*, sic intelligit, ut in Christo post unitionem *duas naturas* neget; ergo.

R. *D. A.* Ut duas naturas in Christo neget simpliciter et absolute *N.* in sensu Nestorii : duas naturas accidentaliter solum unitas, sicque quoad rem divisas, et subsistentes *C.* En textum ipsum : *Agnoscimus illum Dei Filium, Deum esse secundum spiritum; filium autem hominis secundum carnem;* en duas naturas asserentem integras, inconfusas : *non duas naturas, unam adorandam, alteram non adorandam;* en rejicit duas naturas in sensu Nestorii; scilicet ob unionem solum moralem et accidentalem reipsa divisas et seorsim subsistentes, ut proinde sola divina esset adoranda, non humana : *sed unam naturam Verbi incarnatam, quæ simul cum ejus carne una adoratione adoratur;* h. e. naturam Verbi se agnoscere *incarnatam*, sive

substantialiter unitam humanitati in, vel mediante personalitate Verbi, quæ propter unionem simul cum ejus humanitate una adoratione adoratur; cum utraque natura in eadem divina persona subsistat. Unde pergit: *Neque duos rursum filios, alterum verum adorandumque, nempe Filium Dei; alterum ex Maria, hominem non adorandum; sed per gratiam perinde, ac cæteri homines cooptatum;* uti sequebatur ex principio Nestorii.

Igitur duas naturas solum in perverso Nestorii sensu rejicit; contra vero unam naturam Verbi *incarnatam* ponit, ut ostenderet, hanc esse substantialiter unitam humanitati in una personalitate Verbi; sicque unum esse Filium, unum adorandum.

213. *Inst.* 2. S. Cyrillus naturas in Christo post unitionem sola ratione vel cogitatione distingui ait; ergo supponit, ex duabus factam esse realiter unam. *Prob. A.* Nam epist. 2. ad Successum (opp. t. 5. part. 2ª. sect. 2ª. p. 145. B.) ait, *illos* (Nestorianos) *ignorare, quæcumque non sola mentis consideratione distingui solent, ea prorsus etiam in diversitatem distinctam, omnifariam ac privatim a se mutuo segregari;* unde infertur: ergo S. Cyrillo illa sunt diversa, et separantur a se mutuo, quæ non sola ratione, vel cogitatione distinguuntur. Atqui naturæ in Christo a se divisæ, vel separatæ non sunt, sed unitæ; ergo sola ratione jam distinguuntur.

R. *N. A. Ad prob.* Dico per τὸ *distingui*, quod Latinus Cyrilli interpres posuit, debere intelligi *dividi*, et S. Cyrillum duas post unitionem naturas sola ratione, vel cogitatione *divisas* dicere, *quasi* a se mutuo separatas. Evincitur id 1°. ex ipso, quod ad declarandum subdit, exemplo; scilicet animæ rationalis et corporis: at inter corpus et animam realem intercedere distinctionem, nemo dubitat; licet, quamdiu homo vivit nec divisa, nec separata sint.

2°. Græcum verbum διαιρέω, unde διαίρεσις, ubiubi S. Cyrillus contra Nestorium agit, pro *divisione, separatione* sumit, et semper alias in hac controversia, ut allatis textibus demonstrat Petav. Theol. Dog. de Incarn. L. 6. c. 9.

3°. Ex scopo S. Cyrilli, et subjecta controversia; quia enim Nestorius, contra quem, et cujus occasione scripsit hæc, profitebatur ἀδιαίρετον, *indivisum* in duos Christos aut filios, sed unum asserebat, conjunctione *morali*, non substantiali, vera et propria unitione, quæ unum per se efficeret; ex adverso pugnans Cyrillus contendebat, stante unione solum morali, neque *divisionem* impediri, neque duos Christos, aut filios; et propugnans simul dogma Catholicum, invicte ostendebat, non esse *divisioni* locum in illo, cum substantiali unione naturæ ambæ in una personalitate Verbi conjungerentur; æque parum, quam in homine vivente corpus et anima dici divisa possint; quod erat Cyrilli exemplum. Hinc liquet 1. S. Cyrillum græcum διαιρεῖν, quo utitur, non potuisse non sumere pro *dividere*. 2. Male Latinum S. Cyrilli interpretem pro *dividi*, ut debuisset ponere, posuisse *distingui*.

214. *Obj. II.* Idem Cyrill. epist. ad Acacium (ibid. p. 115. D.): *Affirmamus*, inquit, *dum ea, ex quibus constat unus, et solus Filius, ac Dominus Jesus Christus, cogitando versamus, duas unitas esse naturas: post unitionem*

*vero, tanquam sublata jam sectione in duo, unam esse credimus filii naturam, ut unius, sed hominis facti, et incarnati;* ergo.

R. *D. A.* Unam esse filii naturam, ad excludendam naturarum divisionem *C.* ad adstruendam naturam unam simpliciter et absolute *N.* Eodem sensu dixit hic unam naturam Filii incarnati, quo supra unam naturam Verbi incarnatam; ad excludendam in Christo divisionem naturarum post unitionem. Unde hujus quidem loci hic genuinus sensus est: ante unitionem antecessit illa sectio, vel divisio naturarum: non utique re; quia natura humana reipsa non fuit, antequam uniretur; ergo ratione, vel cogitatione præcessit; sicut etiam in divinis Pater est Filio prior origine; hinc ait, *cogitando versamus.* At post unitionem negat dividi naturas, scilicet eo modo, quo intendebat Nestorius; quod natura Verbi, utpote *incarnati*, sit unita substantialiter humanitati, et jam ambæ coeant in unam personam Verbi, ut dividi non amplius possint.

215. *Obj. III.* L. de recta fide, humanitatem tradit assumptam esse *in unam deitatis naturam;* ergo unio ex mente Cyrilli facta fuit non tantum in unitatem personæ, sed etiam naturæ.

R. *N. A.* Sed hoc dixit (opp. t. 5. part. 2ª. sect. 3ª. p. 63. B.): *Jesum Christum assumptum esse in unam illam deitatis naturam;* quod verum est: Christus enim non solam humanam naturam significat; sed Verbum ipsum cum ea copulatum, et utramque simul naturam exprimit. Nimirum eo loco probare studet Cyrillus, Christum non esse nudum hominem, sed Deum: atque hoc ex illis Apostoli verbis adstruit. 1. Cor. 8. v. 6. *Nobis unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum;* hic enim Christus una cum Deo Patre in unam deitatis appellationem ac naturam assumitur, ex quo Deus ipse monstratur, sicque ratiocinatur Cyrillus: *Si solum unus est Deus; nec est alter præter ipsum; assumitur autem in unam illam deitatis naturam Jesus Christus, per quem omnia: consequens est, hunc esse Deum, qui consubstantialis Patri secundum divinitatem intelligitur etiam, quando appellatus est Jesus Christus.*

Hinc evidens est, id, quod Cyrillus dixit, Jesum Christum assumptum esse in unam divinitatis naturam, hunc habere sensum: annumeratum esse Christum Deo Patri, ac perinde Deum esse nominatum, et ei attributam divinitatis naturam, quod idem valet, atque usitatum illud postea; *unum esse Christum de Trinitate, vel unam personam,*

# SECTIO III.

## DE GEMINA CHRISTI VOLUNTATE ET DUPLICI OPERATIONE.

Affinis hæc controversia superiori est, cum eaque connexa; unde merito hic jam illam pertractandam duximus. Occasionem controversiæ hujus Monotheletæ, Eutychianismi quædam relicta portio, dederunt : dum, damnato jam Eutychianismo, duas quidem in Christo naturas utcumque externe professi, non nisi unam in Christo voluntatem, et operationem pariter solum unam asserebant; sicque naturam humanam in Christo non integram, nec perfectam. Unde 1°. *Monothelismi historiam* dabimus. 2°. In quo *hæresis* Monotheletarum *sita* fuerit, inquiremus. 3°. Stabiliemus *dogma Catholicum.* 4°. Monothelismi labe, omnique mala œconomia et culpa Honorium I. fuisse immunem ostendemus.

### ARTICULUS I.

#### MONOTHELISMI SYNOPSIS HISTORICA.

—

#### §. I.

*Origo.*

216. Prima hujus hæresis incunabula in anno Christi 630. figimus : quod circa id temporis in flammas erumpere cœperit; licet jam prius sub cinere glisceret, et occultis *Athanasii* Jacobitarum Patriarchæ, *Sergii* Constantinopolitani, *Theodori* Pharanitani Episcopi consiliis foveretur. Res ita habuit, teste Theophane in miscell. et Cedreno. Cum Heraclius imperator, confecto bello Persico, Hierapoli consisteret anno imperii 20., qui juxta annales Græcorum erat Christi 630., *Athanasio,* Syro genere et Patriarchæ Jacobitarum (qui sectæ Eutychianæ portio, et *Jacobitarum* nomine, quam tunc inviso Eutychianorum nomine, appellari malebant), Antiochenum Patriarchatum promittebat, si Chalcedonensi Synodo, duas in Christo naturas decernenti, subscriberet. *Athanasius* in Imperatoris vota sine mora ivit, sed astute simul quæstionem Cæsari movit de voluntate et actione Christi; duplicemne credere oporteret, an unicam? Ad quam hæsitans Imperator Sergium Constantinopolitanum, teste Syn. VI. Act. 13., qui et ipse Syrus genere, et Jacobitis ortus parentibus, ejusdemque cum Athanasio hæresis fuit socius, per litteras consuluit, qui respondit, nonnisi unicam in Christo voluntatem, actionemque dici posse.

Anno 633. *Cyrus* Alexandrinorum Patriarcha, communicatis cum *Theodoro,* Pharanis Episcopo consiliis, unius voluntatis ac operationis dogma publice proposuit, et coacta in Synodo novem capita cum totidem anathe-

matismis condidit, quibus *operatio una* non obscure firmabatur. Extant hæc capita in Syn. VI. Act. 13. S. Sophronius vero adhucdum monachus, qui Synodo intererat, cum, conatu irrito, se *Cyro* opposuisset, Constantinopolim ad Sergium se contulit. Quem cum eadem infectum lue comperisset, recessurus inde, in genua provolutus monuit, *Christi Dei passionibus vivificis obtestans*, ait S. Maximus in Disp. cum Pyrrho, *ne vocem hæreticorum, unam operationem, probe a SS. Patribus extinctam renovaret.*

Eodem anno S. Sophronius in sedem Hierosolymitanam evehitur, ac sine mora habita Synodo, epistolam synodicam edidit gravem Patrum sententiis pro orthodoxo dogmate, cujus exemplar Honorio Rom. Pontif. misit, et Sergio. Sergius inde sibi metuens a Sophronio, plenas fraudum litteras ad Honorium dedit, multa mendacissime de Sophronio scribens, velut *eum secum* (Sergio) *convenisse, ut neuter, unius vel duplicis operationis vocem usurparet*; et id genus plura, quæ legi possunt in Dissertat. nostra de Honorio. Sed ex hoc ipso jure argui potest, illam Sergii epistolam, hic interpolatam esse. Et vero quod mendaciorum ejusmodi pretium sperare Sergius poterat, quorum, summo suo probro, se a Sophronio apud Honorium convincendum esse, non poterat non providere; cum non ignoraret, Sophronium scripsisse ad Honorium: quod Sophronius ipse Sergio significarat.

Interea dum ita res fervet, an. Chr. 638. moritur Honorius I. 12. Octobris. Eodem anno Sergius *Ecthesin* suam, quam duobus ante annis, et amplius conscripserat, Heraclii imperatoris nomine divulgavit, ipseque paulo post, ante adhuc exitum ejusd. anni 638., mense Decembri extinctus est Sergius, ut nos docet in Chronico suo Nicephorus, qui annos episcopatus Sergii, et Pyrrhi, qui Sergio successit, recenset: ut annorum ratione recte subducta, Sergius post mensem Decembrem superstes esse non potuerit. Quid vero entis illa Ecthesis fuerit, nunc in sequ. §. exponetur. Honorio vero successit Severinus anno 640. quo et rursus decessit, subrogato huic Joanne IV. ann. eod. die 4. Decembris.

## §. II.

### *Ecthesis Heraclii, sive rectius Sergii.*

217. *Ecthesis* illa expositio fidei erat, in qua post longam satis explanationem catholicam Trinitatis, itemque Incarnationis, simul datur ratio, cur *nec unam, nec duas* dici *operationes* in Christo *oporteat*, ac tandem in fine una in Christo voluntas asseritur. Ecthesis illa non aliter quam Heraclii dicebatur, quod sub ejus prodiisset nomine; auctor vero ejusdem *Sergius* erat. Cum enim eamdem condemnasset Joannes IV., Severini successor, Heraclius se purgaturus, *Ecthesis*, scribebat ad Joannem, *non est mea: sed cum hanc Sergius composuisset ante quinque annos, deprecatus est me, ut nomine meo proponeretur.* A quo tempore *Ecthesis Sergiana* appellari cœpit. Circa illam

Notandum, Ecthesin illam jam anno 636. ineunte, adeoque duobus ante Honorii decessum annis, fuisse a *Sergio* conscriptam; quod inde conficitur. Ait Heraclius in sua ad Joannem epistola, quod Sergius jam *ante quinque annos* illam composuerit. Joannes vero in Severini locum subvectus fuit

anno 640. 4. Decembris, ut ex hujus vita habetur : et Heraclius, juxta annales Græcorum anno insequenti 641. Februarii 11. obiit. Inde fit consequens, Heraclium ad Joannem IV. scripsisse anno 641. ineunte, non ante; quia Joannes nondum erat summus Pontifex : nec postea; quia Heraclius e vita migravit; igitur cum scribat Heraclius, Sergium composuisse Ecthesin *ante annos* quinque; necesse est, illam anno 636. duobus ante Honorii obitum confecerit. Quæ observatio infra inserviet.

## §. III.

### *Typus Constantis Imperatoris.*

218. Anno 648. Constans imperator *Typum* edidit, Pauli Constantinopolitani, qui Pyrrho ea in sede successerat, partum : utpote qui eumdem, ut Sergius ecthesin, conceperat, ut constat ex libello Synodico, qui oblatus est S. Martino S. P. in Secret. 2. Concil. Lateran. Typus vero edictum fuit, quo statuebatur, *ut, qui sunt Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ, non habeant licentiam invicem a præsenti, de una voluntate, aut una operatione; aut duarum voluntatum, ac duarum operationum qualemcumque altercationem aut contentionem instituendi.* Verbo : quo imperabatur silentium de catholico dogmate.

At S. Martinus eo tempore summus Pontifex, in Conc. Lateranensi Episcoporum 150. *ecthesin*, quam jam Severinus, Joannes IV., Theodorus Martini prædecessor, sicut et Pyrrhum et Paulum damnaverant, iterato damnat: Itemque Monotheletarum hæresin, ejusque propugnatores, *Theodorum* Pharanitanum, *Cyrum* Alexandrinum, *Sergium, Pyrrhum, Paulum*, Constantinopolitanos Patriarchas, ac *Typum* Constantis condemnat, data ad omnes fideles ea de re epistola.

Constans imperator idcirco in furorem actus, S. Martinum Constantinopolim per *Calliopum* abduci præcipit, ubi admodum contumeliose habitum, Chersonesum relegat in exilium, in quo ærumnis confectus gloriosus martyr occubuit.

## §. IV.

### *Synodus Generalis VI. sive Constantinopolitana III.*

219. Anno 678. Constantinus Pogonatus imperator ad Donum S. P. scribit pro cogenda generali Synodo. Agatho, qui Dono successerat, conspecto Imperatoris zelo pacem reddendi Ecclesiæ, ipse Romæ Synodum coegit, qua rursum confixa Monotheletarum hæresis. Ac Synodi quidem nomine Joannes Portuensis, Abundantius Paternensis, Joannes Rhegitanus, Episcopi; ab Agathone vero Theodorus, et Gregorius Presbyteri, Joannes Diaconus delegantur Constantinopolim, Papæ ac Synodi de catholicæ Trinitatis, et Incarnationis fide litteras perlaturi ad Cæsarem. Alias Agatho addidit, quibus celebrandæ Synodi formam præscribit, mandatque sub anathematis pœna, ut propositam a se fidem Synodus susciperet. Illud insuper Legatis mandaverat Agatho, quod etiam continebant litteræ, *ut traditionem Aposto-*

*licæ Sedis, ut a Prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sinceriter referrent; nec præsumerent augere, vel minuere, sed præcise, quantum ipsis injunctum, satisfacere.*

Quare anno 680. datum Synodo initium. Inter cætera ejus Acta, quæ vid. in Tr. de Princip. Theol., sequentia in rem nostram observamus.

Act. III. cum Synodi V. codex legeretur, Monotheletarum impietas patuit; quippe geminis in locis depravasse codicem deprehensi; primo addendo fictitium sub S. Mennæ nomine libellum, ad Vigilium Beatiss. Papam Rom. de eo, quod una sit Christi voluntas. Deinde libellos duos in Act. 7. ejusd. Synodi V. eidem Vigilio supposuisse convicti, quorum alter ad Justinianum Imperatorem, alter ad Theodoram Augustam datus, dicebatur, inque iis Vigilius dixisse anathema in eum, *qui non confitetur in Christo.. unam operationem,* quos codices Imperatori obtulerat ante Synodum *Macarius* Antiochenus eo tempore Monotheletarum caput; illisque immiscuerat, ut liquet ex Act. XII., exemplum epistolæ Honorii, quæ ejus prima ad *Sergium* dicitur.

Act. V. cum Macarius Antiochenus, aliique Monotheletæ, qui aderant, polliciti fuissent Act. I. suam de una in Christo voluntate sententiam et Conciliorum sacrorum definitionibus, et sanctorum Patrum confirmare testimoniis, nihil vero afferre potuissent ex Conciliis, jussi sunt proferre sanctorum Patrum, quæ jactaverant, testimonia. Duos igitur obtulere codices sub titulo : *Testimonia sanctorum Patrum, unam Domini nostri Jesu Christi voluntatem docentia, quæ est etiam Patris et Spiritus sancti* : statimque lecti fuere codices, dataque Macario a Synodo facultas fuit, nova, si vellet, testimonia proferendi; quin, quid evicisset Macarius, quid opposuissent Legati, quid alii orthodoxi Patres, aut saltem unus ex singulis inter hujus Actionis Acta notatum existeret. Primus igitur hic locus est, ex quo, Synodi hujus Acta manca esse atque mutila, dilucet. Nam quis prudens sibi in animum inducat, cum Macarius cæterique Monotheletæ geminos integros codices non nisi truncatis, corruptis, fictis SS. Patrum sententiis de una Christi voluntate refertos protulissent, omnes, tam Legatos Apostolicos, quam cæteros sedisse elingues, fraudem pessimam non objecisse hæreticis, ut constanter tamen fecere alias in Act. III. IV. præcedentibus, ac subsequente VI.

*Nota* : Acta hujus Synodi VI. manca mutilaque dici ex nostra in Act. V. animadversione, gravissime habuit ante annum P. Romanus Fischer Ord. Eremit. S. P. Augustini in Diss. de Honorio I. P. in Syn. VI. vere et juste condemnato, probatque §. III. c. 2. integro; quia Constantino roganti, an pars Macarii aliud proferre vellet, retulit Macarius et Stephanus : *sufficientes sumus, aliud proferre nolumus.* Signatis codicibus Legati : *piissime Domine,* inquiunt, *adhuc aliquid de una voluntate et operatione non ostenderunt Macarius, etc., sed et ipsa testimonia, quæ protulerunt, detruncaverunt.* At mirari subit, qua fide P. Romanus hæc verba opponat, cum non in Act. V. de qua hic sermo est, sed in Act. VI. extent, referanturque ad codicem novum, quem in hac Act. pars Macarii obtulerat. Legat, amabo! lector Actionem utramque in Act. Concilior. apud Harduin. t. 3. atque ita esse, ut dixi, comperiet.

Act. VI. novæ corruptionis, novarumque fraudum in mutilandis et depravandis Patrum scriptis *Macarius* reus convincitur; tum in Act. VIII., quod

fidei ab AGATHONE propositæ subscribere nollet, ei *ceu novo Dioscoro, novo Apollinari* dictum anathema. Act. IX. cum allata a *Macario* testimonia collata essent cum Patriarchii codicibus, nova ejus corruptio patuit.

Act. XII. Imperator codices illos, quos a Macario acceperat, simul misit ad Synodum, inter quos, ut dictum ante, erat *exemplum* primæ HONORII ad *Sergium* Epistolæ. Hinc notetur 1°. Macarium, cum Synodum ad Monotheletarum extirpandos errores cogendam intelligeret, movisse omnia, ut Imperatorem suas in partes pertraheret, quod et Episcopi hac ipsa in Act. notarunt, reprehendentes Macarium *in devia mittentem Principem per oblatos illi codices*. 2°. Exemplum epistolæ Honorii, quale a Macario oblatum, nusquam antea apparuisse, vel ulli fuisse cognitum. Ideo unus Macarius semper appellabat Honorium, eum Monotheletis annumerans, gnarus quo id argumento faceret, quo fine; credebat videlicet Macarius hac ratione aut non damnatum iri in Synodo Monotheletarum dogma, si et MENNAM Episcopum Constantinopolitanum vitæ sanctitate clarum, tum VIGILIUM ac HONORIUM Romanos Pontifices ejusdem fuisse vel dogmatis auctores; vel certe sectatores aliis persuaderet; aut, si damnandum esset Monotheletarum dogma, hoc saltem solatio foret, quod cum Monotheletis una damnarentur Mennas, Vigilius, et Honorius.

Act. XIII. Dictum anathema *Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro, Cyro, Theodoro;* tum HONORIO ob ejus Act. præc. epistolam adulterinis illis insertam codicibus. Jussus deinde GEORGIUS CHARTOPHYLAX ex Patriarchio afferre cætera PYRRHI, PETRI, PAULI scripta, aliam HONORII epistolam, quæ *secunda* dicitur, quaque rursum silentium, sicut in prima, de operationibus Christi indicebatur, fortuito se reperisse aiebat : quæ, sine inquisitione alia, continuo flammis data.

*Nota* in Act. XIII. De hac secunda Honorii epistola nemini mortalium quidquam antea innotuerat; nequidem Macario, quam alioquin certo pariter inseruisset illis codicibus, de quibus Act. XII., sicut illam, quæ prima Honorii ad Sergium dicitur. Quid vero Agathonis Legati dixerint, cum Romani Pontificis epistola damnaretur ad rogum, nec verbulo refertur; manifesto rursus argumento, quædam in Actis desiderari, quod Artic. V. amplius probabitur.

Act. XVII. proposita fidei definitio contra Monotheletas fuit. Ac demum Act. XVIII. repetito in singulos anathemate, terminata cum acclamatione ad Imperatorem Synodus.

## ARTICULUS II.

### CONTRA MONOTHELETARUM IMPIETATEM DEFENDITUR DOGMA CATHOLICUM.

220. *Nota.* Monotheletas sic dici ab unius voluntatis in Christo, tum, quod inde sequitur, unius operationis assertione, ex dictis abunde liquet. Quo vero sensu unam voluntatem dixerint, quædam est controversia. Sunt, qui cum VASQUEZIO non ipsam *potentiam*, sed hujus *actum* solummodo Monotheletis negatum volunt, ideo, quod concessis duabus in Christo naturis,

adeoque et humana, hujus voluntatem negare non potuerint; quippe quæ ex natura fluit per se.

At communis contra est sententia, et tenenda, ipsam humanæ voluntatis facultatem, sive potentiam, impios Christo abnegasse, sic, ut in Christo solam voluntatem divinam remansisse dicerent, quæ animam immediate, perque animam corpus moveret ad actiones, ita ut una pariter esset operatio, a Verbo tanquam fonte profluens, et per animam, corpusque in externum usque opus se effundens. Et satis aperte hæc Monotheletarum mens inde cognoscitur : 1°. Ex propria eorum confessione; voluntatem enim humanam, sive hanc *naturalem*, quod confiteri nollet *Macarius*, in Syn. VI. damnatus fuit. 2°. Ex epist. Agathonis, qua definivit contra Monotheletas, in Christo *duas naturales voluntates, et duas naturales operationes*, ubi distinguit voluntatem ipsam ab actu. Ex Syn. VI. Act. 8., dum quærit ex Macario : *an Christus humanam habuerit voluntatem et impeccabilem?* ubi aperte voluntas sumitur pro ipsa potentia. At simpliciter negavit Macarius. Quanquam propterea dissimulari non possit, Monotheletas subin æquivoce locutos esse, cum a Catholicis premerentur.

Rationem vero prioris sententiæ quod attinet, ruit illa 1°. quod Monotheletas solo ore naturas duas professos esse, sit vero longe propius, cum ab iisdem ortum duxerint, qui portio erant *Eutychianæ* sectæ. 2°. Quia falsum est suppositum contrariæ sententiæ; Monotheletæ enim actiones perinde ac voluntates *hypostasin*, non naturam sequi, pro sui erroris fundamento dicebant, h. e. ut aiebant ipsi, ὑποστατικὰ esse Θελήματα, non φυσικὰ, proinde voluntates non pro naturarum, sed hypostaseon numero multiplicari. Unde S. Joannes Damascenus id refellens identidem regerebat illud : *Naturales, non hypostaticas, dicimus voluntates.* L. 3. de Fide Orthod. c. 14. et passim.

221. *Dico.* Duæ sunt in Christo voluntates, et duæ pariter operationes, seu volitiones, divina scilicet et humana.

*Conclusio* est *dogma fidei*, et definita in variis Conciliis, Lateranensi sub S. Martino I., in Synodo generali VI. ea de causa celebrata : Item in generali VII. et VIII. Sed et præterea

*Prob. I.* Ex sacris Scripturis. Matth. 26. 39. *Non sicut ego volo; sed sicut tu.* Luc. 22. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Joan. 5. 31. *Non quæro voluntatem meam; sed ejus, qui misit me.* Et Joan. 6. 38. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* His aliisque similibus textibus clare exprimitur voluntas humana in Christo; sed divinam in Christo nec Monotheleta aliquis, nec ullus unquam hæreticus, aut homo negavit; cum hanc Verbum amittere non posset; ergo.

*Prob. II.* Rationibus theologicis. 1°. *Quoad duas voluntates.* Voluntas est naturæ, non hypostasis, proprietas, ut constat ex mysterio Trinitatis; ubi tres licet personæ sint, tamen una tantum voluntas est, ut contra Pyrrhum argumentabatur S. Maximus (opp. t. 2. p. 161.); et ait Agatho S. P. in epistola quæ extat Act. IV. gener. Synodi VI. (Labb. t. 6. p. 637. B.). Atqui in Christo est natura humana integra et perfecta; ut constat ex dictis contra Eutychen : et aliunde certum est, Verbum per assumptionem naturæ humanæ

nullam esse diminutionem passum in natura sua divina, cui voluntas competit; ergo.

2°. *Quoad operationes.* Hæ enim sequuntur formas, sive agendi principia: atqui hæc in Christo diversa sunt; scilicet naturæ diversæ, et diversæ voluntates; ergo. Nititur hæc ratio auctoritate Patrum. Sic enim ratiocinati Patres sextæ Synodi in sermone prosphonetico (Labb. t. 6. p. 1052. C.) *Perfectum igitur in divinitate, et eumdem in humanitate perfectum, secundum antiquas Patrum traditiones, et divinam Chalcedone sancitam formulam prædicamus. Atque uti naturas duas accepimus, ita et duas naturales voluntates, et duas naturales ipsius operationes agnoscimus. Quippe neutram in Christo naturam in ejus Incarnatione voluntatis expertem, aut operationis audebimus asserere; ne earum proprietates perimentes, naturas una perimamus.* Sic S. Damascenus de fid. orthod. L. 3. c. 15. *Salva,* inquit, *naturarum differentia, salvæ erunt et eorum operationes. Non enim natura ulla est operationis expers.* Huic item argumento S. Maximus insistebat in Disputatione cum Pyrrho habita Carthagine (opp. t. 2. p. 165.)

3°. *Quoad utrasque.* Juxta Scripturas divinas Christus satisfecit pro peccatis nostris, ad Ephes. 1. 7. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* 1. Tim. 2. 6. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Fuit obediens, ad Philipp. 2. 8. *Factus obediens usque ad mortem.* Vere meruit; nobis quidem dona supernaturalia, hoc enim vult Apostolus ad Ephes. 1. 6. *Gratificavit nos in dilecto Filio suo,* sive per hunc, h. e. ejus merita: sibi vero exaltationem et gloriam, ad Philipp. 2. 8. *Factus obediens usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum,* etc. Atqui non potuisset Christus ponere actus vere satisfactorios, meritorios, obedientiæ, nisi habuisset voluntatem humanam perfecte liberam, quæ actus illos eliceret; voluntas enim divina ejusmodi actus proprie tales elicere nequit, utpote qui naturæ, a qua eliciuntur, inferioritatem exigunt; ergo.

222. *Obj. I.* Ex SS. Patribus. S. Dionysius, vulgo Areopagita, epist. 4. ad Caium, *unam* tradit in Christo esse *deivirilem actionem: Qui non secundum Deum divina gessit, nec humana secundum hominem. Verum Deo viro facto unam quamdam deivirilem actionem expressit.* Quod idem docet L. de Divin. Nominib. c. 12.

R. 1°. *N. A.* Sed ita textum S. Patris olim Monotheletæ depravarunt; cumque S. Dionysius posuisset *novam* deivirilem, sive theandricam operationem, impii supposuerunt *unam,* teste S. Martino I. in Concil. Lateran. (Labb. t. 6. p. 183. A.) et Synodo gen. VI. Act. 14. (id. ibid. p. 960. D.)

R. 2°. Permisso etiam gratis in S. Dionysio legi *unam,* nihil hoc prodesset Monotheletis, cum in sensu plane catholico id dicere potuerit; quia omnis actio humana et volitio est *elicitive* quidem a natura humana ceu principio *quo;* sed a Verbo *denominative,* ceu principio *quod;* actiones enim suppositorum sunt; sicque actio potest dici una propter unitatem suppositi operantis in duabus naturis.

223. *Inst.* 1. S. Dionysius actionem Christi ait esse theandricam, sive *deivirilem;* ergo, sive posuerit *unam,* sive *novam,* intellexit unicam; vox enim *deivirilis* unam actionem compositam, vel confusam indicat.

R. *N. Cons. et prob.* Sed *deivirilis* dicitur sive theandrica, quia est Dei hominis, elicitive a natura humana; denominative a Verbo, ut supposito agente ut quod, unde valorem et dignitatem capit; sicque revera est actio *nova;* quippe soli propria composito theandrico, ut inquit Sophron. in ep. lecta Act. 11. Syn. VI. (Labb. t. 6. p. 880. A.).

*Observa* ex eod. S. Sophron. loco cit., item ex S. Maximo in notis ad ep. 4. cit. S. Dionysii, in Christo triplex inesse operationum genus. 1°. Aliæ pure *divinæ* sunt, quas in Christo sola operatur Divinitas, quin humanitas concurrat per modum etiam causæ instrumentalis, ut creatio, conservatio, concursus divinus ad actiones creaturarum. 2°. Aliæ sunt *humanæ*, et naturæ humanæ sunt propriæ; ut actus amoris ab humana voluntate elicitus, intellectionis humanæ, obedientiæ, comestionis, passionis, etc. quæ tamen actiones etiam sunt Verbi denominative, tanquam suppositi. 3°. Aliæ *mixtæ*, dum utraque operatur natura et concurrit ad actionem, ut dum Christus suo contactu patrat miracula; evocando e sepulcro Lazarum, etc. Hæ actiones magis specialiter *theandricæ* dicuntur, quia naturæ utriusque actionem continent; divinæ, per omnipotentiam concurrentis; humanæ, præstantis contactum, etc. etsi utriusque naturæ sic concurrentis actio in se distincta, et inconfusa sit.

224. *Inst.* 2. Juxta SS. Patres humanitas Christi erat Verbi divini instrumentum et organum; *Usus est*, inquit S. Cyrill. Alexandrin. Dialogo de Incarnat. (opp. t. 5. part. 1ª. p. 680. C.) *tanquam instrumento, propria carne.* S. Athanas. L. de Incarn. et orat. 4. (al. 3. n. 31.) in Arianos: *Cum Deus esset, proprium habuit corpus quo ut instrumento utens, homo propter nos factus est.* Atqui instrumentum non habet actionem propriam, et ab illa causæ principalis distinctam; ergo.

R. *D. M.* Erat Verbi instrumentum inanime *N.* activum et liberum, quod esset simul actionum suarum principium determinativum *C. Sic D. m. et N. Cons.* Natura humana erat Verbi instrumentum, quatenus illa utebatur ad nostram redemptionem; cum enim ipsa Verbi divinitas secundum se expers sit omnis passibilitatis, naturam humanam assumpsit, quæ actus meritorios et satisfactorios libere produceret, quibus una Verbum valorem ac pretium tribueret. Hoc volunt Patres. Unde et S. Gregor. Nyssen. contra Eunom. orat. 5. (opp. t. 2. p. 594. A.): *Divinitatem*, ait, *per corpus, quod induit, hominum omnium revera salutem, operatam, ut propria sit carnis perpessio, Dei autem* (utpote suppositi denominative, et dignificantis) *operatio.*

225. *Inst.* 3. S. Cyrill. Alexandr. L. 4. in Joan. (opp. t. 4. p. 361. D.) de Christo suscitante filiam principis Synagogæ ait: *Eam nempe omnipotenti suo jussu, ut Deus, et rursus tactu sanctæ carnis, vivificando, unam et cognatam per ambas naturas ostendit operationem*; ergo.

R. *D. et expl.* Unam unitate suppositi; vel unam *theandricam*, juxta superius dicta, et sic *cognatam*, quia actio eadem naturæ humanæ, a qua et ex cujus propriæ voluntatis imperio procedebat, erat simul Verbi denominative ut suppositi *C.* secus *N.* Etiam dum in patratione miraculorum natura humana præstabat vocem, contactum et similia, id simul

fiebat ex humanæ voluntatis imperio, semper paratæ ad divinæ nutum voluntatis.

226. *Obj. II.* Ex ratione. 1°. Si in Christo essent duæ voluntates, essent duo volentes; sed hoc est falsum. 2°. Christus unus est: Item est unum tantum operans; ergo et una tantum in eo voluntas est. 3°. Si duæ essent in Christo voluntates, hæ inter se discordes essent; sed hoc Christo repugnat.

*Ad* 1um. R. *N. seq.* Non enim plures, ad multiplicationem voluntatum præcise, etiam multiplicantur volentes; alioquin in Trinitate, sicut est unica voluntas, sic unicum volens esset. Nimirum voluntas naturam sequitur, ad eamque pertinet; nam in divinis uti natura una, sic una tantum voluntas est; at *volens* personam respicit; hinc quia in divinis personæ sunt tres; totidem volentes sunt. At in Christo nonnisi persona una est; ergo et volens unicum.

*Ad* 2um. R. *D.* Christus unus est supposito solo *C.* etiam natura *N.* At jam diximus: voluntas non hypostasis, vel personæ; sed naturæ proprietas est. *Sane quidem simpliciter velle naturæ est,* aiebat S. Maximus in disputatione cum Pyrrho. *D.* etiam alterum: Est unum operans *ut quod*; quia est persona una, vel suppositum unum *C.* unum operans *ut quo N.* Operans ut quo natura est; sed hæc in Christo duplex fuit, ergo et voluntas ex dictis, et volitio.

*Ad* 3um. R. *N. seq.* Illa enim voluntatum discordia vel fuisset, ut argumentabatur S. Maximus, naturalis, et Deum habuisset auctorem; quod est blasphemum dicere; vel fuisset peccati cujusdam effectus: sed nec Christus peccati capax fuit, nec natura, quam assumpsit, instar nostræ, vitiata aliquando peccato fuit, ut aiebat Honorius I. S. P. epist. ad Sergium (Labb. t. 6. p. 929.): *A divinitate assumpta est nostra natura, non culpa... Sine peccato conceptus de Spiritu sancto, etiam absque peccato est partus de sancta et immaculata Virgine Dei genitrice, nullum experiens contagium vitiatæ naturæ... Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura.*

Voluntas igitur humana Christi perfectissime conformis semper divinæ fuit; Joan. 8. 29. *Ego,* aiebat Christus, *quæ placita sunt ei, facio semper.* Hinc dum Matth. 26. 39. precatur: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste,* non erat actus divinæ contrarius voluntati; non enim erat volitio efficax, sed inefficax, et conditionata, sub conditione beneplaciti divini, ut patet ex statim subjunctis: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*

## ARTICULUS III.

### UTRUM HONORIUS I. S. P. IN ERROREM MONOTHELETARUM PROLAPSUS FUERIT?

*Proœmium.* Triplex culpa a diversis in Honorium conjicitur: 1°. *Hæresis* ipsius, velut unam cum Monotheletis esset voluntatem professus. 2°. *Malæ œconomiæ,* quod in 1a. et 2a. ad Sergium epistola suppresserit dogma catholicum, præcipiens Sergio, ut silentium indiceret de una vel duplici operatione Christi. 3°. *Socordiæ,* quod indulgentior existens in Monotheletas eorum nefarium dogma non in cunis compresserit, sed potius foverit.

Honorium vere justeque damnatum fuisse a Synodo gen. VI: sin minus ut hæreticum, certe ut hæreseos auctorem recentius sibi demonstrandum sumpsit P. Romanus Fischer Ord. Eremit. S. Patris Augustini, SS. Theol. Baccalaur. et in Conventu Moguntino Lector, in Diss. Theol. quam tum alteri eximii P. Desiranti Lovaniensis Professoris regii, tum nostræ pro Honorio typis Wirceburgensibus editæ opposuerat. Si causam, quæ movisse P. Romanum potuit, ut Honorium, inque Honorio ejus defensores impugnandos susciperet, inquiram, ea se facile ipsa prodit, quod vindicatus Honorius non parum obsistere videretur ejus de Romano Pontifice systemati, quod sibi propugnandum decreverat. Si modum scribendi spectem, in eo modestiam, quicumque legerunt, desiderant; tantoque amplius, quod scriptor Religiosus sit; acerbior hic illic æquo est, politæ scriptionis ac litteraturæ evagatus limites: contemptum spirans non levem aliorum, jactantiam e contra propriam. Si his modis adornentur triumphi, hos non invideo. Vulgare hoc eorum vitium est, qui, vel recens applicati ad docendi munus, aliquid elucubrationis pariunt, vel ad scribendum affectu impelluntur maligno, vel causam dubiam ac sublestam tuendam suscipiunt, in alios, velut æmulationis œstro sui impotes, subinde impotentius insurgere. At vero a gravium scriptorum genio semper hic modus abhorruit, qui, etsi ab aliis subinde opinione dissideant, sua momenta cum dignitate proferunt, judicium deinde, salva auctoritate æmuli, penes alios relinquunt, quin se ipsos vel coronare, vel jactare victores velint. Nondum tamen hic ex integro, ac dictis singulis P. Romani respondendum sumo, quod eo differo, dum laboribus adhuc residuis, quique magis urgent, fuero perfunctus. Sed ea duntaxat modo attingam, quæ ad tuenda nostra pro Honorio momenta sufficiant, e quibus interim de similibus ac levioribus a P. Romano allatis judicium formari possit.

227. *Dico I.* Honorius in ipsam Monotheletarum hæresin lapsus non est. Ita communis hodie Auctorum sententia.

*Prob.* Si Honorius lapsus esset in Monotheletarum hæresin; ergo tum, quia in prima ad Sergium epistola scripsit (Labb. t. 6. p. 929. A.): *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi;* tum quia et in prima et secunda ad eumdem epist. rejecit operationem Christi duplicem. Sed neutra ratio subsistit. *Non posterior*, ut constabit Concl. sequenti. *Non prior;* quia Honorius non in hæreticorum sensu de una solummodo voluntate naturali divinitatis et humanitatis in Christo; sed in sensu plane orthodoxo de una voluntate humanitatis ita scripsit, tradens, in ea non esse duas voluntates contrarias spiritus et carnis, cujusmodi in natura nostra peccato vitiata experimur. Hoc

*Constat* 1°. Ex *ratione,* quam subdit; postquam enim dixisset: *Unam voluntatem fatemur,* inquit: *Quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata. Sine peccato conceptus... Non est assumpta a Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus... Lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori.* Ratio illa Honorii recte probat, non esse contrarias in Christi humanitate voluntates; minime vero naturam humanam esse propriæ voluntatis expertem; alioquin et Adamus ex mente Honorii in statu innocentiæ caruisset voluntate

humana, quia ait : *assumpta est nostra natura... illa profecto, quæ ante peccatum creata est*; quod nemo sanæ mentis Honorio tribuet.

2°. Ex *Sergio*, qui dolose ita litteras suas instruxerat, ut non posset non videri, loqui de una voluntate in humanitate, excludendo voluntatem contrariam carnis, quam Apostolus vocat *legem membrorum repugnantem legi mentis*; ergo et eodem sensu respondit Honorius. *Prob. Ant. Nam,* inquit Sergius (Labb. t. 6. p. 924. E.), *salutaris Deum gerentium Patrum doctrina manifeste instruit, quod nunquam intellectualiter animata Domini caro separatim et ex appetitu proprio, contrario nutui uniti sibi secundum subsistentiam Dei Verbi, naturalem motum suum effecit*; sed hæc carnalem tantum voluntatem spectant, quæ alias in hominibus separatim, appetitu proprio, contrario voluntati superiori et proprie tali, solet naturales motus efficere.

3°. Ex *S. Maximo,* epist. ad Marinum presbyterum (opp. t. 2. p. 129. 130. edit. Combef.) : *Nam hoc,* inquit, *non in reprobationem dixit humanæ Salvatoris et naturalis voluntatis; sed quod nullatenus conceptionem ejus, quæ fuit sine semine, vel incorruptam nativitatem præcesserit voluntas carnis.* Idque evincit ex ipsis Honorii verbis, ut nos ante; tum addit (ibid. p. 132.) : *Advocatum habet* (Honorius) *sermonem* (quem scripsit ad Sergium in epist. 1ª.), *omnem calumniatoris abigentem incursum.* Ac in disputatione cum Pyrrho genuinum illum esse Honorii sensum ex Joanne Sympono Abbate, qui illam Honorii epistolam scripserat, ostendit (opp. t. 2. p. 182.) : *Quis illius epistolæ fide dignus erit interpres, qui eam ex persona Honorii composuit, et vivit adhuc, et qui tum Occidentem cum aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei Christianæ illustravit? an ii, qui Constantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur*; cumque responderet Pyrrhus, qui eam composuit; subsumit : *ille idem* (Joannes Symponus) *cum ad divum Constantinum Imperatorem ex persona S. Joannis Papæ* (scilicet IV.) *rursus de hac epistola scriberet, unam,* inquit, *voluntatem Domini diximus, non divinitatis ejus et humanitatis, sed solius humanitatis.*

4°. Ex *Joanne Sympono* eodem, qui Honorio I. et Joanni IV. a scribendis epistolis fuit : qui vero in epistola quam, Joannis IV. nomine ad Constantinum Imperatorem scripsit, ita rem exponit (apud S. Maximum Disput. cum Pyrrho supr. cit.) : *Unam voluntatem Domini diximus, non divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent; diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, et spiritus : sicut nos habemus post peccatum; sed unam tantum, quæ naturaliter humanitatis ejus nota essentialis est.*

5°. Ex *Joanne IV. S. P.* qui, tertio post Honorii mortem anno, Romanam Sedem tenuit, in epistola apologetica, quam pro Honorio ad Constantinum dedit, in qua (Labb. t. 5. p. 1760. C.) : *Secundum hunc igitur,* ait, *modum jam dictus decessor noster, Honorius, prænominato Sergio Patriarchæ percontanti scripsisse dignoscitur : quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, id est, in membris ipsius penitus non consistunt; quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis.*

228. *Dico II.* Nec Honorius unam simpliciter Christi operationem asseruit, nec dici duas prohibuit; sed prima Honorii ad Sergium epistola, ubi

in ea unam asserere operationem, aut prohibere duas, dicitur, est a Monotheletis interpolata; altera vero vel ab his penitus conficta; vel pariter corrupta.

*Prob. I.* Ex *Ecthesi Sergii.* Si Honorius duas Christi operationes aut rejecisset, aut saltem suppressas voluisset voces *unius, vel duplicis operationis;* cur igitur Sergius, qui eo omnem artem conferebat, ut ab Honorio responsum sibi favens eliceret, nunquam responsum ejusmodi, quod accepisse ferebatur, evulgare ausus est? Cur ecthesin, quæ simillima erat Honorii litteris, quales postea producebantur, quamque jam biennio ante Honorii obitum conceperat, illo vivente, non ausus est edere; sed non nisi intellecta Honorii morte, ut ex synopsi historica constat? Imo cur ecthesin suam adeo occuluit, ut de ea nemini aliquid, nedum Honorio ante ejus obitum, suboleret?

*Respondet* 1°. Eruditus Pagius, Sergium, vivente adhucdum Honorio, noluisse divulgare ecthesin, ne Honorium irritaret; at

*Contra est*; non erat, quod hoc timeret, cum evulgando ecthesin, Honorio se conformem et obedientem præstitisset; is enim, ut legebatur in epistola prima, scripsisse ferebatur ad Sergium: *hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet, sicut nos ea vobiscum unanimiter prædicamus.* Qua ratione igitur irritari potuisset Honorius, si Sergius executus fuisset mandatum Honorii.

*Respondet* 2°. P. Romanus 1. Ad nauseam universæ Ecclesiæ Catholicæ, Sergius, Pyrrhus, Macarius Honorium unius voluntatis Doctorem jactare gestiebant, unde se merito ridendos præbuissent Catholicis, unam pertinaciter voluntatem defendendo, et indictum de una et duplici silentium objiciendo. 2. Si Sergius Honorii litteras cautius parciusque communicavit, in rem suam prudenter fecit, ne doctrinæ, famæ, candoris fideique una simul periculum subiret, mendacia publice jactando, Sophronium in se vehementius concitando, se Imperatori aliisque suspectum reddendo. At

*Contra* 1$^{um}$. est, quod falsissimum sit, unquam jactasse Sergium, de quo hic quæstio est, stare pro una voluntate Honorium: in scriptis enim Sergii nequidem Honorii reperitur nomen, ubi vel de una voluntate, vel una operatione agit; sed teste Joanne IV. epist. ad Imper. (Labb. t. 5. p. 1759. A.) primus Pyrrhus fuit. *Ex diversis,* inquit, *suggestionibus didicimus, omnes occidentales partes turbari, fratre nostro Pyrrho patriarcha... nova quædam, et præter regulam fidei prædicante, et ad proprium sensum quasi sanctæ memoriæ Honorium Papam... attrahere festinante, quod a mente catholici Patris erat penitus alienum*; qua igitur fide, Sergius hic annumeratur Pyrrho, Paulo, Macario? Deinde si data ratio non obstaret, quo minus Sergius ipsa in ecthesi sua prohiberet omnibus *unam vel duas dicere, sive docere operationes in divina Domini Incarnatione,* et juberet nihilominus simul profiteri *unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi verissimi Dei,* quanto minus obstare poterat, quin ad conciliandam auctoritatem ecthesi provocaret ad auctoritatem Honorii?

*Contra* 2$^{um}$. est, quod hæc singula tanto minus metuenda fuissent Sergio; auctoritate enim Honorii Rom. Pont. potius omne, quod prætenditur, periculum, avertisset; facilius repressisset Sophronium, Ecclesias in sua secum sensa pertraxisset, idem persuasisset Imperatori, omnem denique

fictitiam procellam vel abegisset penitus, vel in caput detorsisset Honorii, utpote cujus mandato se facile purgasset : *hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet.*

229. *Prob. II.* Si ita scripsisset Honorius ad Sergium, hic certe id latere non permisisset Heraclium Imperatorem, sub cujus nomine ecthesin vulgavit; vel in hujus promulgatione meminisset Honorii. At de hoc Honorii responso nihil plane Heraclio innotuerat; cum enim ecthesin suam damnatam a Romano Pontifice comperisset, invidiam non ferens, datis ad Joannem IV. litteris, in unum Sergium culpam omnem conjecit : *Ecthesis,* scribens, *non est mea; neque enim ego vel dictavi, vel jussi, ut fieret; sed cum hanc Sergius composuisset ante quinque annos, deprecatus est me, ut nomine meo proponeretur.* At si Principi optimo cognitæ fuissent Honorii litteræ, quibus idem præcipiebatur, quod ecthesi; ad purgandum se coram orbe Catholico, ante omnia provocasset ad Honorii litteras; neque enim aut validius, aut melius excusare se poterat, quam objiciendo præceptum Honorii.

*Respondet* P. Romanus, quod Honorius non jusserit *prædicare* silentium; sed præceperit illud *tenere,* abstinere controversis vocibus, verbo : silentium observandum, non prædicandum. At quanta illa incohærentia? nam

*Contra est* 1°. Si Honorius præcepisset tenendum, observandum silentium; hoc ipso hanc Honorii legem debuisset Sergius promulgare in sui Patriarchatus Ecclesiis, quod utique saltem prædicare est. 2°. Si etiam illud solum præcepisset Honorius, jam id satis fuisset Imperatori ad se purgandum, ac culpam rejiciendam in Honorium potius, quam Sergium. Sed 3°. Quod in epistola præcepisse fertur Honorius, etiam prædicari voluit : *hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet.*

230. *Prob. III.* Ex *Typo Constantis Imperatoris;* quo idem plane eodemque modo, ut in Honorii litteris, præcipiebatur, ne quis, *pacis servandæ causa*, adhiberet voces *unius, vel duplicis operationis.* Sed si quoad hoc consonantes fuissent Honorii litteræ, cur Imperator S. Martino I. typum approbare nolenti, imo damnanti, illas non opposuit? Cur Theodosius Cæsareæ Episcopus cum Bizyæ S. Maximum inducere conaretur, ut *typum* susciperet, illi litteras Honorii non exhibuit? Aut cum S. Maximus responderet Theodosio petenti, ut *pacis tantum causa, non ut ratum dogma,* susciperet : *Quis fidelis suscipit dispensationem, taceri facientem voces, quas dici per Apostolos et Prophetas, atque Doctores Deus omnium dispensavit;* cur stipes ille Theodosius non continuo convicit S. Maximum allegando præceptum Honorii, hunc ipsum talem dispensationem suscepisse? Mirum hoc; sed magis mirum, quod S. Maximus, qui recentem tenebat primam Honorii epistolam, illumque *divinum* appellaverat, ita respondere non dubitarit; si Honorius suis litteris de duplici operatione indixisset silentium, sicut typus.

231. *Prob. IV.* Ex *S. Martino I. S. P.* et *Concilio Lateranensi.* S. Martinus, in cit. Conc. Lateranens. Episcoporum supra 150. damnavit Monothelismi auctores singulos, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Patriarchas Orientales, Theodorum Pharanitanum; ac demum conceptis verbis in

*ecthesin* et *typum* anathema conclamatum est, nusquam vero vel verbo fit mentio de HONORIO : atqui non est credibile S. MARTINUM excipere voluisse unum HONORIUM ab anathemate, si eadem ejus causa fuisset, quæ aliorum, in specie *ecthesis* et *typi*. Cui enim bono MARTINUS HONORIUM intactum relinqueret? An ut ejus nomini consuleret? Sed ita parum consuluisset rei Catholicæ, adhuc enim HONORII litteris se tuiti fuissent Monotheletæ : irritasset omnium Orientalium animos, si damnatis duorum Imperatorum edictis, HERACLII ecthesi, et typo CONSTANTIS, item Orientalibus Patriarchis, parcere voluisset HONORIO; et certe Orientales id non sine querela tulissent.

*Dices* 1°. Cum Defensore Declarationis Cleri Gallicani : HONORIUM a S. MARTINO non damnatum fuisse 1. quod præclare Pontificatum alias gesserit, inque Ecclesiæ pace decessisset. 2. Quia id e re fidei erat, ne jactare se Monotheletæ HONORIO patrono possent. 3. Quod HONORII litteræ, utpote ad Sergium et Orientales datæ, in Occidente essent plerisque incognitæ. Verum

R. Nulla ex datis rationibus quidquam valet : *Non* 1ª. an enim hoc erat præclare Pontificatum gerere, dum dogma Catholicum supprimitur? dum quæstio dogmatica de duplici operatione ad *grammaticale forum*, ut verba sonant in epist. HONORII, ceu lis adiaphora rejicitur? dum orthodoxi Præsules, qui pro gemina Christi operatione pugnabant, *balbutientes ac in speciem Doctorum se formantes* appellantur? omitto id genus absurdiora. Deinde esto, quod præclare Pontificatum gesserit, hic tamen se, sanctamque Sedem turpi macula fœdasset; igitur laudandus, ubi laude dignus, hic vero reprehendendus; ne secus Orientalibus daretur cavillandi materia, et Monotheletæ se adhuc HONORIO tueri possent. *Non* 2ª. ex eadem ratione; tum quod habitis ipsis HONORII litteris, si extitissent, multo magis se HONORIO patrono jactare potuissent. *Non* 3ª. nam hæc apertæ falsitatis convincitur ex litteris apologeticis JOANNIS IV., in quibus scripsit : *Omnes Occidentales partes scandalizatas turbari, Pyrrho per litteras suas huc atque illuc missas, nova quædam præter fidei regulam prædicante et ad proprium sensum quasi sanctæ memoriæ Honorium attrahere festinante.* Pyrrhus autem Sergio, qui duobus post HONORIUM mensibus obierat, successit in Constantinopolitana sede anno 638., JOANNES IV. vero anno 641. Pontificatum adiit; S. MARTINUS autem anno 649.; ergo cum jam JOANNIS IV. tempore *omnes Occidentales partes* propter litteras HONORII, quas primas ad Sergium dederat, a Pyrrho vulgatas turbatæ fuerint; dici cum veritate nequit, eas S. MARTINI tempore in Occidente fuisse incognitas.

*Dices* 2°. S. MARTINI silentium de HONORIO, huic plus nocet, quam prodest. *Prob.* Cum Cyrus per epistolam innuisset, SEVERINUM Papam approbasse *ecthesin*, statim MARTINUS Cyrum falsitatis redarguit; at vero cum Secretario IV. Concil. Lateran. recitata esset epistola Pauli Constantinopolitani, qua scripserat, *concordantes et consonantes factos esse Sergium et Honorium*, nec MARTINUS, nec Episcoporum ullus quidquam protulit in defensionem HONORII, haud dubie, quod nihil haberent, quod in ejus defensionem proferrent; ergo.

R. *N. Ass. Ad prob.* R. 1°. Falsum esse, quod Cyrus scripserit, SEVERINUM Papam approbasse ecthesin; sed id solum Cyrus responderat Sergio, lætatum se esse de misso (scilicet Sergius exemplar ecthesis ante hujus promulgationem Cyro miserat) exemplari ecthesecos, quam Imperator

mentis esset Isaacio Italiæ Exarcho mittere; qui SEVERINUM adigeret, ut eidem subscriberet; reipsa autem approbatam fuisse ecthesin a SEVERINO, nec scripsit Cyrus, nec scribere poterat; cum eo tempore necdum lucem vidisset; nec MARTINUS falsitatis redarguit Cyrum, sed id solum respondit: Sergium *sua spe delusum fuisse*, quia SEVERINUS potius damnavit, quam approbavit ecthesin.

R. 2°. S. MARTINUS sufficienter vindicavit HONORIUM, rejiciendo et damnando Paulum, ejusque epistolam. Sic respondere nobiscum debent modo omnes, qui HONORIUM ideo solum damnatum in VI. Synodo dicunt, quod indicto de gemina operatione silentio, hæreticis se æquo faventiorem exhibuerit, illosque mala hac œconomia foverit. Nam Paulus non scripserat, *consonantes factos esse* in suppressione duplicis operationis, sed unius voluntatis assertione. En verba (Labb. t. 6. p. 227. E.): *Sed et omnes pietatis Doctores et prædicatores hujusmodi unius voluntatis mente detinentur... quibus* (in unius voluntatis mente) *concordantes et consonantes facti sunt piæ memoriæ Sergius et Honorius*. Numquid vero HONORIUS revera hæreticus fuit, unam Christi voluntatem professus; quia cum MARTINUS contra illam Pauli calumniam non statim vindicavit?

232. *Prob. V.* Incredibile est HONORII litteras, ut indicebant silentium de operationibus Christi, ignoratas fuisse ab omnibus Sergii successoribus Patriarchis, ab Imperatoribus, ab omnibus per 40. et ultra annos; et uni primam HONORII epistolam Macario, mendacissimo Monotheletæ, innotuisse? secundam vero a Georgio Chartophylace tam cito repertam in ipsa Actione XIII. Synodi V. fuisse, quæ a nemine cognita, neque producta per quadraginta et aliquot annos fuit; cum tamen Monotheletarum eam habere, ac producere plurimum interesset? Certe si cognita fuisset hæc altera HONORII epistola, Macarius eam oblatis a se Imperatori corruptis codicibus vel maxime addidisset.

233. *Prob. VI.* Aliis argumentis positivis. I. Si HONORIUS indixisset silentium de gemina Christi operatione, plus sibi contradixisset iisdem in epistolis, quam ab homine rationis utcumque compote, et qualicumque demum memoria donato, imo quam a temulento præsumi possit. Atqui hoc dici sine gravissimo fundamento et evidenti non debet: quod vero hic minime adest; ergo. *Prob. seq.* Nam 1°. in epist. 1ª. ad Sergium statim ab initio dogma catholicum ita exprimit nitide, ut nemo magis possit (Labb. t. 6. p. 928. C.): *Nos enim in quo percepimus, oportet ambulare. Enim vero Deo duce perveniemus usque ad mensuram rectæ fidei, quam Apostoli veritatis Scripturarum sacrarum funiculo extenderunt: confitentes Dominum Jesum Christum, Mediatorem Dei et hominum, operatum divina, media humanitate Verbo Deo hypostatice unita; eumdemque operatum humana ineffabiliter, atque singulariter assumpta carne, discrete, inconfuse, atque inconvertibiliter*. Quibus verbis tria dicit: *primum*, dari duas in Christo naturas. *Alterum*, duas item operationes, dum inquit, *operatum divina* media humanitate; et *operatum humana*, et quidem *discrete* a divinis, *inconfuse*, ut non esset una per confusionem operatio, prout asserebant Monotheletæ; et *inconvertibiliter*, sive operationem humanam adeo discre-

tam fuisse a divina, ut fieri divina non potuerit. *Tertium*, quod illa operationum discretio dogma sit veræ fidei, assertum in Scripturis, prædicatum ab Apostolis; hoc enim priora verba innuunt : ac tum demum nos ad veram fidem perventuros, si illam operationum differentiam confitemur.

2°. In epist. 2ª. vero liquido ac diserte jubet (Labb. t. 6. p. 969. A.), *duas naturas operatrices confiteri*; sed ubi duæ *operatrices* naturæ sunt, distinctas etiam virtutes, seu formas, aut rationes formales operandi subesse oportet, scilicet operationes. Item in ead. præcipit (ibid. C.) : *ipsas potius duas naturas, id est divinitatis et carnis assumptæ in una persona Unigeniti Dei Patris inconfuse, inconvertibiliter nobiscum prædicare* (N. B.) *propria operantes.*

3°. Iisdem in epistolis, 1. fertur scripsisse (Labb. ibid. p. 968. E.) : *Unius autem operationis vel duarum esse vel fuisse mediatorem Dei et hominum D. J. C., sentire et promere, satis ineptum est.* 2. (Labb. ibid. p. 931. E.) Qui nihilominus has in Christi asserunt, esse *balbutientes, formantes se in speciem Doctorum.* 3. (Labb. ibid. p. 932. A.) De duabus energiis, vel operationibus *nihil prædicare Evangelicas, vel Apostolicas litteras.* 4. Jubet (Labb. ibid. p. 933. A.) Sergium hæc secum prædicare et indicere silentium : *hæc fraternitas vestra mecum prædicet.*

Atqui major contradictio vix concipi potest ; conferantur enim jam ad invicem propositiones, et sibi opponantur :

| HONORIUS. | ANTI-HONORIUS |
|---|---|
| *Christus operatus est divina et humana discrete, inconfuse, inconvertibiliter;* hoc haud dubie idem sonat, ac fuisse duarum operationum. | *Christum duarum esse vel fuisse, operationum, sentire et promere satis ineptum est.* |
| *Ita confiteri debemus; hæc est mensura rectæ fidei.* | *Ita sentire et promere satis ineptum est. Hæc*, silentium, *fraternitas vestra nobiscum prædicet.* |
| *Ita prædicarunt Apostoli veritatis, Scripturarum sacrarum funiculo.* | Qui ita prædicant, sunt *balbutientes, se in speciem Doctorum formantes*, etc. |

Ergo epistola Honorii prima, quantum agit de silentio operationum, scilicet a §. *Via regia*, est a Monothelctis interpolata; secunda vero ab his vel conficta penitus, vel certo vitiata.

234. II. Ex S. Agathone S. P. qui in epist. ad Constantinum imper. (Labb. t. 6. p. 637. A.) : *Apostolicæ*, inquit, *memoriæ, meæ parvitatis prædecessores, dominicis doctrinis instructi, ex quo novitatem hæreticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitanæ ecclesiæ præsules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari atque obsecrando commonere... ne ex hoc exordium dissidii in unitate Ecclesiæ facerent, unam voluntatem, unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno Domino nostro Jesu Christo.* Atqui cum his Agathonis verbis conciliari nequeunt,

quæ in epistolis Honorii extabant de Christi operationibus, quæque ante retulimus. *Prob. min.* Nam illa Agathonis verba Honorium maxime respiciunt; cum enim Honorius Pontificatum teneret eo tempore, quo Sergius *novitatem hæreticam introducere conabatur,* atque hic duobus post Honorii mortem mensibus et ipse decesserit, ab alio, quam Honorio, commoneri non potuit. Si ergo Honorius hortatus est Sergium, commonuit, ut ab *errore unius voluntatis et unius operationis desisteret*; quomodo Honorius scripsit Sergio, quæ de duabus operationibus supprimendis in ejus postea epistolis extabant?

235. *III.* Ex *ipsa Epistola*, quæ Honorii secunda ad Sergium dicitur. Legitur in hac sub finem, scripsisse Sophronio Honorium, ne duas in Christo operationes assereret; idemque suasisse eumdem Sophronii Legatis; hos vero fuisse pollicitos, operam daturos sese, ut idem Sophronio persuaderent. Atqui palmare hoc mendacium est, vel inanis fabula, adornata a Monotheletis, eum in finem, ut et Sophronius Monotheletarum dogmati favisse videretur; nam Stephanus Sophronii olim ad Honorium Legatus plane testatur contrarium in Libello, quem idem postea in Lateranensi Synodo Secretar. 2. Martino obtulit (Labb. t. 6. p. 105. C.), dicens hunc potius fuisse suæ legationis fructum, quod *neque despexerit Deus preces cum lacrymis oblatas supplicum suorum, sed excitaverit non equidem mediocriter præcessores apostolicos præsules in commonitione, nec non contestatione prædictorum virorum,* Sergii et aliorum quos ante nominarat, etc. *licet nullo modo eos flectere potuerint*; Sergium enim, ut ex data chronotaxi liquet, nemo Romanorum Pontificum commonere poterat præter Honorium; ergo evidens est, epistolam hanc vel prorsus confictam, vel corruptam a Monotheletis fuisse. Ac inde forsitan est, quod et Sophronium pro se Monotheletæ jactarent, observante S. Maximo epist. ad Petrum illustrem (inter Collectanea Anastasii, Patrologiæ t. 129. p. 573. D.) : *Sophronium, qui prudenter divina perdocuit, et prædicavit Ecclesiæ dogmata, se in errorem movisse, hac illacque Monotheletæ susurrant.*

*Respondet* P. Romanus : *copiosa solutio* : 1°. Si qua data est ab Honorio commonitio, *valde mediocris,* nec sufficiens fuisset. 2°. τὸ *non mediocriter* ad Honorium non pertinet. 3°. Quomodo Honorius monere Sergium poterat, ut flecteret ad ejurandam hæresin, cum juxta apologiam nostram, Sergius id in epistola egit, ut catholicus videretur. 4°. Nec Stephanus dixit, nec dicere potuit Sergium ab Honorio monitum. At

*Contra* 1um. est, quod Stephanus dicat : *non mediocriter,* id est, multum, supra mediocritatem; utri potius nunc credendum Stephano, tunc Episcopo Dorensi, viro sancto, testi vivo, an P. Romano? Deinde vera locutum fuisse Stephanum, nec *valde mediocrem* fuisse commonitionem Honorii constabit *Concl. seq.* ex S. Martino, et S. Maximo.

*Contra* 2um. est : si hæc ad Honorium nullo modo pertineant, quis ergo Romanorum Pontificum Sergium commonuit, quem tamen Stephanus in libello inter commonitos posuit tertio loco? Certe a Severino Honorii successore dici nequit commonitus, cum mortuus jam esset Sergius, Severino nondum Pontifice juxta n. 216.

*Contra* 3um. est : quod, attenta historia, quam adversarius subdole vel

confundit, vel dissimulat, utrumque verum sit; postquam enim Sergius Sophronium, cujus zeli pro orthodoxa contra Monotheletas fide, ac eruditionis vim jam senserat Constantinopoli, teste S. Maximo in Disput. cum Pyrrho, promotum intellexisset ad Hierosolymitanum episcopatum, ab eo sibi metuens, Honorium præveniendum ratus, ad hunc continuo dedit epistolam ita instructam callide, ut, cum quæstionem proponeret de una vel duplici voluntate humana Christi juxta dicta Art. præc. ipse Honorio quidem videretur orthodoxus. At postquam Sophronius, habita prius Hierosolymis Synodo, Romam ad Honorium ablegasset Stephanum anno 635. (ablegaverat enim Stephanum eo anno, quo Saraceni obsidionem parabant Hierosolymæ, ut Stephanus enarrat in cit. libello suo; qui vero annus, teste Theophane ad ann. 25. Heraclii, erat 635.) eumque de Sergii hæresi edocuisset, mentem etiam mutavit Honorius. Scripserat igitur Sergius ad Honorium antequam huic de illius constaret hæresi; qua vero comperta, et suo fungi cœpit officio Honorius *commonendo non mediocriter, obtestando, increpando*, etc.

*Contra* 4$^{um}$. Dicti hujus falsitas ex libello Stephani evidenter patet, in ipsa testantis Lateranensi synodo Theodorum, Sergium, etc. fuisse a Romanis Pontificibus commonitos, utrumque tamen præter Honorium commonere nemo poterat; ipso teste P. Romano p. 105. quia uterque ante Severinum Honorii successorem diem supremum obierat. Ex his disputatis, quam *copiosa* fuerit adversarii solutio, quivis perfacile intelliget. *Nullam* certe ego, minus *copiosam*, comperio. Sed et illud perspicitur, quanto jure Stephanus uti posset Augustiniana illa L. IV. contra Julian. c. 8. sententia contra P. Romanum: P. Romane, *redde verba mea...*

Plura hujus argumenta qui desiderat, consulat Dissert. nostram de Honorio. Quanquam et rationibus Conclusionis sequentis prior Conclusio æque solide confirmetur.

236. *Dico III.* Honorius neque negligentiæ alicujus, aut socordiæ culpam in causa Monotheletarum contraxit.

*Prob.* Honorius talis culpæ reus dici non potest, si nihil omiserit, quod facere posset ad reducendos illos hæreticos, et corrigendos: atqui nihil horum omisit. *Prob. min.* Vi officii sui pastoralis juxta regulam Apostoli, 2. ad Tim. 4. debuit ipsis *prædicare verbum*, scilicet fidem rectam; *instare, arguere, obsecrare, increpare*; atqui hæc fecit.

*Prob.* 1°. Ex *Agathone* supra.

*Prob.* 2°. Ex *S. Martino I.*, qui post Concilium Lateran. in epist. Synodica ad Amandum episcopum Trajectensium ita testatur (Labb. t. 6. p. 384. C.): *A Sergio..... execranda et abominanda hæresis pullulavit,... quam successor ejus Pyrrhus..... in deterius auxit. Pro qua re sæpius Apostolica Sedes persuasionibus, contestationibus, atque increpationibus plurimis admonuit eos*, etc. Error vero Sergii erat, quod voluntatem in Christo unam, unamque operationem assereret. Deinde Sergium nemo Pontificum, præter Honorium, commonere, contestari, increpare poterat, ut constat ex chronotaxi n. 216. et 217. et ex dictis n. præc.

*Prob.* 3°. Ex *S. Maximo*, quo teste, Honorio vix aliquis magis strenue officio suo contra hæreticos eos perfunctus est: *Quid autem divinus Honorius,*

aiebat S. Max. in ep. ad Petrum illustrem ( inter collectanea Anastasii, Patrolog. t. 129. p. 575. B. ) *quid post illum Severinus senex? quid denique et is, qui post hunc extitit, sacer Joannes? Porro is, qui nunc præsidet, Beatissimus papa* (Theodorus) *omisit ne quidquam supplicationi conveniens?* En S. Maximus propterea *divinum* prædicat Honorium, quod eloquium nulli aliorum tribuit Pontificum; ergo. Honorius igitur edoctus a S. Sophronio de dogmate et fallaciis Sergii, nihil prorsus omisit pastoralis sui officii; quo minus vero pertinacem damnaret, præveniens Honorii obitus impedivit.

237. *Obj. I.* Honorius fuit damnatus in Synodo VI. cum cæteris Monotheletarum principibus; ergo vel in eorum est prolapsus hæresin; vel hoc factum ob malam ejus œconomiam, qua silentium indixit de gemina Christi operatione; vel ob ejus socordiam in illa reprimenda hæresi. *Prob. Ant.* Nam in Act. XIII. ( Labb. t. 6. p. 944. E. ) dicitur de Honorio : *Cum his* ( Sergio, Cyro, Petro, Paulo ), *simul projici a sancta Dei catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus et Honorium, qui fuerat papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab ea facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit.* Et Act. XVII. (Labb. ibid. p. 1009. B.) et Act. XVIII. (Labb. p. 1044. D.) : *Sergio hæretico anathema, Cyro hæretico anathema; Honorio hæretico anathema,* etc. Idem repetitur in prosphonetico, et edicto Imperatoris. Ante responsionem

238. *Observa:* Varias hic esse Auctorum sententias, quas in aliorum gratiam, qui eas sectari maluerint, subjicio breviter. *Prima* eorum est, qui volunt, revera Honorium lapsum, sed ut Doctor privatus fuit, non ut doctor Ecclesiæ loquens e cathedra, in Monotheletarum hæresin, sicque cum his pari anathematis sententia percussum. Sed vix aliquos ea opinio hodie sectatores habet. Et vero conciliari nequit cum iis, quæ Art. præced. attulimus.

*Altera* aliorum et plurium e recentioribus est, Honorium vere damnatum fuisse in Synodo VI., non quidem ut hæreticum dogmate, sed fautorem hæreseos, quam non extinxit, sed fovit potius, indicendo silentium de operationibus Christi. Nititur præcipue Leonis II. ad Hispanos epistola, qua dicit de Honorio damnato, *qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit, extinxit, sed negligendo confovit.*

*Verum* viderint *hujus fautores sententiæ,* an retenta proprietate verborum, quibus usi contra Honorium sunt Patres, id asserant, et annon illa potius violente detorqueant ad conniventiam, dum de ipsa hæresi Patres loquuntur : *Honorio hæretico anathema. Qui* ( Honorius ) *in omnibus mentem Sergii secutus impia dogmata confirmavit; hæresin sparsit,* et similia. Certe plus illa innuunt, quam præcise non resistere hæresi, connivere, etc. Qui duntaxat non resistit, connivet ad tempus pacis gratia; nulla proprietate verborum, et non sine gravi contumelia, dici potest simpliciter *hæreticus, confirmare, spargere hæresin;* nec adeo stipites quis Patres illos dixerit, ut hoc discrimen ignorarint. Præterea, si Honorius solum ut fautor damnatus ob indictionem silentii quoad operationes, quomodo dicitur mentem Sergii *in omnibus secutus?* Unus hic error erat Sergii, quod in ecthesi silentium indixisset de operationibus; alter error erat, quod unam in Christo volun-

tatem assereret. Denique verba illa non esse Leonis II., non pauci e scriptoribus catholicis contendunt, et nos cum iis infra.

*Tertia* Baronii est, Acta VI. Synodi fuisse corrupta a Græcis, et loco *Theodori* Patriarchæ Constantinopolitani Monotheletæ, expuncti, substitutum fuisse nomen *Honorii*. Quia, teste Anastasio Bibliothecario in vita Agathonis, et Theodorus nominetenus damnatus fuit; nullibi tamen ejus nomen reperitur; vel si obtinuisset, cum postea esset restitutus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, mortuo Georgio, ut nomen suum eraderetur in Actis ex damnatorum numero, ut volunt aliqui, locus vacans id indicasset, vel saltem id notatum fuisset; sed juxta Baronianos, in continenti serie extant damnatorum nomina, et nullius loci vacantis vestigium in primis exemplaribus deprehendi potuit; igitur vel Theodori, vel aliorum Monotheletarum fraude videtur in Theodori expuncti locum substitutus fuisse Honorius, quem deinde retinuerunt Acta Syn. VII. et VIII.

*Si opponas* cum Combefisio : ad preces Patrum in Act. XVIII. exemplaria authentica Actorum tradita fuisse quinque Patriarchis; si igitur solum exemplar Constantinopolitanæ Ecclesiæ corruptum fuisset, nihil hoc profuisset Theodoro, quia illud Ecclesiæ Romanæ et alia mansissent integra.

*Respondent,* et merito, negando *Ant.*; quia ibi non de exemplaribus Actorum loquuntur Patres, sed *definitionis*; sic enim verba sonant: *Ut exempla definitionis relectæ edantur quinque Patriarchalibus sedibus.* Et subjicitur : *quod Imperator Constantinus exempla definitionis præbuerit quinque Patriarchalibus sedibus.* Acta vero ipsa revera manserunt Constantinopoli usque post Justiniani II. tempora, ut constat ex hujus ad Joannem S. P. epistola. Sed hæc aliorum gratia.

*Si porro objicias*, Constantinum imperatorem testari in sua ad Agathonem Divali ad eumdem *Acta esse missa* : item, teste Anastasio Bibliothecario : *Leo II. probavit Acta VI. Synodi.*

*Respondent ad* 1$^{um}$. epistolam esse spuriam, uti et illam Leonis P. ad Imperatorem. *Ad* 2$^{um}$. per *Acta* ab Anastasio intelligi *decreta fidei*, quia teste eodem Anastasio, Synodus VI. non nisi quoad definitionem fidei recepta est. Nunc in forma

239. R. *ad Argum. D. Ant.* Honorius fuit in Syn. VI. damnatus œcumenice, *judicio Synodi N.* judicio duntaxat *Episcoporum* et quidem *Orientalium* tantum *C.* Distinguere oportet inter judicium Synodi, vel œcumenicum, et judicium episcoporum. Ut habeatur *judicium Synodi,* h. e. œcumenicum, adesse debet consensus summi Pontificis; secus vero, si quid fiat *contra, vel præter* auctoritatem ac consensum summi Pontificis, erit solummodo judicium episcoporum, quod non habet auctoritatem in Ecclesia. Latius hoc ostenditur in Tract. de fide. Sed et discrimen illud constat perpetua praxi Ecclesiæ, et traditur a Damaso S. P. in epist. ad episcopos Illyrici (Labb. t. 2. p 883. B.), Xysto III. epist. ad eosdem n. 3. (Patrolog. t. 50. p. 618.) Sic S. Leo M. epist. 106. c. 5. (opp. t. 1. p. 1165. edit. Ballerin.) ad Anatolium de Can. 3. Concilii Constantinopolitani I. ab episcopis in ea Synodo sancito loquens, illum vocat : *Episcoporum subscriptionem caducam.* Sic idem Leo Synodi gen. III. definitiones distinxit ab episcoporum judiciis epist. 119. c. 4. et 5. (ibid. p. 1215. 1217.) ad Maximum Antiochenum; et epist. 105. ad Pul-

CHERIAM Augustam c. 3. (ibid. p. 1157.), Canonem 28. Concilii Chalcedonensis, sed non acceptatum, vocat *consensionem Episcoporum* : et ep. 115. c. 1. (ibid. p. 1203.) ad MARCIANUM Imperatorem de citato Canone et aliis ejusdem Synodi loquens ait : *quæ per occasionem Synodi male sunt attentata.*

240. Jam vero HONORIUS non *judicio Synodi*, *et œcumenice*, sed *judicio* duntaxat *Episcoporum*, et quidem *Orientalium* damnatus fuit.

Constat 1°. ex HADRIANO II. in Concilio Romano (Labb. t. 8. p. 1091. A.), ubi : *Licet Honorio*, inquit, *ab Orientalibus anathema sit dictum.* En quam scite HADRIANUS Episcoporum judicium secernat ab ipsa Synodo! *licet ab Orientalibus.* Cur non dicit a Synodo, ab Ecclesia? Annon Occidentales etiam aderant? Legati AGATHONIS? Legatus Archiepiscopi Ravennatensis? Legati Concilii Romani? Quin Honorium non fuisse damnatum œcumenice satis declarant scriptores Græci cæteri, dum inter damnatos HONORIUM non posuerunt. Paulus diaconus ipse in vita Constantini IV. referens damnatos in Syn. VI. omittit HONORIUM : omittit et Zonaras in vita ejusdem; imo Photius Ecclesiæ Romanæ a primordio infestus, dum in codice suo de septem Synodis, scripto ante apertum ejus cum Ecclesia Romana dissidium, ordine venit ad sextam, damnatos fuisse asserit Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Paulum, Petrum, nulla prorsus facta mentione Honorii. Eccur istud, si Honorium æque, ac cæteros judicassent damnatum œcumenice!

2°. Ex ANASTASIO Bibliothecario, qui in epist. ad JOANNEM diaconum (Labb. t. 5. p. 1769. D.) in Orientalium illorum temeritatem gravissime invehitur, eos propterea *calumniatores* appellans; adeo non putabat HONORIUM damnatum fuisse a Synodo.

3°. Quia neque AGATHO id jusserat, imo potius contra ejus præcepta Legatis data, quæ extant in ejus ad Imperatorem epistola, damnatus fuit HONORIUS. En AGATHONIS mandatum (Labb. t. 6. p. 634. D.) : *Licentiam eis sive auctoritatem dedimus apud tranquillissimum vestrum imperium, dum jusserit ejus clementia simpliciter satisfaciendi, in quantum eis duntaxat injunctum est, ut nihil profecto præsumant augere, minuere vel mutare,* etc. Sed in eadem de HONORIO condemnando nec litterula extat. Neve putes, illa AGATHONIS verba solum respicere dogmata definienda, non personas damnandas, paulo post ad singulos hæreticos delabitur, eosque nominetenus accusat; at nullo modo HONORIUM : imo, ut dictum n. 234. hunc ex epistola commendarat; ergo non solum *præter*, sed etiam *contra* mandatum AGATHONIS damnatus fuit Honorius.

241. *Inst.* 1. Etiam inter damnandorum nomina in epistola AGATHONIS, non leguntur Macarius Antiochenus, Stephanus Macarii discipulus, Polychronius, et tamen hi pariter damnati sunt a Synodo, quin propterea Patres transgressi essent mandatum AGATHONIS; ergo nec illud transgressi sunt damnando HONORIUM.

R. *C. A. N. Cons.* De Macarii, Stephani, Polychronii, viventium ipso Synodi VI. tempore, impietate Romæ et in Occidente nondum ita innotuerat; unde nec in Concilio Romano, quod ante Synodum VI. coegerat AGATHO, illorum ulla fit mentio; nec certe omisisset AGATHO perstringere æque Macarium, reliquorum Monotheletarum eo tempore ducem; si cognitam ita

habuisset hujus hæresin, prout illa primum in Synodo VI. patuit. Dixi *primum;* nam callide alias nitebatur suam tegere hæresin, ut constat ex Act. II. ipsius Synodi. Merito igitur ipso Legatorum hortatu et consensu tandem damnatus fuit, adeoque sine transgressione mandati AGATHONIS, in Act. VIII., Stephanus in Act. IX.

242. *Inst.* 2. Licet AGATHONIS Legatis mandatum non fuerit in epistolis, quas ferebant ad Imperatorem et VI. Synodum, ut damnarent HONORIUM; habebant tamen in mandatis secretis, ut, si Orientales aliter acquiescere nollent condemnationi Patriarcharum suorum, quam si simul damnaretur HONORIUS, ipsi in hujus quoque damnationem consentirent. *Prob. Ant.* Sic et HORMISDAS Papa, ut constat ex ejus epistolis, secretam et aliam, quam habebant in litteris, dederat Legatis suis ad Anastasium et Justinum imperatores: Item fecerunt S. GREGORIUS, et S. LEO summi Pontifices; ergo idem merito de Legatis AGATHONIS dicitur.

R. *N. Ant.* Et unde hujus asserti fidem quis faciet? Quis Patrum VI. Synodi aliquando ita dixerat, nolle se acquiescere suorum Patriarcharum condemnationi, nisi simul damnaretur HONORIUS? Nominetur, si possit, unus ex omnibus. Etiamsi igitur Legati (quod gratis tantum dictum sit) hanc instructionem secretam habuissent, ea saltem usi non fuissent, quia nullus Patrum illam exceptionem fecerat; proin necdum judicio Synodi damnatus dici potest HONORIUS.

*Ad prob.* R. In citt. Pontificum epistolis, prout equidem in Actis Conciliorum extant, nihil tale quid detegere licuit. Quo tamen non obstante, non negavero, posse subinde Pontifices Legatis secretas dare instructiones, more aliorum principum; sed inde non sequitur: igitur reipsa AGATHO hoc fecerat; sed facti hujus asserti probatio exigitur. AGATHONEM vero id non fecisse, rectius creditur; cum enim tam honorifice loquatur de suis antecessoribus, inter quos HONORIUS intelligi debet juxta n. 234., quo fundamento præsumes, mandasse tamen simul occulte, ut HONORIUS damnaretur?

243. *Inst.* 3. HADRIANUS II. in Concilio Romano (Labb. t. 8. p. 1091. A.) contra Photium, qui NICOLAUM I. damnaverat, seque tuebatur facto Orientalium HONORIUM condemnantium, inquit: *Quamvis et ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset auctoritas;* ergo hæc præcesserat.

R. *N. Cons.* Non enim hic sensus est verborum HADRIANI, quod Pontificius consensus revera præcesserit; sed quod sine tali consensu eum legitime damnare non potuerint; unde non sequitur hunc consensum datum fuisse. Nimirum HADRIANUS refutabat Photium, eum se immerito tueri illo Orientalium facto, ut qui venia quadam adhuc digni videntur 1. quod damnassent HONORIUM mortuum. 2. Quia HONORIUS accusatus fuerat hæresis, quo casu minores subinde majoribus resistere possunt; subdit deinde, quamvis nulli fas fuerit, proferre in Pontificem sententiam, nisi ante præcessisset primæ Sedis auctoritas, h. e. ante obtentum a prima Sede, Pontificis Romani consensum.

244. *Ratio est* 1°. quia alioquin HONORIUS damnatus fuisset, non ab Orientalibus tantum, sed ab ipsa Synodo, sicque HADRIANUS sibi contradiceret, qui damnatum HONORIUM ante immediate dixerat *ab Orientalibus*. 2°. Quia ANASTASIUS Bibliothecarius, qui ipsa verba illa Hadriani relata ita ex græco latine reddidit, in epist. ad Joannem diaconum diserte tradit (Labb. t. 5. p. 1770.), damnationem HONORII nunquam Romani Pontificis alicujus approbationem tulisse. Si ergo nunquam Apostolica Sedes id approbavit; quomodo jussit, aut quomodo Hadrianus explicari potest de dato reipsa consensu, cum, qui Hadriani verba latine reddit, Anastasius ipse non ita intelligat?

245. *Obj. II.* Etiam in Synodo gen. VII. et VIII., in quibus repetuntur gesta in Syn. VI., iterum inter damnatos in ista HONORII nomen legitur; ergo.

R. 1°. *N. Cons.* Quid enim mirum, si Græci, quæ in sextæ Synodi actis legerant, eadem transcriberent, et HONORII nomen *narrando* duntaxat, non probando memorarent, cum id tum in quæstionem nequidem veniret? Sed præterea in specie

R. 2°. *Ad Synodum VII.* Hujus *definitionem*, quæ de sacrarum imaginum cultu prodiit, quamque solam HADRIANUS I. suscepit, amplectimur, et veneramur; cætera vero, quæ in Synodo hac Nicæna II. aut memorata, aut sancita dicuntur, eatenus solum suscipimus, quatenus *nec rectæ fidei, nec probis moribus obviant, sed nec Sedis Romanæ decretis ad modicum quid resultant*, ut Anastasius Bibliothecarius in præfatione hujus Syn. VII. (Labb. t. 7. p. 30. D.) omnes admonet. Et vero sic omnes respondere debent; nam et Episcopi hujus Synodi canones, sic dictos, *Apostolorum*, omnes approbant: Item *Trullanos*, ut legimus in canone 1. hujus VII. Synodi (Labb. ibid. p. 595. B.); imo in can. 8. (Labb. ibid. p. 603.) Episcopi illius septimæ Synodi decreverunt, ut Judæi apostatæ ejicerentur ab Ecclesia, inque superstitionis suæ aperta professione relinquerentur, neque eorum liberos baptizare liceret; in quo errabant. Si ergo hic errarint, cum tamen ejusmodi decreta non sine consultatione formarint; quanto magis falli poterant, in describenda damnatione HONORII, quam fieri jusserant sine disquisitione vel consultatione ulla. Discamus tandem vel ex hac ipsa Synodo VII. non continuo dici oportere *judicium Synodi*, quod præcise Episcopi decernunt.

246. *Obj. III.* S. LEO II. approbavit gesta Synodi VI. non tantum quoad definitionem fidei, sed etiam damnationem HONORII, 1°. in epistola responsoria ad CONSTANTINUM imperatorem (Labb. t. 6. p. 1117. C.), in qua HONORIUM execratur; 2°. in epist. ad Ervigium regem Hispaniæ (Labb. ibid. p. 1252. B.), in qua HONORIUM inter damnatos recenset, et 3°. in epist. ad Episcopos Hispanos (Labb. ibid. p. 1247. B.), in qua de HONORIO ait: *Qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit; sed negligendo confovit*; ergo.

R. *N. Ass.* et *N. Suppositum*, quod ulla ex tribus epistolis, prout hodie circumferuntur, possit S. LEONI prudenter tribui; sed singulæ sunt vel suppositæ penitus, vel interpolatæ. Equidem non dubito, quin S. Pontifex Im-

peratori responderit, et forte hanc ipsam epistolam dederit, sed quam græculus interpolavit; nam latinum epistolæ autographum intercidit, quodque nunc illius exemplar extat, ex græco latine redditum est. At quoad singulas epistolas nunc rationes habe. Igitur ad probationes singulas directe, et *primo*

247. *Ad prob.* 1am. R. *N.* genuinam esse hanc S. Leonis II. epistolam: 1°. Ex auctoritate Baronii; item Anastasii Bibliothecarii, qui in scriniis Romanis versatissimus licet, ducentis post Synodum sextam annis vivens, nihil de ea cognitum habuit; numquid alias, dum condemnatores Honorii *calumniatores* vocat, inter eos numerasset sanctum Pontificem? Cf. Bartoli Profess. Canon. Patavin., aliosque quos referre non vacat.

2°. Ex *ipsa Epistola*; ipsa enim in fine data scribitur *nonis Maii, indictione decima*; at in textu plane contraria habet (Labb. t. 6. p. 1112. E.) *Denique legatos hujus Apostolicæ Sedis, matris vestræ, Romanæ Ecclesiæ, pietatis vestræ famulos, id est, Theodorum et Georgium presbyteros... una cum personis, quæ cum eis profectæ fuerant, quæ a prædecessore meo, Apostolicæ memoriæ, Agathone Papa per octavam indictionem pro causa fidei, vestra pietate jubente, illuc directæ fuerant, per nuper elapsam decimam indictionem, mense Julio, cum divalibus clementiæ vestræ apicibus, et synodalibus gestis... exultantes suscepimus.* Sed quomodo *per elapsam decimam indictionem, mense Julio,* scribit se accepisse litteras, et alia Synodi gesta, si jam *mense Maio indictione decima* scriptæ habentur hæ litteræ? Præterea quomodo mense Julio potuit Leo suscepisse legatos una cum litteris, si, cum decem tantum mensibus ipse sederit Pontifex, mensem Julium attingere non potuerit, quippe creatus Pontifex mense Augusto? Hæc chronotaxis imperitum illum fugit, qui, aliquot post Syn. VI. seculis, hanc epistolam vel plane contexuit, suppresso Leonis autographo, vel certe interpolavit. At porro Imperatoris epistola dicitur in ejus fronte, *missa mense Decembri, indictione decima*; sed quomodo decima indictione data dici potuit hoc anno mense Decembri? quo tempore duodecima erat indictio, quæ jam a mense Septembri fuerat inchoata. Verum facile indulgemus, mendum irrepsisse in codicem, et pro indictione duodecima positam decimam; sicque corrigi debet, Baronii, Labbei ac plerorumque consensu: sed jam major nascitur difficultas; qui enim S. Leo scribere poterat, quod Imperatoris epistolam, scriptam in Decembri, indictione duodecima, ipse acceperit decima indictione? Adeo omnia nutant, quæ solido veritatis fundamento carent. Sed demum

3°. S. Leo in epistola hac ita scripsisse fertur: *Anathematizamus novi erroris inventores*, Theodorum *Pharanitanum episcopum*, Cyrum *Alexandrinum*, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, *Constantinopolitanæ Ecclesiæ successores magis, quam Præsules; nec non et Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed... immaculatam fidem subvertere conatus est; et omnes, qui in suo errore defuncti sunt, etc.* Sed Honorius in *errore* defunctus non est, quem publico funere Romana Ecclesia inter sanctos Pontifices in ecclesia S. Petri reposuit, et cui ut catholico Pontifici in omnibus parentavit. Male igitur inter eos insertus Honorius, qui in errore defuncti, utque subsistat periodus, inde

delendus est. Vel si adversarii retineri ibi HONORIUM velint, quem dicunt non *erroris*, sed negligentiæ tantum causa, malæve œconomiæ damnatum; plus illa epistola nocebit adversariis; nam hic *error* pro *negligentia*, etc. sumi non potest. Videant igitur, quibus fundamentis nitantur.

248. *Ad prob.* 2am. *et* 3am. Cum citt. supra auctoribus pariter *N.* has epistolas S. LEONIS esse; vel pariter corruptas dico. 1°. In utraque epistola dicitur, Synodum VI. absolutam fuisse indictione nona. Posset indulgendo dissimulari error, si semel id dictum, et in unâ tantum reperiretur epistola assertum, incusando librarii oscitantiam, qui loco *decimæ* posuerit *nonam* : verum cum id in singulis haud obiter positum, sed assertum et inculcatum sæpius habeatur; non eas LEONIS epistolas, quem ea, quæ erant illius temporis, minime præterire poterant, sed postea ab alio, historiæ temporis ignaro, male tributas esse, facile quivis judicabit.

249. 2°. In epistola ad Ervigium regem dicitur imperator Constantinus scripsisse ad S. AGATHONEM, summum Pontificem, *indictione nona de cogenda sexta Synodo.* Utrumque notorie falsum est; nam 1. Imperator non ad *S. Agathonem*, sed ad *Donum* ejus decessorem scripserat, neque indictione *nona*, cum tribus ante annis jam Donus obiisset; sed indictione *sexta*, i. e. anno 678. die 11. Aprilis. Incusant hic adversarii scriptoris, vel librarii oscitantiam, qui erronee pro indictione *sexta* posuerit *nonam*. Indulgeri hoc facile posset, si error hic unicus esset; attamen, ne rigidi nimium censores simus, permittamus hoc. Sed quid de S. AGATHONE, ad quem Imperator in ea epistola scripsisse dicitur; cum tamen non ad hunc, sed ad DONUM tribus ante annis scripsisset?

250. 3°. Epistola demum ad episcopos Hispaniæ tot, tantaque habet suppositionis, aut corruptionis argumenta palmaria, quanta nulla ex iis epistolis Pontificum aliorum, quæ ab omnibus etiam supposititiæ habentur. Nam 1. ut taceam falsam indictionis notam; asseritur in ea epistola, quod S. LEO archiepiscopos ad Synodum VI. ablegarit : *Archiepiscopi sunt a nobis destinati, qui cum pio principe, simul et omnibus, qui ejus mandato convenerunt, ecclesiarum præsulibus præsidentes, ac considentes,* etc. At revolvantur acta synodalia sextæ Synodi, an vel unus archiepiscopus, Roma missus, interfuerit. Quod vero COMBEFISIUS ac alii dicunt, destinatos quidem ad VI. Synodum fuisse ab AGATHONE archiepiscopos, sed illuc non ivisse : equidem id verum est; sed insufficiens et frivolum ad hanc epistolam S. LEONI vindicandam; nam auctor epistolæ hos archiepiscopos a se illuc destinatos et missos contendit : *sunt a nobis destinati.* Neve dici possit, hæc *a nobis* denotare Pontifices ut sic, adeoque et AGATHONEM, obstat clara oppositio, quam auctor facit; nam immediate ante de AGATHONE loquens inquit : *Ad quod* ( Concilium sextum ) *celebrandum ex prædecessoris nostri, Apostolicæ memoriæ domini Agathonis papæ persona, presbyteri diaconique directi sunt.* Deinde de sua persona loquitur : *De diversis autem Conciliis huic sanctæ Apostolicæ Sedi, cujus ministerio fungimur, subjacentibus, archiepiscopi sunt a nobis destinati,* etc. ; ergo per hæc : *a nobis*, se ipsum intelligit. Sed quæ fuerunt illa diversa Concilia S. LEONIS? Qui illi archiepiscopi?

Porro inducitur in ea epistola S. Leo II. scribens : *Definitionem interim sancti sexti Concilii, et acclamationem, quæ Prosphoneticus dicitur..... pariterque edictum clementissimi Imperatoris.... vestræ Dilectioni direximus.* At nec prosphoneticum, nec edictum acceperat S. Leo, sed solam definitionem fidei juxta dicta n. 238. Item : refertur in epistola, Imperatorem *ex totius mundi partibus episcopos* ad sextam Synodum congregasse. Sed hoc notorie falsum est; nam Hispani, ad quos tamen hoc scribitur, nequidem ad Concilium VI. evocati erant.

Denique inducitur S. Leo in hac epistola extollere *Sancta quinque universalia Concilia*; et hanc Synodum Constantinopolitanam, quæ revera sexta Generalis fuit, sub nomine *sextæ* Hispanis mittere. Sed de S. Leone hoc nemo præsumet. Non enim ignorabat S. Leo, quantopere Hispani perhorrescerent quintam Synodum, quod in ea damnati essent, qui in pace Ecclesiæ obivissent; merito autem metuere debuisset, ne et ipsam Synodum VI. Hispani rejicerent, si ejus occasione obtrudere ipsis *quintam* voluisset; præsertim, quod epistola diceret, in sexta Synodo iterum damnatos esse, qui in pace Ecclesiæ obivissent, et quidem Romanum Pontificem Honorium. Igitur facile damus, S. Leonem, vel Benedictum II. scripsisse ad Hispanos, at veras epistolas intercidisse.

*Nec dicas* cum P. Romano : *Sergius probabiliter in pace Ecclesiæ non obiit.* Nam hoc non solum probabiliter, sed certo falsum est; quis enim Romanus Pontifex condemnavit Sergium? An Honorius? sed hoc constanter negat P. Romanus. An Severinus? sed hoc fieri non potuit, defuncto ante Sergio, quam Severinus fieret Pontifex. Quis ergo damnavit?

251. *Inst.* 1. Præter epistolam ad Donum datam ab Imperatore, de qua n. 249., annon hic aliam scribere ad S. Agathonem, Doni successorem, potuit?

R. Potuit; sed unde factum probas? At revera Imperatorem de cogenda sexta Synodo aliam epistolam ad Agathonem, præter illam quam ad Donum misit, nullam dedisse, ex S. Agathonis ad Imperatorem litteris constat; cum enim in his dicat S. Agatho, accepisse se, quam Imperator ad Donum dederat, epistolam, eaque se excitatum fuisse ad cogendam Synodum; annon multo magis Agatho mentionem fecisset epistolæ, si quam Imperator ad eum ipsum dedisset? Hinc corruit, quod pro alia imperatoris Constantini epistola ad Agathonem data, ex epistola Gregorii II. vel, ut alii putant apud Labbeum, Gregorii III. ad Leonem Isaurum, petitur argumentum; nam permisso, quod genuina esset Gregorii epistola, nihil prodest adversariis; neque enim, juxta illam Gregorii epistolam, Imperator quidquam de *cogenda sexta Synodo* scripsisse fertur, sed solum, indicta jam Synodo, de mittendis legatis.

Dixi : *permisso,* etc. Vix enim eruditorum aliquis epistolam illam sub nomine Gregorii II. admittit; in hac enim ut vera historia asseritur, Abagarum Edessenorum regem scripsisse ad Christum, qui manu sua responsum, impressamque sacram faciem ad eum remiserit; at hoc ceu fabulam rejecerat Gelasius II. in Concil. Rom., quod Gregorius sive II. sive III. ignorasse dici non potest. Taceo id genus alia.

252. *Inst.* 2. Poterat S. Leo II. dicere, Imperatorem ad S. Agathonem scripsisse, eo quod, Dono defuncto, ad ipsum epistola pervenisset; ergo.

R. *N. Ant.* Valde enim diversa sunt, accipere aliquem litteras; et alicui inscribi litteras. Præterea numquid scribenti Pontifici æque facile erat nominare Donum, quam Agathonem? Annon idem litterarum Pontificis effectus fuisset, ac idem finis? Dicamus igitur, quod res est, istud de S. Agathone, sicut cætera hactenus memorata, latuisse imperitum illum, qui dictas epistolas vel supposuit, vel interpolavit.

253. *Obj. IV.* 1°. In Libro diurno Romanorum Pontificum refertur formula fidei profitendæ ab electis Pontificibus, in qua inter cæteros condemnatos a sexta Synodo extat nomen Honorii. 2°. Cur ergo in Synodo VI., cum damnaretur ab episcopis Honorius, non reclamarunt Legati Pontificis?

*Ad* 1$^{um}$. R. *N.* in *formula fidei* profitendæ olim ab electo Pontifice ita haberi: equidem in Libro diurno, quem Hollstenius et Garnerius publici juris fecerunt, legitur inter damnatos Honorius; sed nullo modo verosimile fit, formulam, relatam ab Hollstenio et Garnerio, eam fuisse, quæ ab electo Pontifice emitti solita; sed hanc Ivo Carnotensis exhibet longe diversam, ex eoque desumptam Gratianus Decreto inseruit dist. 16. c. 8. et Baronius ad annum Christi 869. exhibuit; ac ita sonat: *Sancta octo universalia Concilia, id est, Nicænum, Constantinopolitanum, et Ephesinum I., Chalcedonense, quintum quoque et sextum, item Constantinopolitana: et septimum, item Nicænum: octavum quoque Constantinopolitanum ad unum apicem immutilata servare, et pari honore et veneratione digna habere,* etc. Ubi nihil de Honorio. Concordat etiam illa Ivonis formula, cum ea, quam refert Cardinalis Deus dedit in collectione canonum, in qua integram refert professionem fidei emitti solitam, asservata in Bibliotheca Vaticana, testibus correctoribus Romanis. E contra si formulam ab Hollstenio et Garnerio relatam probe observemus, eam græce scriptam fuisse, et latine redditam, multis ex locis apparet; velut ex verbis hisce: *Venerabilem tomum celebriter assequentes;* tum ex his: *Deo odibilem Macarium,* qui loquendi modi Græcismum continent; deinde ex istis: *Magni principis nostri domini Constantini;* quæ episcopum aliquem orientalem, non Romanum Pontificem loquentem præferunt, qui nec Imperatorem sic appellasset, et S. Agathonem, quod Romani Pontifices consueverant, prædecessorem suum nominasset, cum in formula de Agathone solum dicatur: *Apostolicæ recordationis Agatho.* Taceo in Hollstenii et Garnerii formula totam fere Conciliorum historiam referri, multisque memorari, quid in singulis gestum Conciliis fuerit, quod a formulis fidei, ut constanter in Ecclesia prodierunt, quam longissime abhorret. Igitur formula illa ab episcopo, vel patriarcha orientali missa potius ad Romanum Pontificem, quam ab hoc emissa videtur, ut ait Cl. Bartoli Jurisconsultus Patavin.

*Respondet* P. Romanus (*pag.* 34.): An quia hæc sec. IX. formula, Ivonis scilicet circumfertur, propterea illa supra relata, Hollstenii nimirum et Garnerii non viguit?

At *contra* R. Non viguit; quia in omnibus Bibliothecarum scriniis ac recessibus, MSS. codicibus, collectionibus canonum, historiæ Ecclesiasticæ monumentis nullius formulæ fidei emittendæ a Pontifice, præter hanc sec. IX.

inductam habetur vestigium. Non est igitur necesse, ut putat eruditus adversarius, fungum habere pro cerebro, ut credatur quempiam ante annum 869. quo Conc. gen. VIII. celebratum, profiteri potuisse: *Sancta octo universalia Concilia immutilata servare promitto*; nam neque hoc quoad Concilia, neque quid aliud jurabatur ante ann. 869. sed ea jurandi formula primum inducta est seculo IX.

*Ad* 2um. R. Reclamasse Legatos, quis dubitet? si, quæ S. Agatho utraque epistola scripsit, lecta in Synodo ipsis audientibus Legatis, meminisse quis voluerit. Vide, quæ ex hujus epist. diximus. n. 239. ubi hæreticis nullo modo immiscet Honorium.

254. Sed, *inquies*, nihil de eorum reclamatione in Actis notatum extat.

R. Hoc est, quod querimur; licet enim Acta illa non corrupta asseramus cum Baronianis, manca tamen esse, nemo negare poterit; siluisse vero Legatos, aut stetisse elingues, quercini stipitis instar, mandati Agathonis aut tam cito immemores, aut proditores, fidem superat; cum Orientales, producta a Macario mendacissimo priore Honorii epistola, et altera a sublesto Georgio, rapido impetu in Honorium involantes, Honorio hæretico anathema dicerent. An nihil habebant Legati, quod opponerent? An illos fugerat, Honorii orthodoxiam a Joanne IV. vindicatam? a S. Maximo, ob fidei tuendæ zelum, *divinum* appellatum? An ignorabant Pontifices, qui hac de re inquisitionem ante habuerant, Honorium in suspicionem vocasse nunquam? An illos oblivio ceperat eorum, quæ Agatho in mandatis dederat, ut a se decretis nihil addi paterentur? Hæc incredibilia. Legati sane, dubium esse non potest, quin excusationes multas justasque attulerint Honorii, sed quæ, cum eas admittere recusarent Orientales, notatæ non fuerint. Desunt igitur hæc Actis, sicut certe deest quæstio habita de Apergio Pergensi episcopo, cui cum hæreticis cæteris dictum anathema; nam causam ejus examinatam ante, necesse est, fuisse a Synodo; de quo tamen nulla in Actis occurrit mentio.

Ex sola hac attenta circumstantia patet, quam avide Orientales gestierint damnare Romanum Pontificem: quos jam a tempore Concilii Chalcedonensis, ut ex hujus Can. 28. colligitur, ambitio stimulabat, Patriarchas suos Romanis Pontificibus æquiparandi; ac quoniam, intellecto Agathonis mandato, præviderant Patriarchas Constantinopolitanos anathemati subjiciendos; Honorium, quod tantum sub ejus nomine vidissent scriptum aliquod, licet nequidem in origine, sine mora, velut præ gaudio ulterioris moræ impatientes, damnarunt.

# DISSERTATIO III.

## DE CAUSIS INCARNATIONIS, TUM INTRINSECIS TUM EXTRINSECIS IN SPECIE.

A quidditate mysterii Incarnationis, sive compositi theandrici, quod est Christus, nunc ad ejus causas, unde pendet, contemplandas progredimur. Et quoniam hæ solent esse intrinsecæ aliæ, aliæ extrinsecæ, in utrasque inquiremus. Per causas intrinsecas ipsa compositi theandrici, sive Christi constitutiva in particulari veniunt; quæ sunt 1°. *Unio hypostatica.* 2°. *Persona incarnata,* sive assumens naturam humanam, et *natura humana assumpta;* ubi 3°. ob connexionem necessariam *communicatio idiomatum* in Christo, quam unio hypostatica fundat, consideranda venit. Per causas extrinsecas hic præter efficientem, præcipue meritoriam, finalem, sive Incarnationis motivum, intellige. De quibus singulis sequenti Sectionum ordine disputabimus, ducentes initium de prioribus : utpote quæ in consideratione rei, quam intrinsece constituunt, se propinquius habent.

## SECTIO I.

### DE UNIONE HYPOSTATICA.

Tam veteres, quam scholæ hodie, vocibus unionis, unitionis, assumptionis promiscue utuntur; etsi revera in rigore inter eas discrimen sit : *unitio* enim actionem denotat unientis, et hic est propriissime *Incarnatio activa; unio* vero illius actionis terminum; *assumptio* potius naturam, quæ assumitur ad unionem. De unione sic sumpta pro actionis unitivæ termino, quæ etiam unio formalis dicitur, hic proprie agimus. Illam esse *physicam*, abunde, opinor, liquet ex disputatis contra Nestorium. Hic igitur inquiremus 1°. Quid sit unio hypostatica? 2°. Quæ ejus proprietates?

### ARTICULUS I.

#### QUID SIT UNIO HYPOSTATICA.

Sublimissima hæc quæstio est sanctorum consensu Patrum; quippe medullam, ut sic loquar, attingens hujus mysterii. Tota vero huc recidit : quomodo Verbum et humanitas sibi uniantur; an in aliquo medio, a Verbo et huma-

nitate tanquam extremis realiter distincto, quod *Modistæ* appellant modum physicum, per hunc intelligentes entitatem modalem physicam, quæ sit terminus causæ incarnativæ, ab hac distinctus realiter, in quo, ceu medio, extrema vinciantur? An vero citra tale medium, ac immediate? et si ita, quomodo id accidat?

255. *Dico I.* Unio hypostatica non est entitas modalis physica realiter a Verbo et humanitate unitis distincta; adeoque Verbum et humanitas seipsis immediate ac formaliter, sine tali medio, uniuntur.

*Prob.* Quia nulla est necessitas entitatis hujusmodi : sed hæc plane otiosa et superflua est, cum sine illa possit haberi, et, quantum sublimitas patitur, explicari compositum theandricum; nam hoc nihil aliud est, quam humanitas ut formaliter dependens, vel terminata ab hypostasi Verbi, et hypostasis Verbi, ut formaliter terminans humanitatem : atqui hæc haberi possunt sine ejusmodi entitate realiter distincta; ergo. *Prob. min.* Nam sicut ex D. Th. 1. 2. q. 110. a. 1. ad 2. forma per se ipsam sine medio informat materiam, sive subjectum; sic Verbum ex virtute sua infinita terminandi et perficiendi naturam aliquam creatam, posita efficaci voluntate terminat et perficit naturam humanam immediate per se ipsam, et natura immediate terminatur et perficitur; humanitas enim per se ipsam est intrinsece terminabilis, et personalitas Verbi ex virtute sua infinita per se ipsam terminativa; ergo, posita voluntate efficaci, ut virtus terminativa Verbi in naturam se exerat, habebitur naturæ terminatio, perfectio, ejus a Verbo dependentia, et unio hypostatica.

256. *Conf.* 1. Verbum et humanitas uniuntur formaliter per illud, per quod fiunt unum in persona; sed ita fiunt per solam Verbi subsistentiam. Verbum enim divinum humanitati communicatur per modum subsistentiæ; sed subsistentia per se ipsam communicatur naturæ, sine alio medio realiter distincto, sive tali entitate modali : sicut per se ipsam est subsistentia sine entitate ejusmodi; ergo. Imo adde, quod nihil creatum possit esse actuale exercitium virtutis terminativæ Verbi, utpote actus purissimi : sicut neque virtutis Dei productivæ; igitur sicut res producit per suam virtutem intrinsecam sine actione distincta : sic personalitas Verbi per se ipsam immediate terminat naturam.

*Conf.* 2. Si inter Verbum et humanitatem mediaret aliqua entitas realiter distincta, velut utriusque vinculum et nexus realis; ergo huic uniri ante deberent extrema, quam unirentur inter se; qua enim ratione, nisi huic uniantur, poterunt per eam ipsa uniri? vel igitur uniuntur illi per se ipsa immediate, vel mediate, alia mediante entitate? si hoc ultimum; ibis in infinitum : si primum; ergo uniri formaliter non importat necessario entitatem ab extremis unitis distinctam.

*Respondent* 1°. Adversarii, entitatem illam non uniri *ut quod*, sed *ut quo*, ideoque illam non indigere alia simili entitate, per quam ipsa uniatur. Sed inconceptibile manet, extrema uniri inter se per unionem distinctam, et non uniri huic; ergo etiam ipsa unio distincta est aliquid, quod unitur.

*Respondent* 2°. Entitatem illam esse ipsam rationem formalem uniendi, ideoque non uniri per aliam entitatem, sicut albedo non dealbatur per

albedinem aliam, quia ipsa est ratio formalis albi. Verum hoc gratis plane asseritur, et merum *postulatum* est; ac paritas ab albedine petita nulla est : nam hæc dealbari non debet per albedinem, quia nullo modo vel dealbatur, vel dealbari potest; ergo est alba solum *ut quo*, non *ut quod*; entitas autem distincta unionis, si daretur, deberet ipsa quoque uniri extremis, quibus superadditur; ac proin non esset tantum aliquid, quo extrema uniuntur, sed verissime etiam aliquid unitum; sicut albedo superaddita parieti huic uniri debet.

257. *Dico II.* Unio igitur hypostatica, *physice* sumpta, consistit in personalitate Verbi et humanitate, non quidem absolute, et secundum se sumptis : quia sic sumptæ poterant ambæ esse, quin essent unitæ, ut patet; sed sumptis respective, h. e. in humanitate ut terminata ac dependente ab hypostasi Verbi; et in hypostasi Verbi ut terminante humanitatem ita dependentem.

Dixi : *physice* sumpta; nam metaphysice, in abstracto considerata, est modus, sive forma metaphysica, quæ positis certis conditionibus in extremis resultat, eaque unita denominat.

*Sequitur* ex dictis Concl. priore. Et *ratio est*, quia his præcise habitis, habetur et intelligitur natura humana formaliter subsistens personalitate Verbi, et Verbum formaliter subsistens in natura humana; quia cum natura humana sit per se ipsam intrinsece perfectibilis, vel terminabilis; hoc ipso, quod in genere quasi causæ formalis terminetur, ac dependeat a quasi forma hypostatica Verbi, sortitur effectum subsistentis hypostasi Verbi; et vicissim, quia hypostasis Verbi est intrinsecus illius dependentiæ terminus, terminat naturam humanam, in eaque subsistit.

*Si* jam *quæris*, quomodo humanitas dependeat a Verbo? *Respondeo*, dependentiam illam posse explicari per influxum sustentativum Verbi in esse humanitatis; similem illi, ut ait Wadingus, demptis tamen imperfectionibus, quem præbet subjectum accidenti, et materia formæ materiali : sicut enim hæ formæ producuntur cum dependentia a subjecto et materia, et nisi in illas continuo subjectum specialiter influeret, interirent, nisi Deus extraordinarie eas conservaret; sic humanitas Christi producta est cum dependentia a Verbo et ejus sustentativo influxu; ut, si Verbum ita sustentare humanitatem desineret, hæc interiret, nisi Deus concursu extraordinario illum influxum suppleret.

Dixi : *demptis imperfectionibus*; nam quoad alia dissimilis est ratio : Verbum enim non sustentat humanitatem ita, ut respectu hujus subjectum sit, eamque subjective causet, quomodo materia formas causare dicitur; sed præcise, quia interiret humanitas, si desineret Verbum præstare humanitati influxum ejus sustentativum, et hic a Deo specialiter non suppleretur; quia humanitas nonnisi cum ordine ad Verbum, ejusque influxum, h. e. nonnisi cum dependentia ab eo, producta est.

258. *Obj. I.* Omnis vera et positiva actio habet terminum realem et positivum immediate productum : sed Incarnatio active sumpta est vera et realis actio; ergo. Terminus autem ille alius dici nequit, quam unio distincta.

R. *D. M.* Omnis actio stricte productiva, qualis est actio creativa *C.* actio modificativa, qualis actio unitiva vel actio incarnativa est *N.* Huic sufficit habere terminum realem et positivum, vi sua, non simpliciter productum, sed taliter modificatum; quia actio modificativa non dat simpliciter esse rei; sed tantum facit eam se tali, vel tali modo habere. Terminus igitur *totalis* actionis incarnativæ est compositum ex Verbo et humanitate constitutum, scilicet Christus, sive Deus Homo; quia terminus totalis dicitur ille, in quo actio ultimato sistit: sed in hoc composito sistit actio incarnativa; sicut, proportionaliter loquendo, terminus *ad quem* totalis generationis humanæ nec est anima, quæ creatur, nec materia, quæ præsupponitur; sed totum compositum. Ejusdem actionis terminus *formalis* sunt extrema ut unita; quia terminus formalis est id, per quod formaliter constituitur terminus totalis; atqui; ergo.

*Cæterum* actio incarnativa, prout de facto contigit, habet etiam terminum de novo productum; quia humanitas vere producta est cum dependentia a Verbo, quæ constituit ipsum terminum totalem, sive Christum. Unde eadem realiter actio, quæ unitiva est, est etiam productiva; est tamen formaliter diversa: quia ut unitiva est, præcise unit: ut productiva, præcise ponit terminum extra causas, præscindendo ab ea unione.

259. *Neque dicas:* Actio physica productiva habet necessario terminum distinctum; ergo etiam talis actio unitiva, vel modificativa; quia et ipsa actio physica est. Item: unio fit: extrema non fiunt necessario; quia possunt præexistere.

*Ad* 1$^{um}$. R. *N. Cons. Disparitas* est; productio enim dat simpliciter esse rei productæ; at actio præcise unitiva vel modificativa non dat simpliciter esse rei; sed tantum rem, quæ habet esse, facit tali, vel tali modo se habere; sic actio extensiva facit rem aliter et aliter extensam.

*Ad* 2$^{um}$. *D.* Fit proprie *N.* improprie, scilicet per resultantiam *C.* Omissa ista æquivocatione potius dici oportet: extrema fiunt unita; vel, incipiunt esse unita; aut, aliter se habent; quia unio nihil aliud est, quam extrema se ipsis ita se habentia.

260. *Obj. II.* Humanitas est indifferens, ut uniatur Verbo, vel non; ergo ut uniatur, requiritur entitas modalis intrinsece recepta, quæ hanc indifferentiam formaliter tollat.

R. 1°. Etiam personalitas Verbi est de se indifferens, ut naturæ humanæ uniatur, vel non; nec tamen requiritur talis entitas in Verbo recepta, quæ hanc indifferentiam tollat. Nec dicant adversarii, Verbum non esse capax talem entitatem intrinsece recipiendi: nam si non sit capax ad hoc, etiam non erit capax, ut uniatur humanitati, si ad unionem requiratur necessario ejusmodi modalis entitas; cum fieri non possit, ut vinculum duo connectat, quod tantum extremorum uni adhæret.

R. 2°. *N. Cons.* Hæc indifferentia intrinseca efficienter tollitur per actionem applicativam humanitatis ad Verbum; formaliter autem per ipsam humanitatem ut applicatam; quia sicut humanitas per se ipsam habet formaliter, ut possit produci dependenter a Verbo et huic uniri: sic per se ipsam formaliter habet, quod actu Verbo uniatur, si illi applicetur. Simile

habes in omnibus modis realiter indistinctis, ubi positis certis conditionibus, sine ulla entitate intrinseca realiter superaddita, tollitur intrinseca indifferentia : sic, licet paries sit intrinsece indifferens, ut sit similis, vel dissimilis parieti alteri ; posito tamen in altero pariete colore eodem, fit similis, sine alia entitate intrinsece recepta ; et posito colore diverso fit dissimilis.

261. *Obj. III.* Quæ unita non sunt, non possunt uniri, nisi accedat aliquid; ergo requiritur unio distincta. Item : coexistentia, et intima etiam præsentia Verbi et humanitatis potest esse sine unione; ergo hæc ab iis distinguitur realiter.

*Ad* 1$^{um}$. R. *D. Ant.* Nisi accedat aliquid extrinsecum applicans humanitatem ad Verbum *C.* intrinsecum, constituens unionem *N.*

*Ad* 2$^{um}$. R. *D. Ant.* Coexistentia et intima præsentia præcise *C.* coexistentia Verbi *ut terminantis*, et humanitatis *ut formaliter dependentis*, et per efficacem Dei voluntatem, sive decretum *applicatæ* ad Verbum *N.* Hæc vero applicatio est ipsa productio humanitatis in ordine ad Verbum : adeoque prout se tenet ex parte Dei, est efficax volitio, qua Deus vult humanitatem non absolute et secundum se, sed respective sumptam ad Verbum, cum dependentia ab hoc, ut ab eo sustentetur, per ejusque subsistentiam perficiatur, et fiat subsistens.

262. *Inst.* 1. Hæc volitio non constituit unionem formaliter, sive non est unio formalis; quia voluntas Dei non dat effectus formales rebus creatis formaliter; ergo nihil facit ad rem.

R. 1°. *N. Cons.* Etiam applicatio ignis non est formalis combustio, et tamen requiritur, ut deinde ignis per se ipsum comburat, et per vim suam intrinsecam.

R. 2°. *N.* iterum *Cons.* Quia licet volitio Dei non sit causa formalis unionis, vel unio formalis; requiritur tamen tanquam conditio essentialis, et applicativa humanitatis, ut hæc accipiat effectum formalem subsistentiæ; quia hac volitione, tanquam applicatione et conditione posita, personalitas Verbi purissima sua actualitate terminat naturam humanam, et communicando se illi tribuit denominationem formalem subsistentis.

263. *Inst.* 2. Volitioni divinæ debet correspondere objectum ad extra : sed aliud, præter unionem distinctam, assignari non potest; ergo.

R. 1°. Non semper volitioni divinæ debet respondere entitas aliqua de novo producta : ut patet in voluntate divina debitam peccato culpam remittente sine gratia, quod absolute Deus potest.

R. 2°. *N. min.* Nam *objectum proximum* quidem, quod efficitur per volitionem efficacem, est humanitas producta, non seorsim, sed in ordine ad Verbum. *Objectum ultimum*, quod efficitur, est ipsum compositum theandricum, sive Christus. Objectum autem, quod præcise terminat illam volitionem, ut volitio est, sunt entitates humanitatis et personalitatis relative ad se invicem spectatæ; humanitas respective ad Verbum, ut ab hoc terminetur; et Verbum respective ad humanitatem, ut per se ipsum immediate eam terminet, et perficiat.

*Vult* igitur *Deus* extrema non simpliciter, sed cum certo modo : qui modus in volitione est ipse modus tendendi illius, quo in extrema tendit compositive, volendo, ut Verbum jam actu formaliter terminet, et perficiat humanitatem ; humanitas vero ab eo dependeat tanquam termino et complemento substantiali. In objecto volito est ipsa actualis terminatio Verbi respectu humanitatis, ac hujus a Verbo dependentia. Porro hic modus ita se habendi ex parte objecti volitus, non est, ut vides, necessario distinctus, cum Verbum per se ipsum terminare possit humanitatem.

264. *Obj. IV.* Unio hypostatica passim dicitur creata; ergo est vere aliquid productum et distinctum.

R. *Potest dici* facta et creata, non quidem simpliciter et ex omni parte, sed ex parte unius extremi, scilicet humanitatis, quia hæc vere facta et creata est; Verbum vero, quod est alterum extremum, non fit simpliciter, aut creatur. Quod si humanitas jam ante existens uniretur Verbo, nihil fieret per veram creationem, sed tantum per compositionem; h. e. fieret compositum : quod ex mente Philosophorum simpliciter fieri dicitur.

265. *Obj. V.* Influxus ille sustentativus Verbi in esse humanitatis, quo hujus dependentiam a Verbo explicamus, videtur male adhiberi. *Prob.* 1°. Influxus ille sustentativus Verbi est ad extra : sed influxus ad extra in divinis est communis tribus *personis*; ergo et hic : unde sequeretur, totam Trinitatem esse incarnatam. 2°. Sic humanitati tribueretur modus inexistendi; sed modus inexistendi est proprius accidenti, non substantiæ. Imo cum influxus sustentativus conveniat subjecto, sequeretur, Verbum agere vices subjecti : quod dici non potest; cum hoc dicat imperfectionem, passionem, mutationem.

R. *N. Assert. Ad prob.* 1am. *D. min.* Influxus ad extra effectivus, qui se habet in genere causæ efficientis, est communis tribus personis *C.* terminativus, vel objectivus, vel similis, qui convenit uni ex tribus personis ratione prædicati relativi, vel personalitatis *N.* Sed talis est influxus iste sustentativus Verbi in esse humanitatis.

*Ad prob.* 2am. *D.* Tribueretur modus inexistendi in alio, ut subjecto proprie dicto, vel causa *N.* in alio ut supposito terminante, perficiente et sustentante humanitatem *C.* Diximus jam supra, influxum illum sustentativum explicari per illum, quem subjectum præbet accidenti; sed *demptis imperfectionibus*, ut ibi expositum n. 258. Unde et patet responsio ad ultimum; nam influxus ille convenit Verbo, ut *supposito* terminanti, et sustentanti naturam humanam, alioquin interituram, nisi Deus influxum alio speciali modo suppleret; *non ut causæ proprie dictæ.*

## ARTICULUS II.

### AN ET QUOMODO UNIO HYPOSTATICA SIT SUPERNATURALIS, SUBSTANTIALIS, OMNIUM MAXIMA, INDISSOLUBILIS?

266. *Dico I.* Unio hypostatica est intrinsece et quoad substantiam supernaturalis.

*Ratio est;* quia est donum omni naturæ creatæ et rationabili prorsus indebitum, et supra vires activas et passivas totius naturæ; et supra omnem ejus exigentiam, quod perficiatur et terminetur in ratione suppositi a personalitate divina; ergo. *Dein* unio hypostatica naturam creatam ad esse personale divinum elevat, estque radix omnium donorum supernaturalium, quæ ad hoc esse divinum, per Incarnationem communicatum, consequuntur.

*Nec obstat*, quod unionem hypostaticam subin sanctorum Patrum quidam *naturalem* appellent. Non enim eo modo loquendi intelligebant id, quod est *ordinis naturalis*, prout hic supernaturalitati opponitur; sed ita vocabant 1°. Quod Christus eam statim habuerit primo instanti sui esse : quo sensu passim nobis naturale dicimus, quod est nobis congenitum. 2°. Ut indicarent eam esse physicam et realem, contra hæreticos; vel 3°. Quatenus quod est essentiale alicui, etiam respectu ejusdem naturale dicitur : at unio hypostatica est constitutiva Christi; proin respectu ejusdem essentialis est. Respectu Verbi vero dici potest præternaturalis; tum quod nec supra; tum quod nec contra ejus exigentiam sit, sed præter ipsam; cum unionem illam non exigeret præcise, etsi pro suo libitu semper terminare posset, ut aliam quamcumque creatam intellectualem substantiam, ita et humanitatem.

267. *Dico II.* Unio hypostatica est substantialis. Fide constat.

*Prob.* In Conc. Lateranensi sub S. Martino I. Secr. 5. Can. 8. (Labb. t. 6. p. 351.) ita dicitur : *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem, naturarum substantialem unitionem indivise et inconfuse in eo* (Christo) *cognitam, condemnatus sit.* Et Can. 6. duæ Christi naturæ substantialiter unitæ dicuntur. Unde et S. Th. hic q. 2. a. 6. in 6. *Fides,* inquit, *catholica... non dicit, unionem factam Dei et hominis secundum essentiam, vel naturam, nec etiam secundum accidens; sed medio modo secundum subsistentiam seu hypostasin.* Et in responsione ad 3. *Sufficit ad hoc, ut non sit unio accidentalis, quod sit facta unio secundum hypostasin; licet non sit facta unio secundum naturam.*

*Ratio* autem *est* 1°. Quia talis est unio, qualia sunt extrema, quæ unit, et quale est compositum, quod cum extremis constituit : sed extrema, quæ unit, et compositum, quod cum illis una constituit unio hypostatica, sunt quid substantiale. 2°. Per unionem hypostaticam humanitas sic Verbo unitur, ut vi illius unionis prædicetur de Verbo substantive in concreto : sive ut Verbum denominetur *homo* substantive, non adjective *humanatus;* ac proinde humanitas non advenit Verbo per modum formæ accidentalis,

sicut vestis advenit homini : qui proinde nunquam substantive *vestis*, sed adjective *vestitus* dicitur; ergo et ipsa unio hypostatica esse *substantialis* debet.

Inde *collige* : naturam humanam non posse simpliciter dici unitam Verbo accidentaliter, non solum in sensu Nestorii hæretico; sed neque in sensu Durandi, qui licet docuerit, Verbum sibi univisse humanitatem in unitate personæ; hanc tamen unionem accidentalem dici posse censuit. Tum, quod locutio ista Nestorianis faveat; tum quod abhorreat a communi Patrum et Conciliorum loquendi modo, a quibus non aliter, quam substantialis appellatur. Potest tamen dici *accidentalis logice;* quia scilicet Verbo accidit ut forma metaphysica ; nullatenus autem accidentalis physice : quasi humanitas cum Verbo non constitueret intrinsece unum per se, vel unum totum substantiale.

268. *Dico III.* Unio hypostatica est maxima, in ratione *unionis*, et in ratione *doni*. Est communis Theologorum contra Durandum, qui beatitudinem esse quid majus in ratione doni asseruit.

*Prob.* 1ª. *pars.* Unionem hypostaticam in ratione *unionis* esse *maximam,* dupliciter potest intelligi ; 1°. Quod sit maxima ex parte ejus, in quo tanquam medio et vinculo communi uniuntur ambæ naturæ, humana et divina. 2°. Quod sit maxima quoad vim et efficaciam copulandi extrema. Atqui ratione utriusque est maxima; ergo est maxima in ratione unionis. *Prob. min.* per partes : Nam *imprimis* medium et vinculum commune, in quo natura utraque unitur, est simplicissimum et maxime unum; est enim personalitas Verbi, in se simplicissima, et maxime una cum divinitate: sed eo major est unio, quo simplicius et magis unum est medium, in quo extrema junguntur ; ergo. *Deinde* eo major est unio, quo magis distantia et improportionata sunt extrema quæ uniuntur ; inde enim elucet ejus efficacia : at per unionem hypostaticam fit conjunctio infiniti cum finito, Dei cum creatura ; quæ sunt extrema inter se summe distantia, nec habent proportionem entitativam, nec inclinationem naturalem ad se invicem in ratione perfectivi et perfectibilis ; sed obedientialem solum ex parte humanitatis ; eminentialem vero ex parte Verbi.

*Prob.* 2ª. *pars.* 1°. Unio hypostatica est immediata et substantialis conjunctio cum ipsa deitate, ut veræ sint propositiones : *Deus est homo; homo est Deus.* Sed majus *donum* obvenire naturæ creatæ non potest, juxta S. Aug. L. de Prædest. sanctorum c. 15. n. 31. : *Prædestinata est,* inquit, *ista naturæ humanæ tanta et tam celsa et summa subvectio, ut quo attolleretur altius, non haberet.* Unde consequitur, quod plus honoris debeatur Christo, quam creaturarum ulli ratione alterius doni ; ergo unio hypostatica excellentissimum *donum* est. 2°. Unio hypostatica est omnium donorum supernaturalium radix : naturam humanam constituit in esse Dei, non per similitudinem, vel participationem ; sed per subsistentiam divinam, naturamque personaliter communicatam : vi enim illius persona divina est persona humanitatis, et sic hujus complementum substantiale ; et vicissim humanitas est natura Verbi. Unde

*Inferes :* Unionem hypostaticam esse simpliciter ac intensive perfectiorem visione beatifica : quamvis enim visio beatifica quasi conjungat beato divi-

nam essentiam et tres personas; hæc tamen conjunctio est solummodo intentionalis, extrinseca, accidentalis : unio contra hypostatica conjungit intrinsece, substantialiter, physice, et in unum per se; quod est multo perfectius intensive. Item : unio hypostatica tanquam radix ipsam beatificam visionem exigit ceu debitum.

269. *Dico IV.* Unio hypostatica perpetua et indissolubilis est; ac nequidem in morte Christi, dissoluta licet unione inter corpus et animam, destructa fuit.

*Prob.* 1ª. *pars*, quæ est dogma fidei. Ex SS. Scripturis : Joan. 12. *Christus manet in æternum.* Hebr. 13. *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in secula.* Et cap. 7. *Hic autem* (Christus) *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Si vero Christus sit permansurus æternum; æternum quoque durabit unio hypostatica, qua Christus unitur humanitati; cum sine unione illa Verbum non esset amplius Christus.

*Conf.* Ex Conc. Chalcedonensi in expositione fidei : ubi docet, utramque naturam, divinam et humanam, in unam concurrisse personam *indivisibiliter, et inseparabiliter.*

Ex quibus refellitur 1º. *Marcelli Ancyrani* error, qui, teste Eusebio de Eccles. Theolog. L. 3. c. 13. ex male intellectis verbis Apostoli 1. ad Cor. 24. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri*, asseruit, Christum, post extremi judicii diem, officio suo Mediatoris perfunctum, depositurum esse corpus et animam, hisque in nihilum redactis, regnum, quod eo usque tenuerat, Patri cessurum.

2º. *Origenis* error, qui, teste S. Hieronymo epist. 124. n. 5. ad Avitum, abusus illis Apostoli verbis 1. Cor. 15. *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*, pessime inferebat, interitura aliquando singula corpora, nec regnatura in cœlo; proindeque et naturam humanam esse a Verbo dimittendam.

*Prob.* 2ª. *pars*, quæ est communis et certa sententia. Ex *Symbolo*, quo dicitur *Christus descendisse ad inferos, fuisse in sepulcro* : quod falsum esset, si anima ejus et corpus separata tunc a Verbo fuissent; qui enim Christum dicit, divinitatem hoc ipso dicit cum humanitate aut tota simul, aut cum ejus partibus conjunctam; ergo in triduo mortis mansit divinitas conjuncta imprimis cum anima : sed et cum corpore; sola enim conjunctio Verbi cum anima non efficit Christum. Nec obstat, quod inter corpus et animam Christi soluta esset unio; nam hoc impedire non poterat, quominus nihilominus Verbum cum his unitum permaneret.

*Conf.* Ex sanctis Patribus, qui indissolubilem Verbi cum carne et anima unionem, etiam in triduo mortis, perseverasse, pro indubitato habebant, et tanquam ab omnibus concesso adversus Arianos et Apollinaristas usi sunt, apud Petav. L. XII. c. 19. Sic et S. Leo serm. 17. de Pass. c. 1. *In tantam*, inquit, *unitatem Dei et hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi.* S. Joannes Damascenus L. 3. de Orthod. fide c. 27. *Quamvis*, ait, *Christus ut homo mortem obierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit; Divinitas tamen a neutro, hoc est, nec ab anima, nec a corpore sejuncta est.* Et S. Aug. epist. 187. c. 2. n. 5. *Neque enim ipso die* (mortis) *in cœlo futurus erat homo Christus Jesus; sed in in-*

*ferno secundum animum, in sepulcro autem secundum carnem.* Plures Patrum sententias in Petavio loco cit. require. At tam claræ sunt hæ Patrum sententiæ, ut nulla ratione eludi possint; ergo. Atque exinde enatum illud Scholarum axioma : *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit;* quod alii a S. Damasceno dictum volunt; sed in eo non reperitur. At quiscumque auctor sit, de partibus naturam humanam integrantibus, non de minimis quibusque particulis intelligi debet. Ex dictis

*Colliges* : E sanctis Patribus quosdam, ut Epiphanium hær. 20. et 69. (opp. t. 1. p. 49. et 789.), Hilarium c. 33. in Matthæum n. 6., Ambrosium Tract. de symb. Apostolor. (al. de Trinit. c. 13. opp. t. 2. part. 2ª. p. 330.), dum contrarium asserere videntur, vel deserendos esse, salva, quæ iis debetur, reverentia; vel benigne, quoad potest, exponendos, de separatione divinitatis ab humanitate in tempore mortis Christi, quoad singularem divinæ protectionis et assistentiæ influxum; cum permitteret Deus, Christum summis cum doloribus et turpissima morte confligere; quo et sensu clamabat in cruce patiens : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

270. Sed ex hisce disputatis gravior quæstio enata est : *An Verbum divinum sicut carni et animæ, ita et Sanguini effuso manserit hypostatice unitum in tempore mortis Christi?* quæ temporibus Pii II. gravissime collisit RR. PP. Dominicanos et Franciscanos, prioribus affirmativam tuentibus; posterioribus negativam. Per tres dies coram ipso summo Pontifice ea de re disputatum, Dominicanorum partes propugnante Dominico de Dominicis; Franciscanorum Francisco de la Rovere, qui postea sub nomine Sixti IV. summus Pontifex fuit. Exitus is fuit, ut Pius II. pro neutra quidem parte sententiam definitivam ferret; at sub pœna excommunicationis præciperet utrique, ne pars altera alteram erroris, vel cujuslibet alterius censuræ nota impeteret. Nos in hac controversia ita sentimus :

271. *Dico V.* Verbum etiam Christi Sanguini in passione effuso, hypostatice unitum mansit.

Ita Theologi communiter. Hæc tamen sententia non excedit probabilitatis limites : quod enim Theologorum aliqui sententiam oppositam a Sede Apostolica, decreto Clementis VI., cujus tempore eadem quæstio in Hispania magnos motus concitaverat, damnatam proclament; id fundamento caret; sed decretum istud merito ut supposititium rejicit de Lugo Disp. 14. de Incarnat. Et vero 1°. nullibi illud reperire est; 2°. non concordat cum constitutione Pii II. utrique parti solum præcipientis, ne qua alteram censura notaret; sicque de cætero in sentiendo libertatem relinquentis.

*Prob.* Sanguis ille ante ejus effusionem erat Verbo hypostatice unitus, ut probabitur Sect. sequenti; ergo et post effusionem unitus permansit; *quod enim Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit:* quod axioma, etsi de minimis quibuscumque particulis non intelligendum velimus; merito tamen ad integrantia naturam humanam, atque huic necessaria, inter quæ est sanguis, extenditur. Et quamvis sententiæ Patrum, in quibus fundari hoc axioma diximus, expressam de sanguine mentionem non faciant; rationes tamen, quibus probant, corpus et animam, inter se licet separata, Verbo tamen mansisse unita, etiam pugnant pro sanguine. Sic Patres pro ratione,

quod Verbum manserit unitum cum corpore et anima, afferunt inter alias: quia corpus et anima in resurrectione iterum erant conjungenda; tum quia unio hypostatica multo est firmior, quam quævis unio naturalis alia: sed hæ rationes etiam sanguini conveniunt; nam et sanguis erat conjungendus corpori; etiam hic, ante erat hypostatice unitus.

272. *Obj. I.* Non est certum, quod Christus resurgens reassumpserit sanguinem; ergo cessat ante allata ratio prior. *Prob. Ant.* ex S. Aug. epist. 205. ad Consentium, qui interrogaverat ex S. Patre: *Utrum nunc corpus Christi, ossa et sanguinem habeat?* respondit Aug. n. 2. et 3. *Fides adsit, et nulla quæstio remanebit; nisi forte de sanguine requirendum est, quia, cum dixisset* (Christus): *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, non addidit, sanguinem. Non ergo et nos addamus inquirere quod ille non addidit dicere; et de compendio, si placet, finita sit quæstio;* ergo.

R. *N. Ant.* Quis enim gloriosum Christi corpus, debita connaturali integritate mancum, et exsangue ausit dicere?

*Ad prob.* R. *N. Cons.* Non enim propterea id negat, aut de eo vere dubitavit S. Aug. Sed ideo ita respondit, et studiose quidem, ut plures alias, quas prævidebat, quæstiones præcideret, quibus se liberatum volebat, ne detineretur a negotiis aliis; hoc constat ex iis, quæ immediate subjecit: *Fortassis enim*, inquit, *accepta occasione sanguinis, urgebit nos molestior perscrutator, et dicet: si sanguis, cur non et pituita, cur non et fel flavum et fel nigrum? etc.* Ubi supponit S. Aug. se sentire: sanguinem fuisse reassumptum in glorioso Christi corpore: *Si sanguis* (in Christi corpore), id est, si hoc in eo esse dixero; quæret continuo alius: an etiam pituita? etc. ac proinde significat se ad declinandas ejusmodi quæstiones, nolle respondere hic, quid de sanguine sentiat. Sed, *si placet, compendio finita sit quæstio.*

273. *Obj. II.* Si Verbum effuso Christi sanguini hypostatice unitum mansit; ergo dici posset: *Deus, vel Christus effusus est in terram;* sicut dicitur descendisse ad inferos, sepultus.

R. *N. seq.* Neque enim inter Verbum, et singulas partes, præsertim integrantes, abstractim sumptas, datur communicatio idiomatum; quia sola nomina concreta, quæ naturas completas significant, prædicari possunt, vel saltem solent de talium naturarum supposito; nomina autem significantia naturas partiales, vel partes non prædicantur de suppositis; unde non dicimus: *Petrus est anima; Petrus est sanguis; Verbum est manus; Verbum est anima;* licet partes illas Verbum immediate assumpserit. Quod vero dicamus, ipsum *descendisse ad inferos, sepultum,* licet solum corpus fuerit sepultum, et sola anima descenderit ad inferos; inde est, quod juxta receptum communemque loquendi modum denominationes illæ, quæ reipsa quidem soli animæ, soli corpori vel cadaveri conveniunt, per tropum tribui soleant ipsi homini; sic dicimus: S. Petrus est in cœlo, licet sola ejus anima in cœlo sit; est Romæ sepultus, ratione solius corporis. Verum ab uno loquendi modo, pro arbitrio nostro, non licet nobis argumentari ad alium, præsertim in hac materia, nec licet nobis fingere pro libitu significationes nominum; sed debemus stare significationi nominum, quibus si-

gnificantur concreta admittentia tales prædicationes; et hic præ oculis habere oportet modum loquendi Ecclesiæ, Patrum et Doctorum.

274. *Obj. III.* Verbum a sanguine in passione recessit; sicut, vivente Christo, recedebat ab eo, qui calore naturali resolvebatur; ergo.

R. 1°. Multæ pariter particulæ carnis, similiter calore naturali resolutæ non retinebant unionem cum Verbo; ergo sicut ab his recedebat Verbum, sic quoque recessisset a corpore, separato ab anima. Quod falsissimum est.

R. 2°. *N. Ant. et parit.* Nam *disparitas* est, quod sanguis Christi in passione effusus et corpus essent iterum conjungenda inter se; neque enim corpus mutilum et exsangue in resurrectione habere Christus voluit; e contra minutiores illæ particulæ carnis et sanguinis, calore naturali resolutæ, et per transpirationem dimissæ, reassumendæ non erant; unde ab his recessisse Verbum dici potest, non a prioribus.

275. *Si quæras,* quid censendum sit de guttis quibusdam Christi sanguinis, quæ post resurrectionem mansisse creduntur in instrumentis passionis dominicæ, flagris, spinis, clavis, etc. item tunica inconsutili, sindone, qua corpus Christi obvolutum in sepulcro? Sic et Massiliæ terram rubeam Christi sanguine aspersam exhibent FF. Prædicatores, quam S. Magdalena illuc transportasse dicitur; et Mantuæ sacer sanguis ostenditur, de quo Baronius ad A. C. 804.; porro, teste S. Athanasio, L. *de passione imaginis domini nostri Jesu Christi,* et Syn. gener. VII. Act. 4. ubi hanc historiam approbat; cum Berythi, Syriæ urbe, Judæi imaginem Christi lancea transfigerent, tantum inde sanguinis effluxit, ut amphoram impleret. Quid de eo sentiendum?

R. 1°. Probabilius est, particulas sacri sanguinis, qui effusus instrumentis S. passionis Christi, instrumentis iisdem, Christi vestibus, sindoni, terræ adhæsit, esse a Verbo dimissas, ut late evincit Suarez Disp. 47. Sect. 3. aliique. Et vero 1. nullum fundamentum aut ratio cogit ad tantum asserendum miraculum, ut adhucdum extra Christum esse Verbo unitas dicamus. 2. Quia remanentes post Christi resurrectionem, non pertinebant ad integritatem humanitatis; cum, sine his, sanguinem ad integritatem requisitum reassumpsisset.

*Neque dicas* 1°. Videri dicendum potius esse colorem sanguinis, quam sanguinem in sacris illis instrumentis, quia S. Th. p. 3. q. 54. a. 2. ad 3. docet, *quod totus sanguis, qui de corpore Christi fluxit; cum ad veritatem humanam naturæ pertineat, in corpore Christi resurrexerit.* 2°. Si particulæ illæ sint dimissæ a Verbo; quid tantus eis cultus exhibetur? Nam

*Ad* 1um. R. *N. Assert.* Etsi enim ita dici, salva fide, possit; non tamen satis salva auctoritate Ecclesiæ, cujus permissio hac in re est tacita comprobatio; nec satisfit antiquissimæ et piæ traditioni fidelium, nec experientiæ sensuum; sanguis enim rubefacit, sicut nix dealbat.

*Ad* S. Thomam R. loqui eum de toto *moraliter* sanguine; quia loquitur de sanguine, *qui ad veritatem, seu integritatem naturæ pertinet*; sed hanc integritatem non impedit quarumdam particularum defectus.

*Ad* 2um. R. 1°. Ut illum veneremur, sufficit, quod unitus aliquando Verbo

fuerit; sicut sanctam crucem ipsam, vestem, et alia veneramur merito, ob longe licet minorem cum Verbo unionem.

R. 2°. Sanguis, qui ex Christi imagine transfixa fluxit, miraculosus quidem est; at nunquam hypostatice unitus Verbo. Addere quidem dicitur Athanasius : *Hic est sanguis Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur; nec est aliter æstimandum a veris catholicis, præter id, quod scribitur a nobis.* Verum hæc S. Athanasio supposita sunt; nec enim in codice græco, nec versione Anastasii Bibliothecarii extant, nec in ullo exemplari ante Pium II. reperiuntur; sed in editione anno 1540. opera Gyberti Longolii, primum ea verba leguntur. Vide Bellarm. L. de Script. Eccl. ad Tom. IV. Athanas. et Harduinum.

---

# SECTIO I.

## DE PERSONA ASSUMENTE, ET NATURA ASSUMPTA.

Præsenti controversiæ causam præbet multiplex hæreticorum vulgus, quorum sopita olim deliria, in junioribus quibusdam revivisceré visa sunt; de quibus Proœmium consuli potest. Quoad *personam assumentem* hic in quæstionem venit : utrum Incarnatio solius Verbi sit propria? Et, cur istud? Quoad *naturam assumptam* : an in veritate persona Verbi assumpserit naturam humanam tam quoad corpus, quam animam? Secundum quas partes integrantes? An carnem traxerit ex Maria matre, illæsa hujus integritate? quæ sequentium articulorum seriem dabunt.

### ARTICULUS I.

#### UTRUM NATURÆ ASSUMPTIO SOLIUS PERSONÆ VERBI SIT PROPRIA?

Non istud solum hic quæritur : an solum Verbum incarnatum sit, sive naturam humanam assumpserit, quod facile ex recta fide monstrabit Conclusio prima; sed aliud est insuper, quod difficultatem haud levem parit; quia enim in Verbo divino duo sunt prædicata, sive duæ virtualitates inter se distinctæ; nempe *filiatio,* quæ est proprietas relativa, soli personæ secundæ propria; et *natura,* quæ est communis Trinitati, et prædicatum absolutum; inde nascitur quæstio : cur, cum etiam cum Verbo ejus natura incarnata sit, Incarnatio tamen non sit communis Trinitati, sed adhuc personæ Filii propria? Pendet vero hæc quæstio ab alia : sub qua ratione formali Verbum naturæ humanæ unitum sit? an ratio hæc sit natura, sive essentia divina et prædicata absoluta? an vero sit subsistentia relativa, quæ est Verbo propria, ejusque distinctiva a personis reliquis?

276. *Dico I.* Sola persona Filii naturam humanam assumpsit, sive incarnata fuit. Fide constat.

*Prob. I.* Ex *sacris Scripturis*, quæ, quandocumque de Incarnatione loquuntur, hanc Filio tribuunt, nunquam Patri, aut Spiritui sancto; Joan. 1. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Pater vero Filium misisse dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Imo Scriptura manifeste excludit Patrem: *Pater major me est.* Joan. 14.; quæ propositio nullo modo vera esset, si uterque naturam humanam assumpsisset; quia omnino essent æquales, non solum ratione divinitatis, sed etiam humanitatis. Spiritum sanctum vero adhuc venturum, et a se mittendum dicit Filius: *Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, etc. Si non abiero, Paraclitus non veniet.*

*Prob. II.* Ex *Symbolis et Conciliis.* Eamdem enim veritatem conceptis verbis tradit symbolum Apostolorum, Nicænum, Athanasianum. Definiverunt Concilia, Ephesinum Can. 13., Chalcedonense Act. 5., Constantinopolitanum II. Collat. 8. et Constantinopolit. III. Act. 4., Lateranense sub Martino I. Can. 2.

Rationem vero *a priori* aliam reddere non possumus, quam voluntatem vel decretum Dei. Rationes *congruentiæ* esse possunt 1°. quia conveniebat, ut, quantum fieri posset, idiomata essent similia; scilicet, ut, qui ab æterno erat Filius Dei, fieret in tempore Filius hominis; ne ob communicationem idiomatum plures essent in Trinitate filii, et exinde æquivocatio, confusio, aut error; *nempe,* ut ait S. Anselmus L. de Incarn. Verbi c. 4. *Si Spiritus sanctus incarnatus esset, sicut Filius est incarnatus, esset Spiritus sanctus Filius hominis. Essent igitur duo Filii in trinitate Dei, scilicet Filius Dei et Filius hominis. Unde quædam nasceretur dubietatis confusio, cum de Deo Filio loqueremur, uterque enim esset Deus et Filius, quamvis alter Dei, alter hominis.* 2°. Verbum est exemplar et sapientia, per quam facta sunt omnia, et ideo decuit, ut per eamdem sapientiam incarnatam, omnia instaurarentur, et ad excellentiorem quamdam dignitatem proveherentur. Ita Damascenus de Fide L. 4. c. 4. 3°. Homo per suum redemptorem adoptandus erat in filium Dei; decebat autem, ut Filius naturalis filios adoptativos faceret, sibi quodammodo similes. 4°. Filius est persona inter Patrem et Spiritum sanctum media, quatenus procedit a Patre et simul cum Patre producit Spiritum sanctum; unde conveniebat, ut etiam Mediator esset Deum inter et hominem. Taceo id genus plures, quas afferunt Patres alii, qui videri possunt apud Suarez Disp. 12. Sect. 1ª.

Quod autem persona una incarnari possit sine altera, *ratio est*, quia persona una distinguitur realiter ab altera; ergo una assumere, i. e. terminare potest naturam humanam, quin necessario et altera eamdem terminet: sicut una persona generare potest, quin generet altera; licet omnes habeant unam eamdemque naturam sibi realiter identificatam.

277. *Dico II.* Ratio formalis, per quam Verbum divinum formaliter terminat naturam humanam, non est natura aut aliud prædicatum ejus absolutum; sed proprietas relativa Verbi, hujus personalitas: sive, quod idem est, *Verbum est unitum humanitati per se et primario secundum personalitatem: secundario autem, consecutive, et identice tantum secundum naturam divinam: vel mediate, scilicet mediante personalitate Verbi.*

Quia immediata ratio, cur natura divina uniatur humanitati, est hypo-

sstasis Verbi, cui natura identificatur realiter. Unde sequitur, quod licet natura divina sit identificata Verbo, non tamen propterea tota Trinitas incarnata sit, dum Verbum incarnatum est : licet enim natura sit realiter identice unum cum Verbo; natura tamen et personalitas divina distinguuntur vel distinctione mediata in tertio, vel virtuali majore, vel formali ex natura rei, vel saltem distinctione perfecta rationis, quod hoc loco perinde sit; quæ distinctiones si salvare possint veritatem propositionum istarum : *Paternitas generat; natura non generat : Filiatio producitur; natura non producitur*; quin sit contradictio; poterunt etiam vindicare has : *Personalitas est immediate unita; natura divina non est immediate unita humanitati.* Nunc

278. *Prob. I.* Ex *Concilio Toletano VI.* quod c. 1. dicit (Labb. t. 5. p. 1741. E.) : *Cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis* (*quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis*), *solus tamen* (Filius) *accepit hominem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ : in id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati.* Tum etiam S. Aug. ibid. cit. docet serm. 3. de tempore (al. 245. n. 2. in append.), *susceptam a Filio carnem in proprietate* : atqui si Verbum divinum unitum esset humanitati, non tantum secundum personalitatem, sed etiam naturam; non solum esset incarnatum secundum id, quod est proprium Filii; verum etiam secundum id, quod est commune toti Trinitati; proinde in carne, sive natura humana, eadem ratione esset divinitas, ac Filii proprietas.

*Respondebis* forsitan : Verbum divinum unitum esse immediate in eo, quod est illi proprium, non quod est commune; eo quod unitum fuerit indivisibiliter illud complexum ex natura et personalitate, quod complexum est proprium Filio; non vero naturæ secundum se consideratæ, quæ est communis toti Trinitati. *Verum id non satisfacit*; nam Concilium et S. Aug. in ipso complexo distinguunt, illudque, quod in eo est proprium Filio, ejusque a reliquis personis distinctivum, opponunt alteri, et contra distinguunt ab eo, quod in eodem complexo est commune : *in singularitate personæ... in id, quod est proprium Filii, non quod commune Trinitatis* : quod in complexo Filii est natura.

279. *Prob. II.* Ex *SS. Patribus*, S. Augustino cit., S. Anselmo L. de Incarnat. c. 4., S. Dionysio de divin. Nominib. c. 2., S. Joanne Damasceno L. 3. de Fide c. 6. aliisque, quos in hanc rem citat partim ipsa Synodus generalis VI. Act. 8. (Labb. t. 6. p. 765. A.), ad confirmandam sententiam suam : *Pater et Spiritus sanctus nihil in Incarnatione habent commune præter benignissimam voluntatem*; partim S. Th. 3ª. p. q. 3ª. a. 2. in 0. ubi et suam ita ipse declarat mentem : *Esse terminum assumptionis non convenit naturæ divinæ secundum seipsam; sed ratione personæ, in qua consideratur; et ideo primo quidem et propriissime persona dicitur assumere.*

280. *Prob. III. Ratione.* 1°. Verbum divinum immediate unitum est humanitati secundum id solummodo, per quod humanitatem substantialiter complet in ea ratione, in qua ipsa incompleta est : atqui in ea ratione illam duntaxat complet per suam personalitatem; non vero per suam naturam communem, nec per complexum ex sua natura et personalitate : natura

enim humana non est incompleta *in ratione naturæ,* sed tantum *in ratione subsistentis;* in hac vero per Verbi personalitatem completur; ergo sive natura divina sumatur secundum se, sive in complexo Filii, neutro modo aliqua ratione complet substantialiter naturam humanam; ergo et neutro est ratio formalis uniendi, vel unitur immediate; quia uniri immediate hic idem sonat, ac esse rationem formalem uniendi.

2°. Solus Filius est incarnatus, ut fide constat, et vidimus n. præc. ex Syn. gen. VI. At si unio æque per se primo et immediate in natura facta esset; non jam solus Filius, sed tota Trinitas incarnata esset, tum quia ratio formalis terminandi sic esset communis personis omnibus; tum quia convenit personis omnibus, quod convenit naturæ secundum se.

281. *Obj. I. cont. Concl.* 1am. Opera Dei ad extra communia sunt divinis personis tribus : sed Incarnatio est opus ad extra, sicut ipsa actio incarnativa; ergo. *Conf.* In Deo sunt omnia communia præter esse *ingenitum, genitum,* et *spiratum,* ut ait S. Damasc. L. 1. de Fide c. 10. : atqui esse incarnatum non est aliquid horum trium; ergo.

R. *D. M.* Communia sunt quoad efficientiam *C.* quoad terminationem *N.* *Sic D. min. et N, C.* Incarnatio quoad efficientiam et *actionem incarnativam* tribus personis communis est; quia est a prædicato absoluto communi, scilicet potentia. At quoad terminationem est propria solius Filii; quia hæc fit per proprietatem ejus personalem, quæ est in solo Verbo. Hinc *terminare* est prædicatum personale, ac ideo convenit personis, non ut quid unum sunt.

*Ad Conf.* R. *D. M.* Omnia præter illa tria sunt communia ad intra *C.* ad extra. *Subd.* Si Deo conveniant ratione prædicati absoluti *C.* si ratione prædicati relativi *N.* At incarnari convenit Filio ratione personalitatis solius Filii.

282. *Inst.* 1. Quod convenit naturæ in divinis, etiam convenit tribus personis : atqui etiam naturæ convenit uniri, saltem mediate; natura enim divina est terminus mediatus incarnationis; ergo et Patri et Spiritui sancto convenit, quia uterque est natura divina.

R. *D. M.* Quod convenit naturæ ratione sui et secundum se *C.* ratione personalitatis alicujus, cui identificatur, et quatenus illi identificatur *N.* Uniri vero hic convenit naturæ, ut est in Filio, sive ratione personalitatis Filii, oppositæ Patri et Spiritui sancto; quod autem formaliter et directe convenit uni oppositorum, non convenit aliis.

*Ad prob. min.* R, *D.* Natura secundum se spectata, prout est in tribus personis *N.* Ut est in Verbo, vel ut terminata a Verbo *C.* Si fiat syllogismus claudicabit, ut : natura est terminus Incarnationis mediatus : sed Pater et Spiritus sanctus sunt natura; quia medium sumitur in sensu formali in *Maj.*, et simul in materiali in *min.*

283. *Inst.* 2. Non potuit immediate uniri et incarnari Verbi personalitas, quin mediate uniretur et incarnaretur natura divina, quæ realiter identificatur personalitati Verbi; ergo pariter non potuit uniri mediate natura divina, quin mediate unirentur Pater et Spiritus sanctus naturæ divinæ realiter identificati.

R. *N. Cons. Nam disparitas est;* quia uniri et incarnari mediate est esse rea-

liter idem cum eo, quod immediate unitur; Pater autem et Spiritus sanctus realiter distinguuntur a personalitate Verbi, quæ sola unitur immediate; ergo non sunt incarnati mediate; licet sint realiter idem cum natura divina, quæ est mediate incarnata. Coincidit hæc disparitas cum illo, quod ait Doctor Angelicus hic q. 3. a. 2. ad 1. ideo naturam esse mediate incarnatam, quia a Verbo non differt supposito; at vero Pater et Spiritus sanctus ita a Verbo differunt.

284. *Obj. II. cont. Concl.* 2am. 1°. In Concilio Lateran. sub Martino I. secretar. 5. can. 6. ( Labb. t. 6. p. 351. ) condemnatur is qui *non confitetur, proprie et secundum veritatem ex duabus et in duabus naturis unitis, inconfuse et indivise unum eumdemque esse Dominum et Deum Jesum Christum;* et 2°. Trid. Sess. 13. c. 3. definivit, poni divinitatem in Eucharistia propter unionem : sed hæc vera non essent, si unio non immediate terminaretur ad naturam divinam; ergo.

R. *C. M. N. min.* Quia Concilia præcise volunt naturam divinam esse vere unitam, licet mediate tantum; quia eo ipso, quod immediate uniatur personalitas Filii; hæc non potest non secum afferre per identitatem naturam divinam, in qua simul, et in natura assumpta subsistat. Quin Concilium Lateranense diserte naturam divinam duntaxat mediate unitam tradit, dum cit. can. ait illam humanitati unitam *per subsistentiam;* nam *si quis,* inquit, *non confitetur proprie et vere ex duabus naturis, secundum subsistentiam unitis,* etc. Unde non immediata unio naturæ, sed mediata inferri debet; uniri enim secundum subsistentiam, idem est, ac dicere, uniri mediante subsistentia, qua duæ naturæ subsistunt.

285. *Inst.* 1. Si unio esset terminata immediate tantum ad personalitatem, non ad naturam divinam; in ratione uniendi intercederet distinctio inter personalitatem et naturam : licet non realis, cum realiter idem sint : tamen alia, ut virtualis vel una ex recensitis n. 277. sed hoc dici non potest. *Prob. min.* Quia sic natura divina nullo modo posset dici vere et proprie unita. *Prob.* Quia enim in ratione producendi intercedit talis distinctio, vel virtualis intrinseca, inter filiationem et naturam divinam; non potest vere et proprie dici natura producta, licet vere producta sit filiatio; ergo pariter si talis distinctio intercedat in ratione uniendi, natura divina vere et proprie unita dici nequit.

R. *N. min. et prob. Ad ult. prob. D. Ant.* Ideo præcise, quia intercedit talis distinctio *N.* quia aliunde, vi hujus mysterii, natura est incapax talis denominationis. *C.* Et *disparitas* est; denominatio *vere et proprie unitæ* naturæ secundam hypostasin nihil affert, quod repugnet cum identitate reali inter naturam divinam et personalitates; nam ea denominatione solum significatur, quod Verbum assumens humanitatem et in hac subsistens simul subsistat necessario in natura secum identificata; at denominatio *productæ,* sive mediate, sive immediate, significat distinctionem realem a producente, sicut in humanis filius distinguitur realiter immediate a patre producente, et mediate ab avo; cum vero natura divina incapax sit distinctionis realis a producente et producto, quia singulis personis divinis est realiter identi-

ficata, ac proin idem cum producente et producto; hinc natura divina nequit denominari producta.

286. *Inst.* 2. Cui convenit proprie incarnari, assumere humanitatem, etiam convenit immediate terminare unionem; assumere enim hic est, sumere ad se aliquid ratione unionis in carne: atqui naturæ divinæ proprie convenit incarnatam esse, assumpsisse humanitatem; hoc enim sæpe Patres docent; S. Gregorius Nyssenus in epist. ad Eustathiam et Ambrosiam (opp. t. 3. p. 659. C.): *Cœterum, divinitas... nec a corpore nec ab anima divulsa est: sed cum anima in Paradiso fuit... per corpus autem in corde terræ... Et propterea corpus ipsum Dominus appellatur, ob insidentem ipsi divinitatem.* S. Aug. in Enchir. c. 34. dicens: *a Divinitate carnem susceptam.* S. Cyrill. Alexand. in commonit. ad Eulogium (opp. t. 6. p. 133.): *Nos*, inquit, *postquam ista copulavimus* (nempe Verbum et carnem); *unum Christum, unum Filium eumdem, unum Dominum confitemur, et unam postremo Dei naturam incarnatam.*

R. *D. M.* Cui convenit ratione sui, primario, ut ipsum sit ratio formalis *C.* cui convenit tantum ratione personalitatis, quia cum hac identificatur, sicque secundario *N.* At postremo solum modo naturæ hoc convenit. Nec aliud volunt allata Patrum, aliorumque testimonia, quam unionem naturæ divinæ secundum subsistentiam, vi cujus natura divina vere et proprie dicitur incarnari, assumere: secundario, ratione personalitatis; non primario, ratione sui.

287. *Inst.* 3. Juxta Concilia et Patres natura divina speciali modo unita est carni, quo non est unita personalitas Patris et Spiritus sancti: sed personalitas Patris et Spiritus sancti unitur mediate humanitati; ergo natura immediate.

R. *C. M. D. min.* Unitur mediate unione substantiali, secundum hypostasin *N.* unione circuminsessionis *C.* Natura divina unita est humanitati unione substantiali secundum hypostasin, quatenus cum hac realiter identificatur: at personalitates Patris et Spiritus sancti non identificantur realiter; sed sic distinguuntur a personalitate Filii immediate unita.

Sunt tamen personalitates divinæ in humanitate, non tantum ratione immensitatis, sed et per concomitantiam, et connexionem necessariam, quæ circuminsessio dici solet; quia omnes identificantur cum natura divina; ergo ubi hæc reperitur, et præsens est, etiam personæ sunt divinæ: et ubi est una persona, quia naturam sibi identificatam semper affert, etiam adsunt personæ cæteræ: atqui in humanitate est persona Filii, et propter identitatem, natura; ergo. Unde cum Christus (Jo. 10.) dixisset: *Ego et Pater unum sumus*; subjunxit: *Ego in Patre, et Pater in me.*

288. *Inst.* 4. Quia Verbum unitum est naturæ humanæ, unio terminatur æque primo ad animam et corpus; ergo pariter, quia Verbum unitum est, unio terminatur æque a natura divina, quam personalitate Filii.

R. 1°. *N. Cons.* Nam *disparitas* est; quia utrumque, et corpus et anima, æque complentur in ratione subsistentis, quia hæc duo constituunt unam naturam, cui deest subsistentia propria; at in ratione subsistentis illam non

æque complet natura divina; sola enim personalitas ita illam complere potest. Hinc etiam

R. 2°. *D. Cons.* Si natura divina æque compleret naturam humanam, vel in ratione naturæ, vel in ratione subsistentis *C.* cum neutrum præstet *N.* Illud enim hic dicitur uniri immediate, quod naturam humanam complet in ea ratione, in qua incompleta est: atqui in sola ratione subsistentis incompleta est, in eaque a sola personalitate completur; ergo.

289. *Obj. III.* Etsi unio immediate terminaretur a natura divina; non ideo sequeretur, omnes personas esse incarnatas. *Prob.* Licet naturæ divinæ, communi toti Trinitati, conveniat identificari cum Filio; non tamen ideo convenit toti Trinitati identificari cum Filio; ergo etiam, licet natura sit communis toti Trinitati, si tamen complexim sumpta cum personalitate Verbi terminet immediate unionem hypostaticam; non propterea toti Trinitati conveniret, terminare unionem. Et ratio ulterior est, quod non omnia prædicata, quæ conveniunt naturæ, conveniant personis omnibus. Sic natura est communicabilis tribus; nulla tamen persona divina est communicabilis alteri.

R. *N. Cons.* Natura communis, Filio identificata, duo dicit: *primo prædicata absoluta præcise naturæ;* sic est communis toti Trinitati; deinde *identitatem cum relationibus divinis;* secundum hanc identitatem objectivam non est communis toti Trinitati. Proin præcise ut dicit prædicata absoluta, identificatur simul cum Patre et Spiritu sancto; at præcise secundum identitatem objectivam cum filiatione, cum illis non identificatur. Imo cum ista terminatio sit ad intra; non potest se eodem modo habere ad relationes divinas realiter inter se distinctas, quibuscum identificatur. At vero *uniri* non est denominatio ad intra, sed ad extra; quæcumque autem denominatio ad extra, quæ habetur ratione prædicati communis, eo ipso convenit toti Trinitati; ergo si hic terminatio unionis æque primo conveniret naturæ divinæ, quam personalitati Filii; non posset non simul convenire toti Trinitati, sicque tota Trinitas incarnata esset.

*Ad rationem additam* R. *D.* Non omnia prædicata, quæ conveniunt naturæ, ut virtualiter distinctæ a personis, conveniunt omnibus tribus personis *C.* Quæ conveniunt ipsi non ut virtualiter distinctæ *N.* Vel: Non omnia prædicata, quæ conveniunt naturæ ad extra ratione sui, et secundum prædicata absoluta spectatæ *N.* quæ illi conveniunt ratione terminationis ad intra *C.* Constat ex antedictis.

290. *Obj. IV.* 1°. Ubi non est unum et aliud in re; non potest unum uniri mediate, et alterum immediate. 2°. Juxta Conc. Rhemense sub Eugenio III. (Labb. t. 10. p. 1108.), in Theologia inter essentiam et personam ratio non distinguat; ergo immediate etiam a natura terminatur unio. 3°. Unio hypostatica est physica; ergo nequit immediate contingere Verbum, quin simul immediate contingat id, quod Verbo est identificatum realiter, scilicet naturam.

*Ad* 1$^{um}$. R. Ubi non est unum et aliud in re, nec actualiter, nec virtualiter, et æquivalenter, etc. *C.* ubi est unum et aliud saltem virtualiter *N.* Hoc

vero jam sufficit, ad verificandas has propositiones : persona Verbi immediate unita est; natura Verbi non est immediate unita, juxta n. 277.

*Ad* 2um. R. *D.* Ratio non distinguat in sensu Gilberti Porretani, quem ibi damnat *C.* in sensu alio et catholico *N.* Gilbertus asserebat, ut refert illius Concilii historia, essentiam et personam in divinis distingui non tantum secundum rationem mathematicam, quæ per mentem distinguit ea, quæ non sunt distincta in re, ut lineas, superficies; sed etiam secundum rationem theologicam, qua distinguuntur ea, quæ a parte rei distincta sunt; unde Concilium tantum damnat distinctionem theologicam in sensu Gilberti, id est, realem inter essentiam divinam et personalitates.

*Ad* 3um. *D. Cons.* Si τὸ *immediate* significet idem, ac identice *C.* si rationem formalem uniendi *N.* Sed de hac quærimus, cum dicatur natura unita : an immediate? id est, ratione sui, et æque primario; an propter personalitatem Verbi? quæ juxta Conclus. est sola ratio formalis. Ex dictis fluit sequens

*Corollarium* : Naturam divinam incarnatam esse, non precise sub hac ratione, quatenus natura est; sed quatenus immediate identificatur cum persona Verbi, et quidem in unitate suppositi. Hinc sequitur porro; licet una sit trium personarum natura, non esse temere proferendam propositionem hanc : *natura Patris et Spiritus sancti est incarnata*; sed cum limitatione : *ratione solius personalitatis Filii*, ut realiter distincti a Patre et Spiritu sancto, formaliter et immediate terminantis unionem hypostaticam. Et ratio est, quia secus simpliciter prolata favere videtur Sabellio, qui in eadem natura divina non tres personas; sed tria nomina secundum creationis, Incarnationis, sanctificationis distinctas actiones hæretice fingebat.

## ARTICULUS II.

### AN VERBUM NATURAM NOBIS CONSUBSTANTIALEM VERE ASSUMPSERIT?

Negarunt hoc 1°. Phantasiastæ, sic dicti, quod Christo corpus, non verum, sed umbratile ac phantasticum tribuerent. quorum sectas vide in Proœmio. 2°. Alii, qui humanitati Christi animam abnegabant, vel saltem mentem : volentes, Verbum illius loco esse, ut Apollinaristæ et Ariani, de quibus item in Proœm., tum suo loco. 3°. Qui corpus quidem verum Christo tribuebant; sed rati, illud de cœlo allatum esse, non assumptum ex Maria Virgine : contra quos agemus Art. seq.

291. *Dico.* Verbum divinum veram, nobisque consubstantialem naturam assumpsit.

*Prob.* Duo importat natura nostra, ex quibus constat, corpus et animam; hinc probatur quoad utrumque.

*I. Quoad corpus,* auctoritate Scripturæ, juxta quam 1°. Joan. 1. *Verbum caro factum est*; at si carnem tantum umbratilem et phantasticam habuisset, Verbum non potuisset dici *factum caro.* 2°. Luc. 24. 37. et seqq. ubi Christus, cum discipulis post resurrectionem appareret, illis phantasma se videre opinantibus, ac idcirco perterritis dicebat : *Videte manus meas, et pedes meos; quia ego ipse sum. Palpate et videte; quia spiritus carnem et ossa non*

*habet, sicut me videtis habere.* Vel igitur Christus verum corpus habuit; vel decipere voluit discipulos, quod vel cogitare, vel dicere blasphemum est. 3°. Dicitur circumcisus, manducasse, dormivisse, flevisse, fatigatus, passus, crucifixus, resurrexisse : hæc vero omnia fuisse perpetuas ludificationes nostrorum sensuum, et totidem præstigias commissas ab homine umbratili et phantastico, sine blasphemia rursus dici non potest; sic enim Christus æterna veritas falli et fallere nescia, humanum genus induxisset in errorem, persuadendo toti mundo, quod non erat. Unde corpus Christus habuit, et verum, et passibile.

*II. Quoad animam.* 1°. ex S. Scriptura. Matth. 26. 38. Christus futuræ passionis præscius, ait : *Tristis est anima mea usque ad mortem*; sed nec corpus, nec anima sensitiva hujus tristitiæ esse capax poterat, sed sola rationalis anima, utpote quæ sola res futuras prævidet.

2°. Ex Concilius contra Apollinaristarum impictatem habitis : Alexandrino an. 362., Romano an. 362., Antiocheno an. 368. et Romano VII., quibus dogma hoc decretoriis sententiis definitum.

3°. Rationibus theologicis, quibus usi SS. Patres. 1. Christus fuit homo perfectus, nobis per omnia similis absque peccato; constanter enim Scriptura eum simpliciter hominem, filium hominis appellat : at sine anima, vel sine mente non fuisset perfectus homo; anima enim rationalis specificativum est hominis, eaque distinguitur a brutis; a mente vero, qua intelligit, anima rationalis est. Ita fere S. Aug. epist. 187. n. 4. (alias 57.) ad Dardan. 2. Christus moriturus Luc. 23. *Pater*, inquit, *in manus tuas commendo spiritum meum.* At hic per spiritum nihil aliud intelligi potest, quam vera anima : non enim Verbum; nam Verbum ipsum erat Deus, quod proinde Deo commendari non egebat : nec corpus; hoc enim opponitur spiritui : nec anima sensitiva; hæc enim cum homine exspirat, et desinit, nec spiritus est.

292. *Obj. I.* Caro damnatur in Scripturis, excluditur regno cœlorum 1. Cor. 15. *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Item, teste Apostolo, *concupiscit adversus spiritum*; ergo est Deo indigna.

R. *D.* 1um. Damnatur caro secundum se *N.* caro, id est, opera carnis legi Dei contraria, facta ex inordinata inclinatione carnis, quæ non erat in Christo *C.* Ita Tertull. de carne Christi c. 16. et Athanasius contr. Apollinar. L. 1. n. 15. 2um. etiam *D.* Caro vitiata peccato originali, de qua loquitur Apostolus *C.* expers peccati, et sancta, qualis erat caro Christi *N.*

293. *Inst.* 1. Ad Rom. 8. *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati*; sicut igitur tantum apparenter peccati carnem assumpsit; ita et carnem humanam tantum apparenter, et similem nostræ quoad apparentiam.

R. *N. Cons.* Carnem Christi, etsi vera caro fuerit, solum apparenter fuisse carnem peccati, ac proinde quoad hoc proponi similitudinem quoad apparentiam, ipsa Scriptura docet, dum ad Hebr. 4. 15. ait Apostolus : *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* E contra, Christum habuisse carnem similem nostræ, non quoad apparentiam, sed *specie similem*, vel in similitudinem specificam naturæ, quo modo homines similes dicuntur, eadem Scriptura declarat vel hoc ipso loco; subjicit enim : *Humi-*

*liavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Humiliatio autem, passio, mors Christi, non fuere deceptiones sensuum, ex dictis supra; alioquin, ut inquit S. Iren. L. 5. c. 1. n. 2. et Divus Thomas hic, tantum apparenter fuissemus redempti.

294. *Inst.* 2. Ad Philipp. 2. dicitur: *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo;* ergo non erat verus homo, alioquin Apostolus non dixisset: *ut homo.*

R. *D. Ant.* In similitudinem hominum specificam naturæ *C.* apparentiæ tantum *N. Ant. et Cons.* cum ejus ratione. Nam 1. *in similitudinem hominum* ex se non denotat apparentiam, sed etiam veritatem; et 2. pariter hæc: *ut homo.* Sic Gen. 5. *Adam* dicitur *genuisse Seth in similitudinem suam;* item sic dicimus de vero homine: vivit ut homo. Et quidem veritatem carnis hic declarari ab Apostolo, constat ex adjunctis; immediate enim ante dixerat de Christo: *qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Ubi nomine formæ servi natura humana vera exprimitur; sicut per formam Dei vera natura divina. Ut merito Tertullianus Lib. 5. contra Marcion. c. 20. in hunc textum diceret: *Æque non erit Deus Christus vere, si nec homo vere fuit in effigie hominis constitutus. Utrobique enim veritas necesse habebit eludi, si effigies et similitudo et figura phantasmati vindicabitur. Quod si in effigie et imagine, qua Filius Patris, vere Dei prædicatus est, etiam in imagine hominis, qua Filius hominis, vere hominem inventum, nam et inventum ratione posuit, id est certissime hominem.*

295. *Obj. II.* Etiamsi Christus verum corpus non habuisset; non propterea impostor dici posset, aut decepisse homines. *Prob.* Etiam angeli sæpe apparuerunt in corporibus non veris; nec tamen ideo impostores dicendi; ergo nec Christus.

R. *N. Ass. et parit.* Angeli apparentes 1°. nunquam professi sunt se esse homines, filios hominis: licet in assumpto aereo corpore ad breve tempus homines imitari sunt visi. 2°. Licet more hominum viderentur ambulare, manducare, loqui; eas tamen actiones, se non vitaliter elicere, sed apparenter exercere subin contestati sunt, ut Tobiæ 12. 19. *Videbar quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* 3°. Saltem sua paulo post disparentia, aliove facto, quales essent, palam fecerunt. Et demum cujus angeli genealogiam, ortum, nativitatem, etc. Scriptura refert?

296. *Obj. III.* Verbum 1°. a Joanne dicitur: *caro factum,* non anima; ergo carnem solam assumpsit. 2°. Potest dici, quod Verbum in Christo suppleverit vices animæ; cur enim hoc non posset? 3°. Si præter corpus, Christus perfectam animam haberet, constaret tribus substantiis; sed, teste Vasquez in 3ª. part. Disp. 37. cap. 3., propositio illa a Concilio Toletano XIV. prolata, offendit Benedictum II., qui eamdem notavit.

*Ad.* 1ᵘᵐ. R. *D.* Dicitur caro factum per synecdochen, sumendo partem pro tota natura *C.* secus *N.* Sic, phrasi Scripturæ, sæpe caro pro toto homine sumitur, ut jam in Proœmio observatum.

*Ad* 2um. R. *N. Assert.* Verbo divino enim convenire non possunt; imo repugnant, quæ Scriptura Christo quoad animam tribuit: tristari, pavere, et similes passiones, atque actiones.

*Ad* 3um. R. *D.* Si substantiam proprie sumas, prout communiter accipitur, pro natura completa *N.* si pro partibus substantialibus, quatenus natura humana Christi constat ex corpore et anima *C.* Sic natura divina Christi esset una substantia completa, corpus et anima seorsim duæ incompletæ; atque ita substantiæ tres. Atque ita Patres Toletani propositionem suam exponebant Pontifici. Neque in hoc sensu censuram meretur; neque aliquam propterea summus Pontifex inflixit: qui solum monuerat, minus proprie dici *tres in Deo susbtantias*, si ita simpliciter, ac sine limitatione diceretur; eo quod nomen substantiæ simpliciter prolatum, pro substantia, vel natura perfecta et completa, communiter sumi soleat.

## ARTICULUS III.

### AN CHRISTUS CARNEM ASSUMPSERIT, EX MATRE MARIA VIRGINE, ILLÆSA INTEGRITATE MATRIS?

297. *Dico I.* Verbum divinum ex beatissima Virgine Maria corpus assumpsit. Ita dogma catholicum contra Valentinianos, volentes, Christum corpus de cœlo traxisse, perque Mariæ Virginis uterum, tanquam canalem, transmisisse.

*Prob. I.* Auctoritate S. Scripturæ. 1°. Christus dicitur factus ex semine David, factus ex muliere: sic ad Rom. 1. *Factus ei ex semine David secundum carnem.* Ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Atqui nec ex semine David secundum carnem esset, neque factus dici posset ex muliere, si carnem de cœlo traxisset, per Mariam duntaxat transiens; transitus enim jam factum supponit: sicut canalis (quod est simile hæreticorum) transeuntem aquam non facit, sed supponit. 2°. Matth. 1. dicitur *filius David, filius Abraham, natus de Maria.* Luc. 1. dicitur Maria Christum *conceptura, paritura:* atqui nullum ex his vere diceretur, si non assumpsisset vere corpus ex Maria Virgine, sed illud traxisset de cœlo.

*Prob. II.* Ex Symbolis Fidei. Symbolo Apostolorum, quo confitemur: *Natus ex Maria Virgine.* Constantinopolitano: *Incarnatus de Spiritu sancto ex Maria Virgine.* Athanasiano: *Deus est*, Christus, *ex substantia Patris ante secula genitus, et homo est ex substantia matris in seculo natus.*

Eamdem veritatem profitentur œcumenicæ Synodi. Ephesina I. epistolam Cyrilli recipiens tanquam orthodoxam (Labb. t. 3. p. 461. et seqq.) qua declaratur (Labb. ibid. p. 321. A.): *Non dubitarunt* (scilicet SS. Patres) *sacram Virginem Deiparam appellare: non quod Verbi natura, ipsiusve divinitas ortus sui principium ex S. Virgine sumpserit; sed, quod sacrum illud corpus, anima intelligente perfectum, ex ea traxerit.* Idem facit Constantinopolitanum II. can. 2. (Labb. t. 5. p. 570.), Nicænum II. in definitione fidei. (Labb. t. 7. 554. E.).

298. *Obj.* Sacræ Scripturæ testimonio, Christus carnem non ex Maria Virgine traxit, sed de cœlo attulit; ergo.

*Prob. Ant.* 1°. Joan. 3. ait Christus de seipso : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo*; ergo corpus Christi non est ex substantia Mariæ Virginis, sed allatum de cœlo. *Prob. Cons.* Ratione enim divinitatis, sive qua Deus, non potuit descendere, propter immensitatem ubique existens.

2°. 1. Ad Cor. 15. Apostolus Adamo Christum opponit : Adamum vocans hominem terrenum; Christum vero hominem cœlestem : *primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis* : atqui si corpus Christi esset ex substantia Mariæ Virginis, etiam esset terrenum; ergo.

3°. Christus nunquam legitur beatissimam Virginem compellasse *matrem*, sed semper *mulierem*, ut in nuptiis Canæ : *Quid mihi et tibi est mulier?* Joan. 2. ; in cruce : *Mulier, ecce filius tuus.* Joan. 19.

4°. Quin palam negavit, se habere matrem, vel fratres. *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?* Matth. 12. Quæ propositio in se negativa est ; ergo.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *N. Cons.* et hujus *prob. D.* Non potuit descendere qua Deus, motu locali : quasi cœlum deserens descendisset in terram, ceu terminum ad quem, in quo ante non fuisset *C.* descensu in alia acceptione *N.* Dicitur descendisse, quatenus humanam assumpsit naturam, eaque ratione se demittendo, et exinaniendo.

*Ad prob.* 2am. R. *D.* Adamo Christum opponit secundum carnem ipsam *N.* secundum vitam, quæ in Christo, ob ejus sanctitatem substantialem, tota cœlestis fuit : e contra in Adamo magnam partem terrena *C.* Colligitur ex sequentibus; nam inde colligit Apostolus, Christum, ejusque discipulos spiritualia sectari ; homines vero ex Adamo natos, et nondum Christum sectantes, terrestria, sive mundana : *Qualis terrenus, tales et terreni; qualis cœlestis, tales et cœlestes.* Ac concludit : *Sicut portavimus imaginem terreni ; portemus et imaginem cœlestis.*

*Ad prob.* 3am. *N. Cons.* Non enim sequitur : non est scriptum, quod Mariam appellaverit matrem ; ergo sic nunquam appellavit. Deinde illam esse matrem suam sæpius et satis declaravit quoad rem, se vocando *filium hominis*; ut enim observat Beda in Luc. cap. 11., alias *nec vere filius hominis diceretur.* Demum, etsi in citt. locis, aliis de causis, usus sit nomine mulieris : ut, ne in cruce prolato matris nomine ejus augeret dolorem ; in nuptiis vero, ut ostenderet, majorem esse a se habendam rationem voluntatis Patris cœlestis, etc. De quibus plura Interpretes; S. Joannes tamen Mariam Christi matrem clare expressit : *Stabant juxta crucem Jesu mater ejus et soror, etc.* Joan. 19. v. 25.; et v. 26. *Cum vidisset ergo Jesus matrem.*

*Ad prob.* 4am. R. *N.* Quod ibidem id negare intenderit; sed ea occasione declarare voluit, potiori apud se loco esse matrem et fratres spirituales, qui legem Dei observant, quam consanguineos carnales; si præcise spectetur carnalis propinquitas.

Unde continuo in discipulos manum intendens : *Ecce*, ait, *mater mea et fratres mei; quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.*

299. *Dico II.* Verbum divinum carnem traxit ex Maria *Virgine*, sive inte-

gra, et ante Christi partum viri experte. Ita Christiani omnes contra Judæos, et qui nomine solo Christum professi, revera Judæi erant : Carpocratem, Cerinthum, Ebionitas, aliosque similes.

*Prob.* Ex gemino SCRIPTURÆ testimonio, quorum prius extat Isaiæ 7., alterum Matth. 1. Quoad primum. Cum Achaz liberandæ urbis Jerusalem, a rege Syriæ obsessæ, signum petere vel nollet, vel non auderet; Propheta hoc illi dedit : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ad hanc prophetiam appellat Matth. c. 1. et impletam in Christo, a Maria concepto et genito, testatur : *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph; antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Cumque et Joseph mysterii ignarus dimittere sponsam vellet; eum ab Angelo instructum refert : *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium; et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Tum subdit : *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam : Ecce Virgo in utero habebit, et pariet Filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel; quod est interpretatum nobiscum Deus.*

*Unde* et aliud *consequitur,* beatissimam Dei Genitricem non tantum nihil deperdidisse integritatis virgineæ ante Christi partum, sed *nec in partu* ipso; quia et Isaias Propheta, et Matthæus Evangelista utrumque enunciant : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.*

300. *Reclamant* Judæi : 1°. Loco vocis *Virgo* in hebraico legi *Alma* : quæ vox hebraica non præcise virginem, sed *adolescentulam* significat, qualemcumque; itaque verterunt Symmachus, Aquila et Theodotion. 2°. Verba Isaiæ dicta esse de uxore Achaz regis Juda, quæ Ezechiam conceptura et paritura erat; quia Propheta regi dare signum volebat liberandæ urbis; sed quale signum fuisset, quod virgo multis post seculis conceptura et paritura esset? Vel certe de uxore Isaiæ ipsius intelligi debet.

*Sed immerito*; nam *quoad* 1$^{um}$. istud jam confutavimus n. 75. Quod vero Symmachum, Aquilam, Theodotionem attinet; his 1°. versiones ibid. citt. opponimus. 2°. Nullius hic quidquam auctoritas valet, nam Aquila et Theodotion, primum gentiles erant; postea Christiani; demum apostatæ facti; et Judæorum proselyti. Symmachus autem de Ebionitarum fæce, per se ante jam integritatem beatissimæ Dei Genitricis negantium. Quid mirum igitur, quod locum Prophetæ, contra versiones reliquas, ipsis nequidem Judæis suspectas, perverse interpretati sint?

2$^{um}$. vero nullo modo subsistit; quia, cum Isaias hoc vaticinium ederet, Ezechias jam decem, si non plures, annos natus erat; certum enim est 1°. prophetiam contigisse jam regnante Achaz, ut constat ex 4. Reg. c. 16. v. 1. 2°. Achaz regnavit annis sexdecim, ut iterum palam est ex 4. Reg. c. 16. v. 2. Ezechias vero continuo successit patri ibid. v. 20. Demum 3°. cum Ezechias in regno succederet, annorum erat 25. Posito igitur, quod jam tum in primo anno regni Achaz prophetia evenerit, Ezechias jam decimum ætatis annum saltem jam inchoaverat; quomodo igitur Propheta eum nasciturum prædicere poterat? Neque obstat, quod signum parituræ Virginis

multis post seculis evenerit; quia hoc signum prænunciare jussus erat Propheta, non quasi statim eventurum; alioquin saltem adhuc ante liberationem urbis impleri debuisset: quod vero falsum; cum ante liberatam urbem nec regi Achaz, nec Isaiæ a facto vaticinio proles nata sit; sed ut regem in spem erigeret, argumento sumpto ab omnipotentia Dei liberationem promittentis; ac si diceret: si Deus efficere possit, quod promittit se effecturum, ut Messias concipiatur et pariatur a Virgine; quanto magis liberare te et urbem poterit ab hostibus?

Uxor denique Isaiæ tempore vaticinii nec virgo erat, nec adolescentula; utpote quæ Isaiæ jam pepererat filium nomine *Jasub*, qui, quot tunc annorum fuerit, equidem non constat; sed tamen ipse adolescentiam decurrebat, patrem comitari solitus, Is. 7. v. 3.

301. *Obj. I.* 1°. Matthæus in genealogia Christi, hunc fuisse Abrahæ et Davidis filium, probat inde, quod Joseph ex Davide descenderit: sed hæc probatio non subsisteret, si Christus via ordinaria generationis non descenderet ex Davide; ergo.

2°. S. Scriptura diserte Josephum Christi patrem asserit: *Erat pater ejus et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.* Luc. 2. 33. Et ibid. v. 48. *Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.*

3°. Apostolus ad Gal. 4. Mariam simpliciter *mulierem* appellat: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Item: sic alibi in Scriptura ab ipso Christo compellata est; ergo.

*Ad* 1um. R. Quomodo Matthæus, Christum Davidis esse filium, et consequenter Abrahæ, probet per Josephum, quin inde sequatur, Josephum naturalem fuisse Christi patrem; jam diximus in genealogia Christi n. 149. et sequentibus.

*Ad* 2um. R. *D.* Josephus vocatur pater Christi, juxta persuasionem communem et vulgarem *C.* quod revera naturalis Christi pater fuerit *N.* Constat ex ipso S. Luca c. 3. 23. *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph.*

*Ad* 3um. R. *N. Cons.* Nomen enim *mulieris* non importat præcise corruptam; sed est nomen naturæ et sexus, feminam indicans, ut ait S. Aug. L. 23. contra Faustum c. 7., sive illa virgo sit, sive non.

302. *Obj. II.* Maria saltem in partu integritatem amisit virginitatis. *Prob.* ex Patribus: sic 1°. Tertull. L. de carne Christi. c. 23. *Peperit,* inquit, *quæ ex sua carne; et non peperit, quæ non ex viri semine. Et virgo, quantum a viro: non virgo, quantum a partu.* Et postea: *Etsi virgo concepit; in partu suo nupsit, ipsa patefacti corporis lege.* Idem prodit Origenes homil. 14. in Lucam. (opp. t. 3. p. 947. E. et 948. D.) 2°. Patres alii tam Græci, quam Latini, Virginis uterum in partu fuisse patefactum asserunt, ut Irenæus L. 4. c. 33. n. 11. S. Athanasius epist. ad Epictetum n. 5. verum fuisse B. Mariæ partum probat, et nostræ similem Christi carnem ex eo, quod oblatum sit sacrificium propter apertum ab eo, qui est natus, matris uterum. Simili modo loquuntur plures alii, nixi S. Luca c. 2.: atqui *apertio uteri, reseratio,* etc. indicant læsum vel fractum virginitatis sigillum; ergo.

R. *N. Assert.* In quocumque enim reponatur virginitas, quod medicis

nondum omnino est extra controversiam; absolute tenendum est cum Isaia et S. Matthæo, dum decretorie pronunciant: *Virgo concipiet et pariet.* Eamdem illæsam in partu Mariæ integritatem Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus clare expressit, in epistola Synodica, quæ a generali Concilio VI. Sess. 11. approbata fuit, hæc scribens (Labb. t. 6. p. 876. E.): *Partus ipse incorruptibilis, illibata Virginitas, quæ ante partum, et in partu et post partum est intemerabilis.* Item Syn. gen. IV. sive Chalcedonensis in Prosphonetico, in quo de integritate B. Virginis in partu loquuntur Patres (Labb. t. 4. p. 824. C.), adversus hostis in Ecclesiam conatus et impetus, Deum *excitasse Patres velut luminaria in errore degentibus, qui fidei intelligentiam omnibus exposuerunt, et Incarnationis beneficium accurate prædicarunt: quemadmodum ab initio illius ex utero perfectum sit mysterium: quomodo sit Dei genitrix propter eum, qui Virginitatem ipsi etiam post conceptum largitus est, atque, ut Deo dignum erat, uterum obsignavit.* Ubi, cum obsignatum et sigillo munitum dicunt Patres uterum Virginis *post conceptum*, manifeste indicant, in ipso partu obsignationem illam perstitisse. Demum concors Patrum est sententia; quorum testimoniis ex omni Ecclesiæ ævo petitis totas philyras implevit noster Petavius, Theol. Dogm. de Incarnat. L. 14. c. 6.

*Ad* 1$^{um}$. R. Nec Tertulliani, nec Origenis, in rebus dogmaticis persæpe exorbitantium, hic nomine movemur; illisque hic plane heteroclite opinantibus, Isaiam, S. Matthæum, generales Synodos IV. et VI., et reliquorum Patrum exercitum opponimus, cum iisque totius sensum Ecclesiæ. De Tertulliano plura num. sequenti, quæ et Origeni accommoda.

*Ad* 2$^{um}$. R. 1°. *D. min.* Indicant læsum virginitatis sigillum, hic ubi partus extra ordinem, nec sine miraculo evenit *N.* in partu communi alias, et ordinario; quia ante partum per virum admissum jam læditur *C.* Sed, inquit S. Aug. sermone 14. de Temp. qui est de Natali Christi decimus (al. in append. 193. n. 2.), *tanta est divina illa potentia, ut et matrem reddat fecundam, et virginitatem* (in partu, de quo hic loquitur) *servet illæsam.* Et serm. 21. (al. in append. 120. n. 2.): *Virgo genuit... inviolata peperit... utrobique miraculum: et sine corruptione gravida, et in partu Virgo puerpera.* serm. 19. (al. 186. n. 1.): *Concipiens virgo, pariens virgo, virgo gravida, virgo fœta, virgo perpetua.* Serm. de diversis 50. (al. 191. n. 2.): *Maria virgo ante conceptum, virgo post partum.*

R. 2°. *Patefieri uterum, aperiri,* etc. plus illis Patribus non significat, quam *nasci,* ex materno prodire utero; quod ita ferret communis alias et naturalis fœtum proferendi modus, ut aperto utero in lucem exeat: cujusmodi catachresis in vulgari sermone frequenter adhibetur.

*Nec obstat:* Quod eodem genere sermonis S. Lucas Evangelista c. 2. ex Moyse Exod. c. 13. 2. et Num. 8. 16. accepto, quo primogenitus significatur, usus sit. Nam in ferendis legibus id spectat legislator, quod naturaliter et communiter accidit, non quod extra ordinem, nec sine miraculo. Proin communi et usitato modo loquitur.

303. *Dico III.* Etiam post Salvatoris partum beatissima Dei Genitrix Maria, virgo constanter integra permansit. Ita rursum Christiani omnes, contra Apollinarem aliosque, quos *Antidicomarianitas* nominat S. Epiphanius hær. 78., tum Eunomium, Helvidium, Jovinianum virginitatis hostem, ac

propterea dictum a S. Hieron. L. 1. cont. Jovin. ab initio *Christianorum Epicurum*, Bonosum, etc. Etsi vero de illæsa Mariæ post partum Christi virginitate S. Scriptura sileat, efficaciter tamen

*Prob. I.* Ex perpetua traditione Patrum. Sic Origenes hom. 7. in Lucam (opp. t. 3. p. 940. B.) *in tantam quippe nescio quis*, ait, *prorupit insaniam, ut assereret negatam fuisse Mariam a Salvatore, eo quod post nativitatem illius juncta fuerit Joseph.* Tum hoc dicere, ait, esse hæresin, illamque ut impiam, ac nefariam damnat. S. Epiphanius hæres. 78. n. 5. 6. (opp. t. 1. p. 1037.), inter hæreses refert illam Antidicomarianitarum sententiam; quin *blasphemiam* appellat. S. Basilius homil. in sanctam Christi generationem n. 5. (opp. t. 2. p. 600. A.) : *Christum*, inquit, *amantium aures non sustinent hoc audire, quod Dei genitrix aliquando virgo esse desierit.* S. Ambros. in epist. 42. ad Siricium (al. 7.) et L. de Institut. Virg. c. 5. n. 35. *Fuerunt, qui eam* (B. Mariam) *negarent virginem perseverasse. Hoc tantum sacrilegium silere jam dudum maluimus; sed quia causa vocavit in medium, ita ut ejus prolapsionis etiam Episcopus argueretur, indemnatum non putamus relinquendum.* Omitto plures.

*Conf.* hæc traditio a sensu utriusque Ecclesiæ Græcæ et Latinæ, quæ ad exemplum S. Epiphanii, etiam in generalibus Synodis, sanctissimam Dei Genitricem nomine *semper Virginis*, vel antonomastice *Virginem* compellare consuevit. Porro sensus ille et mens totius Ecclesiæ inde amplius elucet, quod, quos supra memoravi perpetuæ virginitatis Mariæ obtrectatores, eo solo nomine ab antiquis, et usque huc a Catholicis, ut hæretici habiti sint et damnati.

*Prob. II.* Rationibus D. Th. 3. p. q. 22. a. 3. in 0. 1°. Antidicomarianitarum dogma injuriosum est Christo : sicut enim hic erat Unigenitus Patris, velut Filius Patris perfectus; ita decebat, ut esset Unigenitus Matris. 2°. Est injuriosum Spiritui sancto, ut, quam ipse obumbraverat, et sibi in sacrarium elegerat, in quo Christi corpus formaret, postea cognita fuerit ab homine. Unde et 3°. summæ ingratitudinis se ream fecisset Virgo sanctissima, si Dei Filii partu non contenta carnales expetiisset nuptias, et post conservatam tanto prodigio virginitatem, hanc tamen carnali concubitu deponere voluisset; quod proin de tanta Virgine, quam unam, ceu matrem Filii sui inter omnes dignissimam, elegerat Deus, non potest a quoquam homine suæ rationis compote præsumi.

304. *Obj.* Ex Scriptura et Patribus. 1°. Matth. 1. 18. dicitur Maria desponsata fuisse Josepho : *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph*; ergo, inferunt Centuriatores Magdeburgenses Cent. 1. Lib. 1. c. 10. ad mentem Calvini et Bezæ, *liquido constat, ita utrumque fuisse affectum, ut statuto tempore, more aliorum conjugum, voluerint liberos, dante Deo, procreare.* Et cur alias nupserit?

2°. Ibidem dicitur : *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*; ergo postea convenerunt; hoc enim denotat particula *antequam.*

3°. Rursum ibid. v. 26. de Josepho asseritur : *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*; ergo post partum Christi Josephus Mariam cognovit; hoc enim indicat particula *donec.*

4°. Christus ibid., tum alibi, vocatur Mariæ *primogenitus*; sed hæc vox est correlativa, et supponit alios adhuc postea fuisse genitos.

5°. Christus adhuc fratres habuit, Matth. 12. 46. *Ecce mater ejus et fratres stabant foris*; ergo post Christi partum adhuc peperit.

6°. Tertullianus, L. de Monogamia c. 8. *Christum quidem Virgo enixa est*, inquit, *semel nuptura post partum, ut uterque titulus sanctitatis in Christi censu dispungeretur, per matrem, et virginem, et univiram.*

R. *Ad* 1um. *N. Cons.* Matrimonium enim sine ejus usu consistit, unde de Josephi et Mariæ conjugio ait Aug. L. 1. de Nupt. et Concup. c. 11. *Nec mendax manserat conjugis appellatio; ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio.* Et L. 23. contra Faustum c. 8. *Neque enim, quia* (Josephus) *concubitu non commixtus, ideo non maritus.* Ac S. Ambros. de Instit. Virg. c. 6. n. 41. impugnans eos, qui putabant, nullum fuisse Mariæ et Josephi matrimonium: *non defloratio*, inquit, *virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis.* Rationem vero, cur beatissima Virgo post conceptum nupserit Josepho, idem reddit in Luc. L. 2. n. 1. *Fortasse ne diceretur quod conceperat ex adulterio.* Et paulo post: *Ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelæ videretur insigne præferre.*

*Ad* 2um. *et* 3um. R. *N. Cons. Non enim sequitur, ut postea convenerint; sed Scriptura, quod factum non sit, ostendit*, inquit Hier. in cap. 1. Matthæi. Sic Gen. 8. de corvo a Noe emisso dicitur: *Non revertebatur, donec siccarentur aquæ*; quo non istud innuitur, quod redierit siccatis aquis; sed quod prorsus non redierit. Ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; non sequitur, quod non amplius sit sessurus ad dextram. Item 1. Cor. 15. *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*; non sequitur, quod post humiliatos ejus inimicos non sit regnaturus. Hinc particula *donec, antequam*, ex se, et phrasi Scripturæ non semper tempus definitum, sed et indefinitum, imo infinitum significat.

*Ad* 4um. R. *N.* vocem *primogenitus* supponere alios post illum progenitos; sed vi sua præcise significat eum, ante quem alius genitus non est: sive dein post eum geniti sint alii, sive non, inquit S. Basilius orat. de Christi generat. n. 5. (opp. t. 2. p. 600. B.) Et vero, Num. 18. 16. offerri Deo debuit, et primo post partum mense redimi primogenitus: sed si primogenitus non est, nisi post quem alius est genitus; oblatio ac redemptio differri potuisset usque ad secundogenitum, quia ante hujus ortum prior nondum esset primogenitus.

*Ad* 5um. R. Equidem ex Patribus aliqui Josephum viduum fuisse autumant, cum B. Mariam sibi desponsaret, filiosque procreasse ex priori matrimonio, qui dicti postea *fratres Domini.* At non probatur hæc opinio, nullo nixa fundamento; sed libris apocryphis, teste S. Hieronymo in cap. 12. Matth. v. 49. ubi, *quidam*, inquit, *fratres Domini de alia uxore Josephi filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum.* Unde rectius dicitur, fratres Domini appellatos fuisse, quod essent ejus secundum carnem consanguinei, usitata alias Scripturæ phrasi, Gen. 13. Abraham et Loth dicuntur fratres; atqui Loth Abrahæ nepos erat. Gen. 29. Laban Jacobum fratrem vocat; at Laban erat Jacobi avunculus, Gen. 28. 2. Jacobus minor ab

Apostolo ad Gal. 1. *frater Domini* compellatur; sed erat Cleophæ, sive Alphæi filius. Quo gradu autem essent Christi consanguinei, vide in tabula genealogica Christi n. 151.

*Ad* 6um. R. cum S. Hieronymo L. contra Helvidium, cum opinionis suæ vindicem proferret Tertullianum : *Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse.* Tertullianum tamen vindicat ab hac sententia Petavius. Et vero hæc, *nuptura post partum*, exponit Petav. de Incarn. L. 14. c. 3., ut *nubere* sit idem, ac *uterum resignari.*

## ARTICULUS IV.

### AN VERBUM OMNES CORPORIS HUMANI PARTES, ET QUO ORDINE SIBI HYPOSTATICE CONJUNXERIT ?

Quæstio movetur 1°. de sanguine, quem Verbo divino hypostatice immediate fuisse conjunctum negat Durandus, et quidam alii. Estque variorum de schola Lutheri, duce Osiandro, opinio, inde pariter asserentium, de facto gloriosum Christi corpus esse absque sanguine : pronum est, hujus causam figmenti conjicere; ut sic jam remote, velut per cuniculos, viam facerent ad impugnandum dogma catholicum de concomitantia naturali sanguinis cum corpore in Eucharistia; et vicissim corporis cum sanguine. 2°. De aliis, quæ partes integrantes dicuntur humani corporis.

Discrimen vero hic notant Theologi inter uniri *secundum hypostasin*, et *in hypostasi*. Prius tantumdem sonat, ac uniri per se immediate et proxime : ita ut pars sic unita a Verbo terminetur immediate, sive nulla parte alia mediante. Alterum assumptionem mediatam significat; sic in *hypostasi* dicitur assumi pars, quæ quidem non immediate Verbo conjungitur, inest tamen naturaliter in natura assumpta. Et quoniam corpus Christi variis constat partibus solidis et fluidis, de singulis quæritur : An easdem Verbum hypostatice, secundum hypostasin, sive immediate : an in hypostasi, sive mediate, assumpserit ?

305. *Dico I.* Sanguis a Verbo divino secundum hypostasin, sive immediate et proxime assumptus est. Est communis et certa Theologorum sententia.

*Prob. I.* Auctoritate S. Scripturæ. Ad Hebr. 2. v. 14. ait Apostolus : *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem; ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium.* Sed Verbum immediate communicavit carni; ergo et sanguini; de utroque enim æqualiter, et sine ulla differentia loquitur Apostolus. Præterea S. Scriptura tribuit eodem modo redemptionem nostram sanguini Christi, ac corpori, idemque pretium. 1. Pet. 1. 19. *Redempti estis pretioso sanguine.* Ad Ephes. 1. 6. *Habemus redemptionem per sanguinem ejus.* 1. Joan. 1. 7. *Sanguis Jesu emundat nos ab omni peccato* : sed corpori Christi pretium suum advenit ex unione immediate cum Verbo, et secundum hypostasin; ergo et sanguini. Nec sufficit dicere, S. Sanguini accessisse pretium illud ab oblatione Christi, quia eumdem Patri obtulit; nam et sudores et lacrymas eidem obtulit; ac licet etiam propterea dici possint operata redemptionem

et salutem nostram; nusquam tamen Scriptura id ita lacrymis, sudoribus ipsis, sicut ipsis sanguini attribuit.

306. *Prob. II.* Auctoritate Conciliorum et Patrum. In Synodo generali IV. sive Chalcedonensi Act. 1. lecta, ac approbata fuit S. Cyrilli epistola, in qua verba Joan. 1. *Verbum caro factum est*, interpretatur hoc modo : *Non dixit Scriptura, Verbum Dei personam sibi hominis assumpsisse, sed carnem factum esse. Verbum porro factum esse carnem nihil aliud est, nisi similiter ac nos carne ac sanguine participasse* (Labb. t. 4. p. 162. D.). In Concilio item Ephesino pariter approbata legitur epistola S. Cyrilli synodica, ex Concilio Alexandrino; qua dicitur (Labb. t. 3. p. 400. B.), Verbum Deum *carnem et sanguinem assumpsisse*. Et Anathem. 5. (ibid. p. 409. A.) asseritur : *Verbum caro factum carni et sanguini perinde ac nos communicavit*. S. Gregor. Nazianzenus orat. 44. n. 9. : *Humana omnia, excepto peccato, suscipit*. Et auctor tract. 2. de Fide orthod. (in append. t. 1. opp. S. Greg. Nazianzeni p. 906.) : *Credimus..... Verbum caro factum esse..... hominem natum; non putative, sed vere; non aereum, sed corporeum; non phantasticum, sed carneum; ossa, sanguinem, sensum et animam habentem. Assumpsit corpus, ex carne, ossibus, et sanguine constans*. Clemens VI. in Extrav. *Unigenitus*, de Pœnit. et Remiss. *unam*, docet, *guttam Christi sanguinis, propter unionem cum divino Verbo, suffecisse ad redemptionem generis humani*. Eodem vero modo rursus loquuntur citt. Concilia et Patres. Sicut igitur carnem, ita immediate assumpsit et sanguinem; latum vero discrimen esset, si sanguis mediate solum assumptus esset; nec magis ea sanguini convenirent, quam sudori et lacrymis, mediate assumptis; at Concilia et Patres hic speciale quid docent de sanguine.

307. *Prob. III.* Ratione. Verbum dum assumpsit, secundum hypostasin, naturam humanam; eam non mutilam, sed integram perfectamque assumpsit; ergo æque secundum hypostasin, aut immediate assumpsit partes, ex quibus integritas et perfectio naturæ consurgit: atqui inter eas partes, quibus integratur et perficitur corpus, cumprimis sanguis est; nam 1°. sine eo nec integer, nec naturaliter esse homo potest : ut proin Levit. 17. 11. dicatur *anima carnis in sanguine esse*, hoc est, vitam ab illo pendere, ut exponit S. Aug. q. 57. in Levit. 2°. Propterea etiam sanguinem in corporibus resurgentium futurum esse tradunt uno ore Theologi. 3°. A Tridentino Sess. 13. c. 3. sanguis pars Christi dicitur : *Corpus sub specie panis et sanguinem sub vini specie... animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini... inter se copulantur.*

308. *Dico II.* Verbum quoque immediate assumpsit partes integrales reliquas, solidas et fluidas; sive dicantur anima informari, sive non.

*Ratio est eadem*; quia naturam humanam veram integramque assumpsit; ergo simul partes eas, quæ ad illius veritatem ac integritatem pertinent. Tales sunt : caro, ossa, nervi, arteriæ, membranæ, etc. ex fluidis vero tres humores reliqui : phlegma, flava bilis, et atra. Item spiritus vitales et animales, qui sunt velut radii sanguinis purissimi, ac necessarii ad exercendas operationes vitales. Demum ungues, capilli; eo quod etiam ista tum ad inte-

gritatem, tum defensionem et ornatum corporis spectent; atque etiam vere ponantur in Eucharistia, et futura sint in corporibus gloriosis; quod futurum non esset, nisi pertinerent ad integritatem hominis.

*Excluduntur* tamen ab hac assumptione immediata *lacrymæ, sudor, saliva, aliæque superfluitates corporis*; quia nec ad hujus integritatem, perfectionemque pertinent; nec ponuntur in Eucharistia; nec futura sunt in resurgentium corporibus. Unde illa subsistebant in Christo subsistentia propria, quia tantum mediate assumpta.

309. *Dico III.* Verbum naturam humanam cum ejus constitutivis assumpsit simul tempore, sive instanti eodem; ut dici non possit, quod assumptio unius tempore præcesserit assumptionem alterius; aut præextitissent ante assumptionem partes, vel tota humanitas.

Contra *Origenem* et *Nestorium* : quorum prior asseruerat, præextitisse ante animam Christi, creatam cum animabus cæteris, initio mundi; posterior præformatum ante totum fuisse hominem, modo communi in utero, quam assumeretur; velut in ejusdem hæresi notavimus.

*Prob.* Ex Justiniani imperatoris ad Mennam epistola, quæ, Liberato teste, approbata fuit a Vigilio summo Pontifice, et in qua contra Origenis errores hæc definiuntur (Labb. t. 5. p. 678. E.) : *Si quis dicit, aut sentit Domini animam prius extitisse, atque unitam fuisse Deo Verbo ante incarnationem et generationem ex Virgine; anathema sit.* Ex Syn. gen. VI., in qua approbata fuit S. Sophronii epistola, quæ ita habet (Labb. t. 6. p. 865. A.) : *Non ante verissimum ipsius Verbi conventum in se ipsis* (corpus et anima) *unquam extiterunt, vel cujuspiam secundum nos alterius hominis penitus extiterunt; sed cum Verbi ipsius naturali conventu subsistentiam habitura concurrerunt; et nec, quantum in ictu oculi, hanc quam illam priorem habentia; sicut Paulus Samosatenus, etc.* Et *ratio est*, quia vel debuisset corrumpi subsistentia prior, vel duplex fuisset subsistentia : quod utrumque est inconveniens. Præterea aliunde contra Origenem constat, falsum esse, quod creatæ fuerint animæ antequam unirentur corporibus.

310. *Datur* tamen in assumptione humanitatis quidam *prioritatis ordo*, componibilis cum simultate temporis. Quippe tres hic ordines considerari possunt, dignitatis, intentionis, et quasi naturæ et executionis. Unde

Ordine *dignitatis* in assumptione præcessit *humanitas*, vel *tota natura humana*; quia nobilior est partibus singulis; naturam sequitur anima, præceditque corpus; quia anima est corpore nobilior.

Ordine *intentionis* rursus *humanitas* præcedit partes singillatim acceptas, et *anima* corpus. *Ratio est*, quia ex intentione assumendi humanitatem assumptæ sunt partes, et ratione animæ corpus, quod præcise ratione sui non fuisset assumptum, si anima caruisset; ideo enim assumptum est corpus, quia habet animam capacem merendi, satisfaciendi, etc. Et hoc est, quod solum volunt Concilia et Patres quando volunt, corpus assumptum fuisse media anima, aut media mente.

Ordine quasi *naturæ* et executionis intelligitur *independens* prius esse dependente, tanquam hujus causa; sic prius unitum Verbo concipitur *corpus*, quam anima; nam natura prius illud unitur extremum, a quo pendet

actu alterius extremi assumptio; sed priusquam creetur anima, corpus debet esse dispositum et subsistens. Eodem ordine naturæ, quia humanitas dependebat a suis partibus, tanquam a causis constitutivis, et non e contra; hinc, in eo sensu, natura est posterior partibus. Porro hoc ordine corpus, anima, et utriusque unio præcesserunt unionem ad Verbum; unio enim hypostatica dependebat ab ipsis, quasi a causa materiali; illa autem constitutiva non dependebant ab unione hypostatica; poterant enim sine illa seorsim existere.

311. *Obj. I.* Sanguis non est pars integralis humani corporis; ergo. *Prob. Ant.* 1°. Alimentum corporis non est pars corporis; quia illud est substantia distincta a substantia aliti, in quam per nutritionem convertitur: atqui sanguis est alimentum corporis; ut ex Arist. L. 5. de partib. animal. c. 3. docent plures. 2°. Juxta Doctorem Angelicum est pars tantum in potentia, q. 31. a. 6. ad 1.

R. 1°. *N. Cons.* Licet non esset pars corporis; est tamen pars integralis humanitatis.

R. 2°. *N. Ant. Ad prob. D. min.* Est alimentum corporis remotum, ut cibus *N.* proximum, vel ultimatum *subd.* Quoad aliquas partes *C.* quoad omnes *N.* Est alimentum quoad partes solidiores. Igitur licet respectu solidarum partium sanguis non sit pars actu, sed tantum potentia; est tamen simul pars actu fluida respectu totius hominis, vel corporis viventis; sicut elementa, licet respectu mixtorum sint partes solum potentia; sunt tamen actu partes respectu universi. Hinc ad prob. 2$^{am}$. patet responsio.

312. *Inst.* 1. Sanguis non est animatus; ergo nec, ut est quid fluidum, pars est viventis hominis vel corporis.

R. *T. Ant.* Id enim Cajetanus, et plures ex Thomistis negant. *N. Cons.* Ut enim fuerit assumptus a Verbo secundum hypostasin; sufficit, quod sit pars humanitatis, ad hujus integritatem et perfectionem pertinens: sive sit animatus, sive non.

313. *Inst.* 2. Inter partes constituentes unam naturam totalem debet esse unio: atqui sanguis non unitur partibus solidis, nec continuatur cum corpore; sed est in venis, tanquam in vase, ut cum Aristot. cit. loquuntur alii; ergo.

R. 1°. Probabiliter contra *volunt alii*, sanguinem cum corpore continuari mediate: mediantibus partibus ejus crassioribus, quas medici fibras vocant, quæ continuantur venis, et venæ carni.

R. 2°. *D. M.* Debet esse unio physica et stricte dicta *N.* saltem contiguitatis *C.* Sic *D. min.* et *N. Cons.* Sufficit unio, quæ ad conservationem formæ principalis, et ad ejus operationes necessaria est; major enim non requiritur ad partes integrales; sanguis autem talem unionem habet per solam cum partibus contiguitatem, per quam ad utrumque servit, scilicet ad conservationem animæ, ejusque operationes; irascimur enim, dum sanguis fervet; timemus, cum ad cor contrahitur; gaudemus, quando per corpus diffunditur.

314. *Inst.* 3. Etiam aer sic est unitus corpori unione contiguitatis, et

præsentiæ localis; præterea ad vitam, et functiones animalis est apprime necessarius, nec tamen est pars integralis; ergo neque sanguis.

R. *N. Cons. Disparitas* est. Aer inest animali ut hospes, ingrediens et egrediens; ergo non ut pars: sanguis e contra ut instrumentum domesticum et connaturale ad hunc finem a natura destinatum, ut corpori et animæ inserviat, unde saltem pars integralis est. Imo juxta alios est æque pars essentialis, quam cerebrum; eo quod corpus humanum, saltem diu, consistere sine sanguine non possit: et simul, secus ac aer, per se ordinatur ad constituendum cum corpore et anima principium aliquod adæquatum certarum operationum, quod est unum per se, una natura completa.

315. *Obj. II.* Verbum unam naturam et unius speciei assumpsit; ergo non assumpsit sanguinem, utpote qui specie differt a reliquo corpore.

R. *D. Ant.* Assumpsit naturam unam, et omnino simplicem *N.* totalem ac compositam ex pluribus partibus, sive naturis subordinatis *C.* Nec refert, inter has partes esse quasdam non viventes, quæ partiali specie, vel etiam genere differant; sic enim quoque partes essentiales corporis naturalis, licet genere diversæ, constituunt unum compositum physicum.

316. *Obj. III.* Si sanguis sit pars corporis; ergo poneretur in Eucharistia *vi verborum*, et non duntaxat per concomitantiam: at non ponitur in Eucharistia vi verborum, sed tantum per concomitantiam. *Prob. sequela:* quia vi verborum sub specie panis corpus integrum ponitur.

R. *N. seq. M. Ad prob. D.* Vi verborum ponitur corpus integrum quoad partes solidas *C.* integrum quoad fluidas *N. Ratio* est, quod vi verborum consecrationis ponatur corpus Christi sub speciebus panis, non quomodocumque, sed sub ratione cibi; ad hunc vero pertinent partes solidæ, non fluidæ, qualis sanguis est.

317. *Obj. IV.* Si Verbum immediate assumpserit sanguinem; ergo etiam dici posset sic assumpsisse accidentia: sed hoc non admittitur; ergo.

R. *N. sequelam* 1°. Quia sanguis probabilius non unitur physice cum venis, aut reliquo corpore; unde non apparet, quo mediante assumptus esset: at accidentia immediate uniuntur naturæ; ergo hac mediante assumpta sunt. 2°. Concilia et Patres eodem modo loquuntur de sanguine, quo de carne; ergo, uti hæc, ita ille immediate assumptus est; sed non eodem modo loquuntur de accidentibus. Hæc igitur assumpta quidem sunt a Verbo in hypostasi; sed non secundum hypostasin.

318. *Obj. V.* Si Verbum assumpsit sanguinem secundum hypostasin; ergo Verbum posset dici sanguis. Sed hoc non.

R. 1°. Ergo etiam posset dici caput, pes, etc.

R. 2°. *N. seq.* Quia hæc nomina non sunt nomina suppositi; unde non important aliquid in recto, quod de Deo verificari possit: nec enim significant per modum totius per se subsistentis, vel constituti; sed per modum partis subsistentis in alio tanquam toto, et constituentis. Vid. n. 273.

# SECTIO III.

## DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

Nomen *idioma,* ex nativa sua institutione proprietatem sermonis indicat, quo sensu dicitur idioma latinum, idioma græcum. Paulo largius sumitur a Theologis pro eo, quod est proprium et peculiare naturæ vel ut essentia, vel ut proprietas. Unde per communicationem idiomatum hic intelligitur mutua in Christo prædicatorum utriusque naturæ, sive tam divinorum, quam humanorum, communio ; sic, ut ratione unius in Christo suppositi, sive personæ, prædicata naturæ divinæ propria affirmari possint de homine ; ac similiter prædicata naturæ humanæ propria affirmari de Deo. Ad hunc sensum breviter definitur : *Communicatio idiomatum est mutua divinorum et humanorum prædicatorum, tum de se invicem , tum de supposito et toto, prædicatio.* Ut : Deus est homo ; homo est Deus : Deus est passus , mortuus ; homo est immortalis : Christus est Deus ; Christus est homo : Christus est immortalis ; Christus est mortalis, etc. De hac igitur nunc inquiremus : 1°. An vere detur in Christo ? 2°. In quo sensu detur ? Quæ exponent sequentes Articuli.

### ARTICULUS I.

#### AN DETUR VERA ET REALIS IN CHRISTO IDIOMATUM COMMUNICATIO ?

Jam de Nestorio observavimus in ejus expositione hæresis, hæresiarcham illum veram, realem, ac hypostaticam unionem utriusque naturæ in Christo non agnovisse ; ex quo fluebat sequela necessaria : nec dari veram in Christo communicationem idiomatum, etiam in concreto, et respectu personæ. Hinc ferre non poterat has similesque propositiones : *Deus est bimestris , natus, passus : Beatissima Virgo est Deipara.* Contra quem

319. *Dico.* Datur vera et realis in Christo communicatio idiomatum. Est de fide.

*Prob. I. Auctoritate* S. Scripturæ. Sacræ Litteræ sæpius ea, quæ sunt naturæ divinæ propria, tribuunt humanitati , et vicissim ; ergo debet esse in Christo vera idiomatum communicatio. *Ant.* ostenditur. Sic Joan. 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum , nisi qui descendit de cœlo Filius hominis,* ubi descendisse proprium est Verbi. Tum ibid. *In hoc cognovimus charitatem Dei ; quoniam ille animam suam pro nobis posuit ;* sed mori proprium est hominis. Sic modo Christus *se æqualem Patri* pronunciat, quod habet ratione divinitatis ; modo *se minorem Patre* asserit, ratione humanitatis. Vid. n. 168.

320. *Prob. II. Auctoritate* Conciliorum. Conc. Ephesinum 1°. definiit

B. Virginem esse *Deiparam*, contra Nestorium ; proin Deum genuit; et vera est propositio : Deus est natus ex Maria. 2°. Approbando Cyrilli ad Nestorium epistolam, anathema dicit (Labb. t. 3. p. 409. D.) ei, qui non confitetur Dei Verbum passum in carne, crucifixum, mortem gustasse. In symbolo Nicæno profitemur, nos credere in unum Jesum Christum *ex Patre natum ante secula, Deum de Deo* : et simul incarnatum ex Maria Virgine; primum ob divinitatem; alterum ob humanitatem ; ergo non Christo tantum, sed et Deo Verbo tribuuntur prædicata, licet humanitati sint propria; proin datur communicatio idiomatum.

Eadem est communis PATRUM *doctrina*. S. DAMASCENUS de fide orthod. L. 3. c. 4. relatus a D. TH. 3. p. q. 16. a. 4. *Deus*, inquit, *suscepit ea, quæ sunt carnis idiomata*, h. e. *proprietates; dum Deus passibilis nominatur, et Deus gloriæ crucifixus est*. S. GREGOR. NYSSENUS epist. ad Theophilum (opp. t. 3. p. 265. D.) *Propter exactam unitionem... mutuo transferuntur vocabula, ut humanum ex divino : et divinum ex humano denominetur*. Omissis aliis, qui legi apud BELLARMINUM possunt et PETAVIUM, Theol. Dogm. de Incarn. L. 4. c. 15. nitidissime Vigilius L. 2. cont. Eutychen (Bibl. magn. PP. t. 4. p. 501. E.) : *Unus est Christus, idem Deus idemque homo, habens in verbis et gestis, unum quod humanitatis, aliud quod propriæ divinitatis ejus naturæ conveniat ; licet utrumque simul ad unam ejus personam vel substantiam pertineat. Quod dictum est : in principio erat Verbum... non potest ad humanitatis ejus referri naturam, quæ initium sumpsit ex Virgine. Rursus quod de eo dicitur : puer autem crescebat, et confortabatur... et, cum esset annorum duodecim.., non potest deitatis ejus naturæ congruere*, etc. Quibus primo statuit communicationem idiomatum in concreto, sive respectu personæ ; e contra rejicit illam in abstracto, cum dicat alia esse propria humanitati, alia divinitati ; quod idem nos asseremus Art. seq. Hanc vero communicationem semper refundit in unitatem personæ.

321. *Prob. III*, RATIONE fundamentali. Quia ex unione hypostatica fit, ut natura divina et humana subsistant in eadem persona Verbi, et in Christo sit proinde unum suppositum naturæ divinæ et humanæ; ergo et consequenter ut proprietates tum Dei, tum hominis, et de illo ipso supposito, et de se invicem, prout suppositum idem includunt, sive in concreto, ut dicemus, recte affirmari, ac prædicari queant; quia quando unum suppositum, ut subjectum, habet in se plures naturas aut formas totales; potest una natura, aut forma totalis concrete de altera natura, aut forma totali vere et proprie prædicari ; vere enim de lacte dices : *hoc album est dulce; hoc dulce est album ;* sic etiam, quia in persona Petri est corpus, anima, intellectus, scientia; vere dicis : *Petrus est corporeus : corporeus est animatus : intellectualis est sciens;* igitur et de Christo dicere licet : *est homo : est Deus : immortalis est mortalis*, etc. cujus ultimata est ratio, quod nomina concreta personæ, et naturarum, item proprietatum personæ ac naturarum, habeant in Christo eumdem rectum, et pro eo supponant : illa enim nomina, cum sint nomina suppositi, habent pro recto suppositum ; ergo cum in Christo sit unum idemque suppositum duarum naturarum, illa nomina in Christo eumdem habent rectum, pro quo supponunt, et sic de se mutuo recte prædicantur.

Hoc ipsum est, quod Doctor Angelicus pro ratione reddit 3. p. q. 16. a. 4. in θ. *Cum sit eadem hypostasis utriusque naturæ, eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturæ : sive ergo dicatur homo, sive Deus, supponitur hypostasis divinæ et humanæ naturæ : et ideo de homine possunt dici ea quæ sunt divinæ naturæ, tanquam de hypostasi divinæ naturæ ; et de Deo possunt dici ea quæ sunt humanæ naturæ, tanquam de hypostasi humanæ naturæ.*

Ex quibus *duplex* colligitur hujus communicationis *fundamentum*. Primum, reale et physicum, quod est *ipsa unio duarum naturarum in una eademque persona*. Alterum est, vel saltem dici potest logicum : estque resolutio et significatio concretorum ex unitate personæ, exprimens identitatem inter rectum subjecti et prædicati ; exemplum est in resolutione hujus : *Deus est homo* ; nam sic resolvitur : *Persona, vel subsistentia terminans naturam divinam, est persona vel subsistentia terminans naturam humanam*. Vel : *Deus ratione humanitatis, quam per unionem hypostaticam sibi propriam fecit, est homo :* quem modum subinde Patres usurparunt. Eodem modo resolvuntur propositiones aliæ ; et ita resolvi eas poscit ipsa propositionum veritas, ne secus, si naturam hic posueris in recto, totam incarnatam facias Trinitatem, incidasque in errores Theopaschitarum aliorumque Hæreticorum.

322. *Obj. I.* Ex communicatione idiomatum staret hic discursus : Hic homo est Deus : sed Verbum factum est hic homo ; ergo Verbum factum est Deus : porro hic discursus admitti non potest ; ergo.

R. Si in eo discursu τὸ *factum* velis pertinere ab subjectum, scilicet *Verbum*, falsa est *minor* ; quia Verbum non est factum : si vero velis pertinere ad prædicatum utriusque propositionis, non tenet hic discursus ; sed laborat fallacia accidentis, vel vitio captionis a *secundum quid* ad *simpliciter* ; nam in præmissis *fieri* enuntiatur de Deo secundum quid, nempe in quantum homine ; in conclusione vero prædicatur de Deo simpliciter, ratione naturæ divinæ ; unde vel, stantibus illis præmissis, sic inferri debet : *ergo Verbum factus est ille, qui est Deus* ; vel potius sic formandus discursus : *Factum hic homo est Deus : sed Verbum est factum hic homo ; ergo Verbum est Deus.*

323. *Obj. II.* Ut detur communicatio idiomatum, necessaria est absolute identitas inter subjectum et prædicatum : atqui in hac propositione, *Deus est homo*, non datur identitas inter subjectum et prædicatum ; Deitas enim humanitati non est identificata, sed unita solum.

R. *N. M.* Sed requiritur et sufficit identitas inter rectum subjecti et prædicati ; illa autem hic habetur, quia concreta illa *Deus, homo* in recto important suppositum : quod hic unum idemque est, ut paulo ante dictum.

324. *Obj. III.* Prædicatio illa : *Deus est homo*, non est propria, vel certe non est æque propria, quam hæc altera : *Petrus est homo* ; nam 1°. hæc est necessaria ; cum Petrus necessario sit homo, non Deus. 2°. Homo non prædicatur de Deo essentialiter, sicut de Petro ; interroganti enim, quid sit Deus ? responderi non potest esse hominem ; ergo.

R. *N. Ant. quoad utramque partem.* Ratio prioris est ; quia natura humana est vere et proprie natura divini suppositi : sed natura vere et proprie

in concreto prædicatur de illo supposito, cujus est natura; hinc et Synodus gener. V. sive Constantinop. II. Can. 6. (Labb. t. 5. p. 571.) anathemate ferit eum, qui sanctam gloriosam semper Virginem Mariam non proprie et vere Dei Genitricem ipsam confitetur. Ratio alterius est; quia veritas et proprietas propositionis non ex necessitate æstimatur, sed sufficit excludi omnem improprietatem seu metaphoram; unde spectando præcise proprietatem, æque proprie Petrus dicitur albus, quam homo.

Hinc patet responsio *ad prob.* 1$^{am}$. *Ad* 2$^{am}$. R. *N. Cons.* Prædicatio quidem illa non est essentialis, nisi de toto fiat; quia prædicatum nec est de essentia subjecti, nec cum eo habet connexionem necessariam; sicut nec est mere accidentalis, ut volebat Nestorius; sed est substantialis, quia in unione substantiali fundatur. Unde de Deo, supponente pro Verbo, homo prædicatur in quid, non quidem essentialiter, sed substantive; et interroganti post Incarnationem, quid sit Verbum? æque vere ac proprie respondetur, esse hominem, quam esse Deum; licet, respondendo esse Deum, Deus prædicetur de eo in quid essentialiter; e contra respondendo esse hominem, homo de Verbo prædicetur in quid substantive.

325. *Obj. IV.* Tres personæ divinæ magis conveniunt in natura divina, quam natura divina et humana in persona Christi: et tamen inde non nascitur communicatio idiomatum inter personas; ergo neque inter naturas in Christo.

R. *D. Ant.* Magis conveniunt in natura, eaque etiam importatur in recto, sicut suppositum, dum prædicantur termini concreti vel naturæ, vel personarum *N.* non importatur in recto concretorum prædicabilium *C.* At hoc communicationis idiomatum fundamentum est.

## ARTICULUS II.

### QUO SENSU DETUR IN CHRISTO IDIOMATUM COMMUNICATIO?

326. *Nota.* Nomen aliud abstractum, aliud concretum est. *Abstractum* illud est, quod tantum formam, vel quasi formam significat: ut divinitas, humanitas, doctrina, albedo. *Concretum*, quod tum formam, aut quasi formam, tum etiam id, quod formam, aut quasi formam habet, sive subjectum, exprimit: ut Deus, homo, albus, doctus. Si forma est substantia, concreta *substantialia* dicuntur: ut Deus, homo; si est accidens, *accidentalia*: ut sunt duo posteriora, albus, doctus, ac similia. Porro concreta substantialia alia sunt naturæ, alia personæ; e quibus priora expressius naturam, posteriora personalitatem significant; ambo vero plerumque substantive enuntiantur: velut Deus, homo; subin etiam adjective: ut divinus, humanus. His, de quibus uberius alias Dialectici, obiter prænotatis,

327. *Dico I.* Abstracta unius naturæ non prædicantur de abstractis naturæ alterius; sed neque abstracta de concretis, aut concreta de abstractis prædicari possunt.

*Ratio* 1ae. *partis* est, quod prædicatum et subjectum non supponant pro eodem in recto : sicut enim concretum importat in recto suppositum, et significat per modum habentis et constituti ; ita abstractum significat per modum formæ habitæ et constituentis, quæ distinguitur ab altera forma ; ergo nulla ratione sunt idem ; ergo nec de se prædicari possunt. Hinc tota ratio a priori Conclusionis est ; quia, quæ sunt unius naturæ propria, nequeunt prædicari de alio, quando in nullo communi, vel subjecto, vel supposito conveniunt ; ergo.

*Ratio* 2ae. *partis* eadem est : quia, ex eadem ratione, extrema non supponunt pro eodem.

Quare falsæ sunt propositiones istæ : *Deitas est humanitas : deitas patitur, est mortua : humanitas est Christus, Verbum : deitas est homo, est mortalis.* Ac dum SS. Patres subinde dicunt, divinitatem posse dici natam, passam, mortuam : deitatem esse incarnatam; non loquuntur in sensu proprio et formali, sed solum in identico vel reali : intelligentes solummodo, suppositum, quod realiter identificatur divinitati, esse natum, passum, etc. secundum humanitatem.

328. *Dico II.* Communicatio idiomatum solum datur in concreto; ut proin concreta unius naturæ de concretis naturæ alterius vere prædicari possint ; sive sint substantiva, ut : *homo est deus*; sive adjectiva, ut : *mortalis est immortalis*; et similiter de toto, ut : *Christus est immortalis : est mortalis.*

*Ratio* est, quia extrema hic supponunt pro eodem in recto, scilicet supposito ; secus, ac abstracta. Vid n. 321. eadem enim ratio ibi data, pro hac Concl. pugnat.

329. *Dico III.* Communicatio tamen idiomatum non datur in quibuslibet concretis; hinc Conclusionem præcedentem sub sequentibus cautelis intellectam volumus.

Cautela I. *Concreta negativa negative sumpta, sive quæ removent aliquam proprietatem naturæ unius, non possunt absolute de Christo enuntiari ; nec de concretis naturæ alterius.*

*Ratio* est, quia particula negativa simpliciter sumpta, cum sit malignantis naturæ, habet vim negandi absolute : negatque totum, ac removet a subjecto vel supposito simpliciter proprietatem, quæ tamen illi convenit ratione alterius naturæ; secus, quam in affirmativis propositionibus se res habeat; ut enim affirmativa sit vera, necesse non est, ut toti subjecto ex omni parte conveniat; sed satis est, si ex una duntaxat parte.

Hinc falsæ sunt istæ propositiones : *Christus non est mortalis : non est æternus,* nisi cum addito : non est mortalis *ut Deus* : non est æternus *ut homo.* Item e contra veræ sunt affirmativæ illis oppositæ. Sic et falsæ sunt illæ : *Christus est inæqualis Patri : est incorporeus,* nisi addatur *ut homo,* vel *ut Deus ;* quia secus, sumendo concreta illa, *inæqualis, incorporeus,* ut communi usu sumi solent, *negative,* simpliciter; omni ex parte negabitur de Christo, quod sit æqualis Patri, corporeus : quod falsum est. Stabunt tamen veræ propositiones, si hujusmodi concreta sint solum negativa grammaticaliter, vel reipsa sumantur positive : ut si *incorporeus* sumatur pro forma in-

corporeitatis. Unde et veræ sunt : *Christus est immortalis : mortalis est immortalis : passibilis est impassibilis*; licet enim efferantur termino negativo; non tamen hic negative sumitur, sed positive; saltem communi usu.

330. Cautela II. *Concreta, vel attributa soli naturæ, vel soli supposito secundum se convenientia, nequeunt de se mutuo, vel de toto prædicari.* Talia prædicata sunt *assumi*, *assumere*; prius soli naturæ secundum se convenit; alterum soli supposito, cujus secundum se est proprium, *assumere*; sicut naturæ, *assumi*. Unde falsæ sunt : *Verbum est assumptum : homo assumpsit.*

*Ratio* est, quia etiam in his extrema non supponunt in recto pro eodem; hujusmodi enim prædicata naturæ conveniunt, ut ea excludit suppositum; et supposito, ut hoc excludit naturam et totum; ergo illi sub alia suppositione, vel appellatione conveniunt; proinde inter prædicatum et subjectum, nequidem secundum rectum, datur identitas.

331. Cautela III. *Concreta substantiva, velut Deus, homo, nequeunt per prædicationem aliam dici denominative de altera natura, nec de toto*; ac proinde absolute rejiciendæ sunt propositiones : *Deus est humanus : Christus est homo Dominicus, Deifer : Deus est humanatus,* sumendo nominaliter; nam vera erit, si τὸ *humanatus* sumatur per modum participii ab *humanare,* quod idem sonat ac incarnari, eritque idem, ac dicere : *est incarnatus.*

*Ratio* est, quia denominationes ejusmodi accidentalem naturæ unius ad alteram habitudinem important; denominativum enim significat formam subjecto accidentem; ergo Nestorianam suppositorum diversitatem sonant. Unde et S. Aug. L. 1. Retract. c. 19. n. 8. *Non video*, ait, *utrum recte dicatur homo Dominicus.... Christus Jesus, cum sit utique Dominus... Ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem; postea quippe vidi non esse dicendum.* Admittit tamen S. Th. 3. p. q. 16. a. 3. ad 3. τὸ *divinus, Jesus divinus,* quia τὸ *divinus* non excludit esse substantiale Dei; passim enim communi Ecclesiæ phrasi dicitur : *natura divina, persona divina,* etc.

332. Cautela IV. *Concreta non debent sumi reduplicative, si affirmentur de altera natura, non de propria.*

*Ratio* est, quia particula reduplicativa ipsam naturam afficit, et facit esse rationem adæquatam et formalem, cur prædicatum conveniat subjecto; quod falsum est in hac materia. Sic falsum diceres : *Deus, qua Deus, est homo*; reduplicatio enim afficiens Deum, significat deitatem esse rationem formalem cur Deus sit homo; quod falsum est.

333. Cautela V. *Neque prædicari possunt de toto, vel Deo, concreta quæ important suppositum humanum, excluduntque divinum*; ut sunt : *Filius adoptivus, creatura pura,* etc.

*Ratio* est, quia hi termini pro supposito divino supponere debent; at hi termini, filius adoptivus, creatura pura, etc. et deitatem et suppositum divinum excludunt; quia deitas et Verbum excludunt rationem creaturæ puræ, etc. Eodem modo se res habet cum prædicatis divinis, quæ excludunt naturam humanam; sic falsa est æque propositio : *Christus est purus Deus*; quam ista : *Christus est purus homo*; quia sicut particula exclusiva *purus*,

vel *pure*, in priore excludit naturam humanam in Christo; ita in altera naturam divinam.

Præter hæc generaliter cavendum in præsenti materia 1°. ne sine limitatione proferantur propositiones, quæ favent hæreticis; licet alias secundum rigorem dialecticæ dici possent in sensu catholico; sic Arianis favet ista: *Christus est creatura*; unde nunc limitari eam oportet addendo: *ratione humanitatis*. Hinc etiam jam sine determinatione non admittitur ista: *Christus est incorporeus, impassibilis*; ad destruendum errorem Manichæorum, etc. in Christo verum corpus negantium; etsi aliunde similes propositiones usurpari possent, et usurpatæ sint a S. Greg. Naz. et S. Leone. Aut si sine adhibita limitatione, natæ sint ad sensum falsum pariendum; hinc rejici debet ista simpliciter prolata: *Christus, Filius Dei, incepit esse*; præterquam enim quod pariter Arianismum sapiat; *incipere* ita nude positum ex communi usu significat, simpliciter accipere esse proprium; Christus vero non sic accepit esse; licet et sensum habere possit sanum, ut si ita sumas: *Hoc suppositum cœpit esse suppositum humanitatis*.

2°. Ne proferantur cum adverbiis, quæ propositionem ambiguam, aut falsam reddere possunt; ut *Verbum ab æterno est homo*; adverbia enim talia ex suo significandi modo videntur formam afficere. Item ne cum verbo *fieri*, aut *factum esse*, si quid inde inconveniens sequatur: hinc rejici debet ista: *homo factus est Deus*; quia τὸ *fieri*, vel *factum esse* significat subjectum propositionis prius natura saltem fuisse subsistens, quam advenerit illud, quod per prædicatum tribuitur subjecto; sed homo pro priori non habuit subsistentiam propriam; inde ex opposita ratione vera est: *Deus factus est homo*.

Ac *demum observandum* monent Auctores, has variasque alias exceptiones, non oportere expendi unice ad rigorem legum dialecticæ; sed magnam partem pendere a doctrina Patrum, tum ab usu Ecclesiæ, ut monuimus jam in simili n. 273.

334. *Obj.* 1°. Licet corpus et anima conjungantur inter se, constituantque unum; non tamen inde nascitur communicatio idiomatum in concreto, nec proprietates corporis de anima, nec hujus de corpore, nec de toto prædicari possunt; ergo neque hic. 2°. De eodem Christo nequeunt recte prædicari contradictoria, etiam secundum diversam naturam; ergo nec contraria. 3°. Concreta substantiva non semper suppositum in recto important, ut patet in concreto substantivo *Deus*; ergo ruit fundamentum hujus communicationis.

*Ad* 1$^{um}$. R. *N. Cons. Disparitas* est; quia corpus et anima sunt suæ substantiæ partiales et incompletæ, quæ simul conjunctæ unam hominis naturam totalem efficiunt, et personam ipsam tanquam partes primo constituunt simpliciter; neutra ergo illarum partium seorsim est ipsum suppositum; ergo, cum proprietates illarum partium de se mutuo, vel de toto prædicantur, non est idem rectus prædicati et subjecti; inde est, quod non dicamus: *Petrus est anima*: *Petrus est corpus*; nec: *anima est mortalis*: *corpus est immortale*. Secus est in Christo; licet enim dicatur ejus persona a duabus naturis composita, quia in his subsistit; non tamen est aliquid

*constitutum* ex Verbo, corpore, et anima, sicut in homine constituitur persona ex corpore et anima; sed tantum natura humana per unionem hypostaticam trahitur ad personalitatem Verbi, ut sit personalitas naturæ humanæ, sicut jam erat et manet naturæ suæ divinæ; ergo hic habetur idem rectus prædicati et subjecti, qui requiritur ad communicationem idiomatum; imo hujus est fundamentum proximum.

*Ad* 2um. R. 1°. Si sint secundum diversas naturas, hoc ipso non sunt contradictoria.

R. 2°. *T. A. N. Cons. Disparitas* est; quod, ut diximus Caut. 1a. negatio simpliciter posita, quia est malignantis naturæ, removet omni ex parte a subjecto formam, vel prædicatum, quod tamen ex aliqua parte ei debetur.

*Ad* 3um.R. *D. Ant.* Concreta substantiva *substantive* sumpta, prout aliquando sumi possunt *C.* concreta substantiva *adjective* sumpta, et quando ita sumi debent *N.* Juxta Summulistas omne concretum dupliciter sumi potest: substantive, et adjective. *Substantive* sumitur, quando forma per concretum significata importatur in recto; *adjective* sumitur, quando forma per concretum significata importatur in obliquo: *sic homo* acceptus substantive, ita resolvitur: *natura humana habens subsistentiam*; adjective acceptus: *suppositum habens naturam humanam.* Ex quo tamen non sequitur, omnia concreta sic instituta esse, ut arbitrarie modo unum significatum importent in recto, modo utrumque. Ut vero sciatur, an in propositione concretum sumatur adjective, an substantive, attendi debet, *in qua acceptione verificetur propositio*: maxime in divinis et in composito Theandrico. Sic *Deus* et *homo* in his propositionibus: *Deus est homo*; *homo est Deus*, debent sumi adjective, ut sensus sit: *Suppositum, vel persona habens naturam divinam est suppositum habens naturam humanam*: et ratio est, quia ita sumi exigit propositionis veritas; si enim substantive sumas, facerent hunc sensum: *Natura divina subsistens est natura humana subsistens*, vel vicissim; quæ propositio est hæretica. E contra dum dico, *Deus est unus*, in hac propositione, *Deus*, sumi debet substantive, ut sensus sit: *natura divina subsistens in personis tribus est una*; quia hic ita sumi exigit propositionis veritas.

## ARTICULUS III.

### AN DETUR COMMUNICATIO IDIOMATUM IN ABSTRACTO AD MENTEM UBIQUISTARUM?

335. *Nota. Ubiquistarum* nomine ii de schola Lutheri veniunt, qui in errorem Nestoriano extreme oppositum prolapsi, communicationem idiomatum etiam in abstracto et respectu naturæ docuerunt; velut Faber Stapulensis, qui erroris pater creditur: tum Lutherus, Brentius, Kemnitius, Schmidelinus, Mathias Illyricus, aliique; volentes, unionem hypostaticam vel consistere formaliter in attributorum divinorum in humanitatem transfusione; vel hanc (ut inter se dissentiebant, nec satis sibi constabant) esse de essentia unionis; vel certe ex hac necessario profluere, ut vere dici possit: *Humanitas Christi est omnipotens, omniscia, ubique præsens*, etc. a quo postremo Ubiquistarum nomen iis adhæsit; quod tamen, sed frustra imme-

rito, Ubiquistæ Wittenbergenses in colloquio cum Palatinis Sacramentariis, tanquam contumeliosum, a se amoliri conati sunt.

Ex Libro Concordiæ, quem Ubiquistæ anno 1580. protulerunt, hoc dogmatis illorum systema fuit. Dicebant, hoc ipso naturam humanam fuisse hypostatice unitam Verbo, quod omnis plenitudo divinitatis Verbi ita sit illi communicata, ut Christus etiam secundum humanitatem vere et proprie sit ac dicatur : 1°. *Persona divina Verbi*; 2°. *Deus*; 3°. *Omnipotens, æternus, infinitus, immensus, ubique præsens, immortalis,* etc. Hinc cum de Christo dicimus : *Hic homo est persona divina, Deus, omnipotens, immensus,* etc., negant sensum esse hunc, in quo Catholici illas propositiones usurpant : hæc persona, *quæ subsistit in natura humana, est persona divina, Deus, omnipotens, immensa,* etc. Sed contra contendunt, quod Christus etiam secundum humanitatem sit illa omnia ; ut dici possit ac debeat : *hæc humanitas est persona divina, Deus, omnipotens, immensa,* etc.

Porro communicationem illam realiter fieri quidem asserebant, sed modo singulari et arcano; qui, qualis sit, nec determinare sciunt, neque audent; dubio procul, ut eo loquendi modo contra prævisos Catholicorum impetus se utcumque munirent. Inde suis inculcabant, ut Schmidelin. in Repetitionib. Wittenbergicis, modum illum, cum arcanus sit, non esse indagandum, nec rejici debere propter ulla argumenta.

Hinc etiam, teste Gregorio de Valentia e Societate nostra, qui eosdem impugnavit, videbantur sibi satis explicare, quomodo hujuscemodi realis communicatio non tollat distinctionem duarum naturarum, et proprietatum utriusque. *Physice* enim et *per se* concedunt, humanitatem assumptam manere infirmam, certo loco circumscriptam, et denique retinere omnia sua, quibus a natura divina tum essentiæ ratione, tum proprietatibus suis multum differat ; tametsi divina quoque ipsi competant arcano modo, et in illam transfusa sint. Discrimen enim esse observandum, cum divina tribuuntur divinitati et humanitati; nam divinitas est attributa illa *existendo* utique ipsa ; humanitas autem non existendo, sed *habendo* illa eadem ; sic tamen ut arcano modo, vere nihilominus, Christus, etiam secundum humanitatem, vere sit, et affirmari debeat esse illa divina omnia : Persona, Deus, omnipotens, immensus, ubique præsens.

336. *Dico.* Non dátur communicatio idiomatum in abstracto ad mentem Ubiquistarum ; sive ita, ut attributa divina intelligantur realiter esse in humanitate secundum se et formaliter.

*Prob. I. generaliter.* 1°. Tolerari non potest dogma illud, quod adstruit modum unionis duarum naturarum in Christo, qui conciliari nequit cum confessione fidei edita in Concilio Chalcedonensi contra Eutychianos, qua jubemur credere Christum Dominum in duabus naturis inconfusibiliter, inconvertibiliter, indivisibiliter, *nulla naturarum differentia sublata propter unionem, sed salva magis utriusque naturæ proprietate*: atqui cum hac conciliari nequit propositum dogma. *Major* extra controversiam est; cum illa confessio in celeberrimo Concilio, ac uno ex quatuor Ecclesiæ præcipuis edita, etiam ab adversariis tanquam verbo Dei summe consentanea recipiatur ; adeo ut Schmidelinus ipse in Repetit. Wittenberg. recitata illa Concilii sententia, anathema palam dicat iis, qui contra sentiunt. Igitur

*Min. prob.* Nam Concilium definiendo per unionem non fuisse sublatam differentiam naturarum, sed utriusque proprietatem magis salvam permansisse; hoc utique definit : Incarnationis mysterio minime factum esse, ut arcano aliquo modo, quæ divina sunt, affirmari possint de Christo homine secundum humanitatem (hoc enim est, utramque naturam mansisse inconfusam); de humana natura solum affirmari posse, quæ sunt humana; de divina, quæ divina sunt : neque per unionem arcano modo Christi humanitatem esse illa omnia, quæ divina sunt.

337. 2°. Ex Ubiquistarum dogmate necessaria, et firma consequentia, consequuntur absurda prorsus, et hæretica; ergo sustineri non potest. *Prob. Ant.* Sequeretur enim aperte, Christum secundum humanitatem nec passum, aut mortuum esse, nec pati, aut mori potuisse. *Prob.* Quia, licet concedant Ubiquistæ, assumptam humanitatem mansisse infirmam physice et naturaliter, adeoque mortalem et passibilem, absolute tamen omni modo contendunt, humanitatem eamdem, unionis beneficio et gratia, arcano et singulari modo, fuisse immortalem et impassibilem; ac quidem, quod eos confiteri oportet, multo excellentius, quam post resurrectionem, Dei beneficio, futuri sint Beati immortales et impassibiles; licet cætera physice et ex natura sua impassibiles et immortales non sint : ponunt enim Christum secundum humanitatem impassibilem et immortalem esse eadem ipsa impassibilitate et immortalitate divina; quod longe majus est, quam esse immortalem et impassibilem, gratuito dono, ab immortalitate divina distincto; quomodo immortales et impassibiles erunt Beati, qualecumque tandem futurum sit donum illud.

Unde tale conficitur argumentum. Licet Beati post resurrectionem, physice et ex natura sua considerati, passibiles et mortales sint; gratuito tamen dono illo fit, ut reipsa immortales et impassibiles sint, et nec pati quidquam in natura sua, neque secundum illam mori possint; ergo minus Christus, etsi juxta naturam humanam physice et naturaliter consideratam, pati morique potuerit; vel pati quidquam in natura sua humana, vel secundum illam mori potuit; cum dono esset longe majori, nempe ipsa immortalitate et impassibilitate divina, immortalis et impassibilis.

338. 3°. Si vere sint hæ propositiones : *humanitas Christi est omniscia, omnipotens, immensa, ubique præsens in se ipsa, etc.*; ergo vel ratione unitatis naturæ humanæ cum attributis divinis per unionem effectæ; vel ipsa omnipotentia divina, omniscientia, omnipræsentia, etc., intrinsece deberet informare naturam humanam; secus enim nullum habebitur fundamentum, attributa divina affirmandi de humanitate, ac omnes propositiones affirmativæ falsæ erunt : et nisi hæc ab illis saltem informetur intrinsece, adversarii incident in denominationem tantum extrinsecam Nestorianam. Atqui neutrum, sine labe Eutychianismi, dici potest : non prius; quia quocumque arcano modo facta fuerit illa unitas, erit tamen vera unitas; quod aperte Eutychianum est, sive deinde facta fuerit per conversionem, sive commixtionem, aut simili modo occulto, eumdem tamen effectum habente : sed et alterum compositionem naturæ cum natura Eutychianam infert.

339. *Prob. II. in specie* quoad ubiquitatem, quæ totius erronei systematis radix et scopus fuit : quippe cui confingendo ansam dederat controversia Lutheranos inter et Calvinistas orta, et magna contentione agitata, circa realem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam. Cætera enim inter argumenta ad probandam realem istam præsentiam Lutherani loco non postremo reponebant ubiquitatem corporis Christi. Igitur

1°. Systema ubiquitatis repugnat manifeste *S. Scripturæ. Prob.* S. Scriptura plurimis in locis clare perhibet, Christum sive in statu vitæ suæ mortalis, sive exaltationis et gloriæ, secundum humanitatem, alicubi non fuisse. Sic Joan. 11. 15. Christus ipse ait : *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos ut credatis, quoniam non eram ibi.* Matth. 28. 6. inquit Angelus : *Non est hic; surrexit enim.* Joan. 16. 28. *Relinquo mundum,* dicebat Christus. Luc. 24. 51. *Recessit ab eis, et ferebatur in cœlum.* Taceo id genus plura, quæ sparsim in N. T. de hoc occurrunt. Atqui hæc de divinitate Christi intelligi nequeunt, utpote necessario ubique præsente; ergo de Christo secundum humanitatem ejus debent accipi.

2°. Repugnat multis *fidei articulis,* clare expressis in Scripturis et symbolo Apostolorum. Juxta illud enim credimus, Christum secundum humanitatem vere ex Matris utero prodiisse natum; vere fuisse mortuum, et sepultum; descendisse ad inferos; resurrexisse a mortuis; ascendisse in cœlum; inde rursus venturum ad judicium. Sed cum his systema ubiquitatis conciliari nequit. 1. Enim si Christus secundum humanitatem est ubique; ergo, ut primum conceptus, jam extra uterum virgineæ Matris erat; et post nativitatem æque adhuc intra, quam extra fuit. 2. Juxta Ubiquistarum placitum, corpus et anima Christi nunquam separata fuerunt : sed neque separari possunt, cum ambo existant ubique; ergo Christus nunquam vere mortuus fuit, sepultus; non descendit ad inferos, sic, ut corpus remaneret in sepulcro. Porro sic nec vere e sepulcro resurrexit, non vere ascendit in cœlum, etc. Sed hæc ineptissima sunt, et omnia illa Christi mysteria nonnisi apparentiæ fuissent, et ludificationes hominum; quod dicere extremæ impietatis est. Contra probationes hactenus allatas Ubiquistæ apud Gregor. de Valentia

340. *Respondent I.* Christum equidem secundum humanitatem a primo incarnationis instanti omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia vel immensitate, impassibilitate, immortalitate, etc., fuisse præditum; sed ante resurrectionem noluisse illis uti; quin ea repressisse, et velut texisse forma servi; adeoque mori et pati potuisse. At infirmum et miserum est hoc perfugium. Nam

*Contra est* 1°. Quod ex attributis quædam ejusmodi sint, ut propria eorum ratio quasi in usu et actu secundo posita sit : ut omnipræsentia, omniscientia, etc.; omnipræsentem enim esse, est ubique locorum *actu adesse*; similiter Deum esse omniscium, est ipsum *actu cognoscere* et *scire* singula. Quia igitur ejusmodi attributa in usu consistunt; inde necessario fit, ut, a quo momento illa Christus habuit, ab eodem momento ista usurpaverit; aut si non usurpaverit aliquando, certe tunc non habuerit.

2°. Præterea quædam alia sunt Dei attributa, in quibus etsi, nostro concipiendi modo, liceat utcumque distinguere usum ab eorumdem ratione;

tamen cum hac eorum usus adeo est necessario conjunctus, ut, si quis usum separet, tollat utrumque. Et ex his præcipue sunt duo hæc, *impassibilitas* et *immortalitas*. Recte enim dicimus de ratione immortalitatis esse, *non posse mori*; et impassibilitatis, *non posse pati*. Sed si hujusmodi usum ab his attributis separes, ponasque rem aliquam passam et mortuam esse; sequetur necessario, eamdem non fuisse immortalem et impassibilem; quia si passa et mortua est, pati et mori potuit; ergo impassibilis et immortalis non fuit. Alioquin si simul illam impassibilem et immortalem fuisse concedas, simul has contradictorias concedes : *Res in natura sua pati et mori tandem potuit*; et : *Res in natura sua neque pati omnino neque mori potuit*; hoc enim est, gratuito Dei beneficio, impassibilem et immortalem esse.

341. *Respondent II.* Licet Christus secundum humanitatem non fuerit ubique *localiter*, fuisse tamen ubique modo *divino* et *arcano*. Item ante nativitatem localiter fuit in matris utero, non extra hunc; post nativitatem vero localiter extra uterum fuit, non intra; igitur vere natus est. Eadem est ratio de cæteris. Hinc etsi Christus non possit mutare locum, quatenus est ubique modo divino et arcano, i. e. invisibili; posse tamen, quatenus nunc localiter, h. e. juxta adversarios visibiliter, est in hoc loco, nunc in isto.

Verum nihil prorsus ea juvant Ubiquistas. Nam 1°. non est hic quæstio de accidentibus humanitatis, qualia sunt : esse visibile, invisibile; locale, illocale; sed de ipsa humanitatis Christi substantia; an hæc reipsa sit ubique? Si enim reipsa ubique est, non potest moveri de loco in locum; adeoque non vere, quoad rem prodire ex utero, etc. Sicque omnia illa, quæ de motu locali Christi secundum humanitatem ex Scriptura retulimus, manebunt meræ apparentiæ et ludificationes.

2°. Ipse Deus non est localiter et circumscriptive in mundo; at propterea nemo audebit dicere : *Deus non est in mundo*; quia in hoc localiter non est; igitur, si corpus Christi post resurrectionem vere adhuc fuisset in sepulcro, etsi illocaliter; nec angelus potuisset simpliciter dicere : *non est hic*; nec Christus, si, moriente Lazaro, vere fuisset in Bethania, licet illocaliter, potuisset dicere, *non eram ibi*.

342. *Obj. I.* Ex *sacris Scripturis*. Juxta S. Script. attributa divina communicata sunt humanitati Christi; ergo de humanitate Christi etiam affirmari possunt. *Prob. Ant.* Nam 1°. ad Coloss. 2. 9. ait Apostolus de Christo : *In quo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter*. 2°. Matth. 11. 27. testatur Christus ipse : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. 3°. Joan. 3. *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus*. 4°. Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas*; ergo omnipotentia. 5°. *Potestas ejus potestas æterna*. Dan. 7; ergo.

R. *D. Ant.* Sunt communicata in sensu Ubiquistarum, sive in abstracto, ita ut intelligatur esse realiter in humanitate secundum se et formaliter *N.* in sensu Catholicorum, hoc est, ita ut de humanitate dici possint in concreto *C.* Et *D. Cons.* Ergo et de hac affirmari possunt in abstracto *N.* in concreto *C.* Sensum utrumque exposuimus n. 335. Unde

*Ad* 1$^{um}$. R. Litteralis et genuinus sensus est : plenitudo divinitatis *corporaliter*, i. e. vere realiter (non ficte, aut per meram assistentiam : non apparenter) inhabitat, sed per unionem substantialem cum natura humana,

in persona Verbi. At non inde sequitur : ergo natura humana in abstracto et formaliter est illa omnia prædicata divina.

*Ad* 2um. R. 1°. Sensus est, omnia sibi tradita esse per *generationem æternam* et *divinam* : sic omnipotentiam, immensitatem, etc., proinde se, qua Deum, in nulla re esse Patre inferiorem.

R. 2°. Applicando etiam textum Christo secundum humanitatem. Omnia illi tradita sunt, quatenus Christus, etiam ut homo, accepit potestatem maximam in omnia, sive creaturas omnes; sed creatam, sive naturæ creatæ convenientem et subordinatam Deo. Et ita Apostolus 1. Cor. 15. 28. dicit : *Cum autem subjecta illi fuerint omnia; tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia : ut sit Deus omnia in omnibus.* Ubi dicit Apostolus, Filium Deo subjectum, nempe secundum humanitatem; quare et potestas in omnia, quam habet Christus secundum humanitatem, subjecta est Deo.

*Ad* 3um. *et* 4um. R. Vel ibi Christus iterum loquitur de se, qua Deus est; et est eadem responsio, quæ ante primo loco data : vel loquitur de se, qua homo est; et rursum est sensus, datam esse humanitati potestatem quidem excellentissimam, creatam tamen, subordinatam Deo, et finitam pro subjecti conditione.

*Ad* 5um. R. Si contendas, Danielem loqui de potestate Christi secundum humanitatem; plus ille non intendit, quam excellentissimam illam potestatem, creatam tamen et finitam, quæ data est Christo qua homini, nunquam esse ab eo tollendam. Neque enim ex eo textu, quia inquit, *potestas æterna*, exsculpere valent, ipsam potestatem divinam esse in ipsa Christi humanitate realiter intrinsece, ita ut de hac in abstracto et formaliter prædicari debeat; alioquin enim et ipsam simul æternitatem sic communicatam dici oportebit, ut pariter dici debeat : *Humanitas Christi est æterna;* quod implicat; ita enim Christi humanitas ante se ipsam extitisset: æternum enim est, quod nunquam non est, quodque ideo antecedit omne temporale; est autem humanitas Christi res quædam initium habens in tempore in Mariæ Virginis utero.

343. *Obj. II.* Ex *auctoritate SS. Patrum.* Hi constanter tribuunt ipsi humanitati Christi secundum se ea, quæ divina sunt; ergo. *Prob. Ant.* Sic 1°. S. Gregorius Nyss. Tract. de Anima (opp. t. 2. p. 111. D.) dicit : *Verbum tradens corpori et animæ suæ divinitatis virtutem.* S. Aug. contra Felicianum c. 11. *Majestate Deitatis glorificatam carnem.* Alii humanitatem Christi, ut S. Cyrill. Alexandr., *Deificatam* enuntiant. 2°. S. Athanas. Serm. in Annunt. Deiparæ n. 11. *assumpto homini*, ait, *fuisse tributam omnem efficaciam, virtutemque, ut posset sustinere omnem adversariæ potestatis impetum, et operari curationem in populo.* S. Cyrill. Dial. 8. de Incarnat. Unigenit. (opp. t. 5. part. 1a. p. 707. A.) inquit : *Videre est ipsum* (Verbum) *carni suæ divinæ operationis gloriam tribuisse.* Sic et Damascen. inquit, voluntatem humanam Christi per unionem cum divina Verbi *factam esse omnipotentem.*

3°. S. Basilius : *Natura*, ait, *assumpta divinitati assumenti eam unita est, ejusdemque gloriæ et honoris particeps et consors facta.* Ac Theodoretus : *Ut homo accepit gloriam, quam habuit ut Deus.*

R. *N. Ant. Ad prob.* R. generaliter ad hæc aliaque Patrum testimonia,

triplici de causa solere subinde Patres Christi humanitati tribuere, quæ divina sunt. 1°. Quatenus humanitas in divina Verbi persona subsistit, atque adeo unitam sibi habet hypostatice omnem Verbi perfectionem. 2°. Quatenus ipse Filius Dei per humanitatem, tanquam per singulare instrumentum, utpote sibi substantialiter unitum, exercet suam omnipotentiam. 3°. Quatenus est particeps divini honoris, ratione hypostasis, in qua subsistit. Nec ulla est ex his aliisque Patrum sententiis, quas frustra congerunt Ubiquistæ, quæ non aliquo ex tribus hisce modis debeat intelligi.

*Primo modo* accipi possunt S. Gregor. Nyssen., S. Aug., similesque locutiones. *Secundo* autem S. Athanasius, et S. Cyrillus. *Tertio* demum cæteri. Et vero ita se Patres ipsi explicant; et clare dogma catholicum tradunt alias. Sufficiat referre sequentes : *Propter istam unitatem personæ*, ait S. Aug. L. cont. Sermonem Arianor. c. 8., *in utraque natura intelligendam, et Filius hominis dicitur descendisse de cœlis; quamvis sit ex ea quæ in terra fuerat Virgine assumptus.* S. Athanas. de Trinit. Dial. 5. n. 27. *Deus unitus homini edit miracula et operatur, non seorsim aut separatim a natura assumpta; sed per eam placuit illi suam potentiam exercere.* S. Damascen. de Fide L. 3. c. 15. (opp. t. 1. p. 235. A. edit. Venet. 1748.) : *Una est ipsius* (Christi) *persona, vel hypostasis; duas tamen naturas obtinet, Divinitatis et humanitatis. Cum ex Divinitate gloria procedat, utrique communis est, propter hypostasis identitatem.* S. Cyrilli mentem supra require, ubi de ejusdem orthodoxia egimus.

344. *Obj. III. in specie de Ubiquitate.* S. Scriptura Christum secundum humanitatem ubique præsentem docet; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1°. Christum ait sedere ad *dextram Dei*, Ps. 109., ad Ephes. 1. 20., Marc. 16. 19. Atqui dextra Dei est ubique; ergo. 2°. Ad Ephes. 4. 10. *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia* : atqui omnia implere, est ubique esse. 3°. Christi in cœlum ascensus fuit tantum metaphoricus; nam Joan. 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo*; ergo sicut metaphorice tantum descendit, sic quoque ascendit.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. 1°. Etiam Sap. 3. animæ justorum dicuntur esse *in manu Dei*; ergo, si argumentum quid valeret, etiam animæ justorum ubique essent.

R. 2°. Recte exponi id potest de Christo secundum divinitatem, quatenus secundum hanc habet eamdem gloriam essentialem, beatitudinem, potestatem, quam Pater : et dicitur sedere ad dextram, ut significetur distinctio personalis, et Pater ut principium originis, cui accedit æqualis per omnia Filius. Ita non pauci Patres, et Christus ipse, Matth. 22. 44., illud Ps. 109. ad probandam suam divinitatem adduxit. Si vero contendas, saltem in quibusdam textibus ita dici de Christo secundum humanitatem

R. 3°. cum S. Aug. de Fide Symb. c. 7. Christum, qua hominem, sedere ad dextram Patris, quatenus Christi humanitas excellentissimo modo participatam accepit gloriam, et potestatem maximam supra creaturas.

*Ad prob.* 2am. R. *D.* Ut impleret omnia, id est, Prophetarum de se vaticinia; vel etiam impleret mundum effectibus potentiæ suæ, gloriæ, et maje-

statis *C.* immensitate humanitatis suæ *N.* Priorem tantum impletionis modum confitentur Patres.

*Ad prob.* 3am. *N. Ass. Ad prob. N. Cons.* Descensus Christi secundum divinitatem, sive potius Verbi fuit, sua natura immensi; quod proinde proprie de loco in locum moveri non potuit: sed ascensus carnis corporeæ fuit, ex se certis limitibus circumscriptæ; proinde vero motu locali in cœlum transferri debuit. Et vero ascendit, sicut descendet ad judicium, Act. 1. 2. *sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*: sed non descendet metaphorice; ergo nec ita ascendit.

345. *Obj. IV.* Concilium Chalcedonense Act. V. definit, Christum Dominum confitendum esse in duabus naturis inconfuse, *inseparabiliter, indivisibiliter*; et juxta S. Damascen. L. 3. de Fide c. 3. *indistanter* (ἀδιαστατως); ergo humanitas est, ubicumque est Verbum.

R. 1°. *Explico Ant.* Christum esse in duabus naturis inseparabiliter, indivisibiliter, ratione unionis duarum naturarum substantialis in eadem persona Verbi *C.* In sensu Ubiquistarum *N.* Ita definivit Concilium contra Eutychianos, ex duabus naturis factam unam asserentes, quia secus, si naturæ post unionem mansissent integræ, inter se distinctæ, dividi possent et separari: ut sequebatur ex dogmate Nestorii, moralem unionem admittentis, ex qua sequebatur separatio non tantum naturarum, sed et personarum, cui idcirco Eutyches suam opposuerat hæresin. At contra definit Synodus, non hoc sequi; sed, licet naturæ inconfusæ sint, unum confitendum esse Christum in duabus naturis inseparabiliter, indivisibiliter; *nulla naturarum differentia sublata per unionem, salva magis utriusque naturæ proprietate.* Subsumo: Atqui naturæ humanæ proprietas est, esse circumscriptam; ergo.

R. 2°. *N. Cons.* Sicut enim caput hominis est animæ unitum indivise, inseparabiliter; quia est animæ unitum in eodem supposito, quin tamen sit, ubicumque est anima: sic et natura humana licet sit inseparabiliter unita Verbo; non ideo ubicumque est Verbum, etiam est humanitas.

Nec plus vult S. Damascenus; ita enim semetipsum explicat loc. cit., dum sic declarat: *impossibile esse..... eamdem naturam esse..... circumscriptam, et incircumscriptam.* Tunc paulo post: *quod circumscriptum est, circumscriptum mansit.* Ac signanter L. 3. cit. c. 7. diserte Christum asserit *secundum divinitatem incircumscriptum: adeo ut caro ipsius non coextensa sit incircumscriptæ divinitati ejusdem.*

346. *Inst.* 1. Vi unionis hypostaticæ per communicationem idiomatum de natura humana prædicantur, quæ sunt propria naturæ divinæ, et vicissim: atqui proprium est naturæ divinæ esse ubique; ergo.

R. *D. Maj.* Prædicantur in concreto, specificative, sensu orthodoxo *C.* in abstracto, reduplicative, et formaliter immediate, ut volunt Ubiquistæ *N.* Etiam in sensu catholico vera est hæc propositio, si dicas demonstrando Christum: *Hic homo est ubique, immensus*; sed cum addito: non secundum naturam humanam, sed divinam; vel secundum suppositum Deo homini commune; ut supra diximus.

347. *Inst.* 2. Humanitati Christi communicata est subsistentia Verbi; ergo eidem communicata sunt et alia dona divina.

R. *D. Ant.* Communicata est subsistentia ita, ut subsistat in Verbo *C.* ita, ut subsistat eo modo, quo Verbum, sive communicetur divina subsistentia formaliter *N. Ant.* Etiam alia dona communicata sunt realiter, quatenus natura divina in Filio unitur humanitati: non hoc sensu, quod humanitas in se ipsa sit formaliter immensa, etc. Cæterum communicari subsistentiam divinam humanitati, nihil est aliud, quam Verbum uniri humanitati, ratione personalitatis, sive per modum termini intrinseci complentis humanitatem in ratione personæ; non autem per modum formæ. Unde non dat denominationem aliam, quam quæ propria est termini, seu complementi ultimi: id est, eam facere subsistentem; cujus denominationis et per se capax est natura, et illam, ob suam vim terminandi infinitam, capax est Verbum tribuere.

348. *Inst.* 3. Verbum unitum humanitati est indivisibile; ergo unitur totum; ergo et secundum omnes proprietates suas: sed inter has est immensitas; ergo.

R. *D. seq.* Ergo unitur totum, et etiam sub omni ratione, quam continet *N.* secundum solam rationem subsistentiæ *C.* Et *D. seq.* 2am. Ergo et secundum omnes proprietates immediate *N.* mediate *C.* Verbum unitur immediate humanitati, ratione solius hypostasis et proprietatis relativæ: ut ante, et sæpius dictum alibi; non secundum proprietates alias. Sic et humanitas unitur quidem subsistentiæ immensæ; sed non secundum immensitatem, vel aliud attributum absolutum; sed secundum subsistentiam. Recole dicta de unione.

349. *Inst.* 4. Quando duo inter se nexu intimo uniuntur, nequit esse unum sine altero; sed ubi est unum, necessario est et alterum: sed Verbum et natura humana uniuntur tali nexu intimo; ergo.

R. *D. Maj.* Quando inter se uniuntur adæquate, ita ut unum non excedat alterum, nec diffundatur latius altero *C.* secus *N.* Probant Ubiquistæ hoc argumento caput, oculos, etc. esse in pedibus; uniuntur enim intime cum anima; hæc vero est diffusa per totum corpus, ejusque membra omnia occupat. Hinc unio physica requirit quidem præsentiam intimam; non tamen adæquationem præsentiæ. Ac proinde ad veritatem unionis Verbi cum natura humana sufficit, humanitatem esse *alicubi*, ubi est Verbum; non *ubicumque* est Verbum.

350. *Inst.* 5. Si humanitas Christi non est ubique; ergo Verbum alicubi non esset homo; ergo.

R. *N. seq.* Si enim humanitas alicubi Verbo unita est, jam sufficit, ut Verbum ubique dicatur homo; cum enim Verbum sit indivisibile, et totum sit ubique in quolibet loco; hinc ubicumque est, semper sustentat humanitatem suam, licet alibi existentem. Sic et anima existit in capite sine pedibus; et tamen anima in capite existens est anima pedum. Unde multum differunt hæ propositiones: *Verbum alicubi existens non est homo; et Verbum alicubi existit sine humanitate.* Prior est falsa: posterior vera est. Hæc

vero : *Verbum ubique est homo*, vera est, si τὸ *ubique* se teneat ex parte subjecti, ita ut sensus sit : *Verbum ubique præsens est homo* : falsa autem est, si teneat se ex parte prædicati, ut sensus sit : *Verbum habet humanitatem ubique præsentem.*

351. *Inst.* 6. Humanitas Christi per subsistentiam Verbi est, et denominatur *subsistens*; et per sanctitatem Verbi *sancta*; ergo æque per immensitatem Verbi est, et denominari debet immensa, ubique præsens.

R. *N. Cons. Disparitas est* rerum et denominationum diversitas; nam subinde res una unita alteri unius capax denominationis est, quin sit alterius. Exemplum habes in corpore animæ unito, quod per hanc unionem fit, et quidem recte denominatur *animatum*; non tamen spirituale, immortale. Ita hic accidit : humanitas fit et denominatur *subsistens* et *sancta*, quia harum denominationum est capax; nam 1. est capax denominationis *subsistentis*, ut dictum n. 347.; 2. etiam *sanctæ*, quia esse *sanctam*, nihil aliud est, quam esse Deo *amabilem, gratam* : si vero possit Deus hanc denominationem tribuere justis per gratiam, cur non ipsa sanctitas Verbi humanitati suæ?

At non est capax denominationis *immensæ*; quia effectus immensitatis creato enti repugnat; nam exigeret infinitatem in creatura, cum ipsa quantitas infinite deberet extendi. Sicut ergo humanitas Christi non est capax denominationum *æternæ, increatæ*, etc., ita nec immensæ.

352. *Obj. V.* Sicut anima et corpus uniuntur in homine; sic natura divina et humana in Christo, juxta symbolum Athanasianum : *Sicut anima rationalis et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus* : sed anima ita energias suas omnes communicat corpori, ut nihil faciat, nisi in corpore, et per corpus; ergo et natura divina sic energias suas communicat naturæ assumptæ.

R. 1°. *D. M.* Sicut anima et corpus uniuntur in homine; sic natura divina et humana in Christo, quoad aliqua *C.* quoad omnia *N.* Similitudo illa nec est adæquata : nec ulla ex parte favens Adversariis, sed contra eos directe pugnans. Similitudo est in his : 1°. quod, sicut anima et corpus uniuntur vere realiter; sic et natura divina et humana in persona Verbi : 2°. sicut ex anima et corpore fit una substantia, vel natura; ita ex duabus naturis in Christo existit una persona : 3°. sicut, non obstante ea unione corporis et animæ, manet salva utriusque differentia et distinctio; ita et in Christo non obstat naturarum unio, quin differentes maneant et distinctæ. Sed hæc adversariis nihil suffragantur. Similitudo vero quoad alia directe adversatur Ubiquistis; nam 4°. sicut illa corporis et animæ unio non facit, ut *arcano*, *ineffabili modo* corpus sit anima, et vicissim; sic nec unio hypostatica, ut *humanitas* Christi sit ineffabili modo Deus immensus, ubique præsens, etc. 5°. Uti per illam unionem corpus non redditur æqualis perfectionis cum anima; nec etiam secundum se suscipit prædicationes animæ proprias (nec enim secundum se *intelligit, vult, est substantia spiritualis*, etc.); ita nec humanitas, vel Christus *secundum humanitatem* fit per unionem æqualis perfectionis, *majestatis, immensitatis*, etc., cum divina natura; neque

etiam recipit secundum se prædicationes proprias divinæ naturæ, *ut secundum humanitatem sit immensus, omnipotens, æternus, increatus*, etc.

Cæterum non diffitemur, similitudinem sumptam ab unione corporis et animæ haud esse adæquatam; nam 1. in ipso unionis modo adhuc plurimum differunt: 2. ex corpore et anima unitis fit una natura completa hominis; non sic in Christo ex natura divina et humana; sed hæ duæ naturæ integræ uniuntur in unitatem suppositi: sed etiam hæc dissimilitudo nihil Ubiquistis prodest.

R. 2°. *N. min.* quam imperite probare nititur Schmidelinus ex illo 1. Reg. 3. *Dedi tibi cor sapiens et intelligens*; tum ex illo Philosophi: *necesse esse, intelligentem phantasmata speculari*. Nam in aprico est, omnium sanæ mentis hominum consensu, corpus non intelligere, adeoque textum non posse sumi, nisi improprie. Neque etiam anima, cum intelligit, aut vult, sic dependet a ministerio phantasiæ, ut intellectio, et volitio sint actus phantasiæ et corporis. Sed alius est ille modus dependentiæ, quam philosophi omnes *objectivum* vocant; eo quod intellectio fiat dependenter a phantasmate, ob subordinationem potentiarum hominis, juxta vulgatum theorema: *Nihil in intellectu, quod non prius fuerit in sensu*. Quod, etsi ideas rerum homini congenitas dixeris, suo tamen modo verum est. Unde hominis fanatici simul elucet stultitia, quod duobus illis textibus subjicere ausus: *Quod nobis interpretentur Jesuitæ; adeoque omnes Philosophi.*

## ARTICULUS IV.

### RESOLVUNTUR QUÆDAM EROTEMATA AD EXTRINSECAS COMPOSITI THEANDRICI CAUSAS PERTINENTIA.

Ad causas extrinsecas compositi Theandrici spectant 1°. causa efficiens, 2°. meritoria, 3°. finalis, vel motiva. Unde

353. Quæres I. Quæ sit *causa efficiens* physica *incarnationis*, sive compositi Theandrici?

R. Est Deus et tota SS. Trinitas. *Constat fide*, et declaratur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III., quod refertur c. *Firmiter* de SS. Trinitate: *Unigenitus Dei Filius a tota Trinitate communiter est incarnatus ex Maria Virgine, operatione Spiritus sancti conceptus, Deus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus.*

*Ratio est*, quam reddit S. Aug. in Enchir. c. 38. et cum eo Patres ac Theologi; quia opera Dei ad extra sunt indivisa et communia toti Trinitati, cum procedant a principio operativo, sive omnipotentia communi personis tribus; ergo et hæc particularis operatio, sive actio incarnativa, ad tres personas divinas indivisim pertinet.

*Neque dicas*: Solus Filius assumpsit naturam humanam; ergo incarnatio non est effective a tota Trinitate indivisim, sed a solo Filio; quia assumptio naturæ humanæ non est facta, quin persona Verbi specialiter in eam illaberetur, et influeret: sed hic illapsus et influxus est actio; ergo.

Nam R. Assumptionem humanitatis esse quidem specialem aliquem in

eam illapsum; quia a Verbo per assumptionem perficitur, et completur substantialiter. Item, potest dici influxus aliquo modo, sed non proprie actio, quatenus hæc vox influxum causæ efficientis significat; nam Verbum intrinsece terminat solummodo humanitatem, completque in ratione subsistentis, idque quasi in genere causæ formalis. Hinc *in forma : D. Ant.* Solus Filius assumpsit effective *N.* terminative *C. Ant.* et *N. Cons.*; et *prob. Maj.* etiam *D.* Quin specialiter influeret influxu terminativo, et quasi formali *C.* effectivo *N.* Influxus effectivus, per quem humanitas unitur Verbo, est communis personis tribus; quasi formalis, per quem humanitas præcise terminatur, proprius soli Verbo est. Unde et humanitas speciali modo pendet a Verbo, non ut a principio efficiente : hoc enim ex dictis est tota Trinitas; sed tanquam a puro termino intrinseco, per quem ipsa perficitur, et completur.

Nec ex eo, quod tota SS. Trinitas sit causa efficiens physica incarnationis, sequitur Christum esse *Filium totius Trinitatis;* quia Christus non efficitur a Trinitate *naturaliter* et *necessario;* sed *libere :* nec de substantia illius procedit in similitudinem. Patris vero æterni Filius est; quia ab illo secundum divinitatem est genitus, ejusque humanitas subsistit in personalitate a Patre procedente.

354. Quæres II. An humanitas Christi merita sit, vel mereri potuerit unionem cum Verbo?

R. Humanitas Christi de facto assumptionem suam nec meruit per merita tempore antecedentia; nec per actiones natura priores; nec, etsi a Deo instanti aliquo reali, ante unionem sui cum Verbo, producta fuisset, mereri illam de condigno, vel congruo potuisset.

*Ratio* 1ae. *partis* est, quia ut sic mereretur, debuisset ipsa tempore præextitisse incarnationi; sed hoc falsum, et damnatum est ab Ecclesia primo contra Origenem, qui asseruerat, animam Christi ante Christum extitisse, ut suo loco diximus; secundo contra Nestorium, qui voluerat, hunc hominem, Jesum Christum, perfecte præformatum fuisse antequam assumeretur.

*Ratio* 2ae. *partis* est : 1°. Quia hoc mysterium Scriptura ubique tribuit puræ ac prorsus gratuitæ liberalitati Dei. Unde et S. Aug. de prædest. SS. c. 15. ac de Dono persev. c. ult. n. 67. gratiam unionis comparat cum prima gratia actuali; sed hanc pure gratis, et sine ullo nostro præcedente merito nobis donari, fide divina certum est. Et Tr. 82. in Joan. n. 4. *Neque enim,* inquit, *illam susceptionem hominis ulla merita præcesserunt; sed ab illa susceptione merita ejus cuncta cœperunt.* 2°. Humanitas Christi prius natura subsistit, et completur in ordine ad se, et ad suum esse substantiale, quam quidquam operetur; ergo actiones humanitatis supposuissent pro illo priori subsistentiam; non humanam, hæc enim nunquam adfuit; ergo divinam.

*Ratio* 3ae. *partis* est, quia 1°. non potuit mereri de condigno; meritum enim solius humanitatis, quantumvis habentis plenitudinem gratiæ, est meritum puræ creaturæ : sed hæc unionem illam condigne mereri nequit; opera enim creaturæ puræ nec habent; nec habere possunt proportionem condignitatis ad substantiam incarnationis, quæ est in ordine divino, adeo-

que infinite superiore, quam sint opera illa; ergo. 2°. Nec potuit mereri de congruo; quia meritum congruum aliquam saltem cum præmio habere proportionem debet: sed meritum creaturæ puræ nullam habet proportionem cum unione hypostatica. *Prob. min.* Actus boni naturales non habent ex se congruitatem meriti ad gratiam; ergo nec actus gratiæ supernaturales habent ex se congruitatem ad unionem hypostaticam, sive incarnationem. *Prob. Cons.* Quia ordo unionis hypostaticæ non minus est superior et improportionatus ordini gratiæ; imo infinite magis excedit actus gratiæ creatæ, quam hi, actus bonos naturæ; ut in terminis docet Doctor Angelicus 3. p. q. 7. a. 13. ad 3. *Gratia unionis,* inquit, *non est in genere gratiæ habitualis, sed est supra omne genus; sicut et ipsa divina persona.* Ergo.

355. *Neque dicas:* Gratiam et unionem hypostaticam non videri esse diversi ordinis, 1°. quia utraque est ens supernaturale: 2°. quia utraque facit concives ejusdem supernæ civitatis, in qua Christus caput est; cæteri vero membra; caput autem et membra reducuntur ad idem corpus: 3°. quia utraque ordinat ad eumdem finem, visionis beatificæ. Nam

R. *N. Ant.* Ad unitatem enim ordinis non sufficit esse in eodem genere entis supernaturalis; alioquin etiam dicam sufficere, esse in eodem genere entis creati. Nec 2°. sufficit, concives facere ejusdem civitatis; quia alioquin duo reges diversorum regnorum minus essent ejusdem ordinis, quam rex et civis regni ejusdem. Nec 3°. satis est, ordinari ad eumdem finem; nam etiam natura et gratia ordinantur ad idem corpus universi, et ad eumdem finem gloriæ Dei. Item, sicut datur habitudo obedientalis gratiæ ad unionem hypostaticam; sic similis datur naturæ ad gratiam.

Igitur diversitas ordinis non tantum sumenda est ex eo, quod unum maxime distet ab altero physice in genere entis, et perfectione entitativa; sed etiam, quod maxime distet moraliter in genere æstimabilitatis, secundum quam attenditur proportio præmii ad meritum; quis vero non judicet unionem hypostaticam esse præ gratia æstimabilitatis infinite majoris?

356. Quæres III. An Christus ipse meritus fuerit unionem hypostaticam?

R. *Negative* cum S. Aug. L. de Prædest. SS. c. 15. cit. Ac *ratio est,* quia 1°. non meruit per actiones tempore, vel natura priores; cum enim Christus unione hac constituatur; implicat eum complete sumptum, et consequenter ejus meritum, esse tempore, vel natura prius unione: 2°. neque per merita unionem subsequentia; quia, ut ait S. Thomas, et cum eo Theologi omnes, *principium omnis meriti non cadit sub meritum;* cum alias idem esset meritum et præmium, causa et effectus; adeoque idem se ipso prius et posterius: atqui unio hypostatica in Christo est principium et radix omnis meriti; ergo. Unde nec Christus eam mereri potuit, ut communior est Theologorum assertio contra causalitatis mutuæ patronos; id quod iis, quibus volupe est, id genus quæstionibus tricari, pluribus ventilandum libenter relinquimus.

357. Quæres IV. An Patriarchæ, aliique veteris Testamenti Patres: ac ipsa beatissima Virgo meruerint incarnationem?

R. 1°. Nec Patres veteris Testamenti, nec beatissima Virgo, meruerunt sive de *condigno* sive de *congruo* incarnationem quoad substantiam. *Ratio*

est, quia si ipsa Christi humanitas, quantalibet gratia ditata, non potuit, antequam uniretur, mereri unionem hypostaticam : eo quod gratia accidentalis, ejusque effectus sint in inferiori longe ordine respectu unionis; multo minus mereri eam potuerunt beatissima Virgo, aut Patriarchæ antiqui, et Patres veteris Testamenti. Præterea quodcumque meritum puræ creaturæ, ex quacumque gratia supernaturali elicitum, nullo modo est proportionatum cum unione hypostatica, quæ est valoris ac pretii infiniti; omne autem meritum humanum finitum est.

Dixi : *quoad substantiam.* Nam incarnationis circumstantias; præcipue has tres, stirpis, loci, et temporis, eos meruisse, nihil impedit dicere; et colligitur ex Scriptura : Abraham enim promptitudine obedientiæ suæ Gen. 22. hanc gratiam meruit, ut ex semine suo Messias nasceretur : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ; quia obedisti voci meæ.* Sic et Davidi pro bona voluntate ædificandi templum hæc promissio facta, 2. Reg. 7. Daniel quoque desideriis suis contrahi tempus Messiæ meruit. Meritum tamen illud duntaxat de congruo fuit, quia nullum, Deum inter et homines, intercesserat pactum.

R. 2°. Beatissima Virgo maternitatem ipsam nec meruit *de condigno*, nec *de congruo rigoroso. Ratio* 1ᵃᵉ. *partis* est, quia ad meritum de condigno requiritur : 1°. in opere, condignitas cum præmio; 2°. ex parte remunerantis, promissio : sed opera beatissimæ Virginis, ex se et natura sua, divinæ maternitatis condigna non erant; quoad substantiam enim non differebant conditione, ab aliorum justorum operibus, etsi quoad gradum perfectiora essent; neque etiam promissa fuit, ante illa opera, B. Virgini maternitas, cum, illam annuntiante angelo, turbaretur, quod, ut sentiunt Patres plurimi apud Petavium, timeret, ne divina maternitas concepto castitatis voto obesset. Et vero maxima est dignitas maternitatis divinæ, ut prope accedat ad ordinem unionis hypostaticæ, et ex progenito bono infinito aliquam contrahat infinitatem, ut docet Doctor Angelicus 1. p. q. 25. a. 6. ad 4. Atque hinc Deiparæ excellentior cultus, quam alteri Sancto, debetur, ut observat S. Doctor idem 2. 2. q. 103. a. 4. ad 2. Unde etiam colligitur *Ratio partis* 2ᵃᵉ.

*Conf. utraque pars,* ex eo quod alias ita mereri potuisset incarnationis substantiam, cum maternitas ejus essentialiter connexa sit cum ipsa incarnatione, quam nec de condigno, nec de congruo mereri potuit.

Dixi : *de congruo rigoroso :* nam aliquo saltem modo de congruo merita fuit, ut ipsa præ aliis eligeretur in Matrem Dei; ut colligitur ex Scriptura : *Beata es, quæ credidisti; quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino.* Ac ibidem de se ait ipsa B. Virgo : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Idem Patres communiter edocent. S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium n. 38. *Propone tibi beatam Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur.* Et S. Ambros. epist. 62. ad Theodosium n. 33. *Quid loquar quanta sit Virginitatis gratia, quæ meruit a Christo eligi, ut esset etiam corporale Dei templum?* Et *ratio* est; quia per actus excellentissimarum virtutum ita se disposuit, ut præ omnibus aliis feminis mereretur assumi in dignitatem Matris. Ergo de merito congruo saltem dispositivo eam dignitatem est merita.

358. Quæres V. Quænam fuerit incarnationis causa finalis, seu motiva principalis?

R. Fuit remedium peccati originalis et actualis; licet principalius originalis. *Ratio* 1ae. *partis* est, quia S. Scriptura, de factæ incarnationis vero fine et motivo loquens, simpliciter, et sine addito affirmat, Christum venisse propter peccatum. 1. ad Tim. 1. v. 15. ait Apostolus : *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus : quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Et Rom. 3. v. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem... propter remissionem præcedentium delictorum.* Adde textus num. seq.

*Ratio* 2ae. *partis* est; quod pro motivo Scriptura S. assignet utrumque. Ad Tit. 2. v. 14. *Dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate.* 1. Joan. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Item 1. Joan. 3. v. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli :* sed ad opera diaboli etiam peccatum actuale pertinet.

*Ratio* 3ae. *partis* est, quod originale peccatum totius naturæ malum sit, illam inficiens et corrumpens; estque velut radix et fons actualium. Unde et Apostolus ait ad Rom. 5. *Non sicut delictum, ita et donum.* Et 1. Cor. 11. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur : ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Ubi Christum, ut Redemptorem totius naturæ humanæ, opponit Adamo, ut totius naturæ corruptori; conferens obedientiam et meritum Christi peccato Adami, simulque significans, hæc potissimum inter se opponi, et alterum per alterum principaliter tolli. Unde venisset Christus, si solum originale fuisset; quia principaliter incarnatum est Verbum, ne totum periret genus humanum; sed, posito solo originali peccato, adhuc periret humanum genus.

359. Quæres VI. An remedium peccati fuerit incarnandi Verbi motivum adæquatum, et unicum, sive, *sine quo non;* ita ut Christus in præsenti ordine, et vi præsentis decreti non venisset, si Adam non peccasset?

Negant Scotus cum schola sua, aliique, quos inter eximius Suarez : volentes, Deum ante res omnes decrevisse incarnationem Filii sui, propter excellentiam mysterii, et gloriam Christi; ita ut hic esset finis omnium, quæ erat conditurus in mundo; ac consequenter, etiam non peccante Adamo, venturum fuisse Christum, non quidem in carne passibili, sed impassibili; modo quidem venisse in carne passibili, quod Deus, præviso Adami lapsu, Christum, quem simpliciter jam decreverat, mittere in carne passibili decreverit. Sed contra, ac quidem breviter ad præsentem quæstionem, quam Scholæ potius curiositas peperit;

R. *Affirmative* cum S. Thoma, cæterisque communius. *Prob.* Ex sacris Scripturis, quæ 1o. solius hujus motivi mentionem faciunt, ut videre est in locis ante relatis. 2o. Aliis in locis positive excludunt omnem aliam Christi adventus causam : Luc. 19. *Non veni vocare justos; sed peccatores.* Joan. 3. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* 1. Joan. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Si *in hoc* apparuit; ergo hoc fine sublato non apparuisset.

*Consonant* SS. Patres Græci et Latini, quos magno numero refert Petavius c. 17. n. 8. et seqq. qui diserte quodvis aliud motivum excludunt. S. Irenæus L. 5. adversus hæreses c. 14. n. 1. *Si non,* inquit, *haberet caro salvari;*

*nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* S. GREGOR. NAZIANZENUS orat. 30. n. 2. *Quæ humanitatis a Deo propter nos susceptæ causa extitit? profecto ut nobis salus pararetur: quid enim aliud causæ afferri possit?* S. ATHANAS. orat. 2. cont. Arian. n. 56. *Verbum nequaquam homo factus esset; nisi causa fuisset hominum necessitas.* S. AUG. serm. 8. de verb. Apost. (al. 174. n. 2) *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* S. LEO M. serm. 77. de Pentec. 3. c. 2. *Si homo..... in suæ honore naturæ mansisset..... Creator mundi creatura non fieret.*

Unde istud exsurgit argumentum Doctoris Angelici 3. p. q. 1. a. 3. in 0.: de iis, quæ pendent unice ex libero Dei arbitrio, nihil est asserendum, nisi quod Deus revelavit: atqui tale quid est incarnatio; et nullibi revelatum est motivum aliud, propter quod illam Deus decrevisset simpliciter, et quoad substantiam; ergo. *Major* est Doctoris Angelici. *Min.* constat ex ante relatis S. Scripturæ, et SS. Patrum sententiis.

*Nec sufficit* dicere, illa Scripturæ et Patrum testimonia intelligenda esse de carne tantum passibili; sic, ut Adamo non peccante Christus non quidem venturus fuisset in carne passibili, ut Redemptor; venturus tamen adhuc fuisset in carne impassibili, ut Auctor gratiæ et gloriæ.

Nam 1°. loquuntur absolute, et exclusive propter particulam *non*, quæ malignantis est naturæ: si enim res, quæ pluribus fieri modis potest, non fiat tantum uno ex illis modo; non potest absolute dici non fieri, quia negatio absoluta omnem modum excludit; ita non subsistunt hæ propositiones: Corpus Christi non est in cœlo; non est in Sacramento, etc., subintelligendo in carne passibili. 2°. Nullo modo æquipollentes sunt propositiones istæ: Christus Adamo non peccante non est venturus; et: Christus Adamo non peccante, non est venturus in carne passibili, vel, ut Redemptor: si enim venturus sit, etsi impassibilis; absolute, vere, et proprie est venturus: sicut eo non obstante, vere et proprie veniet ad judicium; ergo absolute falsa est propositio, quæ negat venturum: atqui allata testimonia negant venturum; ergo.

360. *Dices* 1°. S. Scriptura favet sententiæ negativæ; ergo. *Prob. Ant.* 1°. Prov. 8. 22. dicitur: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum*; hunc textum vero Patres plures de Sapientia incarnata intelligunt; ergo jam ante creaturas, ante peccatum, decretus fuit Christus. 2°. Ad Coloss. 1. 15. Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ*. 3°. 1. ad Cor. 2. v. 7. ait Apost. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est: quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram*; ergo ante homines. 4. Ad Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso ante constitutionem mundi*; ergo prior est Christi electio.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. 1°. Spectando litteram textus, loquitur de sapientia in genere: sive de Sapientia Dei activa, qua Deus omnia sapientissime ordinavit, et condidit.

R. 2. Christus est *initium viarum*, ratione generationis æternæ, quia sic *per ipsum* facta sunt omnia *C.* ratione generationis in tempore factæ. *Subd.* ita ut ipsa sit initium viarum redemptionis, sive creaturæ reparandæ *C.* initium creaturæ ponendæ, vel creandæ *N.* Alioquin etiam dici deberet, Christum, etiam ratione humanitatis suæ, jam actu extitisse ante mundum

creatum; ait enim Sapientia illa de se ipsa v. 25. *Quando præparabat cœlos, aderam : cum eo eram cuncta componens.*

*Ad prob.* 2am. R. *D.* Dicitur primogenitus ratione divinitatis *C.* humanitatis *Subd.* primogenitus honore et dignitate; quia Christo omnia subjecit Deus *C.* tempore vel ordine; quia eum ante omnem creaturam intendit, et decrevit *N.* Phrasis Scripturæ est, qua primogenitus excellentiorem significat. Sic Ps. 88. dicitur de Davide : *Ego primogenitum ponam illum*, scilicet honoris. Exod. 4. *Filius meus primogenitus Israel.*

*Ad prob.* 3am. *et* 4am. R. *D.* Quam prædestinavit ante seculum, i. e. ante creaturas prævisas et decretas *N.* factas vel conditas *C.* Item, elegit nos in ipso ante constitutionem mundi decretam *N.* actu positam *C.*

361. *Dices* 2°. Christus est primus prædestinatorum; nam prædestinatio ejus est causa exemplaris nostræ, juxta illud ad Rom. 8. v. 22. *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui;* ergo Christus ratione prius prædestinatus fuit, quam omnes homines, et ipse Adamus.

R. *C. totum. Subsumes :* Atqui homines saltem duo primi prædestinati fuerunt ante peccati prævisionem; ergo et Christus. R. *N. Subs.* Licet enim primi nostri parentes, imo, antecedenter ad prævisionem peccati originalis, omnes a Deo fuerint destinati ad salutem, per dona gratiæ sufficientia; hæc tamen destinatio, per peccatum fuit intercisa et abrupta sic, ut effectum non habuerit. Prædestinatio autem, est ordinatio ad salutem per media infallibiliter inferentia effectum : quæ in hominibus habetur ex gratia redemptionis et meritis Christi, consummatis per passionem ejus et mortem; unde supponit peccatum, quia supponit Redemptorem, ejusque merita.

362. *Dices* 3°. Christus est finis omnis creaturæ : atqui finis prior in intentione; ergo. *Prob. M.* 1. Ex S. Script. ad Hebr. 2. v. 10. *Decebat eum, propter quem omnia.... per passionem consummare.* Et 1. ad Cor. 3. v. 22. *Omnia vestra sunt....vos autem Christi ; Christus autem Dei.* 2. Ex Conc. Trid., quod Sess. 6. cap. 7. ait, causam finalem justificationis nostræ esse gloriam Dei et Christi.

R. *D. M.* Est finis omnis creaturæ jam productæ vel intentæ *C.* productionis, vel intentionis creaturæ *N.* Christus est finis omnium *ex suppositione existentiæ suæ;* postquam enim Deus, præviso peccato, in hujus remedium decrevit mittere Christum, decrevit simul ad ejus gloriam ordinare creaturas; non vero sic est finis omnis creaturæ, quasi, ex prævia intentione ipsius Christi, deinde voluerit producere creaturas. Eadem est responsio ad *Maj.* probationes.

363. *Dices* 4°. At SS. Patrum quidam præoccupaverunt Scoti sententiam. *Prob.* S. Cyrill. assert. 15. Thesaur. (opp. t. 5. part. 1a. p. 174. D.) : *Ante nos itaque,* inquit, *fundatur Christus, atque in ipso nos omnes superædificamur, et quidem ante creationem mundi, juxta prænotionem Dei omnia præscientis.* Et postea : *Si propter nos factus est Filius, non nos propter Filium; erimus nos multo ipso præstantiores.* S. Fulgentius L. 2. ad Trasim. c. 3. *Non alia,* ait, *gratia stantem angelum a ruina potuit custodire, nisi illa quæ lapsum*

*hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata*; ergo ordine intentionis prior fuit Christus, quam angelus.

R. *N. Ant. Ad* S. CYRILL. R. 1$^{um}$. *D.* In præscientia Dei ante peccatum actu positum *C.* ante prævisum *N.* 2$^{um}$. etiam *D.* Si propter nos ut motivum pure proximum *N.* ut ultimatum *C.* In nostra sententia Christus non habet rationem puri medii, sed etiam finis, ut ante diximus; licet non nisi ex suppositione existentiæ suæ.

*Ad* S. FULGENT. iterum *D.* non alia gratia quoad substantiam *C.* quoad modum et auctorem *N. Ant. et Cons.* S. FULGENTIUS id præcise vult, gratiam tam angelis, quam hominibus pro obtinenda salute necessariam fuisse. Gratiam vero datam angelis, fuisse datam ex meritis Christi jam prævisis, sicut erat illa, quæ data fuit Adamo lapso, ut surgeret, nec asserit S. FULGENTIUS, nec ex eo evincitur. Dixi: *Adamo lapso;* nam gratia prima eidem data non fuit ex Christi meritis.

364. *Dices* 5°. Christus est æque caput angelorum, quam hominum; ergo et angelis collata est gratia ac gloria intuitu meritorum Christi. *Subs.* Atqui gratia et gloria angelis juxta nos decreta et data, fuit independens a redemptione; ergo et gratia data hominibus.

R. *N. Ant.* de Christo, *qua homine.* Qua homo enim aliter est caput angelorum, aliter hominum. Hominum caput est, influendo gratiam et gloriam in eos antecedenter lapsos: angelorum vero caput est solummodo ratione excellentiæ et potestatis, vel etiam *gratiæ accidentalis*, consistentis tum in variorum mysteriorum, præcipue incarnationis, revelatione; tum in gaudio accidentali, quod ex gloriosa Christi humanitate, nostra salute, ex suorum chororum reparatione percipiunt; Deus enim dicitur ab Apost. ad Coloss. 1. v. 20. *pacificans per sanguinem crucis ejus* (Christi), *sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*: redimendo nempe hominem a peccato, perque redemptionem humani generis reparando ruinas angelorum.

365. Pro pleniore dictorum intelligentia scire necesse est divinorum *decretorum* circa mysterium incarnationis ordinem. Nimirum quæ Deus uno eodemque actu realiter indivisibili (summa enim ejus simplicitas excludit omnem multiplicitatem realem, quoad prædicata absoluta, adeoque actus suos) ab æterno decrevit, ut nulla etiam in iis detur realis prioritas, vel posterioritas; nos, ad succurrendum solummodo imbecillitati nostri intellectus, unum eumdemque indivisibiliter actum divinum, modo nostro concipiendi in plures distinguimus, et ratione nostra unum alteri subordinamus.

Igitur supposita scientia simplicis intelligentiæ, et media, qua præsciebat Deus ab æterno, tum quid ipse in quavis rerum serie, et combinatione facere posset, quique in omnibus circumstantiis futuri essent eventus: unico, et ex parte subjecti, sive divinæ suæ voluntatis decreto indivisibili ordinavit 1°. creare universum, angelos, homines; elevare eos ad statum et finem supernaturalem; dare illis sufficientia auxilia gratiæ, quibuscum operari salutem possint, relicto iis libero voluntatis arbitrio. Vid. n. 361. 2°. Angelis et primis parentibus conferre habitualem gratiam. Vid. n. 363. 3°. Constituere Adamum caput morale humani generis totius, ita ut, si in justitia originali perstiterit, in eadem nascantur omnes ejus posteri; si vero

peccarit, hujus peccati maculam contrahant omnes et singuli, naturali generationis via ab eo descensuri, excepta illa, quæ futura esset mater Christi; si hic in mundum veniret. 4°. Per scientiam visionis, malorum angelorum viso lapsu, bonorum perseverantia; his gloriam, illis supplicia destinavit. 5°. Viso similiter Adami lapsu, misertus hominis, decernit mittere Christum Redemptorem, illique subjicere omnia. 6°. In ejusdem matrem elegit Mariam semper virginem, et decentes ei, ob merita Filii, conferre gratias decernit. 7°. Ob ejusdem Christi merita conferre hominibus cæteris ad consequendam salutem auxilia gratiæ. 8°. Demum visa aliorum cooperatione libera, et perseverantia finali, aliorum finali impœnitentia, priores destinavit ad gloriam; posteriores reprobavit.

# DISSERTATIO IV.

## DE HUMANITATIS CHRISTI PERFECTIONIBUS ET AFFECTIONIBUS.

---

Exposito hactenus mysterio Incarnationis, sive composito Theandrico quoad substantiam; ejusdem nunc velut accidentia consideranda veniunt; quo nomine 1°. specialia humanitatis Christi ornamenta intelligimus, quorum alia ad intellectum, alia ad voluntatem, alia ad ipsam humanitatis substantiam pertinent: ut in specie sanctitas, impeccabilitas, potentia; 2°. vero tum perfectiones quasdam naturales, tum defectus, quæ partim ad animam, partim ad corpus referuntur.

---

## SECTIO I.

### DE PERFECTIONIBUS HUMANI IN CHRISTO INTELLECTUS.

Humanum Christi intellectum maxime Christi *scientia* ornat et perficit, de qua proinde hic disputabimus. Scientiam Christi hominis oppugnavere 1°. *Gnostici* et *Valentiniani*, qui, S. Irenæo teste, L. 1. c. 17. (al. 20. n. 1.) Christum *sub præceptoris ferula* addiscendo alphabeto dedisse operam fabulati sunt. 2°. *Ariani* et *Nestoriani*, conformiter suo dogmati de Christo homine, ei *infusam* in primo conceptionis instanti *scientiam* abnegantes. 3°. *Agnoetæ*, Eutychianorum secta, sic dicti *ab ignorantia*, qua Christum laboravisse dicebant, duce Themistio et Severo. 4°. Novatores seculi XVI. *Lutherus* in Conc. de Natali Domini, tanquam commentum rejiciens doctrinam Catholicorum, quod Christus, qua homo, sciverit semper omnia. *Zwinglius* in Confess. oblata Carolo V. artic. 1., *Calvinus* in c. 2. Lucæ, eodem quo Agnoetæ, argumento utitur. Nec satis, ut deberet, a relatis differt *Grotius*, dum in cap. 13. Marci inquit: *Sicut igitur post resurrectionem accepit omnem potestatem: ita et omnem scientiam.* Contra quos agemus sequentibus Articulis.

## ARTICULUS I.

### AN CHRISTUS QUA HOMO HABUERIT SCIENTIAM BEATAM, SIVE BEATIFICAM? A QUO TEMPORE, ET QUALEM?

366. *Nota.* Varia hic distingui potest scientia : 1°. *beata*, sive beatifica, estque clara Dei visio, seu visio beatifica ; 2°. *comprehensiva*, sive adæquans cognoscibilitatem objecti, omni eo modo, quo cognosci potest ; 3°. *infusa*, qua per species a Deo infusas res in se ipsis cognoscuntur ; 4°. *acquisita* ; quæ experientia et labore, speciebus a sensibus haustis, acquiritur. Hæc vel consideratur ut *habitualis*, et est veri nominis acquisita scientia ; vel ut actualis, et est cognitio actu orta ex sensibus ; alias dici solita scientia *experimentalis*. Quæritur hic primo de scientia beata.

367. *Dico I.* Anima Christi scientia beatifica donata fuit ; et quidem a primo conceptionis momento.

*Prob.* 1ª. *p.* Ex S. Scriptura. Joan. 3. 11. postquam de dilectione Patris erga mundum, de sua divinitate, de baptismo, qui in nomine SS. Trinitatis confertur, disseruisset ; confirmaturus ista, inquit ad Nicodemum : *Amen, amen, dico tibi ; quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur ;* quo loquendi modo, se loquentem ut hominem, et horum omnium, quæ dixisset, testem de visu declarat ; quod facere non potuisset, si beatifica scientia caruisset. Joan. 1. 18. *Deum nemo vidit unquam ; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit ;* quo loquendi modo tum a communi conditione hominum eximitur Christus, utpote cui soli datum fuerit, videre Deum ; tum ratio redditur, cur nullus antiquorum Patrum enarrare potuerit mysteria cœlestia ; quia nullus eorum unquam vidit Deum, quem hic Unigenitus vidit etiam ut homo, quia de eo ut homine istud dicitur. Ita locum istum exponunt S. Cyrill. in Joan. (opp. t. 4. p. 104. D.) : *Soli*, inquiens, *Filio naturali aspectabilis est Pater, eo modo quo natura divina cerni potest, et nulli præter eum alteri : non tamen propterea sancti Prophetæ mentientur dum se vidisse clamant Dominum sabaoth : non enim asserunt ipsam se vidisse Dei essentiam ac naturam ; sed..... a rebus humanis divinæ gloriæ figura obscure formabatur.* S. Chrysostom. in Joan. homil. 15. n. 1. : *Dominus, rex, regis Filius, longe majora nobis attulit, qui cum Patre semper est, et videt eum perpetuo. Propterea hæc intulit : Deum nemo vidit unquam. Quid ergo dicemus vocalissimo Isaiæ dicenti : Vidi Dominum?..... Illa omnia attemperationem quamdam esse, non nudæ substantiæ visionem.* S. Augustinus in Joan. Tr. 3. n. 17. Ad Coloss. 2. ait Apostolus de Christo : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi ;* sed inter hos thesaurus nobilissimus est beata scientia.

*Prob.* 2ª. *p.* 1°. Quia textus S. Scripturæ, quoad tempus existentiæ hujus beatæ scientiæ in Christo, qua homine, loquuntur absolute, et quoad tempus nullam faciunt differentiam. 2°. Joan. 1. v. 14. dicitur de Christo : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis ;* hæc 1. dicuntur de Christo, qua homine ; quia dicuntur de Verbo, ut incarnato ; præmittitur enim ante : *Et Verbum caro factum est.* 2. Si

plenus gratiæ et veritatis; quo jure quis excludet gratiam maximam scientiæ, vel visionis beatificæ? 3. Quod caput est, dicuntur de Verbo, hoc ipso, quod caro factum sit; ergo donum illud Christo jam competebat in primo conceptionis ejus momento; tunc enim jam verum erat dicere: *Et Verbum caro factum est.*

*Prob.* Ratione *quoad utramque partem.* Gloria et plenitudo gratiæ ac veritatis, utpote proprietates fluentes necessario ex unione hypostatica, datæ sunt Christo, qua homini; quia est unigenitus Patris, ut ante vidimus: atqui a primo conceptionis instanti, vel unionis, fuit unigenitus Patris; ergo. Ita argumentatur S. Athanas. orat. 3. cont. Arianos n. 51. S. Joannes Damascen. L. 3. de Fide cap. 22. aliique. Et vero filiationis naturalis, et unionis hypostaticæ non minus proprietas est scientia beata, quam gratia; ergo etiam æque fuit in Christi anima a primo conceptionis momento, quam gratia; nulla enim est ratio, cur, concessa gratia, negaretur illi, vel differretur scientia beatifica.

368. *Dico II.* Licet Christi, qua hominis, scientia beata longe fuerit clarior et perfectior, quam cæterorum Beatorum omnium; non tamen fuit comprehensiva Dei.

*Ratio prioris* desumitur ex Scriptura sacra, juxta quam in Christo, ad Coloss. 2., sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ; et de ejus plenitudine nos omnes accipimus.

*Conf.* Christus est Filius Dei naturalis: sed filio naturali perfectior debetur hæreditatis possessio, quam reliquis adoptivis omnibus.

*Ratio secundi* est 1°. Quia tum divinarum Scripturarum, tum Conciliorum et Patrum consonantibus testimoniis, Deus est absolute ab intellectu creato incomprehensibilis; sed intellectus naturæ humanæ in Christo est, et manet creatus. 2°. Cognitio comprehensiva Dei est, quæ adæquat, et exhaurit totam cognoscibilitatem Dei, tam intensivam quam extensivam: implicat talis cognitio creata; quia, sicut illa cognoscibilitas Dei absolute infinita est, talis quoque deberet esse cognitio creata; ac proinde deberet esse clara et intensa infinite, qualis claritas et intensio soli cognitioni divinæ competit.

369. *Dico III.* Nec per scientiam beatam humanitas Christi videt in Deo omnes creaturas possibiles in particulari, sive distincte omnia, quæ cognoscit Deus scientia simplicis intelligentiæ.

*Ratio* est 1°. quia illa cognitio esset simpliciter infinita; sed hæc in creatura implicat. *Maj. prob.* Quia cognitio illa repræsentaret, et in se ipsa exprimeret naturas infinitas, et perfectiores absque ullo termino; sunt enim infinitæ etiam quoad speciem: nec refert quod tantum syncategorematice; nam sicut recte arguitur ex effectibus syncategorematice infinitis, perfectioribus, potentia infinita; ita hic ex objectis infinitis, perfectioribus syncategorematice, cognitio infinita. 2°. Cognitio distincta omnium possibilium, esset cognitio totius virtutis productivæ, et consequenter comprehensio causæ, adeoque Dei; sed in humanitate Christi dari nequit talis comprehensio, juxta num. præc.

370. *Dico IV.* Christus tamen, qua homo, videt in Verbo omnia præterita, præsentia, et futura.

*Ratio* est; quod horum cognitio pertineat ad statum et dignitatem Christi, tum ut *domini* et *capitis*, tum ut *illuminatoris* cordium, et *judicis* universorum; ergo necesse est, Christum eorum habere notitiam perfectam; sicut et in specie arcanorum cordis, actuum bonorum et malorum, quæ futuri judicii dabunt materiam.

Hinc simul evincitur, Christum qua hominem ob sua, quæ gerit officia, cognoscere in Verbo futura conditionata libera, quantum ad statum et conditionem Christi pertinent. Quin eorum se habere cognitionem, palam fecit Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.*

371. *Dico V.* Christi humanitas non videt omnia futura absolute actualiter, sive actu unico et distincte; sed quasi habitualiter tantum.

*Ratio* est; tum quia nulla est necessitas tribuendi humanitati Christi simultaneam omnium futurorum notitiam, cum ad dignitatem ejus et officium sufficiat cognoscere illa habitualiter, sive ita, quod quælibet in particulari, et quamlibet eorum multitudinem finitam possit, quandocumque voluerit, actu cognoscere; tum, et etiam maxime, quia simultanea et distincta omnium tota æternitate futurorum cognitio superare videtur limitatas creatæ potentiæ vires; cum omnia futura absolute infinita sint, sine termino, tota æternitate.

*Nec refert*, quod nunquam futura sint infinita categorematice; nam cognitio, omnia illa simul actu in se exprimens, deberet esse infinita categorematice; species enim expressa debet actu continere in suo esse intentionali, quidquid objectum continet in suo esse naturali, ut substituta loco objecti; unde debet illud continere quoad totum esse; alioquin in eo, in quo illud non continet, objectum non exprimeret cognoscenti; igitur si objectum sit infinitum, etiam tantum syncategorematice; cognitio tamen hoc ipso, quod totum simul exprimat, debet esse infinita categorematice.

372. *Obj. I. cont. Concl.* 1am. et 3am. Christus Luc. 2. dicitur *profecisse sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines*: atqui is, qui proficit, non habet simul in primo ortu omnem scientiam. *Conf.* ex S. Ambros. Lib. de Incarnat. c. 7. n. 74. ubi de Christo infante ad sensum S. Lucæ ait: *Expers agnitionis infantia per humanam utique imprudentiam, quod adhuc non didicit, ignorabat*; ergo.

R. *D. M.* Profecisse sapientia, seu scientia *experimentali*, qua in anima eas expertus est affectiones, quas licet antea novisset scientia beata et infusa, non tamen adhuc senserat *C.* scientia quacumque alia, beata, vel infusa *Subd.* Profecisse apparenter, quoad nos, quibus magis proficere videbatur *C.* quoad se *N.* Sic quoque S. Ambrosium explica, Christum infantem, quæ per ætatem infantilem, et sic quasi per humanam imprudentiam non prodebat (fieri enim nobis per omnia similis voluit) ignorasse apparenter; dumque loc. cit. idem dicit, Christum *profecisse secundum sapientiam humanam*, de experimentali loquitur. *Ita enim*, inquit Athanas. orat. 3. cont. Arian.

n. 53. *corpore ætate crescente, in illo* (Christo) *quoque crescebat major divinitatis explicatio* (φανέρωσις), *omnibusque ostendebatur templum Dei ipsum esse, et Deum esse in corpore.* Et S. Gregor. Nazianz. orat. 43. n. 20. *Ut ætate, ita et sapientia proficiebat; non quod hæc in eo incrementum caperent; ... sed quod hæc paulatim in eo detegerentur, et elucerent.*

373. *Inst.* 1. Marc. 13. ait de se Christus ipse : *De die autem illa nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.*

Responsionem jam datam lege, ubi de divinitate Christi contra Arianos egimus, num. 102.; quia tamen hic contra scientiam beatam humanitatis eadem formatur objectio, *adde :* Christum dici nescire diem judicii; quia nec accepit a Patre potestatem illum revelandi; nec facit homines illum scire; quo sensu, quibus servare secretum incumbit, quod sciunt, ut Confessarii, Consiliarii, se nescire dicunt, scilicet ita, ut revelent; sicut et e contrario Gen. 22. legitur : *Nunc cognovi, quod timeas Deum;* sensus est : nunc feci ut cognosceres; quia et ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. Ita S. Augustinus de Trinit. L. 1. c. 12. n. 23. Vel : notum fecisti omnibus te timere Deum; ut exponit S. Joann. Chrysostomus in Gen. hom. 47. n. 3. Pater tamen scire dicitur; quia Filio ut homini revelaverat, eumque solum fecerat scire diem judicii. *Spiritus,* ait idem S. Chrysost. hom. in Matth. 77. n. 1. *investigat etiam profunda Dei; ille vero ne tempus quidem judicii noverit? Sed scit et quomodo judicare oporteat, et arcana singulorum; quod autem longe inferius est, id ignoraturus erat? Quomodo si omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, diem illam ignoravit? Nam qui secula fecit, sane fecit et tempora; si tempora, etiam diem : quomodo ergo quam fecit ignorat?* Ex eo vero, quod addatur : *nec angeli :* non sequitur, quod angeli etiam sciverint, sicut Christus, sine potestate revelandi; non enim est hic perfecta paritas Christum inter et angelos; sed comparatio est : nec angeli sciunt simpliciter, nec Christus, ita ut revelare possit; quod, quantum ad usum scientiæ, idem est ac nescire, juxta illud: *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.*

374. *Inst.* 2. Ex antiquioribus Patribus nonnulli, ut S. Basilius epist. 236. n. 1. ad Amphilochium, S. Athanasius. orat. contr. Arian. 3. n. 43., S. Hilarius de Trin. L. 9. n. 75., S. Greg. Naz. orat. 30. n. 15., ut Arianos, Christi divinitatem ex ejus ignorantia impugnantes, ad silentium redigerent, ignorantiam objectam subin detorquebant ad Christi humanitatem. Sic S. Cyrillus quoque L. 22. Thesaur. (opp. t. 5. part. 1ª. p. 218. C.) : *Finis autem,* ait, *quidnam aliud est quam ipse ultimus dies, quem ignorare se respectu incarnationis dixit, ordinem et decorum humanitati conveniens servans? Humanitatis enim proprium est futura ignorare.*

R. 1°. *N. Ant.* Sed sensus illorum est, Verbum assumpsisse naturam humanam ignorantem, quæ juxta conditionem suæ speciei alias ignorans est; sicque Christum scientiam non habuisse ex suæ humanitatis conditione; scivisse tamen. *Unigenitus,* inquit S. Gregor. M. L. 10. epist. 39. *factus pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis novit diem et horam judicii; sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit.* Nec alia fuit sententia S. Athan. et S. Gregor. Naz. ut ex ipsismet locis in objectione citatis abunde constat.

R. 2°. Demus veterum nonnullos ignorantiam detorsisse ad Christi humanitatem; id 1°. quoad apparentiam fecerunt, quatenus Christus dispensatione quadam ita se gessit, quasi varia ignoraret; ut quidem S. Cyrill. loc. cit. (p. 219. B.) ipse subdit et explicat. 2°. Id fecerunt figura, ut dicitur *concessionis*; velut dicerent : dato, non concesso, Christum ignorasse diem illum; eum non ignoravit ut Deus, sed ut homo; ergo immerito infertis Ariani, eum non esse vere Deum. Unde non sequitur, eos vere hanc ignorantiam affirmasse in Christo homine. Sic Leporius presbyter, apud Petavium L. 11. c. 1. §. 14. in libello emendationis, qui Africanorum quorumdam antistitum, et inter eos S. Augustini subscriptione probatus est, quod alias, ad objecta Arianorum respondens, ignorantiam velut concessione, ut dictum, detorsisset ad Christi humanitatem; contraria professione id ipsum revocavit his verbis : *Ut autem et hinc nihil cuiquam in suspicione derelinquam, tunc dixi, imo ad objecta respondi, Dominum nostrum Jesum Christum secundum hominem ignorare; sed nunc non solum dicere non præsumo; verum etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam.*

375. *Obj. II.* Alios Scripturæ textus. 1°. De Christo prædicitur Ps. 34. *Quæ ignorabam, interrogabant me.* Et Jerem. 11. in Christi persona ait Propheta : *Non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia.* Sed hæc in Christo homine ignorantiam produnt. 2°. Luc. 22. Christo *apparuit de cœlo angelus confortans eum.* Sed si Christus novisset omnia, neque instantes ignorasset cruciatus, neque opus ipsi fuisset confortante angelo; ergo.

*Ad* 1$^{um}$. R. *N. min.* Psalmistæ sensus est : *quæ ignorabam*, hoc est, quæ non feci, sive quorum mihi non eram conscius. Jeremiæ verba : *non cognovi*, idem sonant, quod dissimulavi; sive externe non manifestavi me cognoscere.

*Ad* 2$^{um}$. R. 1°. Dicta illa fuisse ad veræ Christi humanitatis probationem; instinctu quippe naturali, natura nostra imminentia sibi atrocia mala, præsertim mortem, aversatur.

R. 2°. Cum S. Epiphanio hær. 69. n. 60. verba illa : *confortans eum*, idem importare, ac laudans ejus fortitudinem, qua se morti promptus obtulerat dicens : *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Quin ex ipsis illis Christi verbis conficitur, futurorum cruciatuum eum perfecte præscium fuisse.

376. *Obj. III.* Ex ratione : 1°. Scientia beata, seu visio beatifica secum fert summum gaudium, et omnem fugat tristitiam : sed Christus gravem tristitiam passus est in horto, cœpit pavere, tædere; ergo. 2°. Gloria corporis ob unionem hypostaticam æque fluit, eratque debita Christo homini, quam visio beatifica; ergo si illa impediri potuit in Christo, cur non et altera?

*Ad* 1$^{um}$. R. *D.* Secum fert summum gaudium, et fugat tristitiam connaturaliter; sicut calor ut octo pellit frigus *C.* essentialiter, ita ut ad finem redemptionis obtinendum, gaudium impediri non possit, et tristitia de alio objecto, quod est distinctum ab objecto gaudii, non possit in eum finem permitti *N.* Paulo aliter respondent alii : Christum nempe retinuisse in superiori parte animæ gaudium, ac voluptatem, quæ ex visione Dei beatifica fluit, ne in partem inferiorem influeret, cohibuisse, ut sic redemptionis

nostræ opus perficeret; sicut impedivit, ne propria alias visioni beatificæ gloria ex anima in corpus redundaret.

*Ad* 2$^{um}$. R. *Disparitas* est; quia impediri gloriam corporis, ut Christus pati posset, necessarium erat ad obtinendum redemptionis finem eo modo, quo decretus erat; decretum vero Dei erat, ut omnia passione et morte consummaret, ad Hebr. 2. Ad hunc vero finem non ita faciebat visionis beatificæ impeditio.

## ARTICULUS II.

### AN PRÆTER SCIENTIAM BEATAM, ANIMA CHRISTI HABUERIT SCIENTIAM PER SE INFUSAM? ET QUOD HUJUS FUERIT OBJECTUM?

377. Duplex hic distinguitur scientia infusa. Altera est *per se* talis; estque illa, quæ a solo Deo postulat infundi, supra omnem subjecti, cui infunditur, exigentiam; estque intrinsece et quoad substantiam supernaturalis; et licet scientia beata, de qua Artic. præc., vel maxime talis sit; nomen tamen generis hæc, quanquam minus perfecta, sortitur. Altera est *per accidens* infusa, quæ per se quidem acquiri potest labore humano et industria, per species e phantasmatibus, ope intellectus agentis, erutas; a Deo tamen infundi potest, absque labore et industria acquirentis; qualis fuit scientia, quam Deus infudit protoparentibus, qui a primo creationis momento excellentiori longe gradu infusas habuerunt scientias, et artes, quam homines reliqui diuturno labore sibi comparent.

378. *Dico I.* Fuit in Christo scientia per se infusa a primo conceptionis suæ momento. Est S. Thomæ 3. p. q. 9. a. 3. ac q. 11. tum communis TT.

*Prob. I.* Ex S. Script. ad Hebr. 10. ubi Apostolus introducit Christum statim mundum ingredientem, se in sacrificium offerentem æterno Patri: sed non potuit Christus ingrediens mundum, se offerre æterno Patri, nisi in ejus intellectu præcesserit actus scientiæ, a quo talis oblatio regularetur; ergo. *Subs.* Sed hæc scientia non potuit esse illa beata; hæc enim non est proportionata regula actus liberi: qualis fuit prima illa oblatio, qua se Patri obtulit, quæ fuit meritoria, ut ex S. Augustino probat S. Thom. 3. p. q. 34. a. 3. et docent in hunc locum SS. Chrysostom. Ambros., etc.; voluntas autem sanctificativa hominum debuit esse meritoria. Nec fuit scientia acquisita; quia hæc pendet a sensibus, organisque corporeis, quibus, defectu ætatis, non potuit eo tempore Christus uti; ergo debuit esse infusa.

*Prob. II.* Ratione. 1°. Christus non solum fuit comprehensor, sed simul viator; ergo et decuit pariter, habere eumdem ut viatorem scientiam propriam viatoris, seu infusam; est enim perfectio peculiaris, et a scientia beata independens: quoniam vero a primo instanti non minus viator fuit, quam comprehensor; ergo et jam tunc illa scientia ei conveniebat; tum etiam, si illam in primo ortu habuerint angeli et Adamus; cur non Christus, illis infinite excellentior?

2°. Nulla perfectio deneganda est Christo homini, nisi vel opponatur visioni beatificæ, ut fides; vel officio Redemptoris, ut gloria corporis; ergo cum scientia hæc entitative supernaturalis, sit naturæ humanæ peculiaris

perfectio, et neutri opponatur; non est abneganda Christo; sed potius, ut debita unioni hypostaticæ, ei ab initio concedenda. Scientiam vero per se infusam non adversari visioni beatificæ inde liquet; quod una eademque res cognosci possit diversa luce, et diverso genere cognitionis; sicut et nos objectum idem, quod videmus sensu externo, cognoscimus simul interno, et percipimus intellectu.

379. *Dico II.* Christus homo per scientiam per se infusam, quoad res ordinis supernaturalis, cognoscit tum omnia entia creata supernaturalia in se ipsis; tum Deum unum et trinum evidenter, non quidem intuitive, sed abstractive per species alienas.

*Prob.* 1ª. *p.* Entia illa supernaturalia creata, sive quidquid pertinet ad ordinem gratiæ, spectant ad scientiam per se infusam; in se enim possunt clare et directe attingi ab aliqua scientia: non naturali; hæc enim ad illa repræsentanda proportionata non est: neque etiam a beata scientia; quia hæc in se et directe repræsentat solum Deum; cætera vero tantum indirecte, et in ipso, ergo a scientia per se infusa; alia enim non superest.

*Prob.* 2ª. *p.* Quia, ex dictis modo, cognovit res supernaturales creatas distincte in se ipsis: atqui nequit eas ita distincte, et intuitive cognoscere, nisi in ipsis etiam indirecte et abstractive cognoscat tum divinitatem, tum Trinitatem, quibuscum eæ res connexæ sunt. Sic cognoscit inter alia visionem beatificam; sed hæc essentialem respectum dicit ad SS. Trinitatem, utpote clara Dei unius et trini repræsentatio.

Dixi tamen: *abstractive per species alienas.* Non enim cognoscit anima Christi mysterium Trinitatis abstractive per speciem propriam, repræsentantem quidditatem ipsius: talis enim species foret necessario infinita; quia deberet in se ipsa exprimere quidditatem Dei, quæ est infinita. Nec est eadem ratio de cognitione beatifica clare exprimente essentiam divinam infinitam; nam illam non exprimit in se ipsa, uti exprimeret talis species abstractiva; sed est pura tendentia vitalis ad objectum in se ipso existens.

380. *Dico III.* In ordine naturali, scientia per se infusa, cognoscit humanitas Christi secreta cordium, res futuras, absentes, præteritas, futura conditionata libera, ac possibilia eo modo, quo attingi a creato intellectu possunt.

*Ratio* est, quia imprimis non repugnat per scientiam supernaturalem cognosci etiam res ordinis naturalis; quamvis enim lumen ordinis inferioris terminari non possit ad res ordinis superioris, eo quod hæ perfectionem illius transcendunt; potest tamen lumen ordinis superioris attingere inferiora, cum virtus, quo superior, eo etiam universalior sit; ergo.

381. *Obj. I.* Carentia scientiæ per se infusæ non infert imperfectionem aliquam in Christo: quia non est carentia privativa, sive formæ subjecto debitæ; sed solum negativa; ergo in Christo homine abesse potest.

R. *N. Ant.* Sicut enim in Beatis, quamvis per visionem beatificam eadem videant objecta, quæ percipiunt sensibus, admittuntur tamen in illis cognitiones etiam sensitivæ ad cognoscendum connaturaliter per potentias naturales, quas, licet beati sint, non otiosas ac frustra possident, cum

non opponantur statui beatitudinis : ita Christus, etsi objecta eadem cognoscat per scientiam ; merito tamen requirit, etiam cognoscere illa connaturaliter, supernaturalibus et naturalibus potentiis, et multo magis, quam Beati, ob rationes Concl.

382. *Inst.* 1. Christus homo longe perfectius cognoscit objecta, per scientiam beatam, quam ea cognoscere possit per scientiam infusam; ergo hæc est superflua.

R. 1º. Idem tenet in Beatis.

R. 2º. *D. Ant.* Cognoscit per scientiam beatam perfectius ; sed uno modo tantum *C.* omni modo, etiam eo, quo cognoscit per scientiam infusam *N.* Cognoscit igitur objecta per scientiam beatam perfectius quidem; sed solum secundum quid, non simpliciter. Deinde modus cognoscendi respectu utriusque scientiæ non est idem; nam per scientiam beatam cognoscit objecta in Deo tantum causaliter; per infusam vero formaliter in se ipsis; igitur hic cognoscendi modus, utpote connaturalis, et peculiaris humanitatis perfectio, Christo negari non debet.

383. *Inst.* 2. Ob scientiam beatam non admittitur in Christo fides, sicut nec in Beatis; quia jam possidetur objectum perfectius; ergo ex eadem ratione admitti non debet scientia infusa.

R. *N. Causal. Antec.* Sed ideo non admittitur fides, quia essentialis illi obscuritas obstat statui beatifico; sed huic, ex dictis, scientia per se infusa non obstat. Deinde visio et scientia non habent idem objectum immediatum; unde etiam ex hac parte est diversitas.

384. *Inst.* 3. Nequeunt stare simul scientia attingens Deum absentem, et scientia repræsentans Deum ut præsentem : atqui tales sunt scientia infusa, et beata; quarum prior Deum absentem, posterior ut præsentem repræsentat; ergo.

R. *D. M.* Nequeunt simul stare scientia attingens Deum absentem positive, et scientia, etc. *C.* attingens Deum absentem negative, vel præcisive *N.* Per scientiam infusam cognoscitur Deus absens tantum negative et præcisive; quia scientia hæc non quidem attingit Deum *ut præsentem;* at non idcirco negat esse præsentem, vel affirmat absentem.

385. *Obj. II.* Si detur in Christo scientia per se infusa; ergo ea uti potuisset sine conversione ad phantasmata, vel non : neutrum videtur commode dici posse; ergo.

R. *N. min.* et dico cum Angelico Doctore 3. p. q. 11. a. 2. Ut Christus ea scientia uteretur, non necesse habuisse se convertere ad phantasmata. Ratio est; quod necessitas convertendi se ad phantasmata, oritur ex naturali dependentia et connexione, quam habent species intelligibiles ad phantasmata, ex eo, quod sunt erutæ e phantasmatibus opera intellectus agentis : ob quam dependentiam nequit intellectus humanus suum speculari objectum, quin illud idem, medio phantasmate corporeo, speculetur phantasia; sed species infusæ nullam habent dependentiam et connexionem ad phantasmata; cum sint propriæ rerum repræsentationes a solo Deo productæ, independenter a sensibus, et organis corporeis; ergo.

386. *Obj. III.* Non potest in visione beatifica cognosci Deus, nisi eo modo, quo per eam repræsentatur : atqui visio beatifica repræsentat Deum intuitive; ergo. *Conf.* Cognitio procedens a scientia per se infusa est comprehensiva visionis beatificæ ; ergo clarissime repræsentat totum, quod visio de Deo enuntiat.

R. *D. min.* Visio, prout illa est repræsentatio formalis, repræsentat intuitive Deum subjecto visionem elicienti, sive Beato soli, quem informat *C.* Prout est repræsentatio objectiva, ut respectu intellectus alterius, qui Deum cognoscit in visione, tanquam in objecto *N.* Sic scientia beata, vel visio, est objectum respectu scientiæ per se infusæ.

*Ad Conf.* R. Quamvis cognoscatur totum, quod repræsentatur per visionem; tamen non nisi abstractive attingitur, cum cognoscatur in specie alterius, in quo non continetur eminenter.

## ARTICULUS III.

### AN, ET QUALEM SCIENTIAM NATURALEM HABUERIT CHRISTUS?

Scientia naturalis in genere illa dicitur, cujus et objectum nonnisi res naturaliter cognoscibiles complectitur, et modus, quo tendit in objectum, naturalis est; hæc, si est acquisita labore proprio, et propriorum experimento sensuum, dicitur experimentalis, juxta num. 366. Si est per accidens infusa, naturalis specifice dici solet; rectius, *naturalis infusa* dicitur, ut magis ejus discrimen pateat a *naturali acquisita*, labore proprio, sive experimentali. De utraque scientia naturali, infusa, et experimentali, sive acquisita hic quæritur.

387. *Dico I.* Habuit Christi humanitas, præter scientiam beatam, ac infusam per se, scientiam quoque naturalem eamque perfectissimam, per accidens infusam, ab instanti conceptionis suæ.

*Prob.* Ratione. 1°. Christus ab instanti suæ conceptionis fuit quoad omnes proprietates naturæ suæ humanæ perfectissimus ; ergo et habuit hanc scientiam. 2°. Hanc scientiam habuit Adam in ipso creationis suæ momento ; ergo a fortiori Christus. *Nec dicas*, Adamo scientiam eam fuisse connaturaliter debitam, quia conditus in ætate perfecta, in qua sine hac non potuisset connaturaliter suum explere officium ; nam quod Adamus erat conditus in virili ætate, jam erat Christus quoad rationem in conceptu suo, juxta Jerem. 31. *Femina circumdabit virum.* 3°. Christus ab initio infusas habuit virtutes morales omnes, etiam ordinis naturalis ; ergo etiam scientias : tum a paritate rationis ; tum quia inter virtutes morales est prudentia, a qua reliquæ virtutes in operando proxime regulantur ; prudentia autem supponit notitiam speculativam principiorum et conclusionum. 4°. Christus ab initio uti potuit ratione non modo in actibus supernaturalibus, verum etiam in naturalibus ; ergo ab initio scientiis omnibus, etiam naturalibus, instructus esse debuit. 5°. Vel hanc scientiam ergo acquisivit postea per disciplinam ab homine, ut Gnostici et Valentiniani olim fabulati sunt, vel per inventionem a rebus; primum dicit dependentiam ab homine ; secundum a rebus ; utrumque repugnat perfectioni Christi. 6°. Sequeretur secus, naturalem scientiam in genere in Christo fuisse imperfectam ; cum non potuerit in tota vita sua Christus acquirere sibi species rerum omnium.

Ad hanc igitur scientiam naturalem infusam pertinent habitus primorum principiorum naturaliter cognoscibilium ; sapientia, scientia, artes, et alia. Cumque infusa esset hæc scientia, licet per accidens, non dependebat a phantasmatis ; Christus haud necesse habuit, recurrere ad phantasmata ; cum illa scientia uti vellet.

388. *Dico II.* Habuit tamen etiam Christi humanitas scientiam experimentalem, nullo modo infusam, sed propriis actibus successive acquisitam : per quotidianam experientiam, acquirendo novas objectorum species. Est communis Theologorum.

*Prob.* Cum enim natura humana in Christo suis esset instructa sensibus ; hi excitabantur a subjectis ; a sensibus per species impressas phantasia ; et ab his potentia intellectiva et cognitio. Unde non tantum habuit eorum memoriam, quæ sic noverat ; sed et multa vidit, audivit, sensit ; quæ nullo antea sensu erat expertus. Unde ad Hebr. 5. v. 8. ait de Christo Apostolus : *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam* ; nimirum didicit experimentaliter. Differt vero hæc scientia experimentalis ab infusa per accidens, quod hæc abstrahat a tempore et experientia sensuum ; experimentalis vero terminetur ad objectum ut sensatum, sensatione præterita vel præsenti : cujus sensationis speciem Christus ante non habebat, sed acquirebat de novo.

389. *Obj. I. cont. Concl. I.* 1°. Jesus proficiebat scientia, ætate ; Luc. 2. ; ergo carebat scientia naturali infusa. 2°. Subsistentia creata est æque naturaliter conjuncta naturæ humanæ, quam scientia naturalis ; sed illa excluditur per subsistentiam divinam ; ergo et hæc tum per scientiam beatam, tum infusam per se. 3°. Christus scientia per se infusa jam cognoscebat omnia, quæ cognosci possunt scientia de se acquiribili et per accidens infusa ; ergo hæc superfluit. 4°. Doctor Angelicus 3. p. q. 12. a. 2. docet, habitum scientiæ naturalis auctum fuisse per abstractionem specierum, illudque probat allatis aliorum Patrum sententiis.

*Ad* 1$^{um}$. R. ut num. 372. Proficiebat sapientia experimentali, acquirendo per experientiam novas objectorum species *C.* infusa *subd.* Quoad majorem ostensionem externam *C.* secus *N.* Sic et proficiebat gratia, non quoad habitum, sed actum.

*Ad* 2$^{um}$. *D. M.* Est æque connaturalis naturæ humanæ, et simul æque compossibilis cum subsistentia aliena *N.* cum hac incompossibilis *C.* At scientia per accidens infusa nec repugnat scientiæ beatæ, nec infusæ per se : cum una eademque res cognosci possit multiplici luce et genere cognitionis ; et quidem magis connaturaliter per scientiam naturalem cognoscuntur res ordinis naturalis ; ergo et disparitas est.

*Ad* 3$^{um}$. R. *D.* Scientia per se infusa cognoscebat omnia cognoscibilia, et omni etiam modo, quo cognosci possunt *N.* non omni tamen modo *C.* Ad perfectionem autem intellectus Christi spectat, non solum cognoscere omnia ; sed etiam omni eo modo, quo sunt cognoscibilia ; ergo et hoc naturali, ne alias scientia naturalis in Christo, secus ac in Adamo, defecisset, juxta prob. 6. Conclus.

*Ad* 4$^{um}$. *explico* et *D.* Auctum fuisse habitum scientiæ naturalis infusæ *N.* experimentalis *C.* Nam de priori contrarium tenet q. 20. de Veritate a. 2.

et in 3um. d. 15. a. 3. q. 3. cum S. Bonaventura, Scoto, Durando, et aliis. Experimentalis vero, cum sit habitus pluribus experimentis, seu actibus circa singularia, sensibus percepta; augeri potuit: sicut et Christus secundum hanc proficere sapientia.

390. *Obj. II. cont. Concl. II.* 1°. Christus ab initio habuit infusas virtutes morales omnes; ut ipsi diximus Concl. 1a.; ergo et omnes scientias ita infusas habuit, ut nullam postea acquisierit experientia. 2°. A primo instanti erat plenus gratiæ et veritatis; ergo nullam habuit scientiam acquisitam. 3°. Si potuisset acquirere scientiam experimentalem, intellectus Christi errare potuisset; error enim intellectus oritur ex errore sensus externi et interni; at in Christo poterat esse error sensuum; sic enim a longe poterat res apparere minor, quam revera esset.

*Ad* 1um. R. *N. Cons.* Licet enim exinde inferatur, Christum pariter habuisse scientiam naturalem infusam; non tamen idcirco scientia experimentalis excluditur: scire enim rem experimentaliter, est specialis cognoscendi modus, homini proportionatus ac connaturalis, ac essentialiter connexus experientiæ successu temporis habendæ; unde Christus caruisset modo cognoscendi hominis proprio, si nullam scientiam acquirere potuisset; quale nihil ex antecedente sequitur.

*Ad* 2um. R. *D. Ant.* Veritatis illius, quam infundi exigebat unio hypostatica *C.* talis est utraque infusa, per se, et per accidens. Quæ connaturalis exigebat acquiri *N.* Talis est experimentalis; propter utramque enim scientiam infusam non debet Christus carere modo cognoscendi alio, hominis sensibus instructi proprio.

*Ad* 3um. R. *N. seq. et prob. min.* Tum quia virtute divina Christus poterat ita suos confortare sensus, ut non æque fallerentur, ac nostri: tum quia per excellentissimam intellectus sapientiam, ac scientiam tam beatam, quam infusam facile corrigere poterat sensum, si quando errare contingeret, et si quam errandi occasionem dare vellent phantasmata.

---

## SECTIO II.

### DE HUMANÆ IN CHRISTO VOLUNTATIS PERFECTIONE.

Ut certum fidei dogma, ex dictis Dissert. II. definitum contra Monotheletas et Eutychianos, supponimus hic duas in Christo voluntates, divinam et humanam. Solum hic de voluntatis humanæ perfectione sermo erit. Quam maxime extollunt, ceu duo ornamenta nobilissima, *impeccabilitas*, et *libertas*, de quibus proinde secuturis Articulis agendum est.

## ARTICULUS I.

### AN CHRISTI HUMANITAS OBSTRICTA UNQUAM PECCATO FUERIT, AUT ESSE POTUERIT? ET CUR NON? TUM, AN IN EO LOCUM HABUERIT FOMES PECCATI?

391. Ex antiquioribus hæreticis fuisse, qui ita sentirent, BELLARMINUS notat, et colligi videtur ex Concilio Ephesino Act. 10. Ex recentioribus novatoribus Christianas aures blasphema voce *Calvinus* offendit in cap. 27. Matth. scribens: desperationis verba Christum edidisse in cruce. Tum L. 2. Instit. c. 16. §. 12. Christum, quando descendit ad inferos, de sua dubitasse salute; quod impium est dicere, licet, ut postea conatur emollire, motus illi anteverterint rationem. Dura etiam Durandi vox est in piis Catholicorum auribus, dum in 3um. d. 12. q. 2. non repugnare dicit, Deum peccare per assumptam naturam.

392. *Dico I.* Christus, Sanctus Sanctorum, nulli unquam peccato obstrictus fuit. Est de fide.

*Prob. I.* Ex DIVINIS SCRIPTURIS, omnem peccati umbram in Christo excludentibus. Isaias 53. 9. prædixerat de Christo: *Qui iniquitatem non fecit.* Daniel c. 9. *Sanctum Sanctorum* prænuntiavit. Apostolus testatur, 2. Cor. 15. 21. *Qui non noverat peccatum.* Ad Hebr. 7. 26. *Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* Ibid. 4. 15. *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato.* Porro peccatum originale removet a Christo angelus, Luc 1. v. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* De actuali vero, imo peccato quolibet, expostulabat Christus ipse cum Judæis, Joan. 8. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

393. *Prob. II.* Auctoritate ECCLESIÆ et PATRUM. Concilium Ephesinum Anathem. 10. S. CYRILLI Alex. approbans ita definit (Labb. t. 3. p. 409. C.): *Si quis Christum pro seipso quoque, et non potius pro nobis solis sacrificium obtulisse affirmaverit (neque enim is oblatione opus habebat, qui nullum peccatum commiserat), anathema sit.* Concors etiam est Patrum traditio et sensus Inter hos S. DIONYSIUS Alexandrin. epist. contra Paulum Samosatenum (Labb. t. 1. p. 855. C.): *Nisi,* inquit, *Christus idem esset Deus Verbum, non poterat a peccato immunis esse. Nullus enim peccato est expers, nisi solus Christus; sicut et Pater Christi et Spiritus sanctus.* S. ATHANAS. orat. 1a, cont. Arian. n. 51. agens de mutabilitate hominum secundum justitiam et peccatum: *Primo,* inquit, *homine mutato, et morte per peccatum in mundum introgressa; necesse omnino fuit, secundum Adam immutabilem esse, quo, si denuo serpens eum invaderet, impostura illius vim nullam et efficaciam haberet.* S. AMBROS. Lib. de Incarnat. Domin. Sacram. c. 7. n. 65. *Quomodo lubricum poterat timere peccati, qui peccatum remissurus advenerat?* Similibus sententiis pleni sunt Patrum codices. S. AUG. L. de Prædest. Sanctorum. c. 15. n. 30. L. de Nat. et Grat. c. 36., S. CYRILL. Alexandrin. Lib. 11. in Joan. (opp. t. 4. p. 985. D.), S. LEO epist. 28. ad Flavianum. cap. 2., etc.

Id ipsum cuilibet dictat recta ratio. Nam præterquam, quod deformé omnino, et indignum persona divina fuisset, adeoque repugnans, in ulla sua natura peccato contaminari; nihil etiam id conduxisset ad assequendum incarnationis finem; sed obstitisset potius, ut 3. p. q. 15. a. 1. in θ. demonstrat Doctor Angelicus.

394. *Obj.* 1°. Ps. 22. David in persona Christi morientis ait: *Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum;* ergo Christus delicta habuit; illa enim in persona Christi dicta fuisse constat ex Matth. 27. 45., Marc. 15. 34. et expositione Patrum 2°. Verba illa Christi: *Ut quid dereliquisti me?* dubitationem, vel desperationem, vel impatientiam certe præferunt. 3°. Christus in horto orans, Matth. 27. 39. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste,* divinam ordinationem immutari voluit, juxta quam sibi subeundam noverat mortem crucis; sed hoc correctione in Christo eguit. Ita *Calvinus.*

*Ad* 1$^{um}$. *N. Cons.* vel *D.* Habuit delicta propria *N.* aliena, hominum, quæ in se susceperat passione et morte expianda *C.* Juxta Augustin. ep. 140. ad Honoratum c. 6. n. 17. 18. et Damascen. Lib. 3. cap. 24. loquitur de peccatis *membrorum suorum,* quorum ipse caput est; vel quia illa juxta beneplacitum Patris libere recepit, pro illis satisfacturus, juxta illud Is. 53. *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.* Nam et communi loquendi modo appellare solemus debitum *nostrum,* etiam illud, quod recepimus nos esse dissoluturos, tametsi sit alienum. Atque hoc etiam modo eam Christi locutionem exposuit S. Aug. Expositione 2. in Ps. 21. n. 3. *Quomodo dicit: delictorum meorum? nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, et delicta nostra sua delicta fecit, ut justitiam suam nostram justitiam faceret.*

Etsi vero hoc ita sit, recte tamen in Concilio Basileensi Sess. 22. damnata est illa cujusdam Augustini de Roma propositio, tanquam sapiens blasphemiam: *Christus quotidie peccat in membris suis;* non enim hic loquendi modus perinde admittit illum sensum: scilicet peccata membrorum Christi, illius esse, quoniam sunt membrorum ipsius, et recepit pro illis se satisfacturum; sed quid aliud isto loquendi modo innuitur: nempe Christo imputari peccata membrorum, seu Christum ipsum cum illis peccare, etc., quod blasphemum est.

*Ad* 2$^{um}$. R. *N.* Blasphemum assertum. Sed verba erant dolorem naturalem exprimentia, quibus significabat admirationem quamdam humanam divini consilii, adeo severi in Filium. Hos vero dolores expressit ideo, inquit S. Epiphanius hær. 69. n. 64., *ut Incarnationem non specie duntaxat adumbratam; sed reipsa, vereque administratam fuisse discamus.* Quam S. Epiphanii rationem tenent Patres alii, Origenes homil. 35. in Matth. n. 135., S. Cyrill. Alexandrin. L. 2. de fide ad Reginas (opp. t. 5. part. 2ª. p. 140.).

*Ad* 3$^{um}$. R. *N. Ant.* Constat ex S. Luca, qui idem distinctius refert c. 22. 42. *Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Igitur reipsa immutationem ordinationis divinæ non petiit; sed ut ea voluntate conditionata, et horrore naturali mortis ostenderet se verum hominem, ut supra diximus num. 375. nec proinde voluntas illa mala fuit, correctione egens, ut blasphemé Calvinus censuit; sed omnino

consentanea humanæ naturæ, atque adeo prorsus recta. Impletum ea petitione fuit, interprete S. Justino M. Dialogo contra Tryphonem n. 99., quod regius Vates præcinuerat Ps. 21. 3. *Clamabo per diem, et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi*; ergo sapienter ita oraverat.

395. *Dico II.* Nec potuit Christi humanitas ullo peccato obstringi. Est certa et communis Doctorum sententia contra Durandum et nonnullos.

*Prob. I.* Concilia et Patres non tantum peccatum qualecumque, sed ipsam peccandi potentiam e Christo penitus excludunt. Nam 1°. Synodus gen. VI. Act. 8. definitive ait (Labb. t. 6. p. 761. D.): *Humanam impeccabilem voluntatem assumpsit Dominus noster Jesus Christus humanæ suæ naturæ.* Et Act. 10. (ibid. p. 809. B.) approbat sententiam S. Gregorii Nazianzeni, 2. serm. de Filio (al. orat. 30. n. 12.), dicentis: *Dicitur descendisse de cœlo Filius, non ut faciat voluntatem suam, sed ejus qui misit eum. Sane nisi ab illo ipso qui descendit, hic sermo haberetur, dicere possemus hæc verba velut ab homine exprimi, non qui de Salvatore intelligatur (illius enim voluntas, cum tota deificata sit, Deo procul dubio non adversatur)*, id est, non repugnat divinæ voluntati. 2°. Consonant SS. Patres plerique. S. Augustin. L. de corrept. et gratia c. 11. n. 30.: *Neque metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ a Verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium; cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis... nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.* S. Cyrill. Alexandrin. L. 10. in Joan. c. 14. (opp. t. 4. p. 834. C.): *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam... propria quippe ejus* (diaboli) *sunt mala, et peccati origo principem et auctorem eum agnoscit. Quod autem verum sit ille sermo Salvatoris, ex ipso potissimum ordine et serie verborum licet agnoscere. Quomodo enim peccavit qui peccatum non novit, ille natura et veritate Deus?* S. Anselmus L. 2. cur Deus homo cap. 10.: *Si Adam moriturus non erat, si non peccasset, multo magis iste* (Christus) *mortem pati non debebit, in quo peccatum esse non poterit, quia Deus erit.* S. Athanasius L. 1. contr. Apollinar. n. 7.: *Adæ lapsum in incomparabilem reparationem Christus, in similitudine carnis peccati apparens, peccatumque in carne condemnans, restituit; ita ut carne indutus in terra versaretur, et carnem peccati incapacem exhiberet: quam cum peccati expertem Adam ex prima formatione habuisset, ex prævaricatione illam peccati capacem fecit, ac in corruptionem et mortem delapsus est. Hanc Christus suscitat natura impeccabilem..... ut ipse esset impeccabilitatis specimen.* S. Hilarius L. 10. de Trinit. n. 25.: *Homo Christus Jesus et in veritate nativitatis est dum homo est, et non est in peccati proprietate dum Christus est: quia et qui homo est, non potuit non homo esse quod natus est, et qui Christus est, non potuit amisisse quod Christus est.* Plures vide apud Suarez de Incarnat. q. 15. disp. 33. sect. 2. et Petavium ibid. L. 11. c. 10.

396. *Prob. II.* Ratione. Si humanitas Christi peccaret, peccatum redundaret in suppositum divinum *secundum se*, non tantum denominative (actiones enim sunt suppositorum; ergo operationes, quæ ab humanitate effective procedunt, sunt actiones illius suppositi, vel Verbi): sed etiam formaliter. Peccatum enim, utpote cum præcepto divino pugnans, adeo

malum et deforme est, ut quilibet teneatur illud a natura sua, et quacumque sui parte sibi substantialiter unita arcere, ita ut, si hoc non faciat, peccet, et delinquat eo ipso per eam sui partem, qua potuisset peccatum prohibere; nam et ideo nos etiam per rationem et vim animi superiorem tenemur omnino peccatum, et motum pravum cum lege divina pugnantem prohibere, si possumus, non solum in ipsa ratione; sed etiam in appetitu sensitivo, qui subsistit in nobis; idque nisi faciamus, ipsi quoque secundum rationem delinquimus.

Igitur, cum humana natura substantialiter unita sit supposito Verbi divini, nisi suppositum per divinam naturam suam omnino peccatum removeret, cum possit, in natura humana; eo ipso secundum divinam etiam naturam admitteret aliquid prorsus deforme, et abhorrens a sua bonitate summa, adeoque delinqueret; non quidem contra aliquod præceptum superioris, cum persona divina superiorem non habeat; sed contra naturam et conditionem bonitatis suæ, quæ ejusmodi est, ut data hypothesi, quod naturam humanam sibi substantialiter unitam teneat, debeat prorsus omne ab illa peccatum removere.

397. *Dico III.* Impeccabilitas Christi hominis oritur non ex vi solius visionis beatificæ; sed etiam unionis hypostaticæ, ita ut, seclusa etiam visione beata, Christus adhuc foret essentialiter impeccabilis.

Communis Theologorum contra Scot. et Durand. impeccabilitatem Christi ex sola visione beatifica derivantes. Equidem impeccabilem esse Christi humanitatem vi visionis beatificæ, constat : tum quia hæc necessitat ad amorem Dei, expulsivum omnis peccaminosi effectus; tum quia repræsentat Deum sub ratione boni infiniti, ita ut nulla prorsus in ea reluceat ratio mali; unde repræsentare nequit amorem Deo oppositum ut eligibilem. Solum hic igitur probandum superest, alterum : eamdem vim exclusivam peccati omnis inesse etiam unioni hypostaticæ, seclusa licet visione beata. Quare

*Prob. Concl.* 1°. Quia relata num. præc. Concilia, sanctique Patres constanter impeccabilitatem Christi in unionem hypostaticam refundunt; ut legenti patebit. 2°. Idem ostendit prob. 2. Concl. prioris. 3°. Sanctitas ex suo conceptu, ut alibi defendimus, est incompossibilis cum peccato lethali; igitur multo magis unio hypostatica ob sanctitatem multo majorem omne excludit peccatum; scilicet præterquam quod ex peccato illo humanitatis persona divina, ex natura sua infinite sancta, amabilis, etc., dici deberet peccatrix, odibilis Deo, etc., quæ prædicata repugnant; hæc insuper unio est summa communicatio omnis possibilis sanctitatis, quæ excludit omnem culpæ, vel immunditiæ umbram in eo, in quo est.

398. *Obj. I. contra Concl.* 2am. *et* 3am. Humanitas per unionem hypostaticam non immutata fuit, sed permansit ejusdem rationis cum naturis cæteris, quæ assumptæ non sunt; ergo mansit peccabilis, uti aliæ naturæ.

R. *D. Ant.* Non fuit immutata intrinsece quoad constitutiva naturæ *C.* quoad potentiam ut proxime expeditam ex positione impedimentorum *N.* Et *D.* alterum; permansit ejusdem rationis quoad constitutiva intrinseca *C.* quoad subsistentiam et dona naturæ superaddita *N.* Argumentum solum probat,

quod Christi humanitas habuerit potentiam peccandi remotam, non autem proximam et expeditam, quæ intelligitur nomine peccabilitatis simpliciter, et præter voluntatem importat concursum indifferentem Dei ad bonum et malum, tum negationem omnis impedimenti incompossibilis cum peccato; sed hujusmodi impedimentum est unio, ac dona alia inde fluentia, quæ faciunt, ut potentia non sit proxime expedita ad peccandum, sed impedita.

399. *Obj. II.* Sicut non repugnat sanctitati summæ passio et mors, ut suppositum divinum denominari potuerit, patiens et moriens; sic nec peccatum. *Conf.* Imo sanctitas accidentalis potest divinitus stare cum mortali, et naturaliter cum veniali; ergo etiam sanctitas in Christo.

R. *N. parit.* Passio, mors, in se indecentiam moralem non continent, sicut peccatum; unde mortem, aliaque mala pure physica potest Deus positive velle ob honestos fines, et inferre naturæ assumptæ; e contra peccatum, utpote malum morale, positive velle nequit.

*Ad Conf.* R. *Ant.* communissime Theologis falsum est. Sed et dispar est ratio; sanctitas quippe accidentalis non est summa, qua major non possit esse, vel concipi; nec constituit suppositum divinum: at talis est sanctitas substantialis, increata, quæ specialissimam Dei assistentiam exigit ad non peccandum; ne secus peccatum in ipsum redundet divinum suppositum.

400. *Obj. III.* Actio peccaminosa non magis posset imputari Verbo, quam Deo peccata reliquorum hominum; ad illam enim tantum ut causa universalis concurreret. *Conf.* Sic etiam, quando humanitas exercebat actus meritorios, Verbum non dicebatur mereri; ergo et, peccante humanitate, non ideo denominatio peccantis in Verbum caderet.

R. *N. Ant.* ejusque *prob.* Hoc ipso enim, quod Verbum assumpserit naturam, factum est illius suppositum, sicut natura facta est aliquid Verbi; adeoque et factum est principium, quod est causa particularis actionum omnium.

*Ad Conf.* R. *Disparitas* est, quia Verbum permittendo actionem inhonestam in sua natura humana, voluntate divina in illam consentiret, sicut dixi in prob. 2.; eamque produceret ut suam; ergo illi secundum se non immerito imputaretur peccatum. Sed consentire in actum meritorium, non est meruisse; quia mereri respicit superiorem et præmium, quod nondum est merentis: quæ in Verbum *secundum se* non cadunt; non enim potuit actiones meritorias offerre alteri tanquam superiori, a se natura et voluntate distincto, a quo præmium reciperet.

401. *Obj. IV.* 1°. Impeccabilitas humanitatis Christi nequit æquare impeccabilitatem Dei; sed solus Deus dicitur absolute et simpliciter impeccabilis. 2°. Gratia et peccatum non opponuntur quoad potentiam, sed actum; ergo nec sanctitas Christi pugnat cum potentia proxima ad peccandum. 3°. Justus potest peccando perdere gratiam; ergo et humanitas unionem.

*Ad.* 1$^{um}$. R. *D. min.* Solus Deus dicitur simpliciter impeccabilis per essentiam, adeoque et radicaliter et remote *C.* solus impeccabilis omni sensu *N.* Nam et Beati impeccabiles sunt. Creatura igitur potest esse etiam impeccabilis, licet non eo modo, quo Deus; remote tamen: quia positio impedi-

mentorum facit, ut potentia non possit unquam prodire in actum, sicque non sit potentia ut proxime expedita ad peccatum.

*Ad* 2$^{um}$. R. *N. Cons. Disparitas est.* Gratia et peccatum humanæ voluntati sunt accidentalia, et ejus subsunt libertati, quæ ideo potentiam requirit ad illa; sed sanctitas Christi qua talis non est accidentalis, sed substantialis, intrinsece constitutiva, dignificativa, quæ excludit et potentiam et actum.

*Ad* 3$^{um}$. R. *Disparitas* est, quia gratia non constituit suppositum; hinc non omnes actiones justi sunt actiones gratiæ; ergo et a justo procedere potest actio gratiæ opposita, ejusque expulsiva. At Verbum essentialiter sanctum humanitatis in Christo suppositum constituit.

402. *Dico IV.* Nequidem in Christo peccati fomes fuit, sive actu primo, sive secundo; sed uterque in eo extinctus fuit. Pro quo

*Observa.* Nomine fomitis non intelligitur præcise appetitus sensitivi substantia, quia hæc etiam fuisset in statu innocentiæ; sed fomes hic in actu primo, est appetitus ille ut dispositus proxime ad motus inordinatos, adversantes rationi: quibus videlicet illam prævenit, illi resistit, atque ad objecta illicita inclinat. Unde potentiæ appetitivæ superaddit carentiam subjectionis illius ad rationem, qua insignitus erat homo in statu innocentiæ. In actu secundo autem, sunt actus ipsi sensualitatis, sive appetitus sensitivi actuales motus ad bona illicita, rationem antevertentes, vel prævenientes. Præterea fomes ille in homine ligari potest; item extingui. *Ligari* tunc dicitur, quando Deus speciali ex providentia occasiones, objectaque removet omnia, e quibus secus orirentur hujusmodi inordinati motus. *Extingui* vero, quando, præsentibus etiam objectis, appetitus sic subordinatur rationi, ut non possit, nisi ex rationis imperio, prodire in actum, nec prodire ultra, quam ratio postulet. His positis

*Prob.* 1$^{a}$. *p.* Ex Synodo gen. V. Collat. 8. Can. 12. (Labb. t. 5. p. 575. B.) damnante eos, qui, cum Theodoro Mopsuesteno, Christum dicebant obnoxium fuisse passionibus concupiscentiæ, in iisque domandis profecisse. Idem SS. Patres tradunt. S. Leo M. epist. 35. ad Julianum c. 3. sub finem, ubi inquit, Christum nihil carnis suæ habuisse adversum; S. Agatho epist. ad Constantinum imperatorem, lecta in Synodo gener. VI. Act. 4. (Labb. t. 6. p. 684.); S. Augustinus L. 2. de peccator. merit. cap. 29. n. 48.; S. Joannes Damascenus L. 3. de Fide c. 20. aliique.

*Prob.* 2$^{a}$. *p.* Quia appetitus sensitivus, ut proxime dispositus, in hominibus effectus est peccati originalis; at hoc caruisse Christum, est fide certum. Deinde etiam fomes in actu primo aliquid inordinati et imperfecti continet. Ac demum appetitus in Christo impediebatur a voluntate et perpetua rationis advertentia, ne inordinate moveri posset. Minus igitur adhuc fomes in actu secundo in Christo fuit; hic enim est motio actualis appetitus sensitivi ad objectum sensibile contrarium rationi, prævertens rationem, et inclinans ad peccatum: at talis in Christo esse prorsus non potuit; tum ob peculiarem Verbi assistentiam, cujus erat tales motus impedire; tum ob sanctitatem suam summam; tum ob despoticum voluntatis imperium in appetitum: quod Christum decebat multo magis, quam in statu innocentiæ Adamum, vel Beatum in gloria.

*Prob.* 3$^{a}$. *p.* Nam sequitur hæc ex dictis; extingui enim fomitem, est,

non posse illum prodire in actum, vel propter negationem concursus divini, vel propter perfectionem donorum gratiæ et habitus virtutum, aliasve qualitates infusas appetitum cohibentes; cum enim inclinatio illa appetitui essentialis non sit, sed accidentalis, tolli potest, vel præpediri; sed passiones Christi naturales per assistentiam Dei specialissimam, et auxilia efficacissima et plurima, quæ unio hypostatica exigebat, ita subjectæ erant rationi, ut nunquam, nisi ex ejus præscripto, se moverent.

## ARTICULUS II.

### AN, ET QUAM LIBERTATEM HABUERIT VOLUNTAS CHRISTI HUMANA, ETIAM AD ACTUS INÆQUALIS PERFECTIONIS?

403. *Liberum* in genere aliud dicitur a servitute, aliud a coactione, aliud à necessitate. *Primum* est, quod alieno dominio subjectum non est, dicique solet *libertas liberationis*, eaque triplex est; prima est liberatio a servitute qualicumque, et simpliciter appellatur libertas a servitute; altera est liberatio a peccato, et vocari subinde a Patribus solet libertas gratiæ; tertia est liberatio ab hujus vitæ miseriis, vocaturque libertas gloriæ, aut vitæ æternæ. *Secundum*, liberum a coactione dicitur vulgo *libertas a coactione*, et consistit in immunitate a violentia, dum quis non coactus vi, spontanee ac voluntarie operatur. Atque hoc sensu Deus se ipsum, et Beati Deum amant libere; deque hac libertate ait Aug. in Enchirid. *Voluntas aut voluntas non est, aut libera est. Tertium* est *libertas a necessitate*, sive *indifferentiæ*; estque sola proprie dicta libertas; ac definitur potestas proxime expedita operandi, vel non operandi; vel operandi aliter, aut etiam actum oppositum.

Libertatem solummodo a coactione admisit Jansenius, et ante eum nonnulli Doctores catholici, ut se difficultatibus expedirent in hac quæstione occurrentibus: si enim humana Christi voluntas impeccabilis; quomodo libera ad servanda præcepta? Aut si perfecte libera; quomodo impeccabilis? Ex aliis vero Doctoribus catholicis libertatem Christi ita nonnulli limitant, ut velint, Christum habuisse necessitatem saltem moralem ad optimum: ut ex actionibus bonis debuerit exercere optimam, non quidem semper optimam actionum possibilium; sed illarum, ad quas hic et nunc dispositionem habebat, ob actualem applicationem objecti, et concursum paratum.

404. *Dico I.* Humana Christi voluntas libertate privata non fuit. Est certum fidei dogma.

*Prob.* Is. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Joan. 10. 18. Christus ipse, *Nemo*, inquit, *tollit eam* (animam) *a me; sed ego pono eam a meipso: et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Sed hæc, similiaque Christi libertatem sat clare demonstrant. Hanc veritatem *docent* quoque Patres et Concilia, dum definiunt: fuisse in Christo proprietates naturæ humanæ omnes, inter quas libertas est potissima. Et ratio evidenter ostendit. Nam Christus, ut definit Trident. Sess 6. cap. 7., fuit meritoria causa nostræ justificationis et salutis; ad meritum vero necessaria est libertas. Neque obstat, quod

Christus peccare non potuerit; ut enim recte AUGUSTIN. L. de Prædestin. SS. cap. 15. n. 30. inquit: *Numquid... ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat?* Illa igitur Christi libertas, etsi ad peccandum actu se non extenderet obunionem hypostaticam ac divinum suppositum, non ideo in ordine ad varios actus alios in ipso exulabat, aut minus expedita fuit.

405. *Dico II.* Voluntas Christi humana non tantum a coactione, sed et a necessitate perfecte libera fuit.

*Prob. I. Auctoritate* SCRIPTURÆ. Ad Hebr. 12. 2. ait de Christo Apostolus: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*; ubi supponit Apostolus, potuisse Christum, si voluisset, crucem non sustinere. Unde in verba illa S. CHRYS. homil. 28. n. 2. *Erat ergo ei promptum, si voluisset, non venire ad crucem*; sed hoc libertatis indifferentiæ est. Hanc porro declaravit in se Christus, Joan. 10. ante cit.: *potestatem habeo*, etc. Nam, ut S. AUG. Tr. 119. in Joan. n. 6. explicat libertatem, qua Christus est mortuus: *Quis ita vestem ponit quando voluerit, sicut se carne exuit quando voluit? Quis ita cum voluerit abit, quomodo cum voluerit obiit?* Sed hæc perfectissima libertas fuit. Similiter Tr. 37. n. 9. in illud Joan. 8. v. 20. *nemo apprehendit eum: Quamdiu*, ait, *voluit, inter homines vixit; quando voluit, a carne discessit; hoc est potestatis, non necessitatis.*

406. *Prob. II.* In Christo statuenda est libertas ea, quæ necessaria est ad meritum; Christus enim juxta Trid. Sess. 6. cap. 7. justificationis nostræ est causa meritoria; at libertas necessaria ad meritum, non est tantum libertas a coactione, sed etiam a necessitate: sive libertas indifferentiæ, operandi, vel non. *Prob min.* ex Trid. Sess. 6. cap. 5. et Can. 4. ubi libertatem ad meritum requisitam definit per potentiam indifferentem ad utrumlibet, sive per potentiam consentiendi, vel non consentiendi gratiæ excitanti. Et ex prop. 3ª. *Jansenii* damnata ab INNOCENTIO XI. *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate; sed sufficit libertas a coactione.* Ex qua damnatione manifeste infertur, multo magis requiri libertatem indifferentiæ ad meritum in statu innocentiæ, qui erat proprius humanitati Christi.

*Adde* rationem Concl. præc. datam: fuisse in Christo juxta Concilia et Patres naturam nostram cum omni perfectione naturali, nec incompossibili cum fine incarnationis; atqui libertas a necessitate est perfectio, eaque naturæ nostræ connaturalis; cum semper detur in puro homine, ut ostenditur in Tract. de Actib. human. et insuper conducebat ad incarnationis finem; imo necessaria erat, ut Christus mereri posset; ergo.

407. *Obj.* 1°. S. TH. in 3um. Dist. 18. q. unica a. 2. ad 5. respondet, Christum non amisisse libertatem, aut rationem laudis, sive meriti in operationibus: quia non coacte, sed sponte tendebat in bonum. 2°. Qui scit, aliquid absolute futurum, tali modo, loco, tempore, etc. non potest efficaciter velle oppositum: atqui sciebat Christus actus suos ita futuros.

*Ad* 1um. R. Doctor Angelicus præmittit ibid. responsionem aliam, scilicet: *Liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad unum secundum nu-*

*merum ; sed ad unum secundum genus, scilicet ad bonum ; quia ad malum non potest ; et hoc non excludit libertatem arbitrii : quia posse peccare, nec est libertas arbitrii ; nec pars libertatis ;* eamque responsionem approbat q. 29. de Veritate a. 6. ad 1. et in 3. p. q. 18. a. 4. ad 3. quibus in locis eamdem difficultatem solvit ; cum igitur responsionis alterius, quæ objicitur, neutro loco, nec alibi meminerit ; tacite eam revocasse, censendus est.

*Ad* 2um. R. *D. M.* Si sciat, illud ita futurum esse, independenter a sua libertate, atque ex mera determinatione aliena *C.* si sciat, sic futurum ex propriæ voluntatis determinatione libera *N.* At Christus sciebat actus suos ita futuros ex propria ac libera determinatione ; igitur sciebat, possibile sibi esse oppositum suorum actuum, illudque proinde poterat velle efficaciter.

408. *Dico III.* Christus nec physice, nec moraliter necessitatus fuit ad optimum ; sed libertatem habuit ad actus inæqualis perfectionis, ut potuerit, omissis perfectioribus, actus minus perfectos ponere.

*Prob.* Ratione. 1°. *Negative.* Nullum afferri potest necessitatis hujus fundamentum ; non enim eo necessitabat unio hypostatica, aut sanctitas infinita ; cum nequidem hæc Deum necessitet ad optimum, ut fert communis Theologorum ; ergo multo minus Christum : sicut enim actus Dei, sic et Christi non fiunt perfectiores ex majore perfectione objecti ; quia jam aliunde infinite perfecti sunt. Nec visio beatifica ; quia hæc non necessitabat ad actus viæ, nec statui merendi et libertati obfuit ; at Christus viator erat, et comprehensor. Nec denique imperfectio aliqua ex electione actus minus boni in Christum redundans ; imprimis enim electio majoris boni nusquam præcepta est ; ex altera vero parte Christus actum minus perfectum eligens, non voluit minoritatem *formaliter,* vel carentiam majoris boni ; sed directe duntaxat ferebatur in bonitatem objecti minus boni propriam.

2°. *Positive.* Nam 1. necessitas physica multum detrahit libertati Christi, quoad laudem et meritum ; cum non sit magnopere laude dignum, ex duobus bonis æqualibus posse tantum eligere unum præ alio : at, ipsius rationis instinctu, laudem meretur ; si, cum possis eligere minus perfectum, seligas, quod perfectius. 2. In electione minoris boni nulla est imperfectio moralis, sed minor duntaxat perfectio ; ergo nec ulla cogebat necessitas *moralis ;* imo si fuisset imperfectio, Christus non fuisset solum necessitatus moraliter, sed usque adeo physice : quia Christo impossibile fuit physice, admittere imperfectionem positivam, ac indecentiam moralem. 3. Christus erat vere liber ad moriendum pro homine, vel non ; ut dictum Concl. 1a. : atqui hæc erat libertas ad actus inæqualis perfectionis ; perfectior enim erat actus obedientiæ et acceptationis mortis pro salute hominis, quam actus oppositus illam renuens.

409. *Obj. I.* Christus est perfectissime amicus Dei : sed ad amicitiam talem spectat, eadem eodem modo velle et nolle ; ergo Christus necessitabatur ad actus illos, qui Deo magis placebant : sed Deo magis placent actus perfectiores ; ergo.

R. 1°. Quilibet Christi actus Deo infinite placebat ob dignitatem personæ operantis, conferentem operationi dignitatem et valorem infinitum ; tametsi

inter actus Christi detur major, vel minor bonitas, sive ratione objecti, sive intensionis : et actus perfectior tantum ratione modi magis placeat.

R. 2°. *D. min.* Ad perfectam amicitiam spectat, eadem eodem modo velle, ac nolle, si conferant ad felicitatem, aut amici, aut propriam *C.* si non *N.* Aliud est de homine tantum viatore; hic enim eliciendo actum magis perfectum, se magis disponit ad felicitatem suam, Deumque magis laudandum in gloria.

410. *Obj. II.* Si Christus potuisset exercere actus minus perfectos; capax fuisset imperfectionis moralis: sed hoc adversatur infinitæ Christi sanctitati; ergo. *Prob. seq. M.* Imperfectio enim moralis est electio objecti minus perfecti propter se, præ magis perfecto.

R. *N. seq. M.* et *prob. D.* Imperfectio moralis est electio objecti minus perfecti, quando electio illa reddit subjectum minus dispositum ad finem suum ultimum *C.* si hoc non faciat *N.* At talis electio Christum non poterat ita reddere minus dispositum.

411. *Inst.* 1. Qui minus perfecte operatur, est reprehensibilis; ergo imperfectionis moralis reus.

R. *D. Ant.* Si ob minus perfectum operandi modum, redditur minus idoneus ad beatitudinem, vel hujus amittendæ se exponat periculo *C.* secus *N. Ant. et Cons.* Laudabilitas, vel reprehensibilitas; moralis perfectio, vel imperfectio considerantur juxta D. Th. in ordine ad finem ultimum. Unde sicut Deus non esset reprehensione dignus, si vel mundum plane non condidisset, vel non optimum; sic nec Christus, si poneret actum non optimum, quem posset.

*Inst.* 2. Si Christus non esset dignus reprehensione, eligendo actum minus perfectum; neque foret dignus laude et præmio, eligendo actum perfectiorem; proinde per actum obedientiæ non meruisset redemptionem : sicut Deus non est dignus præmio ponendo optimum : sed sequela hæc admitti non potest; ergo.

R. *N. seq.* Non est eadem ratio de reprehensione et demerito, quæ de laude et merito. Qui ponit opus honestum, est dignus laude; quamvis per illud non promoveatur ad felicitatem, ut in Deo patet; dignus etiam præmio est, si positum opus honestum obsequiosum sit præmianti, aut superiori; unde Deus ex operibus suis solum exigere potest laudem, non præmium; contra vero ex eorum omissione non foret reprehensione dignus; quia idcirco non redderetur ad felicitatem minus dispositus. Unde patet, quomodo Christus potuerit libere non obire mortem pro homine, citra ullam imperfectionem moralem stricte talem; licet enim tunc caruisset aliquo bono indebito, scilicet titulo Redemptoris; non tamen minus fuisset dispositus ad felicitatem suæ naturæ ac meritis consonam. Ex dictis fluit sequens

Corollarium : Humana Christi voluntas non modo fuit libera libertate contrarietatis, sed etiam contradictionis; quia non solum fuit libera in eligendo hoc, vel illo bono : quod est, esse liberum libertate contrarietatis; sed etiam in eligendo, vel non eligendo uno, eodemque bono : quod est, esse liberum libertate contradictionis. Nec refert, quod humana Christi voluntas fuerit impeccabilis; nam ad meritum non requiritur li-

bertas ad bonum et malum; sed sufficit indifferentia ad hoc, vel illud bonum; vel ad bonum, et omissionem boni, ut observavimus supra n. 404. ex S. Aug. et docet Doctor Angelicus 3. p. q. 18. a. 4. ad 3.

## ARTICULUS III.

### AN CHRISTUS, ET QUALE HABUERIT PRÆCEPTUM OBEUNDI MORTEM?

412. *Nota.* Præceptum et mandatum non raro inter se differunt; in Scripturis tamen et apud Theologos passim sumuntur pro eodem; eadem enim voce græca in Scripturis præceptum innuitur, et mandatum. Differt præceptum a consilio, suasione, adhortatione; hæc enim absque auctoritate fieri possunt, et ab inferiore, imo subdito; præceptum vero a superiore, habente auctoritatem et potestatem in eum, cui præcipit, oritur; estque voluntas superioris, qua auctoritative vult vel fieri, vel omitti aliquid a subdito.

Præceptum *rigorosum,* juxta Suarez Disp. 43. aliosque, dicitur, quod voluntati subditi necessitatem moralem imponit, rem præceptam faciendi. Sic enim hic dicitur necessitas moralis, sicut alias impossibile dici solet, quod inhonestum est, ac quod honeste facere non possumus. *Non rigorosum* est, quod talem necessitatem non imponit, ut stante præcepto, possit imperatum opus omitti: ita præcepti non rigorosi nomine venit simplex significatio voluntatis suæ, facta a superiore, et a subdito cognita.

Præceptum rigorosum aliud est *absolutum,* cujus vis et obligatio a voluntate subditi amoveri non potest; quod oriri potest vel ex natura præcepti, ut si est naturale; vel ex voluntate superioris, vi cujus nec relinquit subdito libertatem illud acceptandi, vel non; nec petendi dispensationem. *Conditionatum* aliud, vel, ut rectius loquar, *non absolutum omni modo* est, quando superior relinquit libertatem subdito acceptandi præceptum, vel non, dum datur; vel postea petendi, et impetrandi revocationem illius, aut dispensationem.

Quæritur nunc: *An, et quale præceptum fuerit, quod dicitur habuisse Christus, obeundi mortem?*

*Ratio* dubitandi est, quia Christus perfecta libertate mortuus est, ut omnes consentiunt; mors enim ejus meritoria fuit: sed cum etiam dicatur habuisse præceptum moriendi, videtur, cum præcepto libertas conciliari non posse; quia præceptum inducens necessitatem moralem Christus transgredi non poterat. Pro quo nodo dissolvendo scire interest, varias Doctorum sententias.

1ª. Est Thomistarum, qui, uti prædeterminationem physicam, ita hoc præceptum, quod strictum et rigorosum dicunt, connectunt metaphysice cum actu obediendi libero; licet a Christi anima sit inimpedibile. Verum hæc sententia ex iisdem impugnatur principiis, quibus prædeterminatio physica.

2ª. Molinæ, Tanneri, et aliorum est, qui libertatem cum rigore præcepti exponunt per principia proxima, vel auxilia indifferentia ad observationem præcepti concessa, de se repudiabilia; tamen prævisa ut efficacia. At in hoc

St. Albert's College Library

systemate aut impeccabilitas Christi patitur, aut libertas. Si enim per hæc auxilia præcise habetur in Christo potestas ad moriendum, et non moriendum; ad obediendum, et non obediendum; mentiendum, non mentiendum, etc. (eodem enim modo ex auxiliis hisce loqui possumus de præceptis naturalibus et positivis), tunc non habetur impeccabilitas, sive non peccandi necessitas; quia impeccabilitas est incompatibilis cum potestate peccandi: si vero per hæc auxilia non habetur in Christo potestas ad moriendum, et non moriendum; neque vera habebitur libertas indifferentiæ. Hæc sententia a quibusdam etiam eximio Suarez tribuitur, sed, ut ostendit noster Thyrsus Gonzalez, immerito.

3ª. P. Vasquez tribuitur, habuisse Christum præceptum vere rigorosum obeundæ mortis; at liberum duntaxat fuisse ad illius circumstantias.

4ª. Eaque multorum, contendit, datum Christo fuisse præceptum rigorosum, sed suo sensu conditionatum, ut supra descripsi; sicque, stante præcepto, libere mortuum; tum quod potuisset non acceptare præceptum; tum quod acceptato præcepto, impetrare potuerit illius revocationem. At, præterquam quod rationes Conclusionis nostræ pugnent contra utramque, prior adhuc minus cum S. Scriptura convenit, quæ Christo libertatem quoad mortem simpliciter, adeoque quoad substantiam tribuit, dum de morte Christi agit; liber vero quoad circumstantias rei, non dicitur simpliciter et absolute liber: alioquin Christus simpliciter et absolute liber dici posset quoad præcepta naturalia.

5ª. Et ultima rursus multorum est, et primi ordinis Theologorum, præceptum hoc non fuisse rigorosum; sed præceptum sensu latiori: quatenus Pater, ut concipi potest, Christo homini varios ostendit modos, quibus redimi humanum genus possit, quin tamen ullum stricte præciperet; solum significans, inter eos sibi quidem magis placere, si via satisfactionis condignæ redimat, et mortem subeat; quin tamen, si nollet, propterea se displicentiam aliquam incursurum sciret; sed solum consequenter cariturum speciali, accidentali gloria Redemptoris. Christum igitur, quia maxime diligit Patrem, et desiderat facere, quodcumque illi placitum intelligit, juxta illud: *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper,* se libentissime submittit; more filiorum diligentium, paternæ voluntatis placitum suum vocat mandatum; sicque propriissime et ad litteram: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Is. 53. Ita D. Anselm. postea cit., Petavius, Albert., Palud., Lorca aliique apud Platelium. Cum quibus

413. *Dico.* Christus non accepit præceptum rigorosum, obligans in conscientia et moraliter, obeundi mortem.

*Prob. I.* Ex Scriptura. Joan. 10. 17. inquit Christus: *Propterea me diligit Pater; quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam: et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.* In his verbis, 1°. cum se habere dicit *potestatem ponendi animam suam;* ex proprietate nominis intelligi debet, utriusque amplectendi (subeundæ mortis, et omissionis ejus) fuisse ei optionem liberam, non unius duntaxat. Et vero ridiculum foret, si, qui ligatus detinetur in carcere, dicat, se potestatem habere manendi in carcere. 2°. Debet intelligi respectu utrius-

que optio libera *proxime*, *immediate* et *formaliter*; hoc enim rursus vox *potestas*, sensu proprio et obvio sumpta, exigit; certe ligatus impedimento matrimonii, licet alias dispensabili, nulla proprietate diceret : potestatem habeo ineundi matrimonii, vel non; quia, stante adhuc et nondum sublato per dispensationem impedimento, non habet potestatem, seu libertatem moralem ineundi matrimonii, sed solum petendæ dispensationis; idem est de eo, qui voto constrictus est; ergo Christus hic loquitur de libertate indifferentiæ proxime expedita, ita ut fuerit liber circa mortem ipsam immediate, proxime, et formaliter; non mediate tantum, media scilicet impetratione revocationis, aut dispensationis præcepti. Ac proinde illa addita : *Hoc mandatum accepi*, non possunt indicare præceptum rigorosum, sed in sensu latiori, quo etiam sæpe in Scriptura sumitur. Plura ex solutione objectionum, quantum ad Scripturam, colliges.

414. *Prob. II.* Ex Patribus strictum in Christo præceptum expresse negantibus. Inter quos S. Cyrillus Alexandrin. L. 10. in Joan. (opp. t. 4. p. 882. C.) tam hoc de morte perferenda, quam alia, quæ præcepta nominantur, proprie fuisse præcepta negat; sed quæ in mente, arcanoque consilio Patris esse sciret, tanquam mandata sibi forent, sponte sua executum fuisse : *Quandoquidem*, ait, *ista sustinuit; Deus ipsum superexaltavit. Igitur habes in voluntaria subjectione paternorum consiliorum executionem, quæ et mandatorum loco apud se esse, in ea, quam ad illum habuit, oratione Filius asserit. Nam cum, utpote Verbum, consilia Patris intelligeret, et genitoris sui profunda scrutaretur, quod huic visum est, reipsa præstat, et loco præcepti habet.*

S. Chrysost. constanter præceptum negat. Homil. 60. in Joan. n. 2. (opp. t. 8. p. 354. D.), quod mandatum moriendi a Patre Christus accepisse dicitur, interpretatur sic, ut sit, *placere illi, quod ego facio*, etc. subinde n. 3. (ibid. p. 355. A.) negat absolute præceptum fuisse : *Nam si*, inquit, *præcepto fuisset opus; quid attinebat illum dicere, a me ipso pono? Quippe, qui a se ipso ponit, nihil habet opus præcepto.* Hom. 59. n. 3. porro et 75. n. 4. rursum negat præceptum obligans, et dicit vocari præceptum humano more.

S. Ambrosius de Fide L. 4. c. 10. n. 121. *Sicut potestatis suæ esse significat ponere animam et liberæ voluntatis : ita etiam quod secundum mandatum deposuit Patris, suæ ac paternæ voluntatis significat unitatem.*

Euthymius in Joan. 10. 18. *Nihil aliud ostendit Patris præceptum, quam solam conformitatem* (ὁμόνοιαν) *ad Patrem : hujusmodi siquidem dispensatoria sunt propter auditorum imbecillitatem.*

Didymus Alexandrinus de Trinit. L. 3. c. 21. p. 397. *Mortem eo modo quo ipse novit et voluit, gustavit in carne... alioquin aliqua etiam Patri impotentia tribuetur ob ea verba, si possibile est; et timor, qui reipsa nullus est, Filii arguetur propter illud, transeat; et involuntaria videbitur ejus in crucem ascensio, quæ ex illius benignitate in homines, liberaque ipsiusmet voluntate profecta est... et mendax invenietur... Dominus qui ait : Ego pono animam meam*, etc.

S. Augustinus serm. 5. n. 3. *Quid enim illi* (Christo) *opus erat tanta pati, cui licebat et non pati?* Et de Trinit. L. 4. c. 13. n. 16. *Demonstravit spi-*

*ritus Mediatoris, quam nulla pœna peccati usque ad mortem carnis accesserit, quia non eam deseruit invitus; sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit.*

S. Anselmus medit. 4ª. de Redempt. gener. humani. *Non illi homini Pater ut moreretur cogendo præcepit, sed ille, quod Patri placiturum et hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit.* Et infra. *Sic itaque Patri liberam obedientiam exhibuit, cum hoc, quod Patri placiturum scivit, sponte facere voluit. Denique quoniam Pater illi hanc voluntatem bonam dedit, quamvis liberam; non immerito dicitur, quia eam velut præceptum Patris accepit.* At L. 1. Cur Deus homo. c. 9. rem a capite exponit, illud: *Non sicut ego volo, sed sicut tu,* ita interpretans: *Quia humanum genus restaurari nolebat Pater, nisi faceret homo tam magnum aliquid, sicut erat mors illa... idcirco dicit Filius, illum velle suam mortem; quam ipse maluit pati, quam ut genus humanum non salvaretur... Sic ergo voluit Deus Pater mortem Filii, quia non aliter voluit mundum salvare, nisi homo tam magnum aliquid faceret, ut jam dixi. Quod Filio volenti salutem hominum tantumdem valuit, quantum, si illi mori præciperet. Unde ille, sicut mandatum dedit illi Pater,* in sensu declarato, *sic fecit: et calicem, quem dedit ei Pater, bibit obediens usque ad mortem.* En quomodo S. Anselm. explicet *mandatum*, scilicet, diligenti Patrem et nos Filio, solius paternæ voluntatis placitum fuisse, quasi præcepisset. Sic cum Anselmo fere Christi charitati redemptionem nostram tribuit Doctor Angelicus L. 4. contra Gent. cap. 55. ad 15. et 16. et in Joan. c. 14. lect. 8. aliique apud Petavium L. 9. c. 8. et R. P. Nicolaum Raye S. J. in Thesibus Theolog. contra rigorosum Christi præceptum de morte subeunda, Th. 3ª. et seqq. (Zaccar. Thesaur. Theolog. t. 9. p. 704.).

415. *Prob. III.* Ratione. 1°. Non est asserendum in Christo præceptum positivum rigorosum sine firmo et claro fundamento; tale autem non affertur, ut patebit solutione objectionum. 2°. Magis consonum erat amori Patris erga Christum filium naturalem, et scientiæ de ejus promptitudine ad exequendum omne Patris placitum: item dignitati Filii, Patris sui diligentissimi, quod divinum beneplacitum ei insinuaretur solummodo, citra præceptum rigorosum obligans in conscientia. Cui enim bono aut fini Pater imponeret Filio præceptum strictum, illum in conscientia obligans, qui omnis culpæ erat incapax, et ad exequendam Patris voluntatem, alio incitamento non egebat, quam illam nosse? An ut Filium in obedientia exerceret, ut propterea sibi meritum compararet? sed qui exerceret, cum Filius, etiam ante præceptum, implendæ voluntatis paternæ esset studiosissimus? aut num minus obediens dicitur filius moriger, qui sponte sua voluntatem implet patris: ac propterea minus laude et præmio dignus, quam qui præcepto ad hoc compellitur?

416. *Obj. I.* Christum de subeunda morte præceptum habuisse, passim Scriptura refert. Joan. 15. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut et ego Patris mei præcepta servavi.* Et 10. 17. *Hoc mandatum accepi a Patre.* Ibid. 14. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*; ergo. *Conf.* 1. Si Christus non habuisset de morte subeunda præceptum rigorosum, non fuisset vere obediens: sed hoc videtur adversari tum S. Scripturæ, ad Philipp. 2. 8. *Humiliavit semetipsum, factus obediens*

*usque ad mortem; mortem autem crucis.* Ad Hebr. 5. *Didicit ex his quæ passus est obedientiam.* Tum Patribus qui passim Christi obedientiam commendant. *Conf.* 2. Ad Rom. 5. obedientia Christi opponitur inobedientiæ Adami: *Sicut per obedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per unius obeditionem justi constituuntur multi;* ergo sicut Adam habuit præceptum rigorosum, ita et Christus.

R. *D. Ant.* Scriptura refert Christum habuisse præceptum strictum, obligans in conscientia *N.* præceptum in sensu latiori, ut supra explicatum *C.* Sic enim hic sumere *præceptum*, nos monet Scriptura ipsa et Patres citt. in prob. Concl. Quæ inde confirmantur, quod, phrasi Scripturæ, nomine præcepti et mandati, non semper veniat præceptum rigorosum. Exempla sunt plurima. Sic Matth. 19. Moyses dicitur *præcepisse libellum repudii;* at certum est, hic non intelligi præceptum obligans. Matth. 15. Christus *præcepit turbæ, ut discumberent.* Marc. 7. 36. *Præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant.* Sed in neutro præceptum strictum fuit. Sic 3. Reg. 17. 9. ait Deus ad Eliam: *Surge, et vade in Sareptha Sidoniorum, et manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te.* Ubi non intelligendum est præceptum obligans; sed inspiratio divina, quam libere sequeretur mulier. Præterea Christus mandatum sibi a Patre datum extendit ad plurima, aut etiam omnia sua dicta et facta, Joan. 12. 49. et Joan. 14. cit. locutio illa Christi generalis est; nec tamen omnia ista Christo mandata fuerunt præcepto rigoroso, ut fatentur ipsi adversarii; sed vocat illa mandatum, quia videbat placere Patri: *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Denique Joan. 14. cit. dicens: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio;* satis indicat, quod ita faciat, quia diligit Patrem; nec proin præceptum rigorosum se habere. Non est igitur, quod vocem *præceptum, mandatum* adeo urgeant adversarii.

*Ad Conf.* 1am. R. *N. seq.* Nam Doctor Angelicus 2. 2. q. 104. a. 2. de obedientia, ut est virtus specialis, docet: *Tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate superioris intellecta.* Deinde hanc obedientiam, dum homo obedit non obligatus, perfectam pronuntiat: *Sic ergo*, inquit, *potest triplex obedientia distingui: una sufficiens ad salutem, quæ scilicet obedit in his ad quæ obligatur: alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis; et alia indiscreta, quæ etiam in illicitis.* Et paulo ante illam obedientiam, dum quis non obligatur, vocat *cumulum perfectionis.* Unde et hanc perfectionem obedientiæ voluit S. Ignatius, fundator Societatis, esse ædificii spiritualis fundamentum; e contra obedientiam, quæ nonnisi præcepto movetur, vix dignam obedientiæ nomine censet. Et ratio a priori est; quia ad obedientiam plus non requiritur, quam quod, cognita superioris voluntate, ponatur opus, quia illi gratum est; nam specialis honestas obedientiæ consistit in reverentia exhibita voluntati superioris: quæ eo major est, quo minus est coacta præcepto. Igitur Christus non tantum vere, sed et perfecte obediens fuit subeundo mortem, citra expressum hujus præceptum. Hinc

*Ad Conf.* 2am. R. 1o. *N. Cons.* Præterquam enim quod comparationem illam ab Apostolo institutam, aliunde constet, non quoad omnia perfectam esse, et adæquatam; potest, ex dictis, opponi obedientia Christi inobedien-

tiæ Adami, etsi præceptum obligans Christus non habuerit. Imo sic magis opponitur; nam quanto major erat inobedientia Adami, quod, habito præcepto rigoroso, sub tam gravi comminatione mortis non obedierit; tanto perfectior contra erat Christi obedientia, qui usque adeo, quin positivum præceptum exspectaret, cognito solo paternæ voluntatis placito, se illi et morti subjecit. Et vero si adversarii contendere velint comparationem Apostoli esse, quoad præceptum utrique datum, perfectam;

R. 2°. *et retorq.* Ergo et sicut Adamus habuit præceptum obligans sub gravi culpa, et comminatione odii divini, etc., etiam tale habuit Christus: sed hoc nolunt patienter ferre adversarii; neque etiam possunt. Item: ergo sicut præceptum Adamo datum non dependebat ab hujus acceptatione libera, et petenda dispensatione, si vellet; ita nec præceptum Christi dependisset; ac proinde necessario, non libere, ullo modo mortuus est.

417. *Obj. II.* Christus homo est capax præcepti rigorosi; ergo nihil vetat asserere, ipsum tale habuisse. *Prob. Ant.* 1°. Angeli et Beati, licet ob visionem beatificam impeccabiles sint, talis præcepti capaces sunt; ergo etiam Christus. 2°. Christus, qua homo, erat Dei servus: sed servus potest obligari a Domino præcepto rigoroso. 3°. Voluntas humana Christi non erat essentialiter beata; nec proin recta, sive ipsa rectitudo; ergo dirigi poterat tali præcepto, tanquam regula.

R. 1°. *T. Ant. N. Cons.* Licet enim permittatur, absolute fuisse capacem talis præcepti; de facto tamen tale non habuit juxta rationes Concl. Sed

R. 2°. *D. Ant.* Erat capax præcepti obligantis *in conscientia, sub culpa, comminatione* odii divini, etc. *N.* obligantis instar *præceptorum naturalium C.* Obligari Christum præceptis naturalibus, nihil aliud est, quam eum ex necessitate metaphysica teneri ad servanda ea, non secus ac Deus tenetur ad amandum se ipsum, et sicut Beati amant necessario Deum, et divina servant mandata. Sed hinc fit, quod Christus observando præcepta naturalia nihil potuerat mereri quoad substantiam operis præcepti; sed solum quoad circumstantias non præceptas; quia, etsi circa præcepta naturalia, quoad substantiam eorum servanda, necessitatem haberet; libertatem tamen retinuit circa implenda illa quoad certas circumstantias. At respectu mortis perfectam libertatem habuit quoad substantiam, et meritus est morte ipsa, quoad hujus substantiam; ergo circa illam non habuit præceptum obligans ad instar præceptorum naturalium.

Alterius vero præcepti, quo obligaretur in conscientia, sub culpa, et comminatione, incapax fuit; quia ob impeccabilitatem nullius erat culpæ capax; ergo frustra illi tale præceptum daretur. Hoc præceptum haberet hunc tendendi modum: si per impossibile præceptum violaverit, culpæ reus erit per impossibile; sed præceptum hujusmodi, utpote prorsus otiosum, Deo inconveniens est.

*Ad prob.* 1am. R. *N. Ant.* Si intelligas præceptum importans obligationem in conscientia, et sub comminatione. Sed angeli, utpote impeccabiles, dirigi tantum a divina voluntate possunt ad aliquid *necessario* præstandum; sicut diriguntur a præceptis naturalibus ad præstanda alia.

*Ad prob.* 2am. R. 1°. *D. Ant.* Est servus servitute stricte dicta *N.* latius sumpta *C.* Servus in toto suo rigore acceptus importat 1. quod non sit sui

juris, sed alterius; 2. dicit inferioritatem personæ respectu personæ alterius, cujus est servus; 3. quod non communicet in bonis et honore cum domino, nec habeat ad hæreditatem jus: at Christus semper est persona æqualis Deo, et Christus qua homo communicat in bonis cum Deo; habet jus ad hæreditatem; ergo non est servus stricte dictus, ac merito titulum *servi*, scilicet stricte dicti, damnarunt in *Felice* et *Elipando* Patres Francofordienses cum Adriano Papa. Potest tamen dici servus latiori sensu a servitute naturali, qua omnis creatura subjecta est Deo; Christus enim secundum humanitatem creatura est, sicque solum servus Dei, sive subjectus, et obediens Deo. At hoc permisso,

R. 2°. *T. A. N. Cons.* Ad rationem enim servi sufficit; quod Dominus possit ab eo, quod libuerit, consequi: vel obligando illum in conscientia, si sit peccabilis, vel necessitando metaphysice, si, ut in casu nostro, sit impeccabilis.

*Ad prob.* 3am. R. *C. A. D. Cons.* Ergo potest ita dirigi, *ut præcisa* ab unione cum Verbo *C.* ut jam Verbo unita *N.* Cum enim, supposita unione cum Verbo, ab hoc dirigatur, ut dictum toto Articulo 2., sitque absolute impeccabilis; ad quid imponetur præceptum, obligans in conscientia, ut ab eo dirigatur ceu regula?

## ARTICULUS IV.

### DE SANCTITATE HUMANITATIS CHRISTI; GRATIA, ALIISQUE SUPERNATURALIBUS BONIS.

418. *Nota I.* Primarium Christi hominis decus et ornamentum in sanctitate et gratia consistit. Sanctitas *una* est *imperfecta*, quæ convenit rebus etiam inanimis; ut templis, vasis, vestibus, cæterisque rebus divino cultui dicatis, juxta illud Levit. 12. *Omne sanctum* (h. e. Deo dicatum) *non tanget.* Et Ps. 94. *Domum tuam decet sanctitudo:* consistitque in extrinseca tantum denominatione a voluntate dicantis et ordinantis rem ad cultum divinum: et derivat in rem consecratam, passivam quamdam exigentiam honoris et venerationis.

*Altera* est *perfecta* et vera, soliusque naturæ intellectualis propria, interna et supernaturalis. Hæc, a priori spectata, est *perfectio morum in actu et habitu: excludens peccatum, reddensque subjectum recte dispositum ad omne, quod rectum et honestum est, operandum.* Duo enim hæc sunt de primo et explicito sanctitatis conceptu: primum, ut sit forma ipsa spiritualis munditiei, a sorde peccati; ut inquit Dionys. de Divin. Nominib. c. 12. *Sanctitas est omni scelere libera, perfectaque, et penitus incoinquinata munditia.* Secundum, ut sit honeste operativa; est enim sanctitas quædam animi sanitas; proinde sicut perfecta corporis sanitas corpus non tantum formaliter constituit in certa humorum temperie, sed et expeditum reddit ad exercenda munia animanti salubria; ita proportionaliter primo et per se sanctitas animi hunc mundum constituit a peccati labe, simulque expeditum reddit ad honeste, et conformiter legi æternæ, operandum. Geminum hoc sanctitatis munus expressit S. Joan. ep. 1. c. 3. *Omnis, qui natus est ex Deo* (vel sanctitate increata, vel creata per gratiam habitualem, quæ est forma rege-

nerativa novæ creaturæ in Christo), *peccatum non facit*; en facultas recte operandi: *quoniam semen ipsius in eo manet*; en formalis animi mundities, quam simul præstat sanctitas, vel gratia, cum potentia honeste operandi; ex eo, quod sit semen, et participatio increatæ sanctitatis.

Ex primario hoc sanctitatis conceptu, alii per se connexi consequuntur. Primus, quod reddat subjectum dignum, imo actu dilectum speciali amore amicitiæ Deo; cum nequeat Deus speciali amore amicitiæ non diligere, quem videt similem sibi, et, ob participationem sanctitatis, suæ consortem naturæ. Secundus, quod faciat dignum beatitudine, et ad hanc conferat jus; hoc ipso enim, quod faciat dignum et dilectum amore amicitiæ Deo, etiam dignum facit beatitudine; cum amor amicitiæ importet communicationem bonorum, maxime supernaturalium, ac beatitudinis. Propter hos effectus sanctitas a posteriori dici solet paucis: *perfectio, vel forma, aut quasi forma, reddens subjectum amabile Deo, et dignum hæreditate æterna.* Si vero forma tam hos, quam priores effectus tribuens, sit accidens; subjectum accidentaliter tantum sanctificari dicitur: qua ratione de facto sanctificantur justi per celebre illud accidens supernaturale, quod *gratiam habitualem et sanctificantem* vocamus. Si forma illa, vel quasi forma sit substantia; per eam substantialiter sanctificatur id, quod illi unitur physice. Hæc sanctitas substantialis alias *gratia incarnata*, item *gratia unionis* compellatur.

*Nota II.* Certum est 1°. Christum, ut hominem, a primo conceptus sui momento sanctum esse; ita enim fides docet, Joan. 10. 36. *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum.* Luc. 1. 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Certum est 2°. Christum, prout significat totum compositum Theandricum, ex Verbo et humanitate, esse sanctum substantialiter; sic enim ob inclusam deitatem ipsa est substantialis sanctitas. Quæritur igitur, an Christus, qua homo, sive Christi humanitas, sit sancta sanctitate substantiali? deinde: An, si ita sancta fuerit, præterea etiam gratiam habitualem simul acceperit?

419. *Dico I.* Humanitas Christi sancta est substantialiter sanctitate increata Verbi. Est communissima Theologorum cum Doctore Angelico contra Marsil. et Durand.

*Prob.* Humanitatem Christi esse sanctam substantialiter, nihil est aliud, quam eam habere in se quid substantiale, vi cujus reddatur immunis a peccato, recte disposita ad honeste operandum, conformiter regulæ morum; filius Dei, amabilis amore amicitiæ, digna hæreditate cœlesti, atque jus acquirat ad visionem beatificam: sed hæc omnia habet humanitas ex unione cum Verbo; Verbum enim ab ea omne peccatum excludit: quin illam reddit impeccabilem, facit dispositam et expeditam ad operandum supernaturaliter circa omne, quod rectæ rationi conforme est. Proinde si gratia habitualis et creata creaturam rationalem sanctificat; multo magis sanctificat humanitatem ipsa sanctitas increata Verbi: hæc enim non tantum est imperfecta similitudo naturæ divinæ, ut gratia creata habitualis, sed est ipse Deus; nec tantum facit filium Dei adoptivum, sed naturalem; nec confert jus ad beatitudinem qualecumque, destructibile, et amissibile, sed indestructibile, æternum.

420. *Neque dicas.* 1°. Sanctitas Verbi est a se, imparticipata; hæc vero nequit denominare sanctum ab alio. 2°. Humanitas non est beata beatitudine substantiali Verbi; ergo nec ita sancta. 3°. Non est formaliter æterna, immensa, omnipotens: æternitate, immensitate, omnipotentia Verbi; ergo neque, etc. Nam

*Ad* 1um. R. *D. min.* Hæc sanctitas a se nequit denominare sanctum ab alio quidditative, et identice *C.* participative *N.*

*Ad* 2um. R. *Disparitas* est, quod hæc beatitudo aliunde repugnet; consistit enim in operatione vitali increata; omnis vero operatio vitalis creaturæ debet immanenter produci, adeoque quid creatum est.

*Ad* 3um. R. 1°. Idem argumentum valet contra subsistentiam, adeoque retorqueri potest.

R. 2°. *N. Cons.* In assignanda disparitate Auctores variant. Nobis hæc præplacet; quia scilicet illorum effectuum, ac denominationum æternæ, etc., humanitas capax non est; redditur autem sancta per deitatem Verbi, quia effectus hujus formalis: *sancti*, sicut alterius: *subsistentis* subsistentia Verbi, capax est.

*Si quæras ulterius*: Cur dicatur capax effectuum posteriorum, non priorum?

R. 1°. *Retorq.* Anima Christi et cujuslibet hominis justi per gratiam habitualem, accidentalem, supernaturalem in ea existentem redditur, ac denominatur sancta et grata; non vero redditur, ac denominatur ab ea supernaturalis, accidens, existens, etc.; cur? nisi quia horum effectuum ac denominationum capax non est; est autem capax priorum, sancti, et grati. Cur autem istud? quia, ut quid dicatur accidens, debet existere in alio tanquam subjecto inhæsionis; ut dicatur supernaturale, debet excedere vires et exigentiam naturæ, etc.; quæ, ut patet, animæ convenire non possunt; ad hoc autem, ut anima dicatur sancta, grata Deo, sufficit, quod habeat sibi unitam gratiam sanctificantem, quæ præstat effectus sanctitatis supra relatos.

R. 2°. Conformiter dictis contra Ubiquistas: ideo illorum effectuum non est capax humanitas, quia, ut quis dicatur omnipotens, debet *vi propria* posse omnia; ut dicatur immensus, debet esse *per se* ubique; ut æternus, debet esse *sine initio et fine essendi;* hæc enim esse propria et formalia harum vocum significata, communis usus docet. At vero, ut natura humana dicatur sancta, plus non requiritur, quam ut habeat unitum sibi ens divinum, a quo reddatur immunis a peccato, expedita ad supernaturaliter et honeste operandum, amabilis Deo, etc.; quod si præstare subjecto potest gratia accidentalis; multo magis ipsa Verbi uniti increata sanctitas.

Cæterum cum omnis denominatio intrinseca oriatur a forma aliqua subjecto unita, et in præsenti composito Theandrico, in quo est humanitas substantialiter sancta, duplex forma, vel quasi forma reperiatur, unde trahi possit illa sanctitas, scilicet deitas, et personalitas Verbi; quæri alias solet: quænam ex his sit ratio formalis humanitatem substantialiter sanctam denominans? Certum est ex Concl. data, eam sanctificari ab utraque realiter spectata; quia sic sunt ipsum Verbum divinum, humanitatem evehens ad esse divinum: reddens eam non tantum peccato immunem, sed etiam impeccabilem: objectum divinæ complacentiæ. Num vero, ut ope-

rose contendunt alii, deitas, ut contradistincta à personalitate Verbi, sit forma humanitatem sanctificans; et similiter personalitas, ut contradistincta a deitate? lis est mere scholastica, a qua consulto præscindimus.

421. *Dico II.* Præter gratiam unionis, sive sanctitatem substantialem, habuit quoque humanitas Christi gratiæ habitualis plenitudinem; unde in illam promanabat sanctitas accidentalis excellentissima.

Est constans omnium Theologorum sententia; non tamen de fide, ut merito observat Vasquez, Disp. 41. c. 1. quod Scriptura et Patres quando loquuntur de Christi gratia, non ita clare exprimant gratiam habitualem, ut explicari nequeant de substantiali; nec extet alia hujus veritatis canonica definitio. Ratio vero asserendi Christo hanc gratiam, non est sanctificatio humanitatis; nec jus ad gloriam, nec operum valor et dignitas, aut similia: hæc enim omnia ratione sanctitatis substantialis sic conveniunt Christo, ut aliunde augeri non possint. Sed ratio est 1°. quia maxime decebat, Christi humanitatem ea quoque gratia ornari: etsi enim absolute necessaria non fuerit; cum sine ea Christi humanitas esset substantialiter sancta, amabilis, grata, exigens divinum concursum ad naturalia et supernaturalia; addebat tamen ornamentum novum et alterius speciei, et sanctitatem naturæ humanæ quasi propriam. 2°. Quia oportebat Christum habere dona illa, quæ ceu caput, in nos, tanquam membra, volebat derivare; ut Trid. Sess. 6. cap. 16. ait: *Tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit;* caput enim membris esse conforme decet secundum omnia, quæ non repugnant perfectioni capitis; hinc generaliter perfectio quælibet, quæ respectu Christi imperfectionem non involvit, illi tribuenda est. 3°. Ut humanitas Christi *connaturalius* eliceret supernaturales actus.

Finis igitur hujus gratiæ in Christo est: ut humanitas hoc speciali ornamento non careret: ut esset radix connaturalis habituum supernaturalium, quorum actus exercebat Christus, et a quibus, tanquam proprietatibus, ipsa quasi natura pro priori supponebatur: ut esset fons gratiarum in nos derivandarum: ut caput esset simillimum membris. Hinc fit, gratiam hanc in Christo non fuisse frustraneam. Ac licet sanctitas substantialis perfectissime sanctificaret humanitatem Christi; id faciebat solum in linea sanctitatis substantialis formaliter; in alia vero linea sanctitatis accidentalis tantum eminenter. Unde et sanctitas accidentalis, etsi non augeret intensive sanctitatem præsuppositam; augebat tamen sanctitatem Christi extensive, quatenus perficiebat humanitatem in alio genere sanctitatis: sic etiam meritum Christi non potest augeri intensive, quoad valorem personalem, utpote infinitum; potest tamen augeri extensive, quoad valorem moralem objectivum.

422. Porro æque certum est Theologis, gratiam hanc habitualem habuisse Christum a primo conceptionis momento; tunc enim illa poterat infundi, et debebatur ratione unionis hypostaticæ, qua posterior est ordine naturæ tantum; nec erat, cur differretur; cum non opponeretur muneri Redemptoris, ut gloria corporis; sed magis illi congrueret. Estque hæc ratio, quod a Patribus subinde gratia hæc dicatur Christo naturalis; uti enim

nobis ab origine inest culpa originalis, et juxta Apost. ad Ephes. 7. *natura sumus filii iræ* ; sic a conceptione Christo gratia hæc connaturaliter debita inextitit.

423. *Dico III.* Gratia tamen illa accidentalis in Christo non est infinita physice; sed solum moraliter : sive tanta, quanta esse potuit spectato fine redemptionis. Communis rursum assertio est.

*Ratio prioris* est, quia cum capacitas subjecti sit physice limitata et finita, physicæ infinitudinis incapax est.

*Ratio posterioris* est, quia hæc infinitudo moralis consistit in eo, quod gratia habitualis in Christo, ratione unionis, fiat principium proximum actuum infinite meritoriorum ; utque effective sanctificare posset infinitas, si darentur, creaturas, in has influendo gratias habituales ; talem vero gratiam exigebat in Christo unio hypostatica, dignitas capitis angelorum et hominum, officium Redemptoris, et finis a Deo intentus : scilicet ut ex plenitudine ejus nos omnes accipere possemus tanquam ex fonte, juxta illud Joan. 1. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus* ; ita tamen, ut nunquam ab omnibus justis esset exhaurienda, vel ab illis, etiam collective sumptis, adæquanda ; quod rursum ratio personæ, et capitis moralis exigebat. Quod vero de gratia habituali hoc loco dictum, idem pariformiter dicendum de habitibus supernaturalibus aliis, qui Christo, eodem instanti, eadem perfectione infusi sunt.

424. Quæres : *quænam in Christo sit, et dicatur gratia Capitis?*

R. Illa nec est sola gratia unionis, nec sola gratia habitualis; sed involvit utramque; gratia enim capitis in Christo illa est, per quam constituitur aliorum Redemptor et sanctificator; quia gratia capitis idem significat, quod gratia, qua Christus fit principium meritorium ; vel potens, ut possit in alios transfundere gratiam, sive justificationem et sanctitatem : sed per utramque gratiam Christus principium hujusmodi meritorium constituitur; nam actiones ejus meritoriæ accipiunt efficaciam merendi aliis per unionem ad Verbum ; proxime vero eliciuntur illæ per habitus supernaturales, quorum connaturalis et immediata radix est gratia; igitur gratia capitis ex duplici illa gratia constat : quarum una, scilicet unionis, est principium magis remotum, quia dat valorem operibus, quæ moraliter dignificat; altera est principium proximum, quia operationes illas elicit per habitus supernaturales.

425. *Dico IV.* Humanitas Christi cum gratia infusas pariter accepit virtutes omnes, quæ, respectu Christi, indecentiam, vel imperfectionem non mportant. Rursus communis.

*Prob. per partes.* 1°. Virtutes naturales per accidens infusæ sunt Christo in primo instanti ejus conceptionis : quia licet hæ virtutes ignobiliores sint, minusque perfectæ, quam supernaturales ; cum tamen inter maxima naturæ humanæ ornamenta numerentur, non videntur abnegandæ Christo, qui est totius naturæ gloria; cum in eo posuerit Deus, quidquid ante plantaverat in Adamo, ut ait S. Joannes Damascen. ; huic vero cum omnes a primo ortu infusæ sint, dicendum est, easdem statim Christo inextitisse,

et quidem in statu ita excellenti, ut moraliter augeri non potuerint; hoc enim exigebat, et personæ dignitas, et officium capitis.

2°. In Christo fuerunt omnes virtutes morales per se infusæ : nimirum habitus supernaturales prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, earumque partes potentiales, vel subjectivæ : religio, pietas, obedientia, etc. Quia gratia habitualis est in Christo cum suis ornamentis omnibus; ergo etiam cum his virtutibus infusis.

*Neque dicas :* Fortitudinis et temperantiæ officium est, coercere passiones, ne repugnent rationi; in Christo vero non repugnabant; ergo. Deinde actus primarius continentiæ est reprimere actus concupiscentiæ, qui in Christo non habebant locum. Nam

*Ad* 1um. R. Est hoc earum officium necessario *N.* quando in subjecto illa rebellio reperitur *C.* Tunc solum id præstant, tolluntque difficultates rectæ operationis, si quam difficultatem patitur subjectum. De reliquo proprius earum actus est, inclinare facile ad operandum honeste circa passiones, sive hæ a ratione exerrare possint, sive non. Unde et earum habitus fuisset in statu innocentiæ, ubi nunquam appetitus rationem prævertere potuisset. Quod vero actus virtutum non produxerint habitum; id non tam ab iis in sua activitate impeditis, quam a subjecti incapacitate provenit, cui totum datum erat, quod naturaliter dari poterat.

*Ad* 2um. R. *T.* totum; tantum enim virtutes illas admisimus, quæ in subjecto suo, Christo, non indecentiam, vel imperfectionem moralem important; unde nec omnes virtutes theologicæ in Christo fuerunt, ut patebit modo.

3°. In Christo fuit *charitas theologica :* tam quæ circa Deum est, quam quæ circa homines propter Deum, ut admittunt omnes; et plena hujus testimoniis sunt Evangelia, ut probatione alia non egeat. *Fides* tamen in eo non fuit; hujus enim obscuritatem non compatiebatur visionis claritas, sicut neque in Beatis. De *spe* controversia est. Sed nihil vetat dicere, hanc virtutem in Christo fuisse quoad gloriam et immortalitatem sui corporis, quæ in vita mortali nondum habebat; sed passione et morte debebat adhuc consequi. Deinde, etsi quoad beatitudinem essentialem, qua Christus adhuc mortalis præsente fruebatur, non posset in eo esse actus desiderii; cum tamen ad virtutem spei in tota latitudine sumptam non tantum pertineant actus desiderii circa beatitudinem absentem; sed etiam actus complacentiæ circa præsentem, saltem tanquam actus secundarii (propter quos etiam in Beatis manere hanc virtutem ad illos connaturalius exercendos habitu intrinseco et inhærente, plurimi docent); potest idem quoque de Christo asseri.

426. *Dico V.* Extiterunt in Christi anima omnia dona Spiritus sancti, ac demum gratias omnes gratis datas in excellentissimo gradu ejus humanitas habuit.

*Quoad* 1um. testatur Isaias c. 11. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ et intellectus; spiritus consilii et fortitudinis; spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini;* totam vero hujus capitis prophetiam de Christo esse, testis est Hieron. in hunc locum cum communi Patrum : *Omnis,* inquit, *hæc prophetia de Christo est.* Et *ratio*

est, quia dona illa sunt perfectiones, quæ dant facile moveri a Spiritu sancto ad actus heroicos; sed Christus facillime ad actus ejusmodi movebatur.

*Quoad* 2$^{um}$. *ratio* est, quia gratiæ illæ omnes eo tendunt, ut doctorem fidei habilem reddant ad explicandas et persuadendas veritates fidei et res æternas; ergo vel maxime Christo conveniebant; ac fuerunt in eo etiam permanenter ut habitus, ut, quoties vellet, iis uti posset ad audientium utilitatem, quibus loquebatur *tanquam potestatem habens.*

Unde nec *prophetia* excluditur; imo de Christo intelligi debet illud Moysis vaticinium, Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Et vero licet prophetia communiter conjungatur cum obscuritate aliqua; hæc tamen non necessario in ejus conceptu involvitur; sed ad eam sufficit, esse viatorem, et perfectissime futura cognoscere? Quod vero Christus dictus sit: *plus quam Propheta*; solum arguit, ab eo res arcanas et futuras fuisse perfectiori modo cognitas, quam a prophetis cæteris; vel fuisse illum simul prophetarum Dominum;

# DISSERTATIO V.

## DE PROPRIETATIBUS ET PERFECTIONIBUS IPSIUS COMPOSITI THEANDRICI.

His demum cætera complectimur, quæ ad Christum, sive totum Theandricum compositum, pertinent; suntque 1°. *Tituli* Christi. 2°. *Operationes*, satisfactio et meritum. 3°. *Adoratio*; quo demum 4°. *Cultum Sanctorum*, ac *SS. Imaginum*, in gratiam Protestantium, reducimus; quæ sequentium Sectionum materiam dabunt et ordinem.

## SECTIO I.

### DE TITULIS CHRISTI.

Multiplices tituli Christi in divinis Scripturis deteguntur; inter quos cum dignitate primus sit, quod sit Filius Dei naturalis; ab eo ducemus ordinem, reliquos deinde brevius, cum longius in iis hærere non exigat materia et scribendi ratio, exposituri.

### ARTICULUS I.

#### UTRUM CHRISTUS HOMO, SIT VERUS AC NATURALIS DEI FILIUS?

427. *Nota I.* Filius vel est naturalis, vel adoptivus. *Naturalis*, ut adoptivo oppositus, est, cui jure nativitatis et sanguinis paterna debetur hæreditas. *Adoptivus*, qui ab alio genitus, sed ab alio electus et assumptus, gratis ad hæreditatem vocatur; unde adoptio definitur a Jurisconsultis: *Gratuita et liberalis personæ extraneæ ad hæreditatem assumptio.*

*Nota II.* Fide catholica certum est, Christum, in quantum Deus est, jure generationis æternæ, esse Filium naturalem Dei: cui repugnat adoptio, quæ ex essentia sua requirit personam extraneam ab adoptante, inque sola fundatur adoptantis gratia, nullumque supponit ante adoptionem in adoptando jus ad bona adoptantis; ideo nec Christus simpliciter pronunciatus est Filius Dei adoptivus; quia importat suppositum divinum, ratione cujus est Filius Dei naturalis, habens ad bona æterna Patris naturale jus. Hinc tantum con-

troversia est; an Christus, *in quantum homo*, sit verus ac naturalis Dei Filius?

*Nota III.* Circa finem seculi VIII. *Felix* et *Elipandus* Hispani, hic Toletanus, ille Urgelitanus episcopus, Christum esse Filium Dei adoptivum docuerunt; uti enim Eginhardus ad annum 791. refert, cum Elipandus Felicem consuleret, quid de Christi humanitate sentiret? an Christus, secundum quod homo est, naturalis et proprius Dei Filius, an adoptivus dici debeat? Adoptivum dici debere, respondit Felix, idque scriptis ad eumdem libris defendere conatus fuit; et cum Felice postea idem prædicavit Elipandus.

In variis continuo Synodis hoc dogma proscriptum fuit. 1°. In Forojuliensi sub Paulino Aquileiensi anno 791. In Ratisbonensi et ab Adriano I. anno 792. In Francofordiensi an. 794. sub Adriano I. et Carolo M., præsentibus Theophylacto et Stephano episcopis. Continet vero Conc. hoc Canones 56. et Tractatus quatuor. Primus est epistola Adriani, alter est liber dictus *Sacrosyllabus*, auctoribus, ut putatur, Paulino Aquileiensi, et aliis Italiæ episcopis. Tertius constat epistola synodica, data a Concilio ad Hispanos præsules. Quartus epistola est Caroli M. ad *Elipandum*, qua ipsi damnationem ejus in Synodo significat.

*Nota IV.* Error vero ille: *Christus in quantum*, vel *quatenus homo, est filius Dei adoptivus*, tripliciter potest defendi; 1°. Ut particula *in quantum*, vel *quatenus* reduplicet ipsum suppositum; hicque error tum Arii fuit, ut aliunde constat; tum Nestorii, præter suppositum divinum in Christo, asserentis alterum creatum humanum, ratione cujus sit filius adoptivus. 2°. Ut reduplicet solam humanitatem, vel naturam humanam, quæ fuerat sententia Gabrielis, Almaini, Majoris, docentium, Christi humanitatem, posse dici adoptatam, non tamen esse, filiam. 3°. Ut reduplicet utrumque, et suppositum Christi, et humanitatem; quæ Durandi et Scoti opinio fuit.

*Felicem* et *Elipandum* non docuisse errorem illum in sensu Arii, satis convenit: nunquam enim hoc ipsis exprobratum est. In sensu Nestorii eos illum intellexisse, negat Vasquez; sed momenta sunt gravissima, quæ Nestoriani erroris illos reos agunt. Nam 1°. in epistola synodica aiunt Patres Francofordienses, eorum hæresin jam in Nestorio damnatam esse, illosque idem nomine *adoptionis* intelligere, quod Nestorius nomine *copulationis*; ambosque reprehendunt, quod Nestorio dicere anathema noluerint. Tum ibid. notant, juxta Felicem et Elipandum, Christum hominem ex servo adoptatum fuisse in filium; sed quid hoc aliud erat, quam cum Nestorio dicere: prius hominem purum creatum fuisse, ac deinde evectum ad dignitatem Filii? 2°. Sacrosyllabus eos *novos hostes*; *at veternosa fœce* (Nestorii) *pollutos* dicit. 3°. Eos cum erroris sui parente Nestorio sensisse, diserte refert Jonas Aurelianens. Lib. 1. de Cult. Imag., Ætherius Auxumensis episcopus, et Beatus in Asturia presbyter L. 1. cont. Elipandum. 4°. Agobardo teste, Lib. cont. Felicem; hic scripto, quod mortuus reliquerat, legitque Agobardus, clare expresserat, Dei Patris Filium nullatenus dici debere passum, sed hominem ab eo assumptum; quæ ipsa fuerat Nestorii hæresis. His, quæ necessaria erant ad quæstionis intelligentiam, præmissis,

428. *Dico.* Christus, *in quantum homo*, est verus ac naturalis Dei Filius; et sub nulla ratione adoptivus.

*Prob. I.* Auctoritate S. Scripturæ. Et quidem, omissis textibus aliis, ad Rom. v. 32. inquit Apostolus : *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quo in loco, observante Adriano I. S. P. epist. ad episcopos Hispaniæ, Christus vocatur Filius *proprius* secundum naturam illam ipsam, in qua traditus fuit, sive secundum humanitatem; ergo nequidem sub restrictione humanitatis (sive Christus, quatenus homo), dici potest filius adoptivus; vel secus admitti debent filii duo : alter naturalis, adoptivus alter; quod esset sentire cum Nestorio.

429. *Prob. II.* Auctoritate Patrum qui ante Concilium Francofordiense floruerunt, e quibus S. Hilar. L. 3. de Trinit. n. 11. *Dominus*, inquit, *dixerat : Clarifica Filium tuum* (Joan. 17. 1.). *Non solum nomine contestatus est esse se Filium, sed et proprietate, qua dicitur tuum; multi enim nos filii Dei, sed non talis hic Filius. Hic enim et verus et proprius est Filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione.* S. Athanasius L. 1. contr. Apollin. n. 12. *Errant qui dicunt, alium esse qui passus est Filius, et alium qui passus non est. Non enim alius est quam ipsum Verbum, quod passionem et mortem susceperit.* Et n. 13. *In illo ipso nomine, quod unicum est, res utraque significatur, divinitas nempe et humanitas. Ideoque homo dicitur Christus, Deus quoque dicitur Christus, ac Deus et homo est Christus, et unus est Christus.* S. Augustin. Tr. 82. in Joan. n. 4. *Nos*, inquit, *filii gratia, non natura; Unigenitus autem natura, non gratia;* tum subdit : *An hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum est?* respondet : *ita sane.* Et in Enchirid. n. 35. *Unus Dei Filius, idemque hominis filius, unus hominis filius, idemque Dei Filius : non duo Filii Deus et homo, sed unus Dei Filius : Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus noster Jesus Christus.* Præsules Africani in libello emendationis Leporii presbyteri, *in hoc*, aiunt concordes, *maxime fides nostra consistit, ut credamus unicum Filium Dei, non adoptivum, sed proprium.* Plura apud Petavium L. 7. c. 2.

430. *Prob. III.* Auctoritate Francofordiensis Concilii propositionem illam : *in quantum homo, est Filius Dei adoptivus*, damnantis, non tantum in sensu Nestorii, sed absolute, in quocumque sensu; etiam sub expressa restrictione humanæ nostræ naturæ, servata licet unitate personæ. Nam 1°. in epist. synodica ad Hispanos ait de Christo (Labb. t. 7. p. 1044. C.) : *Quid est aliud dicere eamdem Virginem adoptivum vel servum genuisse, nisi negare Deum illam genuisse? Si Deus generatus est, nequaquam adoptivus* (h. e. nulla ratione), *sed Filius.* 2°. In ead. (Labb. ibid.) : *Alia persona est proprii Filii, alia adoptivi filii servi : et scimus unam esse personam in Christo Deo, Dei et hominis*; ergo nec ut homo patitur dici adoptivum. 3°. In cit. ep. (Labb. ibid. p. 1043. D.) rationem dat : *Adoptivus siquidem non habet aliam significationem, nisi ut Jesus Christus non sit proprius Filius Dei* : atqui hoc falsum esset; nam haberet significationem aliam, si Christus ut homo esset filius adoptivus, et componi posset cum filiatione naturali filiatio adoptativa, servata unitate personæ. Unde 4°. Adrianus S. P. in ep. ad episc. Hisp. (Labb. ibid. p. 1014. D.) rejicit *adoptionem Jesu Christi Filii*

*Dei secundum carnem* (humanitatem) tanquam *perfidiam* : quia *hoc sancta Dei Ecclesia nunquam credidit* : et in Sacrosyllabo dicitur (Labb. ibid. p. 1023. E.) : *De beata Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit carnem.* Ac rursus in epist. synod. (Labb. ibid. p. 1033. D.) : *Hoc, quod Joannes dixit : vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre... contra adoptionem carnis facit.* En, nequidem patitur Concilium dici humanitatem adoptatam ; hæc enim per carnem intelligitur, sicut Joan. 1. *Verbum caro factum est.*

431. *Prob. IV.* Ratione. 1°. Christus et homo sunt nomina concreta, quæ personam connotant : sed persona Christi est Filius naturalis, non adoptivus ; ergo Christus *ut homo*, nihil aliud sonat, quam Verbum subsistens in natura humana : sed hoc est vere et substantialiter Filius Dei naturalis ; ergo. 2°. Adoptio cadit in personam extraneam, quæ ex mero adoptantis favore et gratia, non ex origine et natura, vocatur ad hæreditatem ; definitur enim : *gratuita et liberalis personæ extraneæ ad hæreditatem assumptio* ; quæ definitio colligitur ex *Inst. et ff. de Adoptionib.* ; atque ita adoptionem intelligunt non tam Jurisconsulti, quam Theologi ac homines passim ; et ita sumpserunt Patres Francofordienses. Unde essentialiter duo requirit : primum, ut, qui adoptatur, sit persona respectu adoptantis extranea. Alterum, ut nullum habeat jus ad hæreditatem : atqui nulla est in Christo persona extranea, etiam *quatenus homo est* ; sed unica eaque divina, et Christus qua homo habet jus ad hæreditatem Dei, quæ est visio beatifica ; ergo.

Hinc patet etiam, cur nec humanitas dici possit adoptata ; quia non est persona, in quam solam cadit denominatio adoptationis ; ac ratione unionis hypostaticæ habet jus ad hæreditatem intrinsecum.

432. *Obj. I.* E veteribus varii Patres, cum de Christo agunt, adoptionis nomen adhibent ; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1°. S. Irenæus L. 3. cont. Hær. c. 19. n. 1. *Qui Filius Dei est*, inquit, *Filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei.* 2°. S. Hilarius L. 2. de Trinitat. n. 27. *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* 3°. S. Cyrillus Alexandrin. de Trinit. Dial. 3. (opp. t. 5. part. 1ª. p. 486. A.), *Adoptatus nobiscum.* 4°. S. August. L. de Prædest. Sanct. c. 15. n. 30. dicit Christum *gratia talem ac tantum esse.* 5°. S. Ildephonsus et alii Toletani præsules Christum esse Filium Dei adoptivum credebant ; ut constat ex ipsa epist. Conc. Francofordiensis (Labb. t. 7. p. 1035. B.) : *Etsi Ildephonsus vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit, etc.* ; ergo.

R. *Generaliter D. Ant.* Adhibuerunt adoptionis nomen, quod crederent Christum esse filium adoptivum : vocem *adoptionis* in rigore sumendo *N.* per adoptionem intelligendo assumptionem naturæ humanæ gratis, sine ullis antecedentibus meritis, ad unionem cum Verbo *C.* Hæc vero assumptio latiori sensu dicitur adoptio, et longe diverso ab eo, de quo hic quæstio est. Sicque explicari debent S. Irenæus, Hilar., Cyrill., August.

Et quidem, quod S. Hilarium attinet, habes ejus verba supra recitata. Quod vero Hincmarus in Præf. L. cont. Gotteschalcum, item Alcuinus velint in Hilario pro *adoptatur* legendum esse *adoratur*, et a *Felice* corruptum

fuisse S. HILARIUM; fides sit penes asserentes. Negat PETAVIUS hic, contendens verbum *adoratur* minus cohærere cum antecedentibus, quam *adoptatur*; quia eo loco antithesin facit HILARIUS, qua cum deitatis insignibus, ea, quæ sunt naturæ humanæ vilia, comparantur. Similiter de S. AUG. mente constat ex ejus verbis supra, de S. CYRILLO vero ex ejus contra Nestorium gestis, contra quem unam solam in Christo personam propugnavit, scilicet divinam Verbi.

*Ad* 5um. *et ult. N.* hoc de ILDEPHONSO et aliis Toletanis episcopis. Ita quidem objecerat Elipandus; sed quod ipsa ILDEPHONSI scripta non adessent, ex quibus dicti veritas detegi potuisset; respondebant PP. non asserendo, sic credidisse ILDEPHONSUM; sed quasi permittendo: *etsi Ildephonsus vester*, etc. *noster Gregorius Pontifex Romanæ fidei semper eum unigenitum nominare non dubitavit.* Cæterum falso hoc Elipandum jactasse, ex ipso ILDEPHONSO constat L. de partu virginis (Biblioth. magn. PP. t. 9. p. 125. B.): *Ergo non illum, ut cæteros adoptio Filios, Dei fecit Filium; sed divinitatis natura illum in proprium Dei Filium exaltavit.* Et L. de Virginit. perpetua S. Mariæ c. 11. (ibid. p. 120. A.): *Propter duarum naturarum proprietatem in unitate personæ Dei connexam, Dei et hominis unius Christi hæc sola homo mater est virgo. Ita in utraque natura unum generans filium, ut idem sit Filius Dei, qui Filius hominis; nec alter sit Filius hominis, quam qui Filius Dei.*

433. *Obj. II.* Christus ut homo non est Deus; ergo neque Filius naturalis Dei.

R. *D. Ant.* Non est Deus formaliter *C.* non est Deus hypostatice *N.* Sed hoc jam sufficit, ut sit et dicatur Filius naturalis Dei; cum enim homo nomen concretum sit, simul cum natura personam importat: sed persona Christi ut hominis est Filius naturalis Dei; est enim persona Verbi.

434. *Inst.* 1. Potest Christus, qua homo, dici servus late dictus, ratione naturæ humanæ; non obstante, quod Christus et servus nomina concreta sint; ergo etiam sic Filius adoptivus dici potest.

R. *N. Cons.* Nam *disparitas* est, quia servitus late dicta, quæ in hac quæstione nihil aliud est, quam subjectio ad Deum et essentialis dependentia a Deo, non tam suppositum afficit, quam naturam, ac proin ratione hujus supposito convenire potest, et solam potest afficere naturam; utpote quæ, abstrahendo etiam a persona, est quid subjectum Deo, essentialiter dependens a Deo; ergo serva late dici potest. Sed *filiatio* est proprietas præcise personalis, et supposito ratione sui convenit. Hinc reduplicatio: *Christus, quatenus homo,* nequaquam cadere debet supra formam, seu naturam; sed homo *specificative* sumi debet, ut dicens naturam suppositatam. Disparitas hæc est D. THOMÆ hic ad 3. *Dicendum, quod esse creaturam, et etiam servitus, vel subjectio ad Deum non solum respicit personam, sed etiam naturam; quod non potest dici de filiatione.*

*Cujus ratio* ulterior est, quod ad relationem filii requiratur generatio passiva, perfecta, ac completa; filiatio enim ens completum in specie generantis respicit, proinde et suppositum: sicut enim paternitas, quia generationem sequitur, non convenit naturæ; sic nec filiatio, cum generationem

passivam sequatur. Inde in divinis non permittuntur hæ propositiones : *Natura divina generat : Natura divina est genita.* E contra orthodoxæ sunt : *Pater generat : Filius generatur;* ergo relatio filiationis ultimum generationis terminum, sive suppositum, non naturam respicit et denominat. Unde rursum Doctor Angelicus hic in 3. D. 8. q. 1. a. 5. ad 1. ait : *Subjectum filiationis non potest esse natura; cum sit ejus, quod habet complementum speciei.* Ideoque ibid. a. 1. ad 5. dixerat : *Ad filiationem requiritur plus, quam ad nativitatem, vel ortum ; scilicet, ut quod exit per generationem a generante, sit completum in specie generantis ; et ideo fructus arborum, ova avium, et capilli, et alia hujusmodi non habent rationem filiationis, licet dicantur nasci.*

435. *Inst.* 2. Christus quod sit Filius naturalis Dei, non habet ab humanitate; ergo Christus *quatenus homo* non est filius naturalis Dei ; ergo adoptivus est.

R. *C. A. D. Cons.* Si τὸ *quatenus homo* sumatur reduplicative, quasi humanitas esset ratio formalis, ob quam Christus sit Filius naturalis Dei, sic quatenus homo non est Filius naturalis Dei *C.* Falsum enim est, humanitatem esse rationem formalem filiationis Christi, juxta dicta. Si sumatur specificative, ut sumi debere diximus *N.*

436. *Inst.* 3. Ratio filiationis naturalis est vera et naturalis generatio : sed Christus quatenus homo a Deo per veram et naturalem generationem non procedit ; ergo.

R. *D. Ant.* Ratio sola et unica filiationis naturalis est naturalis generatio *N.* etiam unio hypostatica, qua naturæ communicatur persona illa, quæ est genita, est ratio filiationis naturalis *C.* Unde causa remota filiationis naturalis Christi est generatio divina passiva personæ Verbi; causa proxima et formalis est ipsa persona Verbi substantialiter conjuncta humanitati per unionem hypostaticam. Ex quo fit, quod, licet tota Trinitas sit causa effectiva unionis, Christus tamen dici non possit filius totius Trinitatis; quia filiatio Christi remote et ultimato fundatur in generatione divina passiva.

437. *Inst.* 4. Christus ut homo non potest dici Verbum, aut imago Patris. Item, si Pater assumeret naturam humanam, non foret Pater ut homo; quia ut homo non generaret ; ergo nec Christus ut homo dici debet naturalis Dei Filius.

R. *N. Ant.* quoad utrumque ; sed eodem sensu Christus ut homo potest dici Verbum, imago Patris, quo Filius Dei naturalis dicitur ; quanquam modo specialiori Filius dicatur; quia filiatio est proprietas personalis, soli personæ conveniens. Similiter eodem sensu, in altera hypothesi, prima persona ut homo esset Pater æterni Verbi : uti modo Christus illius Filius naturalis est.

438. *Obj. III.* 1°. Gratiæ habitualis effectus est filiatio adoptiva : sed hæc fuit in Christo, et quidem ejusdem speciei cum nostra, et in excellentissimo gradu; ergo. 2°. Licet Verbum sit de se suppositum extraneum

naturæ humanæ; potest tamen facere natura humana, cui unitur, ut sit filius naturalis B. M. Virginis, sicque fiat huic intraneum ratione naturæ ipsi intraneæ; ergo etiam potest natura extranea facere, ut suppositum de se intraneum fiat extraneum, et subjectum capax filiationis adoptivæ per gratiam. 3°. Si Christus nequeat dici adoptivus; ergo Theologi illi, qui ita senserunt, adhuc post Conc. Francofordiense essent hæretici; ut Scotus, Durandus: sed nemo illos ut hæreticos habet. 4°. Qui est Filius Dei per naturam, potest esse Filius Dei per prædestinationem; nam de Christo Filio Dei dicitur ab Apost. ad Rom. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute;* ergo etiam poterit dici, Filius Dei per adoptionem.

*Ad* 1um. R. *D. M.* Est hic effectus gratiæ habitualis in subjecto capaci filiationis adoptivæ, quale sunt cæteri puri homines *C.* si subjectum incapax sit illius filiationis *N.* Sed Christus, cum non sit persona extranea Deo, filiationis adoptivæ capax non est.

*Ad* 2um. *N. Cons. Disparitas* est, quia, ut suppositum, quod est intraneum, fiat extraneum, debet amittere prædicata positiva sibi propria et naturalia, per quæ erat secundum se intraneum: scilicet naturam habitam primo per se per generationem: sed Verbum hæc amittere non potest, estque talis mutationis essentialiter incapax. At nihil amittit Verbum, dum, ratione naturæ assumptæ, fit suppositum matri intraneum, quasi domesticum ad terminandam generationem, adeoque filiationem, generationis terminum; non enim ideo desiit esse intraneum Patri. Unde de eo Ecclesia: *Mirabili mysterio, id quod fuit permansit: et quod non erat assumpsit.*

*Ad* 3um. R. *N. seq.* Quia acta Concilii Francofordiensis diu, ut putatur, hæreticorum astutia, latuerunt incognita, dum demum a Surio, qui anno 1578. obiit, detegerentur. Unde Theologi illi, qui tum Christum adoptivum, sensu supra exposito, asserebant; quia acta Concilii illos latebant, accusari hæresis nullatenus possunt.

*Ad* 4um. *N. Cons.* Alia est ratio adoptionis, alia prædestinationis; nam adoptio essentialiter requirit personam, quæ sit respectu adoptantis extranea; at prædestinatio respicit personam non solum secundum id, quod est ei naturale; sed etiam secundum id, quod potest personæ convenire aliunde, ideoque Christus dicitur prædestinatus Filius Dei, *non secundum quod subsistit in natura divina;* sic enim est Filius Dei naturaliter; sed *secundum quod subsistit in natura humana.* Et vera est enunciatio hæc: *Christus ut homo prædestinatus est filius Dei naturalis;* vel ad filiationem Dei naturalem.

*Ratio* ulterior est, quia prædestinatio proprie accepta est Dei præordinatio ab æterno de his, quæ per gratiam facturus est in tempore; et ad prædestinationem sufficit, quod subjectum potuerit non habere hunc terminum: atqui hoc suppositum Christus, ratione naturæ humanæ, potuit non habere filiationem Dei: et Christo ut homini convenit in tempore, per gratiam unionis, esse Filium naturalem Dei; licet enim personæ Christi ut subsistenti in natura divina naturale sit esse Filium Dei naturalem; non tamen ei naturale id est secundum naturam humanam. Quam rationem in terminis S. Thom. hic a. 1. ad 2. ubi. *Quamvis enim,* inquit, *sit naturale illi personæ secundum se consideratæ, quod sit Filius Dei in virtute; non tamen*

*est ei naturale secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi convenit per gratiam unionis.* In quo secutus est S. Aug. quem refert L. de Prædest. Sanctor. c. 15.

## ARTICULUS II.

### EXPENDUNTUR RELIQUI TITULI CHRISTI.

Ex cæteris Christi titulis alii sunt honoris et potestatis; alii amoris; alii officii : ex quibus hic præcipuos delibamus.

439. *Dico I.* Tituli honoris et potestatis sunt sequentes : et quidem est

I. *Rex et Dominus omnium*; non tantum qua Deus est, ut per se patet; sed et qua homo, juxta illud ad Hebr. 1. *Novissime nobis locutus est in Filio, quem constituit hæredem universorum.* Ac Dan. 7. *Dedit ei potestatem, et honorem et regnum.* Uti enim Christus, qua Deus, hæc omnia habet ex natura; ita et qua homo, ex dono Patris ac libera constitutione eadem communicata accepit.

Hoc tamen regnum Christi, qua hominis, in mundo potissimum spirituale fuit; cum politicum aliud agnoscere nollet, ac Pilato diserte responderet, Joan. 18. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum; ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc.* Ad quæ verba S. Aug. Tr. 115. in Joan. n. 2. *Audite ergo,* inquit, *Judæi et Gentes, audi, circumcisio; audi, præputium; audite, omnia regna terrena : non impedio dominationem vestram in hoc mundo... Regnum meum non est de hoc mundo. Quid vultis amplius? Venite ad regnum quod non est de hoc mundo; venite credendo, et nolite sævire metuendo.* Hac etiam potestate regia spirituali sola usus est, condendo Ecclesiam, eique leges dando; instituendo sacramenta; ordinando Apostolos, et mittendo ad prædicandum, etc. Ut proinde, qua homo, vel executionem regiæ potestatis politicæ non acceperit; vel huic renuntiaverit. Unde et allatos supra textus ad Hebr. 1., Dan. 7., de regno potius spirituali intellige.

440. II. *Sacerdos verus et novæ Legis Pontifex,* juxta illud ad Hebr. 4. 14. *Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei* Et *prob. ratione* : Sacerdotis enim officium est, agere mediatorem Deum inter et homines, offerre pro populo preces et sacrificia, juxta illud ad Hebr. 5. 1. *Omnis pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* Sed hoc præstitit Christus; nam est *semper vivens ad interpellandum pro nobis,* ad Hebr. 7. 25. Item ad Hebr. 9. 14. *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram.* En, se ipsum obtulit; scilicet simul sacerdos et victima.

Sacerdos tamen fuit qua homo, sive secundum naturam humanam; sacerdotium enim et sacrificium dicunt submissionem in offerente et re oblata; sed submissio Christo tantum qua homini convenit, non qua Deo.

Porro sacerdos est in æternum, et secundum *ordinem Melchisedech,* juxta illud Ps. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Quæ repetit Apostolus ad Hebr. 5. et Christo applicat. Ac 1°. quidem est sacerdos *æternus*; quia caret successore, et semper ipse est offerens, et sacerdotes reliqui ejus ministri sunt. Ratione vero sacrificii cruenti in cruce oblati, habet etiam sacerdotium æternum, sed quoad effectum, et repræsentationem pretii semel oblati; de hoc enim ait Apost. ad Hebr. 10. 14. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

2°. Est sacerdos *secundum ordinem Melchisedech.* Hoc quidem late ostendit Apostolus ad Hebr. c. 6. et 7. Quinque nimirum figuris illa Christi in Melchisedecho præfiguratio constat. 1. Quia nomen ipsum Melchisedech idem sonat, ac rex justitiæ; at Christus verus rex justitiæ est. 2. Melchisedech fuit rex Salem, id est, pacis; sed Christus idem est pacem Deum inter et hominem restituens. 3. Melchisedech dicitur *sine patre, sine matre*; Christus secundum humanitatem sine patre; secundum divinitatem sine matre est. 4. Melchisedech dicitur, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens;* Christus qua Deus initium non habet; qua sacerdos non finem. 5. Sacrificium Melchisedechi in pane et vino constitit, Gen. 14. 18.; sed et Christus sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem suum obtulit; offertque adhuc per ministros sacerdotes. Unde S. Cyprian. ep. 63. ad Cæcilian. n. 4. *Quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus; qui sacrificium Deo Patri obtulit, et hoc idem, quod Melchisedech : id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem.*

Quin ideo *proprie* dicitur sacerdos *æternus,* quod adhuc sacrificet per ministros; nam sacerdos non potest dici, qui non habeat sacrificium aliquod, quod offerat; hoc vero sacrificium non potest esse sacrificium cruentum crucis, utpote quod transiit et repeti non potest, quia *Christus jam non moritur*, ut ait Apostolus; ergo debet esse aliud : sed aliud assignari nequit, quam quod offertur in Ecclesia sub speciebus panis et vini, ipsum Christi corpus et sanguis; a quo et alterum sequitur, quod sit *secundum ordinem Melchisedech* æternus; hæc enim characteristica nota est sacerdotii Melchisedechi et specifica, quod in pane et vino obtulerit. Unde et Gen. 14. cit. cum dicitur obtulisse panem et vinum, ratio datur : *Erat enim sacerdos Dei altissimi.* Inde sacrificium Missæ probant Theologi, et late Tract. de Sacram. Euchar., quo pertinet, probatum jam habes.

441. III. *Caput hominum et angelorum,* juxta illud ad Ephes. 1. 20. *Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum... Et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius* : ubi in priore parte textus etiam angeli comprehenduntur. Inde etiam conficitur, ipsum esse caput Ecclesiæ secundum naturam humanam. Nam secundum eam naturam Apostolus testatur Christum constitutum esse caput totius Ecclesiæ, secundum quam fuit suscitatus a mortuis: sed fuit suscitatus a mortuis secundum naturam humanam, non divinam; ergo.

Dicitur porro *caput Ecclesiæ* tripliciter : 1°. Ratione *ordinis;* sicut enim caput est principalis pars hominis : ita Christus Ecclesiæ ob summam propinquitatem ad Deum. 2°. Ratione *perfectionis;* sicut enim in capite vigent omnes sensus, cum in reliquis membris solus vigeat tactus: ita in Christo plenitudo est omnium gratiarum, ut ait Augustin. ep. 187. ad Dardan. n. 40.

3°. Ratione *virtutis*; sicut enim omnia membra a capite hauriunt vim et motum : sic omnia membra mystica Ecclesiæ motum gratiæ a Christo, qua se moveant ad opera vitæ æternæ.

Angelorum vero caput est 1°. Ratione *ordinis* et *præeminentiæ*, ad Coloss. 2. et Ephes. 1. 2°. Ratione *auctoritatis* et *potestatis*, ad Philipp. 2. 10. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium*. Et 1. Pet. 3. 22. *Profectus in cœlum, subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.* 3°. Ratione *gratiæ*, non quidem essentialis primæ, quam in creatione sua acceperunt; hæc enim ex mera Dei liberalitate, independenter a Christi meritis, ipsa concessa fuit, ut suo loco ostendimus de causa finali incarnationis; sed accidentalis, quam etiam in angelos influit : quæque consistit in variorum mysteriorum revelatione, præsertim incarnationis; tum in gaudio quodam accidentali, quo fruuntur ex salute nostra per Christum facta, et similibus.

442. IV. *Judex vivorum et mortuorum*. Act. 10. 42. *Ipse constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum*. Joan. 5. 22. *Neque Pater judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio*. Hæc porro judicis dignitas Christo etiam homini competit.

443. *Dico II*. Tituli OFFICII sunt, quod sit Propheta, Doctor, Mediator. Redemptor. Est igitur

I. *Propheta*. Juxta illud Deut. 18. 15. *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies*; quæ de Christo dicta sunt. Porro character Prophetæ in Christo elucet ex ejus futurorum scientia, tum secretorum et occultorum; ex reprehensione vitiorum; reductione populi ad cultum Dei verum; mysteriorum et Scripturarum interpretatione : unde passim a populo *Propheta magnus* dicebatur.

444. II. *Doctor*. Is. 55. 4. *Testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus*. Joan. 13. 13. *Vocatis me Magister, et Domine : et bene dicitis; sum etenim*. Officium hoc implevit manifestando veritates nobis ignotas; docendo; efficacia sermonis convincendo; doctrinam suam confirmando operibus et miraculis.

445. III. *Mediator*. Specialis hic titulus Christi est; isque illi tribuitur ob officium singulariter proprium, 1. Tim. 2. 5. *Unus Deus, unus et Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Ad Hebr. 9. 15. *Novi Testamenti mediator est; ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant..... hæreditatis*. Mediatoris enim est reconciliare; hoc præstitit Christus *mundum reconcilians Deo*. Quin etiamnum exercet, exercebitque usque ad finem hoc mediatoris officium; ad Hebr. 7. 25. *Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum; semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Et 1. Joan. 2. 1. *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum*.

*Quæres* : Juxta quam naturam Christo competat mediatio? Quidam ex

Lutheranis ratione solius humanitatis Christum mediatorem asserunt; Calvinus cum Lutheranis reliquis ratione solius divinitatis. Sed utrumque male. Nam

R. 1°. Christus non fuit mediator secundum solam naturam humanam; hujus enim mediatio non fuisset sufficiens ad reconciliationem perfectam; quia, cum non fuisset persona infinitæ dignitatis, neque pretium fuisset condignum, et valoris infiniti.

R. 2°. Nec mediator dici potest ratione solius divinitatis, 1°. quia natura divina non potuit esse principium elicitivum operationum, per quas facta est mediatio; nec secundum hanc Christus pati, mori, etc. potuit, cum impassibilis, immortalis sit. 2°. Ipsi naturæ divinæ pretium persolvi debuit; ergo ipsa mediare non poterat et reconciliare; mediator enim, ut vox ipsa denotat, diversus esse debet in lite et causa a partibus. 3°. Quia alias tota Trinitas exercuisset officium mediationis et redemptionis; quia operationes ad extra SS. Trinitatis communes et indivisæ sunt. Unde

R. 3°. Christus, ut homo Deus, sive ut homo subsistens persona Verbi, mediator est; 1°. enim utrumque Scriptura innuit 1. Cor. 2. 8. *Dominus gloriæ crucifixus est*, ubi per *Dominum gloriæ* persona Christi, per τὸ *crucifixus* natura humana exprimitur; natura enim divina crucifigi non potuit. 2°. *Ratio* est, quia sic principium elicitivum operationum, quibus facta mediatio est, Christus qua homo, sive secundum naturam humanam, fuit; dignificativum vero fuit Verbum, a quo valorem infinitum, ac pretium illa mediatio traxit. Unde S. Aug. L. 10. Conf. c. 42. *Mediator*, ait, *inter Deum et homines oportebat ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus; ne in utroque hominibus similis, longe esset a Deo; aut in utroque Deo similis, longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset.*

446. *Obj.* 1°. SS. Patres mediationem sæpe divinitati tribuunt; ergo. 2°. Mediatoris est, ut inquit S. Aug. Enchirid. c. 33., renovare corda, dare Spiritum sanctum; atqui hæc Christo tantum qua Deo convenire possunt. 3°. Mediator nihil debet habere commune partibus reconciliandis, sed distare habet ab extremis; at Christus Deus homo de utraque parte participat.

*Ad* 1$^{um}$. R. *D.* Mediationem substantialem sive incarnationem, qua conjuncta est natura divina et humana, et quæ sufficiens est ad perfectam reconciliationem hominis cum Deo *C.* mediationem, quæ per operationes habetur *Subd.* Tribuunt divinitati ut principio dignificativo *C.* elicitivo *N.* Unum autem sine altero non sufficit.

*Ad* 2$^{um}$. R. *D.* Officium mediatoris est renovare corda, dare Spiritum sanctum, ut causa meritoria et ministerialis *C.* ut causa effectiva ac principalis *N.* Secundum divinitatem tantum dat gratiam et similia effective solum, non moraliter et meritorie: in mediatione vero vel maxime respicitur meritum, quo Deo offenso reconciliamur; sed ad hoc sola natura divina ex dictis non sufficit.

*Ad* 3$^{um}$. R. *D.* Nihil debet habere commune quoad litem, vel delictum *C.* quoad entitatem physicam *N.* Constat ex S. Aug. supra. Sic et homo inter duos litigantes, aut offensos ab invicem homines, verus esse mediator potest, licet naturam cum utraque parte communem habeat; modo in causa, vel delicto non participet.

447. IV. *Redemptor*. Debetur hic titulus Christo, quod, ex solo erga nos amore, vindicaverit nos a servitute peccati; captivitate dæmonis per satisfactionem infinitam, ac superabundantem: *redimere* enim idem sonat, quod liberare a servitute, captivitate, similive modo. Unde de Christo ait Apostolus 1. ad Tim. 2. 6. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Et ad Gal. 3. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*. Sed cum satisfactio illa Christi, quam pro nobis obtulit, patcat paulo latius, eam speciali Sectione, quæ sequitur, pertractare, necesse duximus.

---

# SECTIO II.

## DE CHRISTI REDEMPTORIS SATISFACTIONE ET MERITO.

Titulum redemptoris primus Christo adimere conatus est *Pelagius*, qui, quod negaret peccatum originale, ac gratiæ necessitatem, negabat consequenter Christi redemptionem; eumque ideo solum advenisse dicebat, ut doctrina præluceret et exemplo. Eidem non parum detrahunt, inde *Sociniani*, negantes, Christum vere satisfecisse pro nobis; hinc *Calvinus* et *Jansenius*, Christum pro prædestinatis duntaxat mortuum affirmantes, eo solo discrimine, quod *Jansenius* admittat, Christum reprobis promeruisse quidem gratias quasdam, sed temporarias. Alium insuper errorem *Calvinus* addit, ex una parte satisfactionem Christi ita perfectam asserens, ut privatæ satisfactioni nostræ nullus amplius supersit locus; superabundantem tamen negans ex parte altera; ut sic catholici dogmatis de indulgentiis præcipuum fundamentum convelleret. Unde totam de operationibus Christi, tum satisfactoriis, tum meritoriis controversiam ad has quæstiones reducimus: 1°. An satisfactio Christi *necessaria* fuerit? 2°. *An vere* pro nobis satisfecerit? 3°. An *condigna* et *superabundans*, ac quanti valoris fuerit Christi satisfactio? 4°. An, et quo sensu *mortuus* pro omnibus?

### ARTICULUS I.

#### AN SATISFACTIO CHRISTI FUERIT NECESSARIA.

448. *Nota I*. Differunt inter se restitutio et satisfactio. *Restitutio* est rei alienæ redditio, vel damni illati compensatio. Nimirum est actus justitiæ strictæ, quo redditur id, quod alteri ablatum, aut illatum damnum compensatur; unde respicit injuriam, quam tollit ponendo æqualitatem rerum, et faciendo, ut læsus tantum habeat in bonis suis, quantum habuerat ante læsionem. *Satisfactio* vero respicit offensam, sive inhonorationem personæ factam per hoc, quod aliquid sive cum injuria stricta, sive sine hac scienter et libere factum sit cum ejusdem personæ contemptu. Unde defi-

nitur : *Exhibitio actionis, vel obsequii honorifici, quo vel ad æqualitatem, vel saltem aliquo modo, compensatur illa inhonoratio, et tollitur causa justæ ac rationabilis aversionis.* Hinc alia est *condigna*, cujus valor adæquat gravitatem offensæ : alia *congrua* tantum, cujus valor gravitatem offensæ non adæquat.

*Nota II.* Certum est 1°. neque satisfactionem Christi, neque incarnationem, fuisse absolute necessariam, etiam supposito lapsu humani generis; tum quia poterat punire peccatorem hominem, sicut perduelles angelos; tum quia Deus, ex se infinitus undequaque, nullius rei extra se egens est; et aliunde universim opera Dei ad extra ipsi liberrima sunt. 2°. Nec satisfactionem, nec incarnationem ipsam necessariam fuisse ex hypothesi, quod hominem lapsum salvare vellet; poterat enim Deus viis aliis lapsum erigere, exigendo qualemcumque satisfactionem imperfectam, vel gratis condonando offensam; cum enim summus sit Dominus, cur nequeat cedere juri suo, quod habet ad odio habendum, ac puniendum peccatorem?

Solum *quæritur* : an fuerit necessaria ex hypothesi, quod Deus voluerit sibi *condigne* satisfieri pro peccatis? Ubi tamen iterum advertendum est, quod, licet Deus, ob alios fines, noluerit alio modo redimi humanum genus, quam quo de facto redemptio contigit; eum tamen non fuisse necessarium, ut Deo condigne satisfieret; sed potuisse præstari condignam satisfactionem, si persona aliqua divina naturam intellectualem aliam, puta angelicam, sibi univisset, in ea exercuisset satisfactoria opera; aut si in assumpta natura humana, omissa passione et morte, quemvis alium actum submissionis obtulisset; quia utrobique actus, ob personæ divinæ dignitatem infinitam, fuisset condigna satisfactio.

449. *Dico.* Necessaria fuit Christi satisfactio ex hypothesi, quod perfecte et condigne sibi satisfieri vellet.

*Prob.* Nulla pura creatura potest condigne satisfacere pro peccato mortali, sive suo, sive alieno; neque id poterat purus Deus; ergo necessarium erat, ut persona divina naturam intellectualem assumeret, ex qua assumptione existeret is, qui secundum naturam assumptam esset creatura, adeoque, cum illa submissionis capax sit, exercere posset satisfactoria opera (idem est de meritoriis) et secundum alteram esset Deus, adeoque operibus dare posset valorem æqualem offensæ. *Consequens* patet, nec probatione eget : etiam *Antec. pars* 2ª. clara est; tum quia nemo satisfacit sibi ipsi; tum quia Deus purus submissionis, quam importat satisfactio, incapax est. Igitur *Antec. quoad* 1 am. *p.*

*Prob. I.* Ex SS. Patribus, qui ex hoc inferunt, Christum fuisse verum Deum, quod humanum genus redimere, et Deo pro peccatis nostris condigne satisfacere potuerit. Sic Leo M. serm. 1. de Nativ. c. 2. *Nisi esset Deus, non afferret remedium.* S. Basil. in Ps. 48. n. 4. ita scribit : *Non igitur fratrem quæras, qui redimat; sed eum, qui naturam tuam superet : neque merum hominem; sed hominem Deum Jesum Christum, qui et solus potest dare propitiationem Deo pro omnibus nobis.* S. Aug. Enchir. c. 108. *Neque*, ait, *per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, nisi esset et Deus.* S. Cyril. Alexandr. epist. ad Valerian. (opp. t. 3.

part. 2ª. sect. 2ª. p. 163. D.): *Quo pacto etiam unus pro omnibus pretium exsolveret, si illa passio puri cujuspiam hominis fuisse putatur?* S. Proclus Constantinopolitanus, homil. Quod Deipara sit B. Virgo Maria (Labb. t. 3. p. 14. D.): *Duorum*, inquit, *alterum oportebat fieri: vel omnes sententiæ mortis subjici, eo quod omnes peccaverunt; vel ejusmodi pretium rependi, quod ad illam rescindendam damnationem pleno jure valeret. Jam vero salutem homo conferre non poterat: quippe qui peccati et ipse debitum contraxerat. Sed nec angelus humanum genus poterat redimere. Nam talis pretii inops erat. Restabat igitur ut pro iis qui peccaverant, impeccabilem mori oporteret Deum. Id enim supererat unicum malo remedium.* Cf. Petavium. L. 2. c. 12.

450. *Prob. II.* Ratione. Quia ut satisfactio aliqua sit condigna, h. e. æqualis offensæ; necesse est, ut persona satisfaciens sit dignitatis æqualis cum persona offensa; vel certe, ut non sit inter illas distantia infinita, quæ nulla operum excellentia exæquari possit: atqui inter Deum et creaturam est distantia infinita; ergo. *Maj. prob.* Sicut enim offensa crescit in ratione offensæ ex dignitate personæ, quæ offenditur, comparatæ ad personam offendentem; ita satisfactio crescit e contra ex dignitate personæ satisfacientis, comparatæ ad personam offensam; adeoque sicut offensa desumit ordinem a persona, quæ offenditur; sic satisfactio suum sumit ordinem a persona satisfaciente; ergo ut satisfactio condigna sit, persona satisfaciens debet æqualis esse dignitate personæ offensæ. Hinc jam fit, quod pura creatura, cum nunquam adæquare possit dignitatem personæ offensæ, nunquam possit pro mortali condigne satisfacere; sed inde ejus decrescat satisfactio, scilicet a satisfacientis vilitate respectu Dei: unde crescit offensa, scilicet a dignitate personæ offensæ.

Hæc ex communi hominum sensu elucent; omnes enim longe majorem offensam ducunt, si subditus regem, quam si rex subditum percutiat, et majori proin satisfactione expiandum esse hoc peccatum a subdito; unde lumine naturali ita doctus ait Philosophus L. 5. Ethic. c. 5. *Si is, qui magistratum gerit, alium inferiorem percutiat, non est repercutiendus; si vero quis inferior magistratum percusserit, non tantum repercutiendus, sed etiam supplicio afficiendus est.*

Tota igitur ratio impotentiæ, ex parte creaturæ satisfaciendi condigne pro mortali nascitur tum ex supremitate ordinis, in quo est offensa (licet enim mortale peccatum non dicatur esse simpliciter infinitum in ratione malitiæ et offensæ; est tamen infiniti ordinis excedens omnes offensas alias); tum ex inferioritate ordinis, in quo est satisfactio creata; quia ob hanc diversitatem ordinis offensa crescit per dignitatem Dei, et satisfactio decrescit per vilitatem creaturæ; ergo nunquam accedunt ad æqualitatem.

451. *Obj. 1.* Malitia peccati in se quid finitum est; ergo finitis obsequiis præstantioribus et præstantioribus a pura creatura æquari potest; finitum enim a finito æquari potest.

R. *N. Cons. Ad prob.* R. 1°. *N.* universaliter sumptam. Sic homo est finitus in perfectione sua, nec tamen adæquari potest a muscis in infinitum multiplicatis. Unde

R. 2°. *D.* Si unum non decrescat ex iisdem principiis, ex quibus crescit alterum : vel si sit ejusdem ordinis et rationis, aut eadem mensura uniformiter mensurabile *C.* si diversi ordinis et rationis, nec habeat cum altero proportionem *N.* Satisfactio autem puræ creaturæ inde decrescit, unde crescit offensa Dei. Dein offensa Dei est in *supremo ordine* offensæ ; satisfactio autem creaturæ puræ in infimo ordine obsequii. Demum mensura offensæ, non quidem arithmetica ad æqualitatem, sed geometrica vel proportionalis, est Deus comparative ad creaturam ; satisfactionis, creatura comparative ad Deum.

452. *Inst* 1. Licet actus charitatis sit in superiore ordine, quam sint actus virtutum moralium, ut misericordiæ; si tamen hujus actus multiplicentur, non tantum æquare, sed et superare possunt vim meritoriam actus charitatis : item sic argentum multiplicatum exæquat pretium auri; ergo potest aliquid, licet inferioris ordinis, multiplicatum, æquare alterum, quod est ordinis superioris.

R. *D. A.* Actus charitatis est ordinis tantum secundum quid superioris, quam actus virtutum moralium *C.* superioris simpliciter, et absolute, in omni linea *N.* Et *D. etiam Cons.* Ergo potest aliquid inferioris ordinis tantum secundum quid, et in ea ratione, in qua non est inferioris ordinis, æquare et superare valorem alterius, quod ordinis superioris est *C.* potest aliquid ordinis inferioris simpliciter et absolute, et in ea ratione, in qua est ordinis inferioris, æquare alterum *N.* Sic actus charitatis in ratione ultimo disponentis ad justificationem, vel hominem perfecte convertentis ad Deum, ab actibus virtutum moralium, utut multiplicatis, æquari non potest; sed tantum in ratione meriti, in qua cum illis non est diversi ordinis. Sic aurum in perfectione et specie physica, juxta quam altioris est ordinis, quam argentum, ab hoc æquari nequit; potest tamen in ratione pretii rerum emendarum, quia in hac sunt paris ordinis.

453. *Inst.* 2. Si offensa Dei est ordinis simpliciter infiniti, quia est offensa personæ infinitæ; ergo etiam amor Dei est ordinis simpliciter infiniti, quia pro objecto formali respicit bonitatem Dei non minus infinitam; ergo poterit per hujusmodi actum condigne satisfieri pro mortali.

R. *N. Cons.* Ideo offensa Dei est ordinis simpliciter infiniti, quia est offensa personæ infinitæ, et insuper gravitas offensæ desumit ordinem a dignitate personæ offensæ; at vero amor, et quisquis alius actus satisfactorius creaturæ, non desumit ordinem a persona amata, juxta dicta in Conclus.; sed ab amante et satisfaciente, ex communi et innato hominum sensu; numquid omnes majoris facimus : amari a rege subditum, quam regem a subdito?

454. *Obj. II.* Charitas, contritio perfecta, est deletiva peccati : actus incompossibilis cum offensa Dei. Item : tantum per eam ponitur, quantum sufficit ad placandum Deum; ergo nihil ei deest ad rationem condignæ satisfactionis.

R. *D. A.* Est deletiva peccati, incompossibilis, etc.; ex magnitudine suæ bonitatis et æstimabilitatis intrinsecæ *N.* ex gratuita, liberali promissione et

acceptatione Dei *C.* Longe plus est summum Deum a vilissima creatura postponi creaturis vilissimis, quam iterum ab eadem illis præferri.

455. *Inst.* 1. Ut peccatum meretur pœnam æternam; sic contritio æternum præmium; ergo in æstimabilitate morali pares sunt.

R. 1°. Contritio elicita ab homine peccatore non est de condigno meritoria vitæ æternæ; si vero sit de homine justo, argumentum probat nimium: quia sequitur, quemvis actum supernaturalem hominis justi esse tantæ bonitatis, quantæ malitiæ est peccatum.

R. 2°. *D. Cons.* Ergo pares sunt quoad rationem meriti et demeriti, quando nullum peccatum expellendum est *T.* in ratione satisfactionis, et quando remittendum est peccatum *N.* Quod de facto, posita contritione, Deus remittat peccatum, ex gratiosa ejus promissione et misericordia fit; non ex natura contritionis ejusve bonitate intrinseca.

456. *Inst.* 2. Qui potest mereri, quod est plus, potest quoque mereri, quod minus est: atqui potest homo mereri gloriam æternam, quæ plus est, quam remissio peccati; ergo et hanc mereri potest; ergo saltem per viam meriti de condigno potest creatura pura se vel aliam liberare a peccato.

R. *N. min.* Majus enim quid est peccati mortalis remissio, quam gratiæ, vel gloriæ augmentum; cum, communi sensu, majus quid sit, inimicum recipere in gratiam; quam amico bene merenti augere gratiam et jus ad gloriam. *N. etiam simpliciter Cons. alteram.* Quia licet ad meritum non requiratur, ut persona merens ejusdem sit dignitatis, cujus præmians; requiritur tamen, ut meritum habeat proportionem cum præmio; unde per actum naturalem nemo mereri potest gratiam supernaturalem; aut per actus a gratia accidentali dignificatos gratiam substantialem, vel unionem hypostaticam: atqui nullum opus meritorium puræ creaturæ habet proportionem cum remissione peccati mortalis; sicut enim hoc in ratione offensæ est supremi ordinis; ita ejusdem remissio. Verbo: nullum opus puræ creaturæ tantum placere potest Deo offenso ratione præstantiæ suæ, quantum offensa displicuit.

457. *Obj. III.* Satisfactio Christi fuit major ipsa offensa: fuit enim infinita valore; ergo hæc non erat necessaria ad condigne satisfaciendum Deo; ergo sufficiebat satisfactio creaturæ puræ.

R. *D.* 1$^{um}$. *Cons.* Ergo hæc non erat necessaria formaliter et directe *C.* indirecte et consequenter *N.* Directe requirebatur satisfactio ejusdem ordinis; et ex hoc ordine requirebatur infinita indirecte, cum in ordine alio non inveniatur condignitas satisfactionis; omnis enim satisfactio vel est a persona creata, vel divina naturæ creatæ hypostatice unita: si primum, est insufficiens: si alterum, ob dignitatem personæ erit satisfactio excedens, ut Art. III. patebit.

*Si ais*: potuisse Deum creare hominem gratia infinita præditum, eumque constituere caput morale reliquorum ad satisfaciendum pro omnibus; velut Adamum constituit caput morale posterorum in ordine ad merendum vel demerendum illis justitiam originalem: insuper potuisse Deum promittere, se ob illius merita et satisfactiones collaturum aliis gratiam et remissionem peccatorum; ergo sic fuisset condignitas satisfactionis.

R. 1°. Implicat gratia infinite intensa, sicut infinitum.

R. 2°. *N. Cons.* Satisfactio enim talis hominis, infinite adhuc distantis a dignitate offensi Dei, nec ex se haberet æqualitatem cum aliorum peccatis in ratione offensæ consideratis; nec condignitatem illam, vel æqualitatem consequi posset ex promissione divina; cum hæc operi condignitatem non tribuat, si ex se illam non habeat.

Ex quibus colligi licet, esse omnino probabile, quod creatura pura nec pro veniali possit satisfacere condigne, saltem *directe*; quia est vera divinæ legis transgressio, adeoque et vera offensa Dei; ergo satisfactio puræ creaturæ semper erit inferioris ordinis. Interim etsi veniale non sit per satisfactionem directam reparabile, h. e. per obsequium æquale offensæ; est reparabile tamen per satisfactionem aliquam indirectam, id est, per actum aliquem condigne meritorium alicujus, cui de congruo annexa est venialis peccati condonatio, quod est gratia et gloria: dum enim justus per actum amoris e. g. meretur gratiam et gloriam; congruum est, ut Deus remittat simul veniale, eo quod cum statu amici et possessione gloriæ non stet, saltem convenienter, offensa venialis.

## ARTICULUS II.

### AN CHRISTUS VERE PRO NOBIS SATISFECERIT?

Negant, ut monuimus, *Sociniani* volentes, Christum improprie solummodo ac metaphorice pro nobis satisfecisse: eatenus scilicet, quod impletis iis, quæ in mandatis habebat, ut faceret, Deus gratis peccata condonet. Non negant equidem, Christum esse mortuum pro nobis, hoc est, commodo nostro, sed hæc: *pro nobis*, eo duntaxat sensu sumentes, quatenus ejus mors nos ad pœnitentiam permoveat, nosque certos faciat, Deum gratuito nobis peccata remissurum; et ut ejus exemplo mortem, spe vitæ melioris, alacrius oppetamus; non vero hoc sensu, ut, *pro nobis*, idem sit, ac loco nostro; pœnas peccatis nostris debitas in se suscipiendo et luendo; sicque exhibitione pretii æquivalentis extinguendo omne debitum, quod erat per peccatum et illatam injuriam apud Deum contractum; hoc enim proprie satisfacere est. Unde Sociniani omnes Scripturæ textus, quibus illa Christi satisfactio extollitur, detorquent ad metaphoricum sensum.

458. *Dico.* Christus vere ac proprie pro nobis satisfecit. Est de fide, et constans inter Christianos doctrina, ut Tridentini Patres nova definitione non duxerint stabiliendam; sed tanquam indubitatam supposuerint Sess. 22. cap. 1. 2. Can. 3. 4.

*Prob. I.* Ex SS. Scripturis. Juxta constantem et uniformem S. Scripturæ assertionem Christus nos redemit pretio soluto, nimirum fuso sanguine et perpessione mortis: sed hoc fuit vere satisfacere; ergo. *Min.* patet ex paulo ante dictis, neque hanc Sociniani negant; unde *Socinus* ipse Lib. 2. de Servatore c. 1. veram et propriam redemptionem fatetur, quæ fit persoluto pretio: *Redimere aliquem*, ait ibid., *nihil aliud proprie significat, quam captivum manibus illius, qui illum detinet, dato pretio liberare.* Igitur

*Prob. Maj.* Ex 1. Cor. 6. 20. *Empti estis pretio magno.* 1. Pet. 1. 18. *Scientes, quod non corruptibilibus, auro, vel argento, redempti estis... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati.* Ad Gal. 3. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* 1. Tim. 2. 6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus,* græce pro redemptione ponitur *pretium.* Ad Hebr. 7. 22. Christus dicitur *melioris testamenti sponsor factus.* Sicque constanter Scriptura loquitur, uti et ad Tit. 2., Matth. 20. ad Hebr. 9. ergo.

459. *Respondent* Sociniani 1°. redemptionem non sumi in rigore suo; sed improprie ac metaphorice, vel latius, pro simplici liberatione, quæ quandoque fit gratis, nullo interveniente pretio, sicut etiam Act. 7. 35. Moyses dicitur missus a Deo *redemptor*; Exod. 15. 13. dicitur Deus *ex misericordia redemisse* ex captivitate Ægyptiorum. 2°. Etiam *pretium* in allatis textibus sumi improprie, in quantum, positis a Christo illis actionibus, ad earum præsentiam liberamur a Deo gratis. Sed

*Contra* 1$^{um}$. est, quod, licet vox redemptio sumatur aliquando improprie, non ideo sequatur, eam semper in Scriptura debere intelligi improprie; sicut, etsi vox *Leo* sumatur metaphorice, dum Christus dicitur *Leo de tribu Juda*; non ideo sequitur ita semper debere accipi in omnibus locis. Sed quando vox aliqua debeat sumi proprie, vel non; ex subjecta materia, et circumstantiis colligi debet: atqui materia, circumstantiæ, et omnia cogunt *redemptionem* hic sumi proprie; agitur enim hic de redemptione non qualicumque, sed *facta pretio*, quæ proin propria redemptio est, fatente ipso Socino cit. Et vero quæ erit alias vera redemptio, si illa non sit? Hinc etiam habetur disparitas aperta quoad Moysen Act. 7., et Deum Exod. 15., in quibus locis non dicitur facta pretio.

*Contra* 2$^{um}$. est 1°. quod hoc nihil aliud sit, quam fingere sine fundamento, et miserrime contorquere Scripturas; eoque semel permisso, nihil remaneat amplius in Scripturis, quod non a vero sensu ad improprium detorqueri possit. 2°. Quod 1. Pet. 1. 18. pretium hoc comparetur, imo præferatur argento et auro: quod vero est verum et proprium pretium, quo redimuntur captivi; ergo multo magis sanguis Christi habebit rationem veri pretii; eo quod illum S. Petrus in ratione pretii præferat tum argento, tum auro.

460. *Prob II.* Ex iis Scripturæ locis, in quibus Christus *pro nobis*, h. e. loco nostro, per veram substitutionem passus dicitur, portasse pœnas peccatis nostris debitas, et placasse Deum. Is. 53. v. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit... Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum: et livore ejus sanati sumus... Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum... Propter scelus populi mei percussi eum... Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* Ex quibus tale conficitur argumentum: Christus innocens, loco nostro substitutus, peccata nostra tulit, hoc est, suscipiendo in se pœnam peccatis nostris debitam, quam ipse luit; sicque extinxit contractum nostrum debitum; nam *disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus*; ergo vere satisfecit.

*Respondent* Sociniani, verba hæc: *ferre, portare peccata,* significare

idem, quod *auferre* peccata; ita enim Exod. 34. 7. de Deo dicitur: *Qui aufers iniquitatem, et scelera, atque peccata.* Confirmant inde, quod S. Matthæus c. 8. v. 16. illum Isaiæ textum impletum testetur in Christo fuisse, cum ægros, et varios morbos sanaret: *Ejiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit; ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit.* At

*Contra est*, quod Christus dicatur, portasse peccata nostra non quomodocumque; sed attritione sui, vulneratione; conjiciendo in illum iniquitates nostras: nam, teste Propheta, sic portavit, ut fuerit *vulneratus, attritus, animam suam posuerit.* Et quidem, ut ait S. Petrus alludens ad Isaiæ textum: *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, 1. Pet. 2. 24; quæ dici non possent, nisi peccatorum pœnas in se luendas suscepisset; unde est disparitas quoad Deum Exod. 34. cit. Neque his obstat, quod ex S. Matthæo affertur; quia Isaias utrumque conjunxit, et quod peccatorum pœnas tulerit, et quod abstulerit; ac quia peccati pœnæ aliæ corporis sunt, aliæ animi; utrasque Christus abstulit, sive meritus est auferri, cum expedierit. Unde juxta S. Matthæum, cum Christus sanaret morbos, in eo Isaiæ vaticinium partialiter impletum fuit, ex parte ablationis pœnarum corporis; non vero adæquate.

461. *Prob. III.* Ex Sacerdotio Christi, quod adeo epist. ad Hebr. urget Apostolus, ut nemo non putet, eum ex professo impietatem Socinianam revellendam suscepisse. En argumentum: Christus non tantum bono nostro, in sensu scilicet Socinianorum, sed vere ac proprie in locum nostrum substitutus, perfecte expiando peccata nostra, vere pro nobis satisfecit; si fuerit verus novæ legis sacerdos, et vera victima, quæ semetipsum Deo Patri pro nostrorum expiatione peccatorum obtulerit in sacrificium: atqui Christus novæ legis verus sacerdos fuit, vera victima; qui se ipsum pro expiatione peccatorum nostrorum Deo Patri obtulit in sacrificium; ergo. *Maj.* est certa, nec a Socinianis negatur, nec negari potest. Igitur

*Prob. min. per partes.* 1°. Fuit verus novæ legis sacerdos; talem enim ex professo probat Apostolus in ep. ad Hebr., in eoque versatur maxime, ut commonstret, sacerdotium Christi Aaronico præcellere, vocatque pontificem et sacerdotem ad Hebr. 7. et 9. Unde sequitur, Christum debuisse verum offerre sacrificium; ejusque sacerdotii munus non tantum constitisse intercessione, exemplo vitæ, confirmatione doctrinæ, prædicatione, ut somniat Socinus; sed in mactatione et immolatione victimæ; hanc enim esse essentiam sacerdotii, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, Deumque propter illa iratum reconciliet, diserte docet Apostolus: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Ad Hebr. 5. 1. Iterum c. 8. 3. *Omnis pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur; unde necesse est, et hunc habere aliquid, quod offerat.*

2°. Fuit vera piacularis victima, in quam semetipsum obtulit pro peccatis; docente iterum Apostolo ad Hebr. 7. 26. *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, immaculatus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus; qui non habet necessitatem, quemadmodum sacer-*

*dotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel se ipsum offerendo*; scilicet pro delictis, non suis, cum ipse nulla haberet, sed populi. Idem repetit tum alibi; tum ad Ephes. 5. 2. *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo.* Eumdem in finem Christus *Agnus occisus* vocatur Apoc. 5.

*Respondent* Sociniani, Christum, adhuc in terra constitutum, non fuisse sacerdotem, sed talem esse in cœlo tantum; proin mortem ejus non fuisse sacrificium *vere*, sed tantum *præparatorie*, quatenus postea in cœlo mortem offerret in sacrificium, interpellans pro nobis; 1°. quia ad Hebr. 8. 4. ait Apostolus : *Si* (Christus) *esset super terram, nec esset sacerdos; cum essent, qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium*; ergo. 2°. Juxta Apost. Christus nunc in cœlo se offert pro nobis, ad Hebr. 7.; sed hoc foret superfluum et inutile, si se jam obtulisset in terra. Sed

*Contra est*, quod Socinianum assertum directe repugnet Scripturis, Christum in terra sacerdotem fuisse tam clare asserentibus; cum sacerdotium Christi probet Apostolus ex hostia, non offerenda in cœlis primum : sed actu in terris oblata; ut constat ex ejus verbis supra : *Hoc enim fecit semel.* Item : *Tradidit se hostiam.* Sic ad Hebr. 9. 12. *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta* (h. e. cœlum). Ibid. v. 26. *Nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.* Hæc de sola Christi oblatione in cruce intelligi possunt: si autem veram tunc hostiam obtulerit; etiam necesse est, jam tum verus sacerdos fuerit.

*Ad* 1$^{um}$. R. *N. Cons.* Solum enim vult Apostolus, si Christus mansisset post mortem in terris, non esse sacerdotem: eo quod non haberet amplius victimam, quam offerret; non victimam sui corporis, quia hanc jam obtulerat; non aliarum rerum terrestrium, pecudum, etc.; imo 1°. quia hæc offerre, sacerdotum de tribu Levi erat, de qua Christus non fuit. 2°. Quia hoc sacerdotii Aaronici erat; at Christus sacerdos erat, non *secundum ordinem* Aaronis, sed Melchisedech. Hic, non alius sensus erui potest ex verbis Apostoli.

*Ad* 2$^{um}$. R. *N. min.* Christus in cœlo se offert, ut jam ante mactatum : ut exhibitione peracti sacrificii, ejus nobis fructus applicentur; sicque pro nobis semper interpellat. Nimirum uti pontifex in lege veteri primo mactabat hostiam; deinde ingrediebatur sanctuarium, ut offerret ejus sanguinem; sic Christus post hostiam sui corporis immolatam ingressus est cœlum, ibique pro nobis interpellat, offerens effusum sanguinem suum.

Eadem unanimis et concors est SS. Patrum omni ævo sententia et fides, quos tamen hic referre omittimus; quod, etsi fateantur Sociniani, plerosque Patres dogma catholicum esse tuitos, eorum tamen moveri auctoritate absolute nolint, ceu hominum, ut ipsi aiunt, errantium hic a vero Scripturæ sensu; proinde hujus solius judicio velint dirimi controversiam.

462. *Obj. I.* Ex S. Scriptura. Hæc variis in locis negat veram illam ac propriam satisfactionem; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1°. Scriptura reconciliationem nostram tribuit magis vitæ, sive resurrectioni Christi, quam ejus morti, ad Rom. 5. 10. *Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus*

*per mortem Filii ejus ; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius:* sed vita, sive resurrectio Christi, non fuit redemptionis nostræ pretium; ergo neque mors.

2°. Reconciliationem tribuit prædicationi et ministerio verbi, 2. ad Cor. 5. 19. *Posuit in nobis verbum reconciliationis ; pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos* : atqui reconciliatio, quæ fit præcise prædicatione, non fit stricta satisfactione; quia pretium non requirit.

3°. Deus, Scriptura teste, Matth. 18. 23., ad Ephes. 4. 31., gratis peccata condonat; unde et ad Rom. 3. dicimur justificati gratis: sed quæ gratis fit condonatio, non obtinetur satisfactione, vel pretio soluto; ergo.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1am. R. *N. Ass.* Neque hoc probatur ex cit. textu; nam salutem quidem Apostolus ibi vitæ vel resurrectioni Christi attribuit; reconciliationem tamen morti, ut verba ipsa declarant; igitur mors Christi pretium reconciliationis fuit. Nimirum Apostolus opponit invicem inimicos et reconciliatos, mortem ac vitam Christi; argumentum ducens a majori ad minus : si, cum essemus adhuc inimici, h. e. peccatores, reconciliati simus per Christi mortem; quanto magis jam reconciliatis et amicis ipse vivens dabit vitam et salutem? *In vita salvi,* ait Aug. L. 13. de Trin. c. 16., *qui per mortem reconciliati. Quid enim dubitet daturum amicis vitam suam, pro quibus inimicis dedit mortem suam?*

*Ad prob.* 2am. R. *N. Ass.* Apostolus solum dicit, datum Apostolis esse officium prædicandi ministerium reconciliationis; reconciliationem vero ipsam, non in prædicationem, sed in Christum clare refert; nam dixerat ante: *Deus, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis.*

*Ab prob.* 3am. R. *D.* Deus gratis condonat peccata homini, sive peccatori se convertenti *C.* respective ad Christum, sponsorem hominis *N.* Gratis justificati dicimur: quia Deus, nullis nostris præcedentibus meritis, confert gratis justificationis gratiam : item manendo in subjecta controversia, quia gratis redemptorem Christum nobis dedit, quia hujus satisfactionem acceptavit gratis; at non gratis respective ad Christum. En verba apostoli ad Rom. 3. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Vides, quomodo justificatio respective ad nos sit gratuita, *justificati gratis;* sed non respective ad sponsorem nostrum Christum, quem scilicet Deus proposuit propitiationem *ad ostensionem justitiæ.* At contra hoc ultimum

463. *Inst.* 1. Si Christus, sponsor pro nobis factus, plane satisfecerit pro nobis, nulla proprietate, ac nullo sensu verum erit dicere, quod gratis facta sit a Deo condonatio; ergo. *Prob. Ant.* Quomodo enim creditor dici potest debitori remittere gratis debitum; si ab ejus sponsore usque ad quadrantem novissimum exigat debitum?

R. *N. Ant. Ad prob.* R. Equidem in debitis realibus non censetur creditor remittere gratis debitum, si a debitoris sponsore exigat omne debitum; at aliud est in debitis personalibus, ortis ex læsione honoris, et injuria personæ illata, velut in nostro casu accidit; nam disparitas est, quod in restitutione debiti realis spectetur æqualitas rei ad rem, ut dictum n. 449. Hinc, quis-

cumque æqualitatem illam ponat, debitum extinguetur; quia sic læsus habebit tantum in bonis suis, quantum habuerat ante læsionem; quod præcise spectat justitia stricta, cujus actus est restitutio proprie talis, unde creditor, si debitoris amicus oblata pecunia compensare damnum velit, acquiescere debet; ut illi dici possit : *tolle, quod tuum est, et vade in pace.* At in debitis personalibus, quæ *satisfactionem* exigunt (satisfactio enim personam læsam et inhonoratam respicit ex n. 449.), persona læsa non tenetur satisfactionem acceptare, oblatam ab alio; sed jus habet exigendi, ut ille ipse satisfaciat, sive luat, qui læsit. Si ergo mediatorem admittat qui pro lædente pœnas solvat, et satisfaciat; lædenti gratificari dicitur. Sic se res habet in Deo peccatis nostris inhonorato et offenso, et gratis acceptante mediationem Christi quam acceptare non tenebatur.

464. *Obj. II.* Injustum est, ut innocens puniatur pro reo; unde et Deut. 24. 16. legem tulit Deus : *Non occidentur patres pro filiis; nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Et Ezech. 18. 4. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur;* ergo.

R. *D. Ant.* Injustum id est, si innocens se non offerat voluntarie in sponsorem pro reo *T.* si se offerat *subd.* injustum, id est, respectu judicis non habentis dominium directum in vitam innocentis, qualis judex humanus est *C.* si hoc dominium habeat, ut Deus *N.* Purus homo nec esse sponsor potest alterius in causa capitali; nec, si se sponsorem offerat, judex humanus illum acceptare pro reo ac plectere potest, quia nec judex humanus in vitam innocentis, nec innocens ipse in vitam suam dominium directum habet. At cum Christus se sponsorem exhibuit, id auctoritate divina fecit, cui in vitam humanam dominium competit. Porro dixi : *Transeat,* quia Deus huic legi se adstrinxisse non videtur; ut ex plurimis aliis Scripturæ locis deducitur. Nam Exod. 20. et 34. dicitur Deus *visitans iniquitatem patrum in tertiam et quartam generationem.* Et Thren. 5. 7. lamentatur Jeremias : *Patres nostri peccaverunt... et nos iniquitates eorum portavimus.* Ac 2. Reg. 21. ob peccata Saulis filii ejus et nepotes suspensi sunt : ob factum Davidis perierunt septuaginta hominum millia. Ibid. 24.

465. *Obj. III.* 1°. Christus non potuit plene satisfacere pro pœnis, quas peccando incurrimus; ergo. *Prob. Ant.* Mortis enim æternæ reatum contraxeramus, quam tamen Christus nec solvit, nec solvere potuit. 2°. Si Christus adeo plene pro nobis satisfecit; ergo plus ipsi debebimus, quam Patri, qui pro nobis non satisfecit : sed hoc dicere absurdum est.

*Ad* 1$^{um}$. R. *N. Ant. Ad prob. D.* Quam Christus non solvit quoad durationem ejus, scilicet pœnæ *C.* quoad æquivalens pretium et valorem *N.* Pœnæ damnatorum equidem æternæ sunt; et pœnæ Christi fuerunt temporaneæ : verum hæ, quia a persona divina valorem habebant, ut dicetur Artic. seq., infinitum; abundanter compensabant pœnas duratione æternas.

*Ad* 2$^{um}$. R. *N. Seq.* Quantum enim debemus Christo, qui se pro nobis obtulit, tantum debemus Patri, qui nobis Filium suum dedit; utrumque enim infinitæ charitatis fuit. Imo æqualiter toti SS. Trinitati debemus; licet enim incarnatio sit terminative solius Filii; efficienter tamen totius Trinitatis est.

## ARTICULUS III.

### UTRUM CHRISTI SATISFACTIO CONDIGNA FUERIT AC SUPERABUNDANS; IMO VALORIS INFINITI, ET UNDE ISTUD?

466. *Nota I.* Valor alicujus operis sive actus, est æstimabilitas ejusdem. Potest vero actus habere æstimabilitatem 1°. ratione suæ entitatis præcise, et eorum, quæ ipsi sunt intrinseca; ut, quod sit tendentia in tale objectum, procedens a tali principio proximo, sit hujus vel illius virtutis, etc. 2°. Ratione personæ, cujus actus est. Inde duplex valor in eodem actu distingui potest; *physicus*, fundatus in physica entitate actus per ordinem ad objectum, quod respicit, et ad principium, a quo physice et immediate procedit: *moralis*, qui in actum a persona, cujus ille actus est, refunditur.

467. *Nota II.* Satisfactionem et meritum differre quidem formaliter et secundum obliquum, non tamen necessario realiter; cum actus idem opusque moraliter bonum possit habere simul valorem et satisfactorium et meritorium; meritorium, in quantum ordinatur ad præmium obtinendum; satisfactorium, in quantum ad placandum offensum, ac delendam offensam refertur; quod Christi operibus maxime convenit, quibus et gratiam ac gloriam simul est meritus, et simul pro peccatis nostris satisfecit. Differentia vero satisfactionis a merito inde facile perspicitur, quod hoc respiciat præmium consequendum a præmiante; proinde bonum merentis, vel alterius, cui meremur: illa vero alterius honorem læsum resarciendum, ac delendam offensam respiciat; proin offensi bonum, non satisfacientis.

Cæterum condignitatem, superabundantiam, infinitatem satisfactioni Christi tribuunt Catholici omnes; in eo solum differentes, quod quidam dignitatem haberi in satisfactione Christi pure ab extrinseco velint, nimirum acceptatione Dei; alii vero ab intrinseco: primum Scotistæ, alterum Theologi cæteri omnes tuentur. Quod vero posthac de valore satisfactionis Christi dicemus, idem de valore ejus meriti, cum sit par ratio, intelligi volumus.

468. *Dico I.* Satisfactio Christi fuit condigna et superabundans; et quidem ex se et in actu primo, independenter ab acceptatione divina. De fide quoad 1am. partem.

*Prob.* 1a. *pars.* Ex Scriptura. Ad Hebr. 10. 14. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ad Rom. 5. 20. *Ubi abundavit delictum; superabundavit et gratia.* Unde Cyrill. Hieros. catech. 13. n. 33. *Non tantum peccavimus, quantum ille justitia excelluit.* Idemque sentiunt Patres alii. Et patebit ratione Concl. seq.

*Prob.* 2a. *pars.* 1°. Ex S. Scriptura. Ad Hebr. 10. docet Apostolus, fuisse impossibile sanguine taurorum, hircorum, id est, sacrificiis legis veteris auferri peccata: exinde inferens necessitatem satisfactionis Christi; sed nulla esset hæc argumentatio, si satisfactio Christi haberet condignitatem et superabundantiam suam præcise a liberali acceptatione divina; cum sic

etiam condigna esse potuissent sacrificia legis veteris : quia horum insufficientiam et indignitatem supplere æque potuisset liberalis Dei acceptatio.

2°. Ex SS. Patribus, e quibus Chrys. hom. 10. in c. 5. ad Rom. n. 2. *Multo plura*, inquit, *quam debemus, Christus pro nobis solvit; tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus excedit immensus.* Proclus Constantinopolitanus homil. Quod Deipara sit B. Virgo Maria (Labb. t. 3. p. 15. A.) : *O rem stupendam! immortalitatem..... per suam mortem aliis conciliat. Ejusmodi nullus unquam fuit, nec est, nec erit, quam unus et solus ille, ex Virgine natus Deus simul et homo; qui non solum adæquatam cum reorum multitudine dignitatem et æstimationem habet : sed ex omnium calculis sententiisque majorem.* S. Anselmus, Cur Deus homo L. 2. c. 20. *Unde se redimat non habenti, Deus Pater dicit : Accipe Unigenitum meum, et da pro te. Ipse Filius : Tolle me, et redime te..... quid justius quam ut ille, cui datur pretium majus omni debito, si debito datur affectu, dimittat omne debitum.* S. Petrus Cluniacensis in Nucleo c. 9. (Biblioth. magna PP. t. 10. p. 1068. A.): *Plus plane redditum est justitiæ, quando Christus mortuus est, quam sit recompensatum, quando homo damnatus est. Habet ergo justitia quidquid suum est, quia Dei Filius pro peccatis hominum mortuus est.* Huc etiam facit Clemens VI. Extrav. *Unigenitus* de Pœnit. et Remiss. ubi ait, quod gutta sanguinis modica *propter unionem ad Verbum* pro redemptione totius generis humani suffecisset.

3°. Ratione. Incarnatio necessaria fuit ex hypothesi condignæ satisfactionis pro peccatis præstandæ: at si Christi opera nonnisi ex liberali acceptatione Dei haberent condignitatem satisfaciendi, non fuisset incarnatio ita necessaria; cum Deus satisfactionem puræ creaturæ eodem modo acceptare potuisset; adeoque et verum non esset, quod inculcant Patres, puram creaturam redimere non potuisse humanum genus.

*Conf.* Opus, quod ex se condignitatem non habet, non potest eam ab acceptatione aliena consequi; nam quis dicet, rusticum osculando manum regis satisfacere condigne pro gravi offensa in regem commissa? etsi rex sub conditione osculi velit remittere offensam, meritamque capitalem pœnam.

Dixi : *in actu primo*; nam absolute Christi satisfactio, quantumvis condigna, poterat non acceptari a Deo in actu secundo ad peccata nobis remittenda, et reddendum pro ea præmium; nihil enim est, quod eum ad acceptandum necessitasset.

469. *Dico II.* Satisfactio Christi, in genere moris, ex se valoris infiniti fuit; quin illum primo acciperet ex gratuita acceptatione Dei.

*Prob. I.* Auctoritate Clem. VI. in Extrav. cit. ubi hæc tria habentur : 1°. expresse dicitur merita Christi esse infinita. 2°. Infinitatem istam fundari in unione humanitatis ad Verbum : proinde non præcise in acceptatione Dei. 3°. Non esse metuendum fidelibus, ne thesaurus meritorum Christi unquam aut exhauriatur, aut minuatur; quæ est ipsa infiniti natura et proprietas. Hæc illustrantur ex prob. seq.

*Prob. II.* Ratione. 1°. Valor enim moralis operis satisfactorii, vel meritorii, a dignitate personæ satisfacientis et merentis desumitur, tanquam forma morali moraliter intrinseca operi; ergo cum persona Christi sit digni-

tatis infinitæ simpliciter; in ejus quoque actiones valorem simpliciter infinitum refundet. *Ant. patet.* tum in humanis, in quibus communi prudentum æstimatione tanto majoris fit operatio, quanto major est dignitas operantis; etsi enim æqualis sit bonitas physica ac moralis objectiva, actio tamen regis in ordine ad satisfactionem et meritum æstimabilior est, quam actio plebeii: tum in supernaturalibus; cum aliam habeant vim actus supernaturales (ut amor), in homine justo; et digniores sint, quam eliciti a peccatore; licet, honestate desumpta ab objecto, intensione, duratione, pares sint. *Conseq.* hinc *elucet*, quia personæ dignitas, cum tanquam forma moralis sit operi moraliter intrinseca, huic se communicat totam, si nihil sit, quod communicationem illam impediat, vel limitet; sed nihil impedit, vel limitat: sicut enim nihil impedire potest, quo minus sit actio *Dei hominis*; ita et nihil alterum; ergo cum persona Christi infinite digna sit, infinitam quoque in genere moris dignitatem communicat.

470. 2°. Actiones suppositorum sunt, ut habet receptum axioma, sic quidem, ut potius tribuantur supposito ut *quod*, tanquam denominationis, quam naturæ operanti ut *quo*: cum enim natura non operetur, nisi complete existat, ac prius sit complete existere, quam operari; hinc fit, quod actiones principaliter supposito, utpote principio naturam complenti, tribuantur: igitur et hujus dignitatem participant; sed hæc in persona Verbi infinita est.

Igitur Christi satisfactio, sicut et meritum, est *concretum morale*, ex subjecto et forma morali resultans, quæ est personæ Christi dignitas; uti enim meritum, satisfactio hominis justi, est concretum ejusmodi, ex actu supernaturali, ceu subjecto, et ex statu filiationis ejus adoptivæ, ut forma dignificante, resultans; ita entitas operis in Christo subjecti locum habet; ejus vero naturalis filiatio locum formæ dignificantis, quam habet Christus ratione Verbi infinite digni; ergo et ipsum Christi opus infinite dignum est, quia forma dat denominationem suam subjecto, cui unita et intrinseca est.

471. Unde condignitatis, infinitatis, quæ sunt in valore Christi operum, radix non est influxus *physicus* Verbi in illa; Verbum enim in illa physice influere non potuit, quia personalitas Verbi est unita tantum humanitati in ratione subsistentiæ; hæc autem non est principium physice influens in opera naturæ, quæ ab hac sola *elicitive* procedunt, et sic a sola natura humana processerunt in Christo; sed sola unica radix, personæ satisfacientis et merentis dignitas est.

472. *Obj. 1. cum Hæreticis.* Si satisfactio Christi fuerit condigna et superabundans; ergo superflua sunt opera et satisfactiones nostræ.

R. *N. Cons.* Non est superfluus propterea baptismus; ergo neque opera nostra satisfactoria. Et ratio est; quia, etsi satisfactio Christi fuerit non tantum condigna, sed etiam superabundans, ut propter eam remitteretur omnis culpa et pœna sine omni opere nostro, etiam sine baptismo et fide, de facto tamen sine cooperatione nostra nobis in actu secundo non prodest; eo quod Christus non voluerit eam prodesse nobis nisi cooperantibus, et per

opera ab eo præscripta satisfactionem ejus nobis applicantibus ; quod ipsum in Scripturis sæpe per se et Apostolos inculcavit, Marc 16., Luc. 29., Matth. 19. Unde satisfactiones nostræ nihil derogant satisfactioni Christi ; non enim sunt in illius complementum, quasi sine nostris esset insufficiens ; sed sunt tantum applicatio satisfactionis Christi ; quo sensu Apostolus ad Coloss. 1. 24. *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

473. *Obj. II.* Valor satisfactionis Christi, independenter ab acceptatione Dei, non adæquat gravitatem offensæ ; ergo sine illa ex se condigna non est. *Prob. Ant.* 1°. quia gravitas offensæ crescit ex principiis duobus : dignitate offensi et vilitate offendentis ; e contra satisfactio ex sola dignitate satisfacientis.

2°. Ut sit condigna et æquivalens satisfactio ; debet tantus esse excessus dignitatis in persona satisfaciente comparative ad personam, cui satisfit, quantus erat in persona offensa comparative ad offendentem : atqui talis excessus non datur in persona Christi, ut patet. *Conf.* Si persona offendens esset æqualis personæ offensæ, requireretur persona satisfaciens itidem æqualis ; ergo si offendens sit infinite vilior, requiritur itidem persona satisfaciens dignior, quam sit persona offensa.

3°. Plus Deo displicet peccatum, quam placeat satisfactio Christi ; ergo. *Prob. Ant.* Quia tantum displicet Deo peccatum, quantum ipsi placet sua divina bonitas : sed hæc plus ei placet, quam satisfactio Christi. *Prob. M.* Peccatum enim de se est destructivum bonitatis divinæ : atqui quantum placet res, tantum displicet, quod illius destructivum est.

R. 1°. Ergo nec condigna erit post acceptationem ; quia per hanc obtinere non potest condignitatem, si ante non habeat : condignitas enim rei intrinseca est vel physice, vel moraliter ; sed acceptatio est quid mere extrinsecum.

R. 2°. *N.* 1um. *Ant. Ad prob.* 1am. *D. Ant.* Offensa crescit ex principiis duobus, constituentibus tamen reipsa principium unum, ita ut non possit crescere ex uno illorum sine respectu ad alterum *C.* secus *N. Ratio* est, quia dignitas aut vilitas secundum se non faciunt crescere offensam ; si enim vilis vilem offendat, non fit offensa gravior ex vilitate ; sed crescit ex dignitate et vilitate comparative sumptis, h. e. una comparata cum altera, sicque unum principium constituunt.

*Ad prob.* 2am. R. *D. M.* Si persona satisfaciens finita sit, finitæque dignitatis *T.* si infinitæ *N.* Nam infinitudo personæ satisfacientis ad tollendam omnem inæqualitatem, quæ intercedebat inter offendentem et offensum, sufficiens est.

*Ad Conf.* Eodem modo *D. Cons.* Si persona satisfaciens sit finita *C.* si infinita *N.* Satisfactio enim personæ infinitæ omnem offensam adæquat, imo superat.

*Ad prob.* 3am. R. *N. Ant. Ad* hujus *prob.* 1am. *N. M.* hujus *prob. D.* Si est vere et efficaciter destructivum *C.* si tantum morali quadam imputatione *N.* Peccatum non est vere efficaciter destructivum Dei, nec peccator affective efficaciter illam destructionem intendit ; quia, si peccans optat esse, conservari, et acquirere bonum, quod per peccatum futurum apprehendit ;

cum hæc omnia cessent destructo Deo, quomodo optabit efficaciter destructionem Dei? sed solum imputatione morali ita se gerere dicitur, ac si vellet destructionem bonitatis divinæ. Igitur cum bonitas divina sit physice, non imputatione morali, infinita; plus in ea Deo complacet, quam displiceat peccatum.

474. *Obj. III.* Quælibet Christi actio finitæ entitatis est; ergo et bonitatis.

R. *D. Cons.* Ergo et finitæ bonitatis physicæ *C.* moralis *Subd.* moralis objectivæ, quæ est respectus ad objectum formale motivum, vel alias circumstantias, quæ actionem in certa specie virtutis constituunt *C.* moralis personalis, quæ fundatur in dignitate personæ operantis *N.*

475. *Inst.* 1. Non tenet hæc argumentatio : quo dignior est persona, quæ offenditur, eo gravior est offensa; ergo, cum persona, quæ offenditur, sit infinita simpliciter, offensa est simpliciter infinite gravis; ergo neque hæc valet : quanto dignior est persona satisfaciens, tanto majoris valoris est satisfactio; ergo, cum persona satisfaciens sit simpliciter infinite digna, etiam satisfactio est valoris simpliciter infiniti; unde ruit nostrum fundamentum.

R. *C. A.* Quoad crescentiam arithmeticam. *N. Cons. Disparitas* est, quia persona offensa habet se tantum ut subjectum logicum, sive denominatum, adeoque per modum formæ extrinsecæ respectu offensæ ipsius; unde persona offensa secundum se totam non gravificat actum offensæ; qui præterea aliunde limitatur a cognitione objecti, tendentia in illud, quæ semper quid finitum sunt. At persona satisfaciens habet se ut principium, sicque per modum formæ intrinsecæ; quia actiones suppositorum sunt; principium autem se toto influit, et forma intrinseca se totam communicat, juxta superius dicta, si nihil sit, quod impediat, vel limitet.

476. *Inst.* 2. Si valor satisfactorius Christi sit infinitus; ergo tantum placebit Deo, quantum suus actus increatus; et plures actus satisfactorii non essent quid majus in ratione satisfactionis, quam unus; sicque Christus non plus meruisset, et satisfecisset tota collectione suorum actuum, quam singulis; sed hæc videntur absurda.

*Ad* 1$^{am}$. *illat.* R. *D.* Tantum placebit secundum entitatem physicam, et bonitatem moralem objectivam, quæ, ex dictis, in actum refunditur ex motivo, tendentia, etc. *N.* secundum principium dignificativum sui *C.* Simpliciter tamen dici non debent opera Christi tam digna, quam sunt actus increati; quia opera illa quidem sunt infinite digna; sed dignitate sibi communicata, et morali : at vero actus increati sunt infinite digni, dignitate sibi identificata, essentiali; quæ est dignitas physica.

*Ad* 2$^{am}$. *illat.* R. *D.* Non essent quid majus intensive *C.* sed in hoc nihil est absurdi : non essent quid majus extensive *N.* Plus satisfactionis, vel meriti extensive non facit majorem satisfactionem simpliciter : sed nihil absurdi est, quod actus unus ob dignitatem operantis sit tanti valoris et virtutis in se, quanti valoris sunt plures simul et collective sumpti. Quin hoc potius commendat operantem.

477. *Inst.* 3. Opus humanum a Christo procedens, est et manet creatum; ergo simpliciter finitum.

R. *D. Cons.* Ergo finitum physice est et manet *C.* moraliter *N.* Sed in hoc genere infinitum est, in quo nihil inconveniens; valor enim, et meritum sunt modi morales, qui excedere possunt perfectionem actus physicam; ut patet in humiliatione regis et subditi; licet enim sint ejusdem speciei physice; morali tamen æstimatione plurimum differunt.

Ex hactenus disputatis colligitur, Christum satisfecisse, meruisse, ut Deum hominem; quia ut Deus fuit principium *ut quod* satisfaciens; ut homo vero principium, scilicet elicitivum, *ut quo.*

## ARTICULUS IV.

### UTRUM CHRISTUS SIT MORTUUS PRO OMNIBUS OMNINO HOMINIBUS?

478. *Nota.* Ut præmisimus initio ingressus Sect. secundæ, Christum pro prædestinatis solum esse mortuum, non pro reprobis, doctrina fuit Calvini et Jansenii. Ne vero in præsenti controversia aberretur a scopo, sciendum, quæstionem non esse: utrum mors Christi sit sufficiens pretium pro omnibus omnino hominibus redimendis ac salvandis? hoc enim nemo negat. Quin hoc sensu verum esset dicere, Christum mortuum esse non pro omnibus solum hominibus, qui aliquando erunt; sed etiam omnibus possibilibus; imo angelis, dæmonibus, et damnatis; quia, cum mors ejus esset valoris infiniti, sufficiens fuisset ad redimendos illos omnes ac salvandos; sed quæritur: an de facto fuerit a Christo oblata et a Patre acceptata pro omnibus, nullo excepto, saltem quoad sufficientiam mediorum pro salute æterna? nec solum pro salute spirituali temporaria, ut eorum, qui ad tempus aliquod, intuitu mortis Christi, justificantur: quod posterius *Jansenius* non negavit.

479. *Dico.* Christus vera ac sincera voluntate pro redemptione, ac salute æterna omnium et singulorum, ne uno excepto, mortuus est, mortemque obtulit; ut gratias mereretur omnibus ad salutem æternam vere sufficientes. Ita sententia Catholica.

*Prob.* Ex S. Scriptura. Ad Rom. 8. 3. Pater *pro nobis omnibus tradidit illum.* 1. ad Tim. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* 1. ad Tim. 4. 10. *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium;* ergo et infidelium, alioquin non *maxime* fidelium; neque etiam omnes fideles sunt prædestinati. 1. ad Cor. 8. 11. *Peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est;* ergo et pro illo mortuus Christus, quem Apostolus periturum dicit. Deinde frater ille est quicumque fidelis in fide infirmus; an dicent adversarii, quemcumque fidelem in fide infirmum esse de prædestinatorum numero? 2. ad Cor. 5. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt;* hic Apostolus ex eo quod Christus sit mortuus pro omnibus, probat omnes esse mortuos in Adamo; sed hæc S. Pauli argumentatio falsa esset, si Christus non esset mortuus pro omnibus, ut ait S. Aug. L. 6. cont. Julian. c. 4. n. 8. *Ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco,*

*infercio recusanti... unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est.*

*Dicunt* Jansenistæ : 1°. Auctoritati S. Scripturæ satis consuli dicendo : Christum esse mortuum pro omnibus *in sensu accommodo*, h. e. pro generibus singulorum, licet non pro singulis generum. Vel 2°. Christum quidem mortuum esse pro singulis generum sufficienter : quatenus ejus mors sit sufficiens pretium in se, redimendis omnibus; non quod etiam illam pro singulis obtulerit. At

*Contra* 1um. est tum, quod hanc expositionem non admittant tres textus ultimi; postremus vero minime ( vel enim pariformiter dicendum esset, omnes in Adamo mortuos esse, τὸ *omnes* sumendo accommode, quod non concedunt adversarii; vel dicendum, nullam esse Apostoli argumentationem ); tum quod ratio sit penitus nulla ab obvio verborum sensu recedendi, torquendique ad illum Jansenistarum.

*Contra* 2um. est 1°. quod hac ratione dici possit, Christum pro dæmonibus æque mortuum esse; cum et his salvandis pretium mortis ejus fuerit sufficiens : at hoc aperte repugnat Scripturis. 2°. Quod particula *pro* ex communi usu causam finalem importet, propter quam aliquid fit, et *mori pro alio* idem sonat, ac in commodum ejus; atque ita sumat *Jansenius* ipse, L. 3. de Grat. Salvator. c. 22.

480. *Prob. II.* Ex Conciliis. Tridentinum Sess. 6. cap. 2. de Christo docet : *Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.* Et cap. 3. *Etsi pro omnibus mortuus est; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt;* quia scilicet non omnibus applicatur. Unde sic : Tridentinum docet, Christum mortuum esse pro omnibus eo sensu, quo id negabat Calvinus, contra quem agit : sed non negabat Calvinus, Christum mortuum esse pro omnibus in sensu accommodo; neque eo sensu, quod mors ejus fuerit pretium sufficiens redimendis singulis; hoc enim adhuc fatetur ex duce suo tota Calvini schola; sed quod pro singulis sincere obtulerit; ergo illud dicere intendebat Concilium.

Adde Concil. Carisiacum I. quod cap. 4. contra Gotteschalcum ait ( Labb. t. 8. p. 57. E. ) : *Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit; ita nullus est, fuit, vel erit homo pro quo passus non fuerit; licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur,* scilicet, ut etiam actu salvi fiant.

481. *Prob. III.* Ex SS. Patribus. S. Gregorius Nazianzenus orat. 33. n. 9. *At ego ita priscorum hominum more, et philosophice affectus sum, ut unum idemque cœlum omnibus commune esse existimem, communem item solis et lunæ conversionem.... et, ut adhuc majora proferam, communem rationem, Legem, Prophetas, ipsos Christi cruciatus, per quos omnes, citra ullam exceptionem instaurati sumus, qui eidem Adamo participavimus, atque a serpente in fraudem inducti, et per peccatum morte affecti, ac per cœlestem Adamum saluti restituit, atque ad vitæ lignum, unde excideramus, per ignominiæ lignum revocati sumus.* Euthymius hæc verba Matth. 20. 28. *Dare animam*

*suam redemptionem pro multis*, ita exponit : *Multis dicit nunc pro omnibus. Frequenter enim Scriptura dicit multos pro omnibus. Itaque pro omnibus tradidit animam suam, omnesque redemit : quanquam multi sua sponte in servitute remanserunt.* S. Ambr. serm. 8. in Ps. 118. n. 57. *Quomodo misericordiæ Domini plena est terra, nisi per passionem Domini nostri Jesu Christi.... Plena est ergo terra misericordiæ Domini, quia omnibus est data remissio peccatorum. Super omnes sol oriri jubetur; et hic quidem sol quotidie super omnes oritur. Mysticus autem sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, et omnibus resurrexit : ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat : ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit : sed quod solis est, prærogativam suam servat : quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit.* S. Leo M. de Nativit. serm. 1. c. 1. *Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Et de Pass. serm. 6. c. 4. *Merito, priusquam traderetur, dixerat Dominus : Cum exaltatus fuero, omnia ad me traham : id est, totam causam humani generis agam, et olim perditam in integrum revocabo naturam. In me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga sanabitur*, etc.; in specie vero S. Aug. qui in Ps. 68. Enarr. 2. n. 11. de Juda proditore ait : *Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipse a Domino redemptus erat.* Lib. 2. de Symb. ad Catech. c. 8. Christum crucifixores alloquentem inducit : *Videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis latus quod pupugistis : quoniam et per vos, et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis;* similia habet de Herode ibid. c. 5. n. 12. Sed hi omnes prædestinati non erant. Insuper causam dat interitus, non quod Christus pro illis sufficienter non obtulerit ; sed quod beneficio oblato uti noluerint. Idem in Ps. 95. n. 5. *Venit Redemptor, et dedit pretium ; fudit sanguinem suum, emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit ? Videte quid dederit, et invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis ? Quid, nisi omnes gentes ?.... pro toto dedit, quantum dedit.* Et infra n. 15. *Judicabit orbem terrarum in æquitate : non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Recole quæ ex eodem contr. Julian. L. 6. c. 4. supra ( n. 479. ) retulimus. Cf. Petavium de Incarn. L. 13. c. 2. et P. Faure S. J. Enchiridion S. August. notis et assertionibus theologicis illustrat. annot. in c. 41-47.

482. *Prob. IV.* Ex SS. Pontificibus. Innocentius X. et Alexander VII. damnarunt hanc propositionem, inter Jansenianas ordine 5am. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Censuram vero istam propositioni huic addidit Innocentius X. 1653. 31. Maii : *Falsam, temerariam, scandalosam : et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, et hæreticam declaramus, et ut talem damnamus.*

*Respondent* Jansenistæ. Etsi hæreticum sit asserere, Christum mortuum esse duntaxat pro salute prædestinatorum, hinc tamen non sequitur, mor-

tuum pro *salute æterna* reproborum; sed pro salute illorum vel æterna, vel temporaria; si enim dicatur, quod *pro temporaria* eorum salute sit mortuus; sequitur, quod non solum pro prædestinatis mortuus sit. Similiter verum manebit, Christum pro solis prædestinatis mortuum non esse; si modo dicatur, mortuum eum esse pro salute æterna *aliquorum reproborum* tantum, licet *non singulorum*.

Verum *contra est* 1°. quod nunquam fuerit controversum inter Doctores Catholicos et Jansenistas: mortuusne Christus esset pro reproborum salute temporaria, aut pro æterna aliquorum duntaxat; sed an pro salute æterna omnium; ergo et hoc definivit Pontifex, ne, secus, impertinens fuisset definitio. 2°. Damnata fuit propositio in sensu intento a Jansenio, quemque in scriptis expresserat Jansenius, quod Christus tantum pro salute æterna prædestinatorum sit mortuus; pro reproborum vero non magis, quam pro salute dæmonum, L. 3. de Grat. Salvatoris c. 21.; ergo Ecclesia damnando illam propositionem definivit, Christum esse mortuum pro salute reproborum; non temporaria, quod Jansenius concedit, ibid. c. 22. *pro his* (reprobis) *in tantum mortuus est, in quantum temporalibus quibusdam divinæ gratiæ effectibus exornandi sunt*; sed æterna, et quidem omnium; quia ita definit simpliciter, nullo excepto; et quænam erit potior ratio pro uno reprobo, quam altero?

*Ratio* demum *est*, quod systema Jansenii enervet *spem* Christianam, quæ omnis est in pretioso sanguine ejus; si enim pro me illum non fuderit, quod me latet; nihil est, quod sperem.

483. *Obj. I.* Matth. 20. 28. *Filius hominis venit... dare animam suam, redemptionem pro multis.* Matth. 26. 28. *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; ergo non pro omnibus.

R. 1°. *N. Cons.* quia per *multos* intelliguntur *omnes*, passim in Scriptura; quando *omnes* sunt *multi*, ut fatetur Jansenius ipse in Matth.; *multi potest significare omnes, quando omnes sunt multi.* Et recte; ita enim multos sumere solet Scriptura, ut ad Rom. 5. 15. *Unius delicto multi mortui sunt*; et tamen alibi ait: *In quo omnes peccaverunt*, ib. v. 12. Ac ibid. v. 18. eosdem nunc multos pro omnibus sumi ait Chrys. homil. 83. in Matth., Theophyl. in illum Matth. locum: *Pro multis dicit effundi: hoc est pro omnibus; sunt enim et omnes multi.* Euthym. supr. cit., ac præsertim S. Aug., cujus auctoritatem repudiare nequit Jansenius, L. 2. contra Julian. c. 175. op. imperf. *Non repugnant omnibus multi; quia ipsi omnes non pauci; sed multi sunt.* Et L. 20. de Civ. c. 23. n. 2.

R. 2°. Cum Doctore Angelico in Matth. cit. *D.* Ergo non pro omnibus quoad sufficientiam oblati pretii *N.* quoad efficaciam et applicationem *C. Si consideretur,* inquit in c. 26. Matth., *sufficientia, ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi; sed si consideremus effectum, minorem habet effectum, in iis nempe, qui non salvantur: et hoc ex culpa hominum.*

*Inst.* 1. Scriptura τὸ *omnes* non raro sumit pro *multis* stricte, sive pro magno numero ex collectione, aut aliquibus, ut 1. ad Cor. 15. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita et in Christo omnes vivificabuntur*; ubi *omnes* non sumit pro singulis distributive; quia revera sic non vivificantur omnes; ergo.

R. *N. Cons.* Quia licet aliquando ita sumatur τὸ *omnes;* non inde sequitur, ita ubique debere sumi; alioquin et sic sumi deberet pro aliquibus tantum, ad Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt,* et alibi, quod falsum est. Igitur utrum τὸ *omnes* sumere oporteat pro singulis distributive; vel pro aliquibus, in sensu accommodo; id ex subjecta materia, et circumstantiis pensandum est; at vero in priore sensu, pro singulis distributive hic sumi debere, ex rationibus Conclusionis evincitur.

*Inst.* 2. Christus pro iis tantum est mortuus, ad quos fuit missus; sed non fuit ad omnes missus, Matth. 15. 24. *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel;* ergo. Item, Christus restringit ipse mortem suam modo ad oves suas, modo ad fideles, et eos, qui sunt de Ecclesia sua, ut: *Animam meam pono pro ovibus meis.* Joan. 10. 15. *Exaltari oportet Filium hominis : ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat.* Joan. 3. 14. *Seipsum tradidit pro ea* (Ecclesia). ad Ephes. 5.; ergo.

R. *D. M.* Pro iis tantum, ad quos fuit missus tantum personaliter *N.* vel personaliter, vel per ministros *C.* At hoc sensu ad omnes missus est, cum suo nomine Apostolos miserit ad omnes mundi populos : *Euntes docete omnes gentes.* Matth. ult. Hinc cum se ad solos Israelitas missum dicat; limites missionis suæ personalis indicat ad prædicandum, miracula patranda.

*Ad* 2$^{um}$. R. *N.* vel *D. Ant.* Mortem vel redemptionem restringit ad oves, fideles, vel electos, privative, cum exclusione cæterorum *N.* sine aliorum exclusione *C.* Licet in his locis de aliis silere videatur Scriptura; alibi tamen eos exprimit. Deinde, esto, quod aliquando Scriptura mortem Christi, vel redemptionem restringat ad solos electos, vel prædestinatos, loquitur tunc de redemptione quoad efficaciam et applicationem, vel efficaci, passiva, pro liberatione actuali alicujus; non vero de redemptione sufficienti, vel sumpta pro oblatione sufficientis pretii ad liberationem.

484. *Inst.* 3. Pro illis solis mortuus est Christus, pro quibus oravit: atqui pro solis prædestinatis oravit, Joan. 17. 9. *Non pro mundo rogo: sed pro his quos dedisti mihi;* ergo.

R. *D. M.* Pro illis mortuus est, pro quibus oravit semper *N.* pro quibus aliquando oravit *C.* Cum enim non una vice oraverit Christus, sed sæpius; potuit aliquando orare pro solis prædestinatis, aliquando pro hominibus omnibus, aliquando pro solis discipulis, oratione specialissima; et talis fuit illa Joan. 19. ut ex textu evidens est; ac proin cum Aug. Tr. 107. in Joannem dicat, orasse ibi Christum pro electis, intelligit electos Apostolos, non electos omnes. Unde cum dicitur : *non pro mundo rogo,* sensus est : nunc non ea ratione efficaci et speciali, qua modo pro discipulis meis rogo : vel, si quis nihilominus pro omnibus electis ibi Christum orasse velit, *non pro mundo*, h. e. hac oratione efficaci et speciali.

Cæterum pro aliis alio tempore oravit Christus, pro crucifixoribus suis, Luc. 23. 34. *Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt;* sed unde fidem facient adversarii, carnifices Christi omnes prædestinatos fuisse?

*Si dicis :* Si Christus orasset pro reprobis, exauditus fuisset; juxta illud Joan. 11. 42. *Pater..... sciebam, quia semper me audis.*

R. *D.* Si orasset ita efficaciter et absolute *C.* si non ita *N.* Nimirum

sicut in Deo duplex distinguitur voluntas : una absoluta, quæ semper impletur; altera conditionata, ex parte objecti, ut hominis, quæ non semper impletur; qualis est in Deo voluntas generalis antecedens salvandi omnes; quæ in Deo est voluntas, non signi tantum, sed beneplaciti, vera et seria, efficax etiam ex parte Dei in ordine ad media sufficientia; sed conditionata ex parte hominis; sic juxta S. Th. duplex oratio in Christo distingui debet : efficax et absoluta, quæ ex voluntate consequente; altera non efficax absolute, et conditionata, quæ ex voluntate antecedente profluit. Prior oratio semper impletur; non altera, ex defectu et culpa hominis; sicut in Deo voluntas antecedens salvandi omnes, non impletur semper ob culpam hominum; licet impleatur semper voluntas absoluta consequens, quæ prædestinatos salvos vult. At priori oratione pro electis; altera pro reprobis oravit.

*Inst.* 4. Juxta S. Aug. Lib. 21. de Civ. c. 4. n. 31. *Si de aliquibus ita* (Ecclesia) *certa esset, ut qui sint illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo; tam pro iis nec oraret, quam nec pro ipso* (diabolo). Atqui Christus perfecte et certo sciebat, quinam essent prædestinati ad ignem; ergo neque ipse pro iis oravit.

R. 1°. Fatentibus adversariis, Deus voluntatem habuit salvandi angelos omnes; quorum tamen magnam partem certo sciebat mittendam esse in ignem; at si hoc certo sciebat, quomodo vere ac sincere eos salvos voluit?

R. 2°. *D. M.* Non oraret pro iis oratione absoluta, ac reprobationem jam supponente *C.* oratione conditionata et antecedente reprobationem *N.* Sic *concessa min. D. Cons.* Neque Christus pro iis oravit oratione absoluta, eorum damnationem consequente et supponente *C.* conditionata, et eorum damnationem antecedente *N.*

S. Doctor eo loco contra illos disputat, qui putabant in judicio extremo *sanctos angelos simul cum sanctis reliquis oraturos pro damnandis et angelis et hominibus, ac tandem propter sanctorum preces reis parcendum esse.* Quem errorem rejicit S. Aug. ex eo quod nequidem jam Ecclesia, si certo sciret quinam reprobati sunt, non magis pro his salvandis oraret, quam pro diabolo : oratione scilicet, quæ ex voluntate absoluta et consequente, ac supponente eorum reprobationem proflueret, quaque vellet iis dari veniam, qua reprobis, et supposita eorum impœnitentia finali. Eodem modo neque Christus oravit pro reprobis, scilicet consequenter ad eorum impœnitentiam finalem ac reprobationem, ut iis, qua talibus, daretur gratia se a damnatione, quam incurrissent, liberandi.

Verum non ideo simul negat S. Aug., quod oraret pro iis oratione, quæ sequitur ex voluntate generali et antecedente eorum salutis. Quin hoc potius ibid. affirmat; docet enim nunc Ecclesiam orare pro singulis, reprobis non exceptis, ex duplici causa; 1°. quia hæc vita est tempus pœnitentiæ salutaris; 2°. quia nescit, quinam reprobi sint. Licet vero jam deficeret hæc ratio secunda; manet tamen adhuc prima.

*Neque dicas :* Ecclesia sciret in illa hypothesi, orationem suam exaudiendam non esse; ergo imprudenter oraret. Nam

R. *N. Cons.* Licet enim non semper concedendum sit, quod rogamus; non ideo oratio imprudens est; sic numquid Christus pro omnibus inimicis oravit? licet sciret, non omnes salvandos, ut ait Aug. serm. 4. de Sanctis

(al. 382. n. 2.) Item, ut transiret ab eo calix passionis; licet non transiturum sciret, ut idem Aug. ait, nosque ea in re Christum sequi vult epist. 121. ad Probam (al. 130. n. 26.) Sic Spiritus sanctus 1. ad Tim. 2. 1. per Apostolum jubet, *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, etc. Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo;* licet Spiritus sanctus noverit, itemque Christus, quinam ex his reprobi sint. Et ratio est: quia oratio pro aliis profluit ex charitate, quæ se extendit ad omnes, adhuc capaces beatitudinis, eamque illis precatur generaliter; de cætero abstrahit, illamne consequantur, vel non.

Potuit igitur orare Christus pro reprobis, non ut mutaret Deus latam in eos damnationis sententiam, ob eorum impœnitentiam finalem prævisam; sed ut conferret ipsis sufficientes gratias ad salutem, si iis uti vellent; hocque sensu pro reprobis oravit, et mortuus est, ut sic inexcusabiles essent.

485. *Obj. II.* Juxta S. Aug. 1°. *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus.* epist. 102. ad Evod. (al. 169. n. 4.) ac proinde Judam eorum numero excludit, Tr. 55. in Joan. n. 7. *Præmisit* (Christus) *obsequia non solum eis pro quibus erat subiturus mortem; sed etiam illi qui fuerat eum traditurus ad mortem.* 2°. Juxta S. Aug. in variis locis, soli illi sunt redempti, qui reipsa salvantur; unde et L. 2. de Symb. ad Catechum. c. 8. n. 17. Christum inducit loquentem: *Qui non estis redempti pretio mei sanguinis, non estis mei.*

*Ad* 1$^{um}$. R. *D.* Non perit ex illis unus, pro quibus mortuus est efficaciter et voluntate speciali *C.* pro quibus voluntate generali antecedente, quoad sufficientiam *N.* Sed ab his Judas non excluditur.

*Ad* 2$^{um}$. R. *D.* Soli illi sunt redempti redemptione completa, in actu secundo, efficaci, quoad actualem perceptionem fructus ex redemptione *C.* soli etiam quoad sufficientiam, quatenus ex redemptione nulla reprobis provenissent media, quibus et ipsi salvari potuissent, si voluissent *N.*

486. *Obj. III.* Synodus Valentina III. anno 855. Can. 4. (Labb. t. 8. p. 137.) damnat capitula Carisiaca, quorum quarto definiebatur, Christum passum esse pro omnibus, definitque erroneum esse asserere, Christum mortuum esse pro impiis, qui a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui sunt. Deinde eadem de causa damnat syllogismos Scoti Erigenæ; ergo. *Conf.* 1. Concilium Lingonense anno 859. confirmavit Canones Valentinos contra capitula Carisiaca, excepta tantum censura, quam Valentini Præsules Can. 4. tulerant contra citata capitula; retenta tamen censura contra syllogismos Scoti Erigenæ (Labb. ibid. p. 690.); ergo. *Conf.* 2. Eadem etiam ecclesiæ Lugdunensis mens fuit, quæ Synodi Valentinæ; Libro enim de tenenda veritate Scripturæ multis exagitat capitula Carisiaca; ac præsertim in capitulo 4. Carisiaco reprehendit hanc ejus propositionem: *Quod nullus hominum fuit, est, vel erit, pro quo Christus passus non fuerit.* Deinde Christum pro omnibus fidelibus docet esse mortuum; non tamen pro infidelibus, *qui in sua infidelitate morituri sunt.*

R. *D. Ant.* Valentina Synodus damnavit capitula Carisiaca errore facti, quo putaret, Patres Carisiacos adhæsisse vel favisse errori eorum, qui

contendebant, *infideles in sua impietate mortuos ex pœnis inferni, Christi passione, fuisse liberatos C.* secus *N.* Constat inde, quod Valentini Patres, errore cognito (quod factum quidem in ipso Lingonensi Concilio), expunxerint censuram a se in Syn. Valent. latam. Quin tam Synodi Carisiacæ, quam Valentinæ Patres postea in TULLENSI Synodo, eodem adhuc anno 859. ex 12. Galliæ provinciis habita, Valentinos Canones, expuncta censura, tandem admiserunt; sicque tam Carisiaci, quam Valentini Canones approbati sunt, ut conformes doctrinæ AUGUSTINI. Quo facto constat capitulis Carisiacis Canones Valentinos non esse contrarios, hosque de damnatis, qua talibus, ex damnatione liberandis agere. Ex his patet Resp. *ad Conf.* 1am.

*Ad Conf.* 2am. R. Permisso interim, quod opera *de tenenda veritate*, et *de tribus epistolis* sint veri ecclesiæ Lugdunensis fœtus; hæc illud intendebat: Christum pro impiis, ante Christi passionem in sua impietate mortuis, ac jam damnatis, liberandis nequaquam fuisse mortuum; nam in alio sensu pro reliquis hominibus omnibus mortuum fuisse Christum, longa oratione docet Ecclesia celebris in *L. de tribus epistolis* cap. 14. et seqq.

Porro, quia Scripturæ textus, quibus Christus pro omnibus asseritur mortuus, possunt dupliciter exponi: 1°. Pro solis fidelibus quoad efficaciam, ut sæpe AUG. facit: 2°. Pro singulis quoad sufficientiam; ut PATRES alii; reprehendit quidem Patres Carisiacos, quasi minus caute, cum prioris expositionis injuria, posteriorem visi essent definivisse.

Dixi: *permisso, quod sint ecclesiæ Lugdunensis*, etc.; id enim a multis negatur, nec sine solido fundamento; nam 1°. septem circiter seculis post ea tempora, scilicet anno 1566., primum acceperunt nomen, quin sciatur a quo, quove ex fundamento, Ecclesiæ Lugdunensis; cum vero primo prodirent, nullius auctoris nomen gerebant, teste HINCMARO in epist. nuncup. ad Carolum regem. Unde et ab HINCMARO ceu supposititia opera rejecta. 2°. Quia multum differunt a sensu Ecclesiæ Lugdunensis circa *Gotteschalci* errores, quem referunt concordes ejusdem Ecclesiæ scriptores primarii: AMOLO Archiepiscopus Lugdunensis in epist. ad *Gotteschalcum*: item FLORUS diaconus in refutatione *Scoti Erigenæ*, aliique.

Nicolaum I. vero Pontificem damnasse capitula Carisiaca prorsus falsum est. Subiratus quidem HINCMARO, qui Conc. Carisiacum convocaverat, NICOLAUS fuit; sed propterea tantum, quod cum involasse in jura Apostolicæ Sedis putaret; non ob capitula ibidem edita, velut hæc erronea essent. Quin capitulum quartum *de sanguine Christi pro omnibus fuso* confirmavit teste PRUDENTIO TRICASSINO, quæ PRUDENTII verba HINCMARUS refert epist. 27. ad *Egilonem Senonensem*.

# SECTIO III.

## DE ADORATIONE CHRISTI, CULTU SANCTORUM, ET SS. IMAGINUM.

Disputatis hactenus iis, quæ Christi excellentiam attinebant, demum de adoratione, utpote quæ in illa fundatur, Christo debita, restat, ut tractemus. Conjungimus una de cultu Sanctorum ac SS. imaginum controversias: tum ob aliquam affinitatem cum prima; tum quod non occurrat opportunior alibi in Theologia locus. Cæterum contra varium errorum genus hoc loco suscipitur disputatio. Unam equidem Christo Deo et homini adorationem *Nestorius* tribuit; sed maligno sensu, ob qualecumque honoris consortium, ex morali hominis cum Verbo conjunctione, ac quo modo purpura cum rege adoratur. Verbum a carne separandum putabant *Ariani*, ut adorari posset. Mediam carni Christi adorationem tribuisse dicitur *Gilbertus Porretanus*. Sacrarum vero imaginum venerationem præter Iconoclastas veteres damnarunt sec. XII. *Waldenses*, *Petrobrussiani*, *Henriciani*, *Albigenses*; sec. XIV. *Hieronymus de Praga*; sec. XVI. *Lutherani*, ac *Calviniani*, amplexi insuper circa cultum Sanctorum, Reliquiarum, S. Crucis Domini, damnatam olim a toto Christiano orbe impietatem *Manichæorum*, *Vigilantii*, ac similium, ut, de eorum doctrina quid sit tenendum, vel ex majoribus, a quibus hauserunt, facile quivis judicium ferat.

### ARTICULUS I.

#### AN ET QUOMODO CHRISTUS ADORANDUS?

*Nota.* Adoratio, ex se vox generica est, quemvis cultum significare apta, quem alicui deferimus ob excellentiam illius, aut dignitatem; unde et in Scriptura rebus plane diversis tribuitur; ac proinde varia *adorationis* significatio ex subjecto, cui tribuitur, determinari debet. Inde quoque in *politicam*, seu civilem, tum *religiosam*, sive sacram, dividitur. Prior est, quam ob dignitatem aut excellentiam civilem, quæ in aliis est, tribuimus, velut regibus, etc. Posterior, quam ex motivo religionis, ob supernaturalem excellentiam aliquam in altero, huic præstamus: hæcque vel est *absoluta*; si quid ob excellentiam propriam, quam habet, adoramus: ita ut adoratio in propria rei excellentia sistat, quin tendat ulterius: vel *respectiva*; si quid colimus ob excellentiam, non propriam, sed alterius, quocum connectitur, quem repræsentat, et ad quem refertur.

Porro *adoratio religiosa* tres sub se species complectitur: *latriam*, estque adoratio religiosa, suprema et singularis, quam soli Deo debemus ob excellentiam divinam ipsi propriam, quæque proinde nulli alteri per se communicabilis est juxta Deut. 9. et 10. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Deinde *duliam*, quæ creaturis ob excellentiam creatam defertur.

*Hyperduliam* denique, quæ quidem etiam in eo, cui exhibetur, pro motivo excellentiam creatam dicit; sed aliis excellentiis creatis majorem aut supereminentem ob prærogativas, perfectiones, dona specialia, qualem Dei Genitrici impendimus. Unde hic cultus a dulia, non specie, sed solo gradu differt.

Cæterum in omni adoratione *duplex actus* exigitur internus; *primus* dicit actum intellectus; *secundus* voluntatis : ex parte prioris importatur judicium speculativum de excellentia alterius; et judicium practicum, honestum esse, nos illi submitti propter excellentiam suam, et nostram respectu ejus inferioritatem : ex parte alterius importatur imperium se demittendi ob superiorem illam in altero excellentiam. Unde demum existit executio ipsa; quæ non debet esse necessario semper actus externus corporis, v. g. se inclinantis; sed esse potest actus solus interior : ut actus fidei, spei, charitatis.

*Quæritur* nunc : utrum Christus, non *qua Deus* tantum, ut per se patet; sed et qua homo religionis cultu adorari debeat?

487. *Dico.* Christus homo in utraque natura, divina et humana, subsistens, h. e. homo Deus; sive humana Christi natura Verbo hypostatice conjuncta, uno eodemque latriæ actu absolute adorari debet, quo Verbi divinitas.

*Prob. I.* Ex S. Scriptura, quæ, dum Christum adorandum docet, nunquam inter naturam divinam et humanam distinguit; sed semper adorationem terminat ad Christum utraque natura constantem. Joan. 5. 22. *Neque Pater judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem:* sed Pater cultu latriæ adorandus est; ergo. Ad Hebr. 1. 6. *Et adorent eum omnes angeli Dei.*

*Prob. II.* Ex Conciliis et SS. Patribus. 1°. Concil. Lateranense sub Martino I. Secret. vel Consult. 4. Can. 9. (Labb. t. 6. p. 251. D.) ita definit : *Si quis una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne non adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est; talis anathema sit.* Idem definivit Syn. gen. VI. Can. 9. Ac Synodus gen. VII. Act. 6. docet, non esse humanitatem a divinitate separandam, cum adoratur Christus; sed utrumque ut unum latria adorari.

2°. Ex SS. Patribus. *Rem creatam*, ait Athanas. epist. ad Adelphium n. 3., *non adoramus... Sed rerum creatarum Dominum, carnem factum, Dei Verbum adoramus. Etsi enim ipsa caro seorsim spectata, pars sit rerum creatarum; attamen Dei facta est corpus. Neque vero hujusmodi corpus a Verbo dividentes adoramus; neque cum Verbum volumus adorare, ipsum a carne removemus.* S. Ambr. L. 3. de Spiritu sancto cap. 11. n. 79. *Quam* (Christi carnem) *hodieque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu... adorarunt... neque, cum adoratur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur.* S. Augustinus Enarr. in. Ps. 98. n. 9. : *Adorate scabellum pedum ejus. Quæro quid sit scabellum pedum ejus; et dicit mihi Scriptura : Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic; et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus; suscepit enim de terra terram; quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambu-*

*lavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat nisi prius adoraverit : inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

*Prob. III.* Ratione. 1°. Deus absolute adorandus est : sed juxta orthodoxam doctrinam de communicatione idiomatum in Christo, hic homo est Deus; ergo. 2°. Quia eodem cultu et actu coluntur, quæ sunt suppositi, quo colitur ipsum suppositum; ita enim dum sanctum colimus duliæ cultu, ob excellentiam sanctitatis in ejus anima residentem, colitur totus secundum animam et corpus: sed humanitas in Christo est suppositi, sive Verbi incarnati, tanquam rei adoratæ; ergo.

Igitur in actu adorationis *personalitas* se habet *ut objectum primarium*, et ut objectum materiale simul et formale; *humanitas* vero ut *objectum secundarium* et materiale tantum; motivum enim adorationis non est humanitas secundum se ipsam, sed divinitas, ut inquit S. Damascen. L. 4. de Fid. orthod. c. 3. *Adoratur caro Christi in incarnato Verbo Deo, non propter se ipsam; sed propter unitum, secundum hypostasin, Verbum Dei.*

Dixi tamen in Concl. *natura humana Verbo hypostatice conjuncta;* humanitas enim Christi separata a Verbo, non est ita cultu latriæ adorabilis; quia spectata secundum se, ut præcisa a Verbo, cum sic non dicat ordinem ad Verbum, ac pura creatura sit; adorari eo cultu non debet, qui Deo convenit. Unde recte S. Aug. serm. 59. de Verb. Dom. (al. serm. 87.) : *Si hominem* (humanitatem) *separaveris a Deo; neque illi credo, neque illi servio.* Nec refert, si sola mente separetur, ob easdem rationes. Hinc dum dicitur : Christus *qua homo* est absolute adorandus; *specificative* sumi debet humanitas; non *reduplicative*, ut τὸ *qua*, vel *in quantum*, significet, humanitatem abstractam, et consideratam sine unione ad Verbum, esse rationem formalem adorandi.

488. *Obj. I.* Adoratio latriæ debetur Deo soli : sed humanitas Christi non est Deus; ergo.

R. *D. min.* Humanitas Christi, sive homo, non est Deus, hypostatice unitus Verbo *N.* non est Deus a Verbo separatus et sejunctus *C.* Latriæ cultus soli Deo debetur, propter se et primario, ac tanquam motivo adorationis; hoc tamen non obstante, potest convenire alicui secundario, tanquam objecto terminativo, quod cum Verbo Deo unum est suppositum, ut in præsenti, ubi vera est hæc propositio : *Hic homo est Deus.*

*Inst.* 1. Cum Nestorius diceret, hominem coadorari cum Deo; se omni modo opponebat S. Cyrill. Alexandr., inque eos anathema jaciebat, qui ita loquerentur; ut constat ex ejus anathematismo octavo; ergo.

R. *D. Ant.* Anathema jaciebat in eos, qui ita loquerentur ad sensum et mentem *Nestorii C.* secus *N.* Quo sensu *Nestorius* dixerit, hominem assumptum cum Deo Verbo adorandum, illudque negarit S. Cyrillus, jam expositum vide in Proœm. n. 2.

*Inst.* 2. Nequit humanitas eodem amore amari super omnia, quo Christus; ergo nec eodem actu adorari.

R. *D. Ant.* Nequit eodem amore amari super omnia primario, ac tanquam objectum materiale et formale simul *C.* secundario, ac tanquam obje-

ctum materiale tantum *N*. Sicut adorari eam diximus; sic amari potest. Nec inde sequitur adorari eam per accidens, et non per se; nam totum, Christus, adoratur per se; ergo et humanitas, pars hujus totius.

*Inst.* 3. Hæc adoratio humanitatis Christi, non est absoluta; ergo respectiva, et per accidens. *Prob. Ant.* Hæc adoratio dicit respectum ad aliud; scilicet Verbum unitum; ergo.

R. *N. Ant.* Nam proprie respectiva est, quando unum *suppositum* adoratur ob excellentiam alterius *suppositi*; sic respective adoratur crux Christi, imagines Christi; quia motivum hæc adorandi non est in cruce, et imagine; sed extra illa in prototypo. Sed motivum adorandi humanitatem Christi est ipsius Verbi excellentia humanitati unita.

*Ad prob.* R. *D.* Hæc adoratio dicit purum respectum ad aliud *N.* dicit respectum, et simul unionem intrinsecam cum excellentia personæ, quæ videlicet est ratio adorandi *C.*

489. *Obj. II.* Humanitas Christi non est æqualis excellentiæ cum Verbo; ergo nec adoratione eadem cum illo adoranda.

R. *D. Cons.* Nec adoratione eadem, quæ respiciat eodem modo humanitatem et Verbum *C.* modo diverso, nimirum Verbum, ut objectum materiale et etiam formale, sive motivum adorandi; humanitatem vero, ut materiale tantum, ac adorationis præcise terminum *N.*

## ARTICULUS II.

### AN, ET QUO CULTU LICITUM SIT SANCTOS COLERE? RECTENE ITEM AC UTILITER INVOCENTUR?

Non quærimus hic *de cultu civili*, cum prudentiores e protestantibus hunc non negent; sed *de religioso, seu sacro*; eoque non latriæ, quæ est suprema religiosa adoratio, soli Deo debita, dicens servitutem perfectam, proindeque nulli creaturæ puræ communicabilis; sed de longe inferiori, quem *duliam* diximus.

490. *Dico I.* Pie ac licite coluntur sancti, cultu religioso duliæ. Est dogma catholicum et fidei, contra nostri ævi sectarios, eorumque majores, *Manichæos*, *Vigilantium*, etc. jam olim a tota damnatos Ecclesia.

*Prob. I.* Ex Scriptura: exemplo Patriarcharum, aliorumque Testamenti veteris. Nam 1°. Gen. 19. 1. *Venerunt duo angeli Sodomam..... et Loth..... ivit obviam eis; adoravitque pronus in terram; et dixit: obsecro, domini,* etc. 2°. Josue 5. v. 15. cum sub habitu viri latentem angelum cognovisset Josue, *cecidit pronus in terram, et adorans ait,* etc. Num. 21. Balaam, *viso* (Angelo stante in via) *adoravit eum pronus in terram*: sed adoratio hæc non fuit latriæ; hanc enim angeli non permisissent; ergo inferioris fuit ordinis, non mere civilis, quæ etiam malis impenditur (et sane ridiculum foret dicere, angelis deberi honorem civilem); ergo sacra. Par vero est ratio de sanctis in cœlo regnantibus, quæ de angelis.

Nec refert, quod Apoc. 19. et 22. angelus delatum sibi a S. Joanne

honorem acceptare noluerit; non enim hunc respuit ut sacrilegum, vel illicitum; quis enim ausit dicere, S. Joannem contaminare se voluisse peccato sacrilegii? sed ex modestia et observantia in tantum virum, etsi conditione naturæ minorem: sanctitate tamen, dignitate Apostolatus, martyrii gloria sibi parem, si non majorem.

*Prob. II.* Ex perpetua Traditione Ecclesiæ. Nam festos dies in honorem martyrum jam seculo II. institutos fuisse, Ecclesia Smyrnensis testis est: *Nos,* inquit, epist. de martyr. S. Polycarpi c. 18. (Apostolic. PP. oper.), *postea ossa illius, gemmis pretiosissimis exquisitiora et super aurum probatiora, tollentes, ubi decebat deposuimus. Quo etiam loci nobis, ut fieri poterit, in exultatione et gaudio congregatis, Dominus præbebit natalem martyrii ejus diem celebrare.*

Seculo III. Tertullianus de corona c. 3. *Oblationes..... pro natalitiis annua die facimus.* Cyprianus epist. 34. n. 3. *Martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.* Quin Manichæi ipsi usitati tum in Ecclesia sanctorum cultus testes sunt; cum male Catholicis objicerent, teste Aug. contr. Faust. L. 20. c. 21., quod pro diis gentium martyres invexissent.

Seculo IV. Concil. Laodicenum circa ann. 370. can. 51. (Labb. t. 1. p. 1506.): *Non oportet in quadragesima martyrum natales peragere, sed sanctorum martyrum facere commemorationes in sabbatis et Dominicis.* S. Gregorius Nazianzenus orat. 15. in Machab. n. 1.: *Quid autem Machabæi? Horum enim nomine diem hunc festum agitamus.* Et orat. 24. in S. Cyprian. n. 1.: *Cyprianus fere nos effugit: o ingens damnum! Idque vos passi estis qui eum omnium maxime suspicitis, annuisque honoribus ac publicis conventibus celebratis.* S. Ambrosius de Virginit. c. 19. n. 124. *Dies factus est Petrus, dies Paulus, ideoque hodie natali eorum Spiritus sanctus increpuit dicens: Dies diei eructat verbum, hoc est, ex intimo thesauro cordis fidem prædicant Christi..... et fortasse in cœlo hodie de nobis Christi et Petri iste sit sermo, Quotidie piscatur Petrus, quotidie ei dicit Dominus: Duc in altum. Videor mihi audire dicentem Petrum: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus; nox fuit, pauciores ad vigilias convenerunt. Laborat in nobis Petrus, quando nostra laborat devotio.* Et paulo infra jejunium diei SS. Apostolorum Petri et Pauli festo præmissum commemorat.

Seculo V. S. Hieronymus epist. ad Riparium 109. n. 1. *Ais Vigilantium, qui* κατ' ἀντίφρασιν *hoc vocatur nomine (nam Dormitantius rectius diceretur), os fœtidum rursus aperire et putorem spurcissimum contra SS. Martyrum proferre reliquias, et nos qui eas suscipimus appellare cinerarios et idololatras, qui mortuorum ossa veneremur..... Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum, cujus sunt martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.* S. Aug. L. 20. cont. Faustum Manich. c. 21. *Populus Christianus,* ait, *memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat.* Porro abundant eam in rem testimoniis Prudentius, Chrysost. aliique. De posterioribus vero seculis non est, quod laboremus, quod illis viguisse sanctorum cultum, nec adversarii inficientur.

*Prob. III.* Ratione. Sicut rejici non potest cultus politicus, quo prosequimur viros principes, reges, etc.; sic multo minus rejici potest cultus sacer, qui sanctis defertur; si enim ratio sit colendi politice principes, etc.; conspicua eorum potestas, præeminentia, etc.; multo magis urgere debent,

ad colendos sanctos cultu sacro, eorum excellentia sacra, amicitia cum Deo inamissibilis, eximia merita, constantia in fide, ardor charitatis, donaque cœlestia alia ipsis a Deo collata.

491. *Dico II.* Cultus ille religiosus, quem Catholici sanctis, cum Deo in cœlo regnantibus, deferunt, omni idololatriæ specie, ac umbra caret.

*Prob.* Quia cultus duliæ, quem solum sanctis deferunt Catholici, licet sit major cultu civili; est tamen longe inferior illo latriæ ac supremo, quem soli Deo debemus, differtque ab hoc plurimum; *latria* enim est summa voluntatis subjectio ac inclinatio cum apprehensione Dei, tanquam principii primi omnium, et finis ultimi, adeoque summi boni; qualis adoratio Deo soli convenit. At cultus sanctorum, *dulia,* est quædam inclinatio voluntatis ex apprehensione excellentiæ in ipsis, majoris quidem civili; sed infinite minoris divina, scilicet dignitatis, et sanctitatis supernaturalis creatæ; nec actus internus in illos tendit, ut Deos, sed *ut amicos Dei,* etc.; ergo idololatriæ incusari nequit; hæc enim, ut omnes norunt, tunc solum committitur; cum cultus soli Deo debitus, aliis extra Deum tribuitur, in quibus nobis Deum proponimus, vel fingimus. At quis Catholicorum in sanctis sibi Deum proponit, vel fingit, indeque movetur ad præstandam illis supremam illam subjectionem Deo debitam? Summam igitur imperitiam suam probant, qui idololatriæ crimen hic Catholicis objiciunt: vel malitiam extremam. Rationem hanc illustratam vid. in Obj.

492. *Dico III.* Pie etiam et utiliter sancti, sive angeli, sive homines, a viventibus nobis invocantur. Ita definivit Tridentin. Sess. 23.

*Prob. I.* Ex Scriptura. Gen. 48. 16. Jacob benedicens filiis Joseph, *Angelus,* inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Hic vero aperte Jacob angelum invocavit. Job. 5. 1. *Voca, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere;* ubi sanctorum nomine angelos intelligit, inquit S. Aug. in Annotat. in Job. Etsi vero verba hæc non sint ipsius Scriptoris sacri, sed Eliphaz amici Job; convincunt tamen ideo, quia tunc consuetudinem fuisse invocandi patrocinium angelorum demonstrant.

*Respondent* Adversarii: hæc dici de angelis, qui ad nos missi a Deo gerunt curam nostri, proinde percipere preces nostras possunt; at aliud est de hominibus mortuis, *qui nihil noverunt amplius.* Eccl. 9.

Verum *contra est* 1°. quod igitur saltem sine superstitione possint invocari angeli. 2°. Angeli nec semper cuilibet præsentes adsunt; nec, si adsint, naturaliter videre possunt interiora animi ac secreta cordis, vota, preces mentis, quas tamen Deo sistunt, Tob. 12., Apoc. 8. Si igitur Deus angelis patefacit, quæ remota sunt, reseratque, quæ secreta sunt animi; cur non et Beatis? inquit Hieron. cont. Vigilant., Aug. L. 22. de Civ. Sic 2. Par. 21. Elias post discessum corripuit Joram. 2. Mach. 15. Jeremias et Onias orant pro Judæis persecutione oppressis: quomodo prior absens, alter mortuus ea novit?

*Prob. II.* In Scriptura sæpe legimus viventes invocatos fuisse a viventibus. 1. Reg. 7. 8. *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum.* Job. ult. v. 8. *Ite ad servum meum Job, et... servus meus orabit pro vobis.* Ad Rom. 15. ait S. Paulus: *Obsecro vos, fratres... ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad*

*Deum.* Idem repetit frequenter alibi, ad Eph. 6. etc; ergo etiam licebit, nunc invocare sanctos eosdem cum Christo regnantes. *Prob. Cons.* Nam si nunc non licet; ergo vel quia nolunt: sed hoc non, utpote majore nunc charitate præditi, ideoque *de sua incolumitate securi*, ut ait S. Cyprian. de Mortalit. c. 26. *et adhuc de nostra salute solliciti:* vel quia non possunt; sed et hoc falsum; si enim poterant hic, cum essent peregrini, quanto magis poterunt nunc in cœlo? Vel, quod nesciant quid oremus; neque hoc dici potest; unde enim sciunt angeli conversionem peccatorum, Luc. 15. et arcana alia, de quibus ante; inde etiam preces nostras scire possunt. Vel denique, quod fiat Deo, aut Christo injuria, si alius, quam ipse, invocetur; sed etiam hoc non; alioquin nec viventes, imo minus, invocare liceret.

*Prob. III.* Ex Conciliis et SS. Patribus, unde perpetua constat Ecclesiæ traditio. Sic Act. 11. Conc. Chalced. (Labb. t. 4. p. 697.) dicunt Patres: *Flavianus post mortem vivit; Martyr pro nobis oret.* In Syn. gen. VI. c. 7. ex canonibus recens editis dicitur (Labb. t. 6. p. 1206. D.): *Solo Deo creatore adorato, invocet Christianus Sanctos, ut pro se intercedere apud Majestatem divinam dignentur.* Syn. gen. VII. Act. 6. (Labb. t. 7. p. 542. D. E.): *Cum timore Dei omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, item sanctorum angelorum, omniumque sanctorum.*

Ex SS. Patribus. Irenæus L. 5. cont. hær. c. 19. n. 1. *Quemadmodum enim illa* (Eva) *per angeli sermonem seducta est, ut effugeret Deum... ita et hæc* (Maria) *per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum... Et si ea inobedierat Deo; sed hæc suasa est obedire Deo, ut virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata.*

Origenes hom. 26. in num. 6. (opp. t. 2. p. 373. B.). *Quis enim dubitat quod sancti quique Patrum, et orationibus nos juvent, et gestorum suorum confirment atque hortentur exemplis?*

Euseb. L. 13. Præpar. Evang. c. 11. (opp. p. 663. B.): *Hæc in hominum Deo carissimorum obitus egregie conveniunt, quos vere pietatis milites appellaris; nam et eorum sepulcra celebrare, et preces ibi votaque nuncupare, et beatas illorum animas venerari consuevimus, idque a nobis merito fieri statuimus.*

S. Athan. serm. in Annunt. n. 14. (opp. t. 2.): *Inclina aurem tuam* (Maria) *in preces nostras; et ne obliviscaris populi tui.* Ac infra n. 15. *intercede hera, et domina, et regina, et Mater Dei pro nobis.*

S. Cyril. Hieros. catech. 23. n. 9. *Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt: primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum; ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat.*

S. Ambrosius L. de Viduis c. 9. n. 54. *Magnis tenebatur febribus, et rogaverunt illum pro ea. Et tu habes proximos qui pro te supplicent; habes Apostolos proximos, habes Martyres proximos.* Plura cupienti ex omni seculo Bellarminus dabit, Controv. 4ª. L. 1. c. 19.

493. *Obj. I.* Ex S. Script. Deut. 6. 13. *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.* Matth. 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* 1. ad Tim. 1. 17. *Soli Deo honor et gloria.*

*Ad* 1um. R. *D.* Illi soli servies servitute, quæ convenit Deo soli *C.* secus *N.* Nam in græco est λατρεύσεις. Unde Aug. Quæst. 61. in Gen. notat, ideo non

esse dictum : *solum Deum* adorabis, et illi soli servies; sed *Deum adorabis*, et illi soli servies; adoratio enim ex genere suo etiam creaturis tribuitur in ipsa Scriptura sacra, non autem servitus latriæ. Quin etiamsi legeretur : illi soli δουλεύσεις; eodem modo exponi deberet : scilicet illi soli servies certo quodam genere servitutis, latriæ; non autem absolute illi soli; alioquin præcepto eo prohibitam dicere oporteret quamcumque servitutem aliam inferioris ordinis : quod ipsi adversatur Scripturæ; nam, non obstante præcepto illo, Gen. 27. 29. Jacobo ab Isaaco dicitur : *Serviant tibi populi; et adorent te tribus... et incurventur ante te filii matris tuæ.* Sicut ergo, dum 1. ad Tim. 6. dicitur de Deo: *Qui solus habet immortalitatem*, sensus est, solum Deum esse immortalem certo genere, quin propterea negetur, etiam angelos et animas esse immortales suo quodam modo; sic dum dicitur : *illi soli servies*, similem habet sensum.

*Ad* 2$^{um}$. *Eadem est responsio.*

*Ad* 3$^{um}$. R. Hoc similiter intelligendum de certo honore et gloria, quális soli Deo competit; non autem *absolute* soli; nam nihilominus ad Rom. 2. dicitur : *Gloria et honor omni operanti bonum.*

*Inst.* 1. Media illa species cultus, quem *duliam* dicimus Catholici, fingitur gratis; ergo. *Prob.* Non datur species alia cultus, quam civilis et religiosi; ad neutrum vero reduci potest: non ad civilem, ut per se constat; cum angeli et sancti civiliter nobiscum non versentur : non ad religiosum; religio enim Dei cultum unice respicit; ergo sanctis sine idololatria tribui non potest.

R. *N. Ant.* Nam motivum cultus generatim est alterius excellentia; ergo, sicut excellentia increata ac infinita Dei fundat cultum supremum soli Deo debitum, et excellentia præcise humana cultum civilem; sic specialis et media quædam excellentia in sanctis cultum medium, inter supremum illum soli Deo debitum, et inter civilem humanum : excellentia enim in sanctis, utpote creata, longe minor est divina; superior tamen humana sive naturali : excellentia enim sanctorum sunt dona eorum supernaturalia, gratia, gloria; cui proin excellentiæ mediæ medius pariter cultus respondet, ac tertia species, quam duliam dicimus.

*Ad prob.* 1$^{am}$. R. reduci ad religiosum, esseque virtutis religionis, non primario; sed secundario.

*Ad prob. ult.* R. *D. Ant.* Religio Dei cultum unice respicit saltem ultimato *C.* ita unice, ut nec secundario alium respiciat, qui et ultimato in Deum tendit *N.* Alii cultum duliæ aiunt esse religionis improprie talis; quia non immediate et primario, sed mediate solum et ultimato in Deum tendit. Sed hæc lis vocabularia potius est. Cumque Ecclesia non definierit, sanctos esse *religione* colendos; sed mera sit quæstio scholæ : an cultus, qui sanctis impenditur, religionis sit, an virtutis alterius? adversarii ex eo capite schisma facere non debuerant.

*Inst.* 2. Ineptum est, sanctos coli cultu religionis et non latriæ; nam cum latria significet cultum, colere sine latria, est colere sine cultu. Ita Calvin. Deinde plus est *dulia*, quam latria; nam δουλεύειν est *servire*; λατρεύειν, *colere*; plus autem est servire, quam colere; nam amicos colimus, sed dominis servimus.

R. *N. Ant. Ad prob.* 1$^{am}$. R. Colere sine latria non esse colere sine cultu

simpliciter, sed sine *tali cultu*; nam et S. Aug. qui tamen non erat ineptus, L. 20. cont. Faust. c. 21. sanctos coli dicit, et sine latria : *Colimus Martyres... At illo cultu, qui græce* λατρεία *dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.*

*Ad prob.* 2am. R. *N.* Duliam esse plus quam latriam. Nam a scriptoribus profanis quidem non raro pro eodem sumitur : ex Scripturæ vero et Ecclesiæ usu latria longe quid majus est, quam dulia : ac *latria* non quilibet cultus est; sed cultus *servitutis summæ* : *dulia* vero *servitutis cujuslibet*, etiam imperfectæ, et pro hac sumit Ecclesia; at Ecclesia latriam pro cultu creaturis communi usurpat omnino nunquam. Nec propterea reprehendi potest : si enim licuit Ecclesiæ antiquæ contra hæreticos veteres nova invenire ac adhibere vocabula, ut ὁμοούσιος, etc., quidni licebit Ecclesiæ posteriori bus temporibus, contra Novatores alios ac novos, nova vocabula vel invenire, vel certe vocabulis in alia significatione uti?

494. *Obj. II.* Ad Col. 2. 18. *Nemo*, ait Apostolus, *vos seducat, volens in humilitate, et religione angelorum, quæ non vidit ambulans*; ergo.

*Conf.* 1. Ex Conc. Laodiceno, quod angelorum cultum damnat Can. 35. (Labb. t. p. 1503. A.) : *Quod non oportet Christianos, relicta Dei Ecclesia, abire, et angelos nominare, vel congregationes facere, quod est prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare, sit anathema.*

*Conf.* 2. Ex Theodoreto, qui ad cit. loc. Apostoli inquit (opp. t. 3. p. 355. B.) : *Qui Legem defendebant, eos etiam ad angelos colendos inducebant, dicentes Legem per eos datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia et Pisidia; proinde Synodus, quæ convenit apud Laodiceam, lege prohibuit, ne precarentur angelos. Et in hodiernum usque diem oratoria S. Michaelis apud illos, illorumque finitimos videre est.*

*Conf.* 3. Ex Patribus aliis. S. Epiphan. hær. 78. rejicit cultum B. Virgini deferri tunc solitum. S. Athanas. orat. 2. cont. Arian. n. 21. 23. 24. neque angelos, neque creaturam ullam adorari vult. S. Ambr. in cap. 1. ad Rom. v. 22. (opp. t. 2. part. 2a. p. 33.) reprehendit eos, qui conservos adorant. S. Aug. L. de vera Relig. c. 55. n. 108. *Non sit nobis*, inquit, *religio cultus hominum mortuorum : quia si pie vixerunt, non sic habentur, ut tales quærant honores.*

R. *Explico cum Dist. Ant.* In religione angelorum, illa superstitiosa, qualem asserebat hæreticorum patriarcha Simon magus *C.* secus *N.* Tam Apostolus, quam Laodicena Synodus damnant hæresin Simonis magi; qui Platonicos secutus, angelos docebat adorandos velut minores Deos : ut qui fabricassent mundum, ac locuti essent per Prophetas; ac sine quibus homo nec placare posset Deum, nec ab eo petere quidquam, ac impetrare, intelligens quidem angelos malos. Unde et eos hic reprehendi, ait Hieron. epist. 121. quæst. 10. ad Algasiam (opp. t. 1. p. 881.), *qui sacrificabant angelis.* Extitisse hujus sectæ homines etiam diu post Simonis magi tempora, qui proinde *Angelici* dicti, testis est Epiphan. hær. 39. Hancque fuisse *Platonicorum* doctrinam, iterum Aug. refert L. 8. de Civ. c. 22. Item L. 9. c. 1. Ubi de illis tradit, quod *dæmones eosdem angelos inter homines et deos ita medios constitutos putant, tanquam nullus Deus homini misceatur, ut hinc perferant deside-*

*rata, inde referant impetrata. Atque hoc Platonici præcipui philosophorum ac nobilissimi sentiunt.*

Porro hunc et Apostoli et Laodicenæ Synodi scopum esse, ex ipso THEODORETO cit. liquet, dum immediate subdit : *Illi ergo, humilitate nimirum ducti, hoc fieri suadebant, dicentes, universorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi posse; et oportere per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare;* ergo de angelis illis mediis cit. loc. sermo fuit. Hinc illud THEODORETI de oratoriis S. Michaelis eodem modo intelligi debet, quod in illis S. Michaeli sacrificarint. Vel quod significare voluerit, templa ab hæreticis exstructa ad sacrificandum angelis esse a Catholicis mutata in oratoria S. Michaelis, exque numero eorum colligi, quantum grassata ibi sit olim hæresis Simonis magi. Hinc patet *Responsio ad Conf.* 1am. et 2am.

*Ad Conf.* 3am. R. Singulos hosce Patres contra cultum superstitiosum ita loqui. Nam S. EPIPHANIUS quidem cultum duntaxat *Collyridianorum*, quorum ibi hæresin describit, rejicit; hi vero B. Virginem colebant ut Deam, inque ejus honorem collyridem, sive tortam panis, offerebant per mulieres, his sacrificandi munus, sacerdotio proprium, deferentes. Metuens vero EPIPHAN., ne hac occasione nullus deferretur cultus B. Virgini, sæpissime repetit ista : *Honoretur Maria; Dominus adoretur.*

Sic et S. ATHANASII mens ex ejus verbis supra (n. 492.) citatis clare perspicitur. In textu vero, quem opponunt adversarii, unum duntaxat prohibet S. Pater, ne videlicet cultus soli Deo, qua Deus est, seu latriæ, angelis aut rei creatæ exhibeatur.

S. AMBROSIUS, vel auctor, quicumque sit, hujusce expositionis epist. ad Rom., cultum superstitiosum solummodo rejicit. Quænam autem veri AMBROSII fuerit in præsenti quæstione sententia, nemo est qui ambigere possit. Nam præter ea quæ ex L. de Viduis supra (n. 492.) adduximus, ibid. c. 9. n. 55. ait S. Doctor : *Obsecrandi sunt angeli... martyres obsecrandi... non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere.*

S. AUGUSTINUS negat mortuis impendendam religionem superstitiosam, ad sensum gentilium et Platonicorum, mortuos etiam summis et divinis honoribus colentium, quod putarent, ut tradidit PLATO L. 11. de Legib., *mortuorum animas post hanc vitam obtinere vim quamdam, qua rerum humanarum curam gererent.* De AUGUSTINI enim mente orthodoxa dubium esse non potest, ut qui pro cultu sanctorum contra Manichæos, præsertim *Faustum*, prolixas disputationes suscepit, L. 20. cont. Faust. c. 21.; ac contra paganos defendit, L. 8. de Civit. c. 26.

493. *Obj. III.* Quatuor saltem prioribus seculis Ecclesia non extruxit sanctis, vel martyribus templa et altaria; neque eos invocabat in sacrificio, teste AUG. L. 22. de Civ. c. 10. *Nos martyribus nostris non templa fabricamus nec erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus; nec a sacerdote, qui sacrificat, invocantur;* ergo, cum hæc jam faciat Romana Ecclesia, prolapsa est in idololatriam.

R. *D. Ant.* Non exstruxit templa et altaria martyribus, ut illis sacrificaret, eosque invocaret, tanquam auctores omnis boni, vel ut summum bonum *C.* non exstruxit templa et altaria in eorum memoriam *N.* Hinc addit AUG. *in quibus ipsis sacrificemus.* At alio sensu revera Ecclesiam exstruxisse

templa et aras S. Aug. clare hoc ipso loco tradit. *Nos martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis... fabricamus... Deo quippe, non ipsis, sacrificat* (sacerdos), *quamvis in memoria sacrificet eorum; quia Dei sacerdos est, non illorum.* Et L. 20. cont. Faust. c. 21., qui idem objecerat Augustino, quod modo nobis adversarii. *Populus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane?* Quod Aug. hoc loco Manichæis respondit contra eorum calumnias, nihil in cultu sanctorum idololatriæ inesse; idem sibi responsum ferant adversarii, desinantque imperitæ suæ plebi imponere; quod enim Augustini tempore, idem hodie, observat Ecclesia. Cæterum dum S. Aug. negat in sacrificio *invocari* sanctos, sciendum, quod S. Augustino invocare sit idem, ac *Deum vocare in se*; sic enim verbum invocare communiter sumit, in Ps. 30. 74. 85. et plerumque alias.

496. Sed, *inquies*, Ecclesia Romana moderna a prisca Ecclesia degeneravit, ac sanctorum cultum cum divino permiscet; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1°. nunc solemnem adhibet canonizationem: sed hæc est species apotheosis priscæ gentilium. 2°. Erigit sanctorum statuas, accensis circumquaque luminibus; coram illis vult caput detegi, inclinari corpus, et similia præstari obsequia: qui honores divini sunt; ergo merito omnis sanctorum cultus damnatus est a Reformatoribus ultimis.

R. *N. Ant.* Hic de adversariis nostris dixeris notum illud: *quod ignorant, blasphemant.* Nam

*Ad prob.* 1am. R. Nihil prorsus commune habet, cum prisca apotheosi gentilium, usitata nunc in Ecclesia canonizatio. Apotheosis gentilium erat, mortuorum hominum, a factis, vel meritis re, vel figmento illustrium, inter deos translatio, ita ut haberentur pro diis, iisque qua diis cultus deferretur. At canonizatio in Ecclesia Romana nihil est aliud, quam publicum Ecclesiæ testimonium, post diuturnam ac rigidissimam inquisitionem, de vera sanctitate, ac gloria alicujus hominis jam defuncti; ac simul est judicium et sententia, qua ei decernuntur honores illi, qui debentur illis, qui cum Deo feliciter regnant: qui non sunt divini honores; sed sunt sequentes:

Scilicet 1°. inscribuntur sanctorum catalogo, h. e. præcipitur ut ab omnibus habeantur sancti. 2°. Invocari possunt, et invocantur in publicis Ecclesiæ precibus. 3°. Templa et aræ *in eorum memoriam* dicantur Deo. 4°. Sacrificia tam Eucharistiæ, quam laudum, sive sic dictæ horæ canonicæ, in honorem eorum *offeruntur Deo.* 5°. Dies festi in eorum memoriam celebrantur. 6°. Pinguntur eorum imagines, addito quodam lumine in signum gloriæ, quam consecuti sunt in cœlo. 7°. Eorum reliquiæ publice honorantur.

Hæc vero canonizatio non modo nihil idololatriæ redolet; sed S. Scripturæ conformis, ac utilis est. Nam 1°. Deus ipse voluit a Scriptoribus sacris notari gloriosam vitam et mortem eorum, qui tempore ipsorum floruerunt, ut patet de Ecclesiastico c. 44. quasi canonizante plures: item S. Luca declarante sanctitatem S. Stephani, Jacobi Majoris, etc., in Act. Apost. 2°. Deus

vult Sanctorum virorum asservari memoriam Eccl. 44. 15. *Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia.* Ipsemet item servos suos honorare decrevit 1. Reg. 2. 30. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* 3°. Sancti sunt exempla virtutum, norma rectæ vitæ, provocant ad imitationem; igitur scire convenit in particulari, qui sancti sint, quid egerint, passique fuerint; hoc habetur per canonizationem. Plura de his legant adversarii tum in Bellarm. *de Sanctor. beatit.*, tum in recentiori opere Prosperi de Lambertinis Cardin. ac postea summi Pontificis sub nomine Benedicti XIV. *de Beatificat. Servorum Dei.* Opinor, erroneas ideas de canonizatione Sanctorum deponent.

*Ad prob.* 2am. R. *N.* Cumprimis hos honores divinos esse; nam honoratio omnis ac in genere, tribus perficitur actibus; ut obiter supra notavimus. Primus est intellectus apprehendentis excellentiam personæ. Alter voluntatis, quæ se inclinat, ac subjicit. Tertius est externus corporis, ut laudatio, detectio, inclinatio capitis, etc., quibus exprimitur actus interior. Primus requiritur tantum tanquam prævium quid; ut enim quis prudenter colat alterum, eum esse honore dignum, scire debet. Tertius non est absolute necessarius, ut dictum. Igitur honoratio consistit maxime in actu illo voluntatis.

*Hinc* jam se pandit *discrimen* inter honores divinos, et non divinos; sive *latriam* et *duliam.* In cultu enim latriæ 1°. intellectus attingit Deum, ut principium, auctorem omnium, ipsorumque sanctorum; ut Dominum supremum, finem ultimum; verbo, excellentiam divinam; ideoque 2°. voluntas se ei plene subjicit; unde 3°. et corpus hujus summæ prostrationis internæ ponit signa exterius: laudat, se inclinat, flectit genu, etc. Hæc signa licet ex se indifferentia sint ad cultum latriæ, et duliæ; namque usque adeo in cultu politico serviunt erga principes; hic tamen per illos actus internos intellectus ac voluntatis determinantur ad latriam, evaduntque honores divini.

At quoad sanctorum cultum, intellectus 1°. eos repræsentat, non ut auctores rerum, etc. sed ut Dei servos, et amicos, supernaturalibus donis a Deo ornatos; hinc 2°. voluntas ab illa eorum excellentia movetur, propterque Deum se demittit, iis reverentiam exhibendo; ac 3°. corpus signa externa reverentiæ ponit, non jam ex se determinata ad latriam, ut sacrificium; sed omni alias honorationi, etiam politicæ, communia, ut sunt detectio capitis, genuflexio, statuæ, etc.: quæ proin ab actibus internis ad duliam determinantur. Sed quæ jam in iis idololatria? numquid non iisdem reverentiæ signis colimus principes, quin idololatriam sapiant, quod hic per actus internos determinentur, ut sint signa cultus politici? Quare postremum respondeo adversariis, quod Augustinus ethnicis objicientibus, quod Christiani colerent angelos, in Ps. 96. *Utinam et vos illos colere velletis! facile enim ab ipsis disceretis, non illos colere, id est, non colere ut Deos, sed ut Sanctos.*

497. *Obj. IV.* Invocatio sanctorum est injuriosa Christo; ergo. *Prob. Ant.* 1. ad Tim. 2. 5. *Unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus;* ergo injuriam ei facit, quicumque per alium ad Deum accedit. *Conf.* 1. S. Ambros. in c. 1. ad Rom. v. 22. ait: *Ad Deum autem promerendum...*

*suffragatore non opus est; sed mente devota. Conf.* 2. S. Aug. L. 2. cont. Parmenian. c. 8 n. 15. *Si* (Joannes), inquit, *ita diceret : Hæc scripsi vobis, ut non peccetis, et si quis peccaverit, mediatorem me habetis ad Patrem, et ego exoro pro peccatis vestris* (*sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit episcopum inter populum et Deum*), *quis eum ferret? quis sicut Apostolum Christi, et non sicut antichristum intueretur?* Ac infra n. 16. *Si esset mediator Paulus, essent utique et cœteri coapostoli ejus, ac sic multi mediatores essent; nec ipsi Paulo constaret oratio qua dixerat : Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus;* ergo vult tantum unum esse mediatorem.

R. *N. A.* Neque enim invocamus sanctos, ut fungantur vice Christi, vel adjuvent Christum; sed nos, quo facilius per Christum impetremus postulata; si enim propterea liceat, ex dictis in Conclusione invocare viventium orationes sine Christi injuria, cur non sanctos? Unde

*Ad prob.* R. 1°. Probas nimium, et contra Apostolum, viventes invocari non posse.

R. 2°. *D. M.* Unus est mediator noster, solutione pretii pro redemptione nostra *C.* intercessione *N.* Potest quis esse mediator duplici modo, 1. solvendo creditori pro debitore; 2. orando creditorem, ut remittat debitum. Primo modo solus Christus est mediator Dei et hominum; et hoc modo Apostolus loquitur, ut patet ex eo, quod subdit : *Qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis;* tum inde, quod scribat ad Timotheum Ephesi episcopum, ubi tunc grassabatur Simonis magi hæresis, angelos introducens loco Christi. Secundo modo plures esse possunt. Porro Christus unus est mediator summus, universalis, principalis noster, etiam *intercessione*; qui et pro ipsis sanctis intercessit : angeli vero et sancti sunt secundarii; etiam per Christum orando pro nobis.

*Ad Conf.* 1am. R. S. Ambr. ibi agere contra ethnicos, qui colebant astrorum cursus, quos et reprehendit, quod conservos et creaturas colant honore Dei. Dumque subdit : non esse opus suffragatore; intelligi debet ex parte Dei, velut dicat : Deus interpretibus non eget; per se ipsum omnia videns, et intelligens. Utile enim esse invocare sanctos, ex ipso constat Ambrosio, L. de Vid. cit.

*Ad Conf.* 2am. S. Aug. ibi *Donatistas* aggredi, volentes, gratiam sacramenti pendere a sacerdote, ita ut sacerdos bonus baptizans sanctificaret ipse; malus contra polluereet; talem mediatorem episcopum posuerat Parmenianus, talemque ceu Antichristum rejicit Augustinus; quia talis mediator est quodammodo redemptionis; unde docet, plebem esse securam, sive a bono, sive a malo baptizetur; quia unus est mediator hominum et Dei *Christus :* non sacerdos juxta mentem *Donatistarum;* nequidem Apostoli. Cæterum de Aug. mente ex hactenus dictis satis constat.

*Si dicas* demum : Variæ historiæ sanctorum sunt apocryphæ ut *Georgii, Catharinæ,* etc.; ergo fit superstitio. Item Scriptura nusquam invocationem illam præcipit; ergo.

*Ad* 1um. R. Esto, quorumdam sanctorum historias nonnullas esse incertas; non ideo incertum sanctos ipsos extitisse. Vel, si quorumdam existentia dubia maneat adversariis, colant igitur, qui certo extitere, Petrum, Jacobum, Stephanum, etc.

*Ad* 2um. R. *N. Cons.* Neque hoc quæritur, an præcepta sit sanctorum invocatio? non enim, fatemur, id in Scriptura præcipitur; sed nec Ecclesia tanquam necessariam præcepit ad salutem. Sed id solum quærebatur: piumne, licitum, ac utile sit sanctos colere et invocare? hoc solum declaravit, ac definivit Ecclesia, vultque TRIDENTIN. Sess. 25.

## ARTICULUS III.

### AN, ET QUO CULTU S. CRUX; ITEM SANCTORUM RELIQUIÆ VENERANDÆ?

Ex inimicis S. Christi crucis primus Julianus apostata Christianos suggillabat, quod, contemptis gentilium diis, vile crucis lignum, ejusque signum colerent. Iconomachi veteres, utut furore contra SS. imagines rapti, Domini crucem tamen in honore habuerunt; uti et SS. reliquias sanctorum. Primus e Christianis violandæ crucis, ac e Basilicis exturbandæ auctor fuit Claudius Taurinensis, qui reliquias sanctorum honorari non sustinebat; quem posterioribus seculis secuti *Wiclefistæ*, *Lutheri* ac *Calvini* sectarii. Contra quos

498. *Dico I.* Crux Christi, tam vera, h. e. ipsa illa in qua crucifixus est, quam alia sculpta aut picta, ad priorem repræsentandam formata, veneranda est.

*Pars* 1a. *prob. usu et auctoritate totius Ecclesiæ;* quæ S. crucem, ut primum S. HELENÆ opera circa annum 326. inventa fuit, non absque miraculis, singulari honore venerata fuit. Nam teste S. CYRILLO HIEROSOLYMITANO circa id tempus vivente, epist. ad CONSTANTINUM imperator., item Catech. 4. et 13. ex toto orbe, ad adorandam crucem, Christianus populus confluxit, S. AMBROS. orat. de obitu Theodosii M. n. 48. *Sapienter*, ait, *Helena egit, quæ crucem in capite regum locavit, ut crux Christi in regibus adoretur*. Particulas sanctæ crucis auro inclusas, religionis causa, e collo suspendi S. CHRYSOST. asserit hom. quod Christus sit Deus n. 10. (opp. t. 1. p. 571. E.) crucem in Basilica Hierosolymitana quotannis cum Pascha Domini agitur, ad publicam venerationem expositam fuisse, S. PAULIN. testatur epist. 11. (al. 31. n. 6.) ad Severum Sulpitium. Plura de ejus cultu referunt scriptores plerique, SULPIT. SEVER. L. 2. Hist. sacr., RUFFIN., SOCRATES, SOZOMENUS.

*Idem evincit ratio.* Nam 1°. si locus, in quo angelus stetit Jos. 5., Exod. 3., terra sancta esset, quanto magis crux, in qua Christus pependit? Item; si in honore essent S. PAULI sudaria, semicinctia ob contactum, cur non potius crux Christi respersa sanguine? 2°. Christus crucem sponte elegit ut aram summi illius sacrificii sui, ut instrumentum redemptionis nostræ, Patrem *pacificans per sanguinem crucis*, ad Coloss. 1. 20. 3°. Cruce vicit diabolum, deque eo triumphavit: *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis,... tulit de medio, affigens illud cruci, et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*, ad Coloss. 2. 14. ORIGENES hom. 8. in Josue n. 3. (opp. t. 2. p. 416. B.) in græcis, ait, haberi: triumphans illos in ligno crucis; at, licet nunc non extet, *in ligno*, sed

ἐν αὐτῷ, *in ipso*, referri tamen ad crucem potest, de qua dixerat ante ἐν τῷ σταύρῳ; ut ait THEOPHYLACTUS.

*Pars* 2ª. *prob. eodem universali Ecclesiæ usu.* Nam 1°. THEODORETO teste serm. 6. cont. Gent. (opp. t. 4. p. 580. A.), Græci, Romani, ac barbari, crucifixum profitentur Deum, *crucisque signum venerantur*. 2°. Crucis etiam pictæ adorationem ex antiqua Ecclesiæ traditione esse, usque adeo veteres agnoverunt Iconomachi, teste S. JOANNE DAMASC. orat. 2. de imaginibus n. 19. 3°. Ex reverentia in S. crucem, imperatoria lege sancitum fuit, signum illud Salvatoris Christi nemini licere vel in solo, vel silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere; L. *Nemini* c. de SS. Eccles. Quod ipsum TRULLANA Synodus Can. 73. (Labb. t. 6. p. 1176.) decrevit sub pœna anathematis: *Cum crux nobis vivifica salutare ostenderit; nos omne studium adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapsu salvati sumus, eum quem par est honorem habeamus; unde et mente, et sermone, et sensu adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quæ a nonnullis in solo ac pavimento fiunt omnino deleri jubemus, ne incedentium conculcatione, victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur.* Ubi simul rationem dat adorandi crucem. Plura ejusmodi testimonia de religioso crucis cultu offert historia Ecclesiastica, BELLARM. de Eccles. Triumph. L. 2. c. 28., PETAV. L. 15. c. 9. aliique.

Inde etiam *comprobatur usus crucis manu formatæ* a primis Ecclesiæ seculis. *Ad omnem progressum, atque promotum*, ait TERTULL. L. de Cor. milit. c. 3. *ad omnem aditum et exitum... quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* S. CYRILL. Hierosolym. catech. 4. n. 14. *Non erubescamus*, ait, *crucem Christi; sed, licet alius hanc celet, tu tamen palam in fronte signa te, ut dæmones, signo illo regio conspecto, trepidantes fugiant. Fac vero hoc signum, dum manducas et bibis, sedes, recubas, exsurgis, loqueris, ambulas; verbo dicam, in omni negotio.* S. ATHANAS. de Incarn. Verbi Dei n. 48. *Veniat et quisquis ea quæ diximus experiri cupit, atque in mediis ipsis dæmonum præstigiis et oraculorum fallaciis, ac magiæ prodigiis, signo crucis... utatur, solumque Christum nominet: mox videbit quam cito per ipsum fugentur dæmones, cessent oracula, ars omnis magica veneficiaque evanescant.* Similia habet ibid. n. 31. et 55. S. AUGUSTINUS in Joan. Tract. 11. n. 3. *Intendat et intelligat charitas vestra. Si dixerimus catechumeno, Credis in Christum? respondet, Credo, et signat se: jam crucem Christi portat in fronte, et non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credidit in nomine ejus.* Et serm. 88. n. 8. (al. de Verbis Domini 18.): *Qui ipse honoraturus erat fideles suos in fine hujus seculi, prius honoravit crucem in hoc seculo; ut terrarum principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi: et quod cum magna insultatione persecutores Judæi Domino procurarunt, magna fiducia servi ejus, etiam reges in fronte nunc portant.* V. PETAVIUM L. 15. c. 10.

499. *Obj. I.* Crux Christo dolorem et ignominiam attulit; ergo coli non debet; stolidus enim et impius foret filius, qui honoraret ac amaret patibulum, in quo pater pependisset.

R. 1°. Crux etiam Christo lætitiam et gloriam attulit, ob diabolum devictum, et redemptum humanum genus; quæ lætitia et gloria tanta fuit, ut priorem ignominiam et dolorem absorbuerit, teste Apostolo: *Humiliavit*

*semetipsum factus obediens usque ad mortem... crucis; propter quod et Deus exaltavit illum.* Hinc

R. 2°. *D. Cons.* Ergo coli non debet ex eo præcise titulo, sive ut instrumentum doloris et ignominiæ *C.* ex aliis titulis, ut instrumentum exaltationis Christi, victoriæ, triumphi, gloriæ ejus *N.*

*Ad prob.* R. *D.* Si patibulum solam haberet ignominiæ rationem ob patris delictum *C.* si gloriam, ut si pater in eo mortuus esset fortiter pro fide, aut patria *N.* Ejusmodi enim occisorum instrumenta passionis, ceu monimenta virtutis, filii et amici conservant.

*Inst.* 1. Sed honorare crucem et amare, est imitari hostes Christi, qui in ea sibi complacebant, amicis Christi de ea dolentibus.

R. *N. assert.* Hostes Christi sibi complacebant in cruce, ut fuit instrumentum infamiæ et doloris Christo; nos vero, ut fuit instrumentum gloriæ, ad exemplum S. Pauli dicentis : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*, ad Gal. ult.

*Inst.* 2. Cum Cæcilius gentilis objecisset Minutio Felici in Octavio, quod Christiani colerent cruces, hic respondit universaliter : *Cruces nec colimus, nec adoramus*; ergo primi Christiani non colebant crucem.

R. *D.* Cruces nec colimus, nec adoramus, modo quo putabant gentiles *C.* non colimus modo alio *N.* Minutius Felix refutat gentiles existimantes, Christianos crucem colere ut Deum, ac venerari omnes cruces, etiam destinatas reorum suppliciis; proinde recte negat, nos colere ejusmodi cruces. Idem etiam Julianus apostata objecerat; ex quo proinde cultus sanctæ crucis in primitiva Ecclesia viguisse colligitur.

*Inst.* 3. Saltem ob sanctam crucem, ineptum erit colere cruces alias. *Prob.* Si ob sanctam crucem colendæ sunt cruces aliæ; ergo pariter colenda essent omnia sepulcra, clavi, virgæ, columnæ, præsepia, ob sepulcrum Christi, clavos, virgas, columnam, cui alligatus fuit, et præsepe; item, omnes cruces fortuito e nubibus, paleis, etc., formatæ coli deberent; sed hoc ridiculum est.

R. *N. ass. Ad prob. N. seq.* 1am. Illa enim, quæ alios insuper usus habent, quam repræsentationem Christi, inconveniens est hoc ipso passim, colere, ob indignitatem, quam ex alio usu contrahunt; ac formata ad usus alios non habent rationem imaginis, vel repræsentationis Christi. Quando vero formatur præsepe ad repræsentandam Christi nativitatem; vel columna (idem est de aliis), ad repræsentandam Christi flagellationem; quia tunc habent rationem imaginis, non carent veneratione sua. *N. item seq.* 2am. quia non sufficit similitudo quæcumque pure materialis cum Christi cruce; sed formalis esse debet, sive intenta ad repræsentandam crucem Christi; quæ similitudo non habetur in istis, v. g. nubibus casu in formam crucis coeuntibus, etc.

500. *Obj. II.* At certe 1°. idololatriam sapit illa crucis invocatio, qua utitur Ecclesia : *O crux ave, spes unica, auge piis,* etc. 2°. Crucis adoratio ex se cultum superstitiosum involvit; ergo. *Prob. Ant.* Omnis enim cultus religiosus procedit ex interno affectu animi, submittentis sese rei, quam colimus; at non potest se voluntas submittere cruci, quia est res inanimata, irrationalis, proindeque cultus interioris incapax.

*Ad* 1$^{um}$. R. *N.* Quia per crucem tropice intelligimus Christum.

*Ad* 2$^{um}$. R. *N. Ant. Prob. D.* Omnis cultus religiosus absolutus sic procedit *C.* relativus, qui rem ita attingit cultu et submissione externa, ut tamen submissio interior ad Christum feratur *N.* Crucem colimus vere ac proprie cultu relativo; quia non solum signum externum, genuflexio, etc., sed etiam affectus internus *submissionis externæ* ad eam refertur; cum enim imago colitur, honorans vult exhibere submissionem externam imagini, ad testificandum exemplari, vel ei, quem repræsentat, affectum submissionis internæ, ob ejus propriam excellentiam et superioritatem, et ad testificandum externe ejus superioritatem, per submissionem externam ejus imagini, ad quam dicit specialem habitudinem.

Hinc in adoratione crucis, sicut cujusvis sacræ imaginis in genere, duplex intervenit affectus internus submissionis : 1°. *internæ*, estque actus voluntatis, quo voluntas se affective submittit alteri. 2°. Affectus submissionis *externæ*; estque etiam actus voluntatis imperantis signum externum (genuflexionem) submissionis internæ. Prior affectus transit in adoratione crucis ad Christum solum, estque vera latria absoluta : alter vero immediate ad crucem, perque hanc ad Christum, transit et terminatur; estque cultus, ut diximus, latriæ relativæ.

501. *Dico II.* Adoratio crucis est cultus latriæ relativæ, sive imperfectæ, quæ simul est latria vera absoluta ipsius Christi : consistens in hoc, ut cruci exhibeamus exteriora signa adorationis; ac adoratio interior, quæ est latria vera, terminetur solum ad Christum crucifixum.

*Prob.* Nam 1°. adorationem ipsius crucis non esse latriæ veræ, sive absolutæ et perfectæ, constat ex Syn. Nicena II. sive Gener. VII. Act. 7. (Labb. t. 7. p. 555. A.), ubi docent Patres his imaginibus universim, *honorariam adorationem tribuendam; non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impartiendam; ita ut istis, sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ crucis, et sanctis evangeliis, et reliquis sacris monumentis, incensorum et luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur.* Et ratio est; quia de latriæ veræ essentia est, exhiberi propter se, ut Bellarm. ait, Deo tanquam principio primo et fini ultimo; est enim cultus absolute supremus. 2°. Esse tamen latriæ relativæ respectu crucis, et simul absolutæ respectu Christi, inde evincitur; quia colere crucem, est ei honorem externum ac submissionem externam exhibere, propter excellentiam ac superioritatem ejus, quem repræsentat, ut huic testificemur subjectionem nostram internam, ac simul exterius ejus excellentiam profiteamur; sed hic cultus imprimis respectu crucis tantum relativus est, ut patet; cum hæc signa externa illi non propter se præcise tribuantur, sed propter eum, quem repræsentat, et in quem actus noster interior tendit spiritu et fide; est tamen simul latria absoluta Christi; cum enim coram cruce procumbimus, Christum adoramus, ad testificandam ei submissionem nostram summam propter infinitam ejus excellentiam; sed talis cultus est latriæ veræ, absolutæ; ergo.

502. *Dico III.* Licitus item, pius, ac utilis est reliquiarum Christi ac sanctorum cultus. Est de fide.

*Prob. I.* S. Scripturæ exemplis : Matth. 9. Hæmorrhoissa fimbriam vestimenti Christi devote tangit. Actor. 5. ad attingendam S. Petri umbram, quo possent modo, concurrebant ægri. Actor. 19. ad ægros ferebant sudaria S. Pauli. At nec mulier illa reprehensa idcirco a Christo, nec reliqui ab Apostolis damnati idololatriæ fuerunt; quod alioquin, si idololatria fuisset, certo nec omisisset Christus, nec Apostoli. Quin in præmium, non sine miraculo, retulerunt sanitatem. Quod isti fecerunt, idem faciunt, qui reliquias colunt.

*Prob. II.* Ex perpetuo usu totius post Apostolos Ecclesiæ; qui constat 1°. ex Conciliis omnium orbis terræ partium. Ex Oriente Concil. Nicæn. II. Act. 3. (Labb. t. 7. p. 183. D.) reliquias vocat *fontes salutares*, quibus Deus multa hominibus confert beneficia. Act. 7. (id. ibid. p. 558. A.) jubet deponi clericum, et laicum excommunicari, qui reliquias contemnit martyrum, et non ut rem sacram cum honore tractat. Ex Africa Carthagin. V. Can. 14. (id. t. 2. p. 1218.) jubet ut nulla erigantur altaria, nisi ibidem sint aliquæ martyrum reliquiæ. Porro ex Hispania Braccarense IV. Can. 6. (id. t. 6. p. 565.) in supplicationibus thecam reliquiarum levitarum humeris gestari statuit; vel si etiam episcopus reliquias per se deportare elegerit, ipsum a diaconibus in sellulis vectari prohibet. His adde Epaonense in Gallia, Can. 25. (id. t. 4. p. 1579.), Moguntinum (id. t. 7. p. 1252.) in Germania tempore Caroli M. Can. 51., Lateranense in Italia sub Innoc. III. Quibus accessit Trident. Sess. 25. 2°. Hunc testatur honorifica reliquiarum translatio, variis temporibus facta : earum sub altaribus asservatio, et similia.

*Prob. III.* Cultus hujus sanctitatem evincunt 1°. Miracula. Sic S. Ambros. epist. 54. (al. 22. n. 9.) et Augustinus Confess. L. 9. c. 7. referunt miracula patrata in translatione SS. MM. Gervasii et Protasii; idem S. Aug. L. 22. de Civit. c. 8. ea prodigia narrat, quæ facta sunt in translatione S. Stephani, etc. 2°. Ipsa ratio; quia, cum pium sit ac utile colere sanctos, etiam pium ac utile erit honorare eorum corpora, quæ fuerunt templa Spiritus sancti, et organa sanctarum animarum, ac instrumenta virtutum; et honos ipsis delatus in ipsos redundabit sanctos, quorum sunt pretiosæ exuviæ.

Ne vero adversarii nostri criminari possent, reliquiarum cultum fraudibus et periculis esse expositum, providit Ecclesia, vetans, ne reliquiæ sine sufficienti examine exponantur cultui fidelium; ac Conc. Trident. Sess. 25. dum inquit : *Statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula; nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, et aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati et pietati consentanea judicaverit*, etc.

Porro sacræ reliquiæ tamen non debent honorari cultu absoluto, quia in reliquiis non est excellentia absoluta; nec creatura rationalis debet subjectionem absolutam ex charitate rei inanimæ; sed relativo tantum, quatenus habitudinem vel connexionis, vel contactus dicunt ad eos, ad quos pertinet; ergo solum cultus relativus iis competit, id est, qui illis exhibetur, non tamen in iis sistit; sed ad ipsos transeat, quorum reliquiæ sunt. Sicque proin reli-

quiæ Christi, tunica, spinæ, clavi, etc., cultu latriæ relativo, ut supra de cruce dictum; aliæ sanctorum relativo duliæ colendæ sunt.

503. *Obj. I.* Ex S. Scriptura. Hæc reprobare videtur cultum reliquiarum; ergo. *Prob. Ant.* 1°. Matth. 23. reprehendit Christus Judæos, quod ornarent sepulcra Prophetarum. 2°. Deut. ult. abscondit Deus corpus Moysis, scilicet ne illud Judæi adorarent. 3°. 2. ad Cor. 5. ait Apostolus, post resurrectionem Christi se non nosse Christum *secundum carnem;* ita innuens, oblivioni dandum, quidquid in Christo carnale fuit. 4°. Ad Coloss. 2. damnat omnem cultum arbitrarium, h. e. a Deo non institutum; at reliquiarum cultus non est institutus a Deo.

R. *N. A. Ad prob.* 1am. R. *D.* Reprehendit Judæos ideo præcise, quod sepulcra ornarent *N.* quod, licet ornarent Prophetarum sepulcra, non tamen hos imitarentur, sed potius eos, qui Prophetas occiderunt, struendo etiam ipsi Christo insidias *C.* Sic etiam Judæos arguit Luc. 11. 48. *Profecto testificamini, quia consentitis operibus Patrum vestrorum; quoniam ipsi quidem eos* (Prophetas) *occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra;* sed consentiendo operibus patrum.

*Ad prob.* 2am. R. *D.* Ne illud adorarent adoratione latriæ, in quam propensi erant Judæi *C.* ex alia ratione *N.* Ita S. Chrysost. homil. 5. in Matth. n. 4. (opp. t. 7. p. 89. A.). Judæorum in idololatriam pronitas nimium ex Scripturis patet : at in Christianis tale idololatriæ publicæ periculum non est.

*Ad prob.* 3am. R. *N.* quod hoc velit Apostolus innuere; sed per carnem mortalitas et passibilitas intelligitur; ac sensus est : Si novimus aliquando Christum mortalem et passibilem; nunc non novimus, nisi immortalem et impassibilem : sicut ad Hebr. 5. 7. ait Apostolus idem : *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque,.. offerens, etc.,* sensus est : qui in vita sua mortali. Ita Patres plerique in hunc locum, Chrysostomus, Theophylact., Theodoret., ac Synod. gener. VII. act. 6.

*Ad prob.* 4am. R. 1°. Cultus reliquiarum non est cultus voluntarius, h. e. tantum inventus ab hominibus; sed est inspiratus a Deo, ut ex S. Scripturæ locis citt. in Concl. colligere est.

R. 2°. τὸ εθελοθρησκέιαν ad Coloss. 2. v. 22. non significare cultum quomodocumque voluntarium, h. e. non præceptum a Deo; sed cultum superstitiosum, ut reddit interpres noster : *in superstitione et humilitate* : vel, ut S. Hieron. epist. ad Algasiam, Q. 10., *falsam religionem* : at probare debent adversarii, cultum reliquiarum esse simpliciter inventum humanum, superstitiosum, vel falsum; si cultum illum hic ab Apostolo reprehensum velint.

504. *Obj. II.* At SS. Patribus prioribus incognitus fuit reliquiarum cultus; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1°. Hieron. L. contr. Vigilantium n. 7. objicienti Vigilantio, esse idololatriam, accendere cereos coram reliquiis, nihil respondere aliud potuit, quam id facere solum mulierculas, quæ, verba sunt Hier., *confiteor, zelum Dei habent; sed non secundum scientiam.* 2°. Concil. Eliberitanum Can. 34. (Labb. t. 1. p. 974.) ait, ejusmodi *cereis inquietari sanctorum spiritus.* 3°. S. Aug. L. de Morib. Ecclesiæ c. 34. n. 75. in sepulcrorum

adoratores invehitur. Sic et CLEMENS ALEXANDRIN., TERTULL., aliique Patres carpunt quosdam ob cultum religiosum mortuorum; extructionem sepulcrorum, ac altarium; sed eos carpere non potuissent, si eosdem honores ipsi sanctorum exuviis impendissent; ergo.

R. *N. A. Ad prob.* 1am. R. *D.* Nihil aliud respondere potuit, quia respondebat juxta sensum, quo objiciebat Vigilantius *C.* nihil aliud respondere potuit in sensu alio *N.* Respondebat HIERON. de iis, qui cereos accendunt putantes, inde martyres *illustrari*; nam Vigilantius per ironiam dixerat ibid. n. 4. *Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos.* Hoc igitur sensu eos accendi a mulieribus ait HIERON., quæ zelum habent, sed non secundum scientiam. Quod vero in sensu alio pie accendantur cerei coram reliquiis, HIERON. ipse epist. 109. ad Ripar. n. 1. in argumentum cultus sanctorum affert usum accendendi cereos; et in ipso L. cont. Vigilantium n. 7. *Causabantur*, inquit, *quondam et Apostoli, quod periret unguentum; sed Domini voce correpti sunt; neque enim Christus indigebat unguento, nec martyres lumine cereorum; et tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur: et quicumque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem.*

*Ad prob.* 2. R. Concilium Eliberitanum id dixit, ac prohibuit; quia fiebat more gentilium, quibus tunc mixti Christiani erant. Gentiles vero putabant, cereis evocari defunctorum animas, easque cibis egere et luminibus ad pellendam famem et tenebras. Quod vero Concilium dicat: non esse inquietandos spiritus defunctorum; non hoc vult, spiritus illos revera inquietari; absit: sed displicere illis errorem ejusmodi. Ne igitur Christiani commune quid habere viderentur cum gentilibus, eo tempore Eliberitani Patres non ita pati volebant cereorum usum: nec male; cereorum enim accensio res adiaphora ex se est, ac meræ disciplinæ.

*Ad prob.* 3am. *quoad* 1um. R. S. AUG. tantum invehitur in illud adoratorum genus, qui sacrificium panis et vini, aliorumque ciborum, offerebant quorumlibet defunctorum manibus, et dein cibis iisdem ac vino ad temulentiam usque se ingurgitabant: *Novi*, ait ib., *multos esse sepulcrorum.... adoratores, novi multos esse qui luxuriosissime super mortuos bibant, et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos se ipsos sepeliant, et voracitates, ebrietatesque suas deputent religioni.*

*Quoad* 2um. R. *N. min.* Mortuos enim colebant ut numina, eosque putabant in genios tranformari; ex eoque fine, secus, ac Christiani, teste Aug. supra, eos hoc ritu colebant.

505. *Obj. III.* Si reliquiis debeatur veneratio ob habitudinem connexionis, vel contactus ad Christum ac sanctos; ergo et similiter coli possent labia Judæ Christum osculantis, manus servi percutientis Christum; item asina, cui insedit Christus: at hæc sunt ineptissima; ergo.

R. *N. Seq.* Ut enim res ejusmodi coli possint, duo requiruntur: primum est dicta habitudo connexionis, vel contactus: alterum, ut sint de se innoxiæ, non conjunctæ cum scelere, ac remotæ ab omni indecentia morali; sed hoc in allatis deficit: sic labia Judæ, manus percutientium, partes fuerunt sacrilegorum hominum; asina et hujusmodi, non fuere instrumenta

redemptionis nostræ; et aliunde moralem secum habent indecentiam. Illæ igitur res adversariorum esse reliquiæ possunt, eo usque, dum objicere Catholicis, sine fundamento, et contra L. *Diffamari*, idololatriæ crimen desinant.

## ARTICULUS IV.

### SACRARUM IMAGINUM CULTUS CONTRA ICONOMACHOS TUM VETERES, TUM RECENTIORES ASSERITUR.

506. *Nota I.* Duo in hac controversia distingui debent, *dogma*, et *usus dogmatis*. Dogma, quod præcise dicit, pium ac licitum esse, colere sacras imagines, non potest mutari ab Ecclesia. Usus, sive actualis imaginum cultus, ad disciplinam præcise ecclesiasticam pertinet, et subest dispositioni Ecclesiæ, ut, exigentibus circumstantiis, possit prohibere cultum imaginum; velut piissimus rex Ezechias confringi jussit serpentem æneum, quem, jubente Deo, in deserto erexerat Moyses; quod idololatriæ occasionem daret Judæis.

*Nota II.* Prioribus Ecclesiæ seculis, præsertim tribus primis, rarior fuit imaginum usus, ita exigente quæ tunc nascebatur, et adolescebat Ecclesia; cum enim hæc tum ex gentilibus, tum ex Judæis conversis congregari deberet; usus et cultus imaginum noxius magis Ecclesiæ, quam utilis fuisset; in gentilibus enim, idololatriæ assuetis, periculum esse poterat, ne cultu indebito imagines colerent; in nondum conversis vero, ne criminarentur, quod Christiani ipsi imagines adorarent, cum idolorum cultum contemnerent; tum ne illas profanarent. Judæos vero a sacris christianis deterrere poterant imagines, earumque cultus; quippe qui ex præscripto legis suæ refugiebant imagines, et magis earum cultum.

507. *Nota III.* Nec eadem fuit observantia in Ecclesia, quoad imagines quaslibet, nam 1°. etsi postea pictæ adhiberentur imagines, statuas tamen vix permittebant, velut gentilitiæ superstitionis proprias; sed et Synodus gen. VII. dum probat imagines, expressam quidem mentionem facit de picturis, quæ vel colorum varietate, vel tessellis, et segmentis musivi operis constant; de statuis silet: quanquam quoad se causa videatur esse eadem, picturæ et statuæ; et ab Ecclesia veteri usus statuarum lege universali et expressa proscriptus non fuerit ab initio, ut ex Christi statua apud Cæsaream miraculis illustri constat, de qua Euseb. L. 7. Histor. c. 18., Philostorgius Arianus L. 7. c. 3. 2°. Licet etiam postea invalesceret usus pictarum imaginum Christi et sanctorum, tempore tamen Synodi VII. imago Dei, et SS. Trinitatis nondum in usu fuit; ut constat ex Act. 3. ejusdem Syn. et S. Joan. Damasceno. L. 1. de imaginib.; quin has fieri etiam Patres olim plures vetuerunt, ac Theologi quidam nefas putarunt, ut Tostatus, Durandus; quod Deus, utpote incorporeus, pingi non posset.

Interim pingi nihilominus posse Deum ea specie, qua hominibus apparuit, catholicus nunc consensus obtinuit. Sic pingi potest Deus Pater, ut antiquus dierum; quia sic se spectabilem præbuisse legitur Daniel. 7. Spiritus sanctus in specie columbæ, vel linguarum ignearum dispertitarum;

quia priore modo in baptismo Christi, altero, die Pentecostes Apostolis apparuit. Proinde cum et Dei Filius in carne nostra mortali apparuerit; totam SS. Trinitatem pictura repræsentandi consuetudo, quam reprehendere temerarium videtur, in Ecclesia invaluit; ex paritate rationis sumpta ex Syn. VII. Act. 4., quæ vult angelos, licet corporis expertes, pingi posse humana specie, addita ratione, quia *justis hominibus humana specie apparuerunt*. Et vero imaginem SS. Trinitatis in Basilica S. Felicis depictam versibus jam celebravit S. PAULINUS.

508. *Dico*. Cultus SS. imaginum Christi ac sanctorum, pius et licitus est. Est de fide.

Ita enim definivit 1°. Synod. gen. VII. scilicet NICÆNA II. anno 787. act. 7. *Definimus*, inquiunt Patres de Imaginibus Christi et sanctorum (Labb. t. 8. p. 555. C.) *in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas; tam quæ de coloribus et tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter in sanctis Dei ecclesiis, et sacris vasis, et vestibus, et in parietibus ac tabulis; domibus et viis : tam videlicet imaginem Domini Dei et salvatoris nostri Dei Jesu Christi, quam intemeratæ Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, honorabiliumque angelorum et omnium sanctorum simul et almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam et desiderium, et ad osculum, et ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam....., quæ solam divinam naturam decet, impertiendam... Imaginum enim honor ad prototypum transit : et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti personam*. Et TRIDENTINUM anno 1563. contra recentiores Iconomachos Sess. 25. : *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum, in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur*. Ubi Trident. jam non distinguit inter picturas et statuas.

*Prob. Concl. et definitio Ecclesiæ. I.* Ex S. SCRIPTURA. Exod. 25. jussit Deus, licet alias Judæis ad idololatriam propensis prohibuisset omne simulacrum, ut duo Cherubim aurei ponerentur ex utraque arcæ parte; sed coli arca non poterat, quin duo illi Cherubim, utpote arcæ partes, simul colerentur. Judæos vero arcam maximo esse cultu prosecutos, evidens est ex Scriptura T. V. Nam, missis aliis, Josue 7. 6. *Josue pronus cecidit in terram coram Arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes Israel*. Idem elucet ex 2. Reg. c. 6.

509. *Prob. II.* Ex TRADITIONE, et USU *Ecclesiæ veteris*, etiam primis quatuor seculis, contra ac velit *Calvinus*. Nam 1°. statuam æneam Christi (quæ, prope Paneadem, sive Cæsaream Philippi fuit, quam sanata a Christo Hæmor-

rhoissa ei erexerat) fuisse tempore Juliani apostatæ in templum a Christianis introductam, refert Sozomen. L. 5. cap. 20. Item Nicephor. L. 10. c. 30. Sed hoc certe factum ante annum Domini 500., cum ad eum annum Sozomenus non pervenerit. Sic et Euseb. L. 3. et 4. de vita Constantini refert, in templis a Constantino erectis in Palæstina maximam fuisse imaginum ex auro argentoque copiam. Ac Lactantius, qui sub finem sec. III. floruit, in Carmin. de Pass. Domini, jam tum imaginem Crucifixi fuisse positam in templis, testis est. Porro et in locis subterraneis (catacombes), quæ, prioribus Ecclesiæ seculis, christianorum cœmeteria et oratoria fuisse constat, potiora veteris et novi Testamenti symbola depicta occurrunt, nec non Christi, B. Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, aliorumque martyrum sacræ effigies expressæ reperiuntur, ut videre est apud Aringhi, Roma subterranea, aliosque. Igitur imprimis mos ponendi imagines in Ecclesiis ex prima profluit Ecclesia. Sed etiam cultus, nam

2°. Ex Patribus seculi III. et IV. S. Basilius ep. ad Julianum apostatam relatus ab Hadriano Papa in epist. ad Imperatores, in Syn. VII. act. 2. (Labb. t. 7. p. 110. E.) : *Figuras*, inquit; *imaginum illorum honoro, et palam adoro; hoc enim nobis traditum est a sanctis apostolis, nec est prohibendum*, etc. scilicet quoad dogma; vel etiam usum, ita ut; licet ex datis supra causis non publicæ venerationi exponerentur, privatim tamen imagines jam ante colerent. S. Ambros. orat. de obitu Theodosii n. 48. *Sapienter*, inquit, *Helena egit, quæ crucem Christi in capite regum levavit et locavit, ut crux Christi in regibus adoretur*. Et Lib. de Incarn. Domin. Sacram. c. 7. n. 71. *Numquid cum in eo* (Christo) *imaginem Dei, crucemque veneramur, dividimus eum?* Lactant. sec. III. de quo ante, Carm. de Pass. Dom., de cruce : *Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora*. Imaginem S. Martyris Cassiani in ipso altari positam fuisse, et ad eam Christianos preces fudisse narrat Prudentius, Peristeph. hymn. 9. vers. 5. et seq.

*Stratus humi, tumulo advolvebar, quem sacer ornat*
*Martyr dicato Cassianus corpore.*
*Dum lacrymans mecum reputo mea vulnera et omnes*
*Vitæ labores ac dolorum acumina,*
*Erexi ad cœlum faciem; stetit obvia contra*
*Fucis colorum picta imago martyris.*

. . . . . .

*Ædituus consultus ait : quod prospicis, hospes,*
*Non est inanis aut anilis fabulæ.*
*Historiam pictura refert.....*
*Hæc sunt quæ liquidis expressa coloribus, hospes,*
*Miraris : ista est Cassiani gloria.*
*Suggere, si quod habes justum vel amabile votum,*
*Tibi si qua spes est, si quid intus æstuas,*
*Audit, crede, preces martyr prosperrimus omnes.*

. . . . . .

*Pareo, complector tumulum, lacrymas quoque fundo,*
*Altar tepescit ore, saxum pectore.*

S. Gregor. Nazianz. orat. 25. n. 2. testatur, angelos corporea forma cum candore et splendore vestium pingi ad designandam naturalem ipsorum puritatem. Asterius Amazenus orat. de S. Euphemia (Labb. t. 7. p. 487. E.): *Mulier*, ait, *quædam fuit sacra virgo, incorruptam Deo pudicitiam vovens, quam Euphemiam vocant. Cum autem tyrannus aliquando pios persequeretur, satis prompte mortis elegit periculum. Porro cives et communicatores religionis, pro qua et mortua est, utilitatis lege sacram virginem admirantes, juxta sacrarium sepulcro dedicato, et arca posita, honores ei concelebrant, et annuatim diem festum faciunt et solemnem. Denique... pictor pie agens et ipse, per artem secundum vires, totam ejus historiam in sindone figurans, circa sepulcrum ejus posuit sacrum spectaculum.* Et infra (ibid. p. 490. E.): *Lacrymor hinc, et mihi passio sermones recidit. Sanguinis enim guttas ita pictor liquido coloravit, ut diceres eas veraciter a labiis fluere, et lamentis affectus abires..... Orante autem ea, videtur super caput signum, quod lex est christianis adorandi.*

3°. Ex Patribus V. seculi. S. Gregor. Nyss. orat. de S. Theodoro (opp. t. 3. p. 579. C.) scribit parietes Basilicæ hujus martyris picturis decoratos fuisse, quibus ejusdem certamina coloribus expressa visebantur. S. Hieronymus epist. 108. de laudibus S. Paulæ n. 9. *Prostrata*, ait, *ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* S. Augustinus serm. 94. de Diversis (al. 316. n. 5.): *dulcissima pictura est hæc* (al. *hic*), *ubi videtis S. Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem.* S. Paulinus Nolanus in Italia, ac Severus Sulpicius in Gallia conditas a se Basilicas picturis et imaginibus exornarunt, ut colligitur ex Paulin. epist. 32. Idem S. Paulinus in carmine Natal. IX. de S. Felice v. 511. et seqq. narrat se in Basilicæ porticibus Testamenti veteris historias pingendas curasse. Cur autem ita fecerit, rationem hanc affert (ibid. v. 542. — 595.); quod ad celebrandum S. Felicis diem festum ingens rusticorum et imperitorum turba confluat, quæ cum legere nesciat, librorum instar pictas istas figuras habeat; sicque sanctas historias legenti castorum operum, piis inducta exemplis, honestas subrepat. Theodoretus in vita S. Simeonis Stylitæ testatur, Romæ passim in officinarum propylæis erectas fuisse sancti illius imagines, ut hanc sibi tutelam et præsidium adjungerent. Omitto plures. De posterioribus seculis non est, quod laboremus; cum in illis fuisse imaginum cultum, non negent adversarii.

510. *Prob. III. Ratione.* 1°. Si enim imperatorum ac regum imaginibus cultus exhibendus est civilis; cur non imaginibus Christi, B. Virginis, ac sanctorum aliorum cultus religiosus, ob excellentiam sacram eorum, quos repræsentant? 2°. Cultus ille in se nihil habet illiciti, ut constat ex ejus expositione facta a Syn. VII., et Tridentino supra. Quin 3°. honor imaginis in prototypum resultat, sicut contemptus, communi æstimatione hominum, et dicente S. Ambros. in Psalm. 118. serm. 10. n. 25. *Qui imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit; et qui statuam contempserit... Imperatoris, Imperatori utique... fecisse videtur injuriam.* 4°. *Calvini* sectarii ex disciplina sua curare debent, ut *cœnam Domini*, sive Eucharistiam suam sumant summa humilitate, ac reverentia; adeoque religioso cultu; sed hæc, juxta eorum placita, merissimus panis est,

et figura mera Christi corporis, quod tantum figurate repræsentat. Quid ergo cultum religiosum, de quo hactenus, carpunt in Catholicis? Nec dicant, figuram illam esse institutam a Christo; nam ex hoc tantum sequitur : cultum, qui figuræ, qualis etiam imago est, impenditur, nihil in se illiciti et erroris continere; alias Christus non dixisset : *hoc facite.*

511. *Obj. I.* Ex S. Scriptura. Exod. 20. 4. districte prohibet Deus fieri sculptile, vel imagines : *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, quæ in terra deorsum,* etc.; ergo a fortiori prohibet cultum sculptilis, vel imaginis.

R. *D. Ant.* Prohibet fieri sculptile, vel imaginem simpliciter et absolute *N.* nam Deus ipse fieri præcepit imagines duorum Cherubinorum, Ex. 25. 18.; serpentem æneum, Num. 21. 8., qui figura fuit Christi crucifixi, Jo. 3. 14.; Salomon novas Cherubinorum imagines sculpi fecit in templo, 3. Reg. 6. ac in parietibus pingi : nec propterea reprehensus a Deo; sed is templum implevit majestate. Prohibet sculptile, imagines fieri, aut similitudinem, quæ vel pro diis habeantur; vel in quibus tanquam dii colantur, qui non sunt Deus; vel denique in quibus numinis aliquid, vel divinæ virtutis inesse credatur *C.* Ideo enim præcipit v. 2. *Ego sum Dominus Deus tuus;* et v. 3. *Non habebis deos alienos coram me;* sive sit imago rei cœlestis, ut Solis, Lunæ; sive terrestris, ut hominis, bestiæ, cujusmodi adorabant gentiles; non habebis pro Deo coram et contra me. Ideo etiam causa datur in seq. v. 5. *Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes.* Ergo tantum intendit Deus prohibere idololatriam; et hæc omnia : *Ego sum Dominus Deus tuus... non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, etc.,* sunt tantum unum præceptum, quibus idem prohibetur, scilicet idololatria; et per hæc quidem : *non habebis deos alienos,* prohibetur actus idololatriæ interior; per illa : *non facies tibi sculptile, etc.,* actus exterior.

*Neque dicas* cum Calvino : falsum esse, quod gentiles ipsa sua simulacra coluerint ceu Deos, ut supponit responsio; nam quis adeo stupidus et barbarus sit, ut putet lignum, lapidem, et similia esse adoranda? Nam

R. 1°. Si etiam primo non adorassent ipsa simulacra in se, sed in iis deos suos; jam rei fuissent.

R. 2°. *N.* Id falsum esse de gentilibus universim; etsi enim ex his quidam sagaciores reliquis idolorum inanitatem cognoscerent, ac eorum ceu Deorum cultum riderent, ut fecisse fertur Socrates; plerique tamen cæteri stolida illa opinione laborabant; quin ipsi idololatræ Judæi, ut de his discimus ex Scriptura, Exod. 32. 4. ubi conspecto vitulo aureo, quem fecerant, conclamabant : *Sunt dii tui, Israel.* Et Deut. 32. 17. *Immolaverunt dæmoniis, et non Deo.* Ergo in idolis sibi verum Deum repræsentabant. Idem patet ex Levit. 19. 4. *Nec deos conflatiles faciatis vobis.* Item 4. Reg. 2., Jerem. 2.

De gentilibus *constat* 1°. ex ipsa S. Script. Baruch. 6. 3. *Videbitis in Babylonia deos aureos, et argenteos, et lapideos, et ligneos in humeris portari.. Hi autem non liberantur ab ærugine et tinea... Unde vobis notum sit quia non sunt dii.* Et Dan. 14. 5. *Dixit rex ad eum : Nonne videtur tibi esse Bel vivens Deus? Annon vides, quanta comedat et bibat quotidie? Et ait Daniel arridens : ne erres Rex; iste enim intrinsecus luteus est, et forinsecus æneus; neque comedit aliquando.* 2°. Ex ipsa confessione gentilium conversorum; ita

ARNOBIUS L. 1. cont. gent. c. 39. *Venerabar*, inquit, *o cæcitas, nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus deos et ex malleis fabricatos..* et infra : *tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, et beneficia poscebam nihil sentiente de trunco : et eos ipsos divos, quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumeliis gravibus : cum eos esse credebam ligna, lapides, atque ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materia.* 3°. Idem testatur AUG. de gentibus, L. 3. de Doctr. Christ. c. 7., LACTANT. L. 2. c. 2.

512. *Obj. II.* Ex SS. PATRIBUS. Ex his 1°. S. IRENÆUS L. 1. c. 25. n. 6. inter errores *Carpocratis* numerat, quod coleret imaginem Christi. 2°. TERTULLIANUS L. de idololatria c. 3. ait, diabolum seculo intulisse artifices statuarum, et imaginum, et omnis generis simulacrorum. Et ibid. cap. 5. præoccupans objectionem, quæ sibi fieri poterat, nimirum : Deum jussisse fieri simulacrum serpentis ænei; respondet, Deum hic in sua lege dispensasse; et subdit : *ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi et tibi Deus jusserit.* Præterea L. cont. Hermog. c. 1. huic tanquam grave crimen objicit artem pingendi; ac L. de Spectac. c. 23. illicitum censet, facere imaginem Dei, qui omnem similitudinem fieri vetat. 3°. CLEMENS ALEXANDR. L. 5. Stromat. (opp. p. 559. C.) et in Protrept. (ibid. p. 41. B.) ait jam a Moyse vetitam omnem imaginem; ac L. 6. Strom. (ibid. p. 687. D.) carpit pictores, ceu fures. 4°. S. EPIPHANIUS epist. ad Joann. Jerosolymit. (opp. t. 2. p. 317.) narrat se in vico quodam invenisse velum pendens in foribus ecclesiæ, depictam habens imaginem quasi Christi, vel sancti cujusdam, quod scidisset; quod ibi viderit contra auctoritatem Scripturarum imaginem hominis. 5°. S. GREGORIUS M. in duabus ad Serenum epistolis, eum reprehendit, quod imagines fregisset; sed laudat, quod adorari non permisisset : utpote quæ solum ad historiam, memoriam, doctrinam populi positæ.

R. Ad singulos : S. IRENÆUS arguit Carpocratem, quod imaginem Christi eo modo, quo gentes idola, coleret; scilicet sacrificiis; ut declarat Irenæus ipse addens : *et relinquam observationem circa eas, similiter, ut gentes faciunt.* Et clarius EPIPHAN. hær. 27. n. 6., AUG. hær. 7. Deinde, non sine contumelia Christi, ejus imaginem apponebat illis gentilium poetarum et philosophorum, Homeri, Platonis, Aristotelis.

TERTULLIANUS in *primo loco* contra idololatras agit, qui imagines tanquam deos, aut Deo plenas, sacrilego cultu adorabant. Cumque ferventioris esset indolis, in artifices ipsos invehitur; quod nos non moramur.

In *altero loco* : non hoc asserit, omnis confectionem imaginis esse prohibitam; sed solum, quæ esse posset populo, in idololatriam proclivi, occasio peccandi, et scandalum. Unde et per simulacrum prohibitum, illud intelligit, quod est ad idololatriam confectum, ut ipse declarat ibid. c. 6. *Potes..... verum Deum prædicare, qui falsos facis? Facio, ait quidam, sed non colo... imo tu colis, qui facis ut coli possint.*

Sic et *contra Hermogenem* non hoc vult, artem pingendi, et sculpendi esse absolute prohibitam; sed in quantum idololatriæ subservit, aut labendi in illam præbet periculum; alias fatetur licitam, L. de Idololat. c. 8. *Habent* (artes pingendi, sculpendi) *et alias species, quæ sine exorbitatione disciplinæ, id est, sine idoli confectura, opem victus præstent.*

*Quoad postremum* vero, putavit TERTULLIANUS, sicut et alii volunt, quas-

cumque imagines, saltem lege Synagogæ, fuisse Judæis, ob eorum in idololatriam pronitatem, prohibitas : ac quoniam TERTULLIANI tempore idem periculum esse poterat, ne erroneam de Deo opinionem conciperent, si, qui incorporeus est, depingeretur coloribus, velut corpus habens; nolebat fieri imaginem Dei; quod et alii Patres nolebant.

CLEMENS ALEXANDRIN. primo et secundo loco adversus Deorum imagines loquitur; Lib. 5. enim Strom. (opp. p. 559.) genuina ejus verba sunt : *non esse gestandos annulos; neque deorum imagines esse iis insculpendas, præcipit Pythagoras : sicut Moyses multis ante seculis aperte legem sanxit.* Cæterum etiam CLEM. ALEXANDR. cum aliis non ferebat pacate, fieri imagines Dei, ut præmonuimus. In Protreptico autem (opp. p. 41.) expresse recenset, *Cererem Praxitelis, et Proserpinam, et Iacchum*, quos ait, *deos putaremus*, etc. Demum Strom. L. 6. (opp. p. 687.) pictores appellat fures; sed eos, qui se primos auctores, inventoresque picturarum jactabant; veluti non a Deo, ut ipse CLEM. explicat, suggerente et operante in omnibus ortum haberent; fures ergo vocat respectu gloriæ divinæ, quod gloriam Deo debitam, sibi tribuerent.

S. EPIPHANIUS imaginem (si tamen hic locus non fuerit assutus ab Iconomachis, ut plures autumant, quod in Syn. VII. Iconomachorum nemo ad eum provocavit) *quasi Christi vel Sancti alicujus*, recte concidit; quia, ut indicat particula *quasi*, non erat apte expressa, adeoque rudioribus offensioni esse poterat, et erroris occasio. Imo postea vocat *imaginem hominis;* ergo dubium erat et ipsi, cujus imago esset. Ejusmodi vero imagines, de quorum prototypo non constat, ponere in Ecclesiis, ait esse contra religionem, ac Scripturæ auctoritatem. Sed et nunc Ecclesia prohibet exponi imagines ejusmodi, ut videre est in TRIDENT. Sess. 25. ubi jubet : *Nullæ falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur*, etc.

S. GREGORIUS M. ep. L. 9. epistola 106. ad Serenum, solum imaginum adorationem excessivam, et latriam arguit, quam illis quidam ex zelo intemperante impendebant; hoc ejus verba indicant, L. 11. ep. 13. ad Serenum (opp. t. 3. p. 1100. et 1101.) : *Omne manufactum adorari non licet, quoniam scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Et : *Hoc sollicite fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant* (scilicet indiscreti illi fideles) *et in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur;* ergo solum adorationem latriæ, non honorariam imaginum excludit. Quin hanc agnoscit 1°. L. 9. ep. 6. ad Januarium Caralitan. qua jubet, ut cruce et imagine B. V. (quæ Judæus recens conversus, Judæos vexandi gratia, indiscreto zelo, vi in synagogam intulerat) inde, cum ea, qua dignum est, veneratione sublatis, synagoga Judæis reddatur : 2°. L. 9. ep. 52. ad Secundinum (opp. t. 3. p. 971.) in qua de imagine Christi huic missa inquit : *Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur; sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed et in throno sedentem recordamur.* Ubi supponit, prosterni Christianos ante imagines, præsertim Christi, licet *non quasi ante divinitatem.*

513. *Obj. III.* Ex CONCILIIS. 1°. Duo Concilia CONSTANTINOP., primum sub

Leone Isauro, alterum sub Constantino Copronymo, damnant imagines, earumque cultum. 2°. Concilium FRANCOFORDIENSE anno 794. Can. 2. (Labb. t. 7. 1057) damnat Synodum gen. VII., sive NICÆNAM II., cultumque imaginum in illa contra Iconomachos decretum; quem cultum Patres, verba sunt, *omnimodis renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Idem faciunt *Libri Carolini* auctore Carolo M.; fecitque *Conventus Parisiensis,* jussu LUDOVICI Pii congregatus anno 824. carpens epistolam HADRIANI Papæ ad Constantinum et Irenem de cultu imaginum. 3°. Jam multo ante CONC. ELIBERITANUM sub initium IV. sec. Can. 36. statuit (Labb. t. 1. p. 974.), *picturas in Ecclesia esse non debere, ne, quod colitur, et adoratur, in parietibus depingatur;* ergo.

R. Ad singula. *Concilia illa Constantinopolitana,* fuerunt Iconomachorum veterum conciliabula, quæ semper universa fuit detestata Ecclesia; nec ipsi receperunt unquam Patriarchæ Orientis, teste Joanne diacono Act. 6. Syn. VII. (Labb. t. 7. p. 395. C. D.). Unde nihil ex his evincitur. Deinde tolli illa e medio volunt, excepta cruce, ac frangi imagines omnes; contra ac velint hodie ex adversariis multi, politiore ethica instructi: qui imagines saltem memoriæ causa retineri, et *politico* etiam cultu posse honorari judicant.

*Concilium Francofordiense,* item *Libri Carolini,* tum *Conventus Parisinus* damnant Synodum VII. ob decretum ab ea cultum imaginum, errore facti, quod putarent, a Patribus Nicænis eumdem omnino cultum esse decretum imaginibus, qui Deo ac vivificæ Trinitati debetur *C.* secus *N.* Occasio hujus erat tum vox *adorationis* ex se æquivoca, qua sæpe Nicæni Patres usi; tum perversa Actorum Synodi VII. in latinum translatio. Res ita se habuit. CONSTANTINUS Cypriorum Metropolita Act. 3. ita catholice subscripserat (Labb. t. 7. p. 187. C.): *Ego consentio* (his decretis) *suscipiens et amplectens sanctas, et venerabiles imagines: atque adorationem quæ sit secundum latriam, soli supersubstantiali et vivificæ Trinitati impendo.* At Interpres male reddiderat latine hanc subscriptionem hoc modo, quo refertur Lib. 3. Carolino. c. 17. n. 33. *Suscipio et amplector honorabiliter sanctas et venerandas imagines, secundum servitium adorationis; quod consubstantiali Trinitati emitto.* Unde et cap. 17. L. 3. Carol. hic præficitur titulus: *Quod infauste ac præcipitanter, sive insipienter, Constantinus Constantiæ Cypri episcopus* dixit, etc., ut ante. Aliam proinde versionem ac genuinæ subscriptioni CONSTANTINI conformem adornavit ANASTASIUS Bibliothecarius tempore JOANNIS VIII. S. P. Eadem est responsio ad HINCMARUM RHEMENSEM, AGOBARDUM LUGDUNENSEM, JONAM AURELIAN. et nonnullos alios Præsules Gallos.

Porro quod *Conventum* illum *Parisinum* in particulari attinet, damnant illi solummodo cultum superstitiosum, et indiscretum, quem putabant ab HADRIANO indultum; unde inquiunt: *indiscrete noscitur fecisse in eo, quod superstitiose eas adorare jussit;* verbum *adorare* æquivocum pro cultu supremo sumentes. Deinde quibusdam illorum solum displicebat modus colendi imagines, ut thymiamate, incurvationibus, luminaribus; non cultus ipse quoad substantiam. Et vero ex illo conventu duodecim episcopi ante missi ad STEPHANUM IV., cum hoc in Synodo Romana anno 769. cultum imaginum decreverant; et liquet amplius ex eorum ad LUDOVICUM Pium epistola, in qua sequentia statuunt: *Imagines sanctorum stulta præsum-*

*ptione non sunt confringendæ, et ad injuriam sanctorum abolendæ* : en primum; *nec assertione superstitiosa colendæ, et adorandæ* : en alterum; negant cultum superstitiosum. *Sed potius hujusmodi superstitione remota, juxta veram religionem, memoriæ et amoris causa, ob recordationem eorum, quorum imagines habendæ.* Ubi dum simul *amoris causa* haberi volunt imagines, hasque collocari decenter in ecclesiis, cultum earum quoad substantiam non negant Galli; sed solum indiscretum et immodicum, ut ipsis videbatur, ac quoad modum.

Ac *tandem*, quidquid sit de hoc conventu, qui nunquam inter Synodos numeratus fuit; illo non detinemur, eo etiam ex capite, quod Eugenio S. P. suam de colendis imaginibus opinionem plene subjecerit, ut constat ex epist. Ludovici et Lotharii ad eumdem S. P. Eugenium.

Quoad *Concilium Eliberitanum* R. Plus inde non sequi, quam eo tempore, in illa Hispaniæ parte nondum viguisse usum actualem imaginum; non quod haberetur illicitus secundum se; sed minus conveniens et utilis, Christianis ibi inter gentiles degentibus. Vide, quæ de hac disciplina prænotavimus initio hujus Art., ac partim de ipso hoc Concilio diximus Art. præcedenti.

514. *Obj. IV.* Ex Ratione Theologica : 1°. Catholici imaginibus Christi et sanctorum thus adolent, et luminaria coram illis accendunt; ergo imagines ut Deos colunt. 2°. Catholici credunt imaginibus adesse divinitatem; nulla enim alia ratio dari potest, cur ad unam potius imaginem confugiant, eamque peculiari affectu colant, v. g. imaginem B. Mariæ Virginis Lauretanam, Hallensem in Belgio, vel Eremitanam in Helvetia, quam aliam quamcumque; ergo illorum cultus est superstitiosus. 3°. Imagines non sunt capaces honoris, cum sensu et ratione carent; ergo non possunt a nobis coli. Imo juxta principia Catholicorum, quilibet homo esset colendus majori jure, quam imagines, eo quod quilibet homo sit viva imago Dei, ad cujus similitudinem creatus est.

*Ad* 1um. R. *C. Ant. N. Cons.* Catholici nempe imaginibus licite thus adolent, cum ritus ille sit ex natura sua indifferens, atque ex institutione hominum ad varios usus, tam sacros quam profanos usurpetur : solent enim thure res sacræ honorari, item principes, atque etiam defunctorum corpora.

*Ad* 2um. R. *N. Ant. Ad ejus prob.* iterum *N. Ant.* Ratio ob quam una imago præ alia majori frequentia colitur, non alia a nobis assignari potest ac debet, quam quod Deus sanctos suos, in hoc potius quam alio loco, præcipuo ac speciali cultu honorari velit, atque idcirco liberalius beneficia sua illic, et non alibi largiatur. Sicut enim teste Apostolo, non omnes sancti habent dona curationum, neque omnes habent dijudicationem spirituum; ita nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique prout vult.

*Ad* 3um. R. *D. Ant.* Non sunt capaces honoris propter se *C.* propter prototypum, sive illum quem repræsentant *N. Ad sequelam* R. *Disparitas* est, quia etsi homo absolute dignus sit veneratione, quatenus imago Dei est; non proponitur tamen ab Ecclesia colendus ut imago Dei; eo quod pericu-

lum foret, ne homo *propter se* coli putaretur, cum etiam propter se homo sit capax honoris.

515. Quæres : *Quonam cultu, absoluto an relativo colendæ sint sacræ imagines?*

R. Eas non esse colendas cultu absoluto, eo quod, cum sint res inanimatæ, excellentiam non habeant suo supposito intrinsecam; sed colendas cultu relativo ob excellentiam prototyporum, habentium propriam et intrinsecam excellentiam. Hæc tamen veneratio imaginis relativa, est simul indivisibiliter veneratio absoluta exemplaris, ita ut submissio exterior terminetur quidem immediate ad imaginem, et mediate ad exemplar; affectus verò submissionis interioris ad solum exemplar terminetur.

*Prob.* Auctoritate Concilii Nicæni II. supr. (n. 508.) cit. et S. Hadriani summi Pontificis in epist. ad Constantinum et Irenem ita loquentis (Labb. t. 7. p. 107. C.) : *Sic et nos, pro amore et dilectione quam apud Dominum et sanctos ejus habemus, honorabiles eorum effigies imaginibus depingentes; non tabulis et coloribus honorem exhibemus, sed illis pro quorum honore consistunt.* Et infra (p. 110. D.) textum S. Gregorii Nysseni adducit, in quo dicitur : *Qui ad imaginem conspicit... non tincturis præfert contemplationem, sed ad visionem prototypi conspicit tantummodo, quam per colores magister demonstravit.* Tandem Conc. Trident. Sess. 25. in Decreto de SS. Imagin. *Honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoramus, et sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.*

*Neque dicas* : Tali pacto imagines non vere ac proprie coli, eo quod nulla sit veneratio sine actu interiori, qui, juxta nostram assertionem, ad solum exemplar terminatur. Nam

R. Imagines vere ac proprie coli veneratione relativa : quamvis enim affectus submissionis interioris, quo voluntas nostra affective se submittit alteri, et ejus superioritatem agnoscit, ad solum exemplar terminetur; signum tamen exterius, v. g. genuflexio, vel inclinatio capitis ad imaginem dirigitur, ac terminatur cum actu voluntatis exhibendi imagini signum *externum* submissionis, ad contestandam submissionem nostram *interiorem*, ob excellentiam prototypi.

O. A. M. D. G.

# CONSPECTUS TOMI SECUNDI

## PARS POSTERIOR.

---

## TRACTATUS DE INCARNATIONE.

Pag.

PROOEMIUM. — Notio Incarnationis et natæ circa illam hæreses. . . . . 1

## DISSERTATIO I.

DE EXISTENTIA ET VERITATE INCARNATIONIS.

SECTIO I. — MESSIAM PRIDEM ADVENISSE JUDÆIS OSTENDITUR.

ARTIC. I. — *Adventus Messiæ probatur ex vaticinio Jacobi.* . . . . . 10

Ex allato Jacobi vaticinio Messiam pridem advenisse manifeste ostenditur. 10

ARTIC. II. — *Idem probatur ex celebri septuaginta hebdomadum vaticinio.* . 30

Ex allato Danielis vaticinio de septuaginta hebdomadibus, Messiam advenisse manifeste ostenditur. . . . . 31

QUÆRES : *Unde LXX. hebdomadarum sit desumendum initium ?* . . 37

Initium LXX. hebdomadarum Danielis ab edicto Cyri, quod Judæis anno regni Persici primo dedit, recte desumitur. . . . . 38

ARTIC. III. — *Messiæ adventus ostenditur ex Aggæo, et Malachia de templi secundi eversione.* . . . . . 48

Ex utroque vaticinio Messiam pridem advenisse evidenter evincitur. . 49

ARTIC. IV. — *Messiam illum, qui pridem advenit, esse Jesum Nazarenum Virginis Mariæ filium, a Judæis occisum ostenditur.* . . . . . 51

Messias, qui jam pridem advenit, est Jesus Nazarenus Mariæ Virginis filius, a Judæis crucifixus. . . . . 52

ARTIC. V. — *Ex signis et vaticiniis aliis Jesum Nazarenum esse verum Messiam ostenditur* . . . . . 54

I. — Mosaicæ legis et fœderis rescissio, et legis novæ, novique pacti institutio (Jerem. 31. 31.) . . . . . 54

II — Sacerdotii Levitici abrogatio et novi substitutio (David. Ps. 9. Is. 66.) 56

III. — Sacrificiorum abolitio (Dan. 9. Malach. 1.). . . . . 56

IV. — Idololatriæ exterminium, gentiumque ad veri Dei cultum conversio (Ps. 2. Is. Soph.). . . . . 56

SECTIO II. — DE JESU NAZARENI DIVINITATE CONTRA JUDÆOS ET HÆRETICOS.

Pag.

ARTIC. I. — *Synopsis historica hæresis Arianæ et Socinianæ* . . . . . 63

I. — Arii ortus et initia. . . . . 63
II. — Arii hæresis. . . . . 63
III. — Arii condemnatio. . . . . 64
IV. — Sectæ Arianorum . . . . . 65
V. — Hæresis Sociniana. . . . . 66

ARTIC. II. — *Messiæ divinitas contra Judæos et hæreticos ostenditur ex V. T.* 67

I. — Argumentum ex Ps. 2. v. 7. . . . . 67
II. — Argumentum ex Is. 9. v. 6. et 7. . . . . 69
III. — Argumentum ex Is. 35. v. 4. et seqq. . . . . 70
IV. — Argumentum ex Is. 45. v. 14. 15. . . . . 71

ARTIC. III. — *Vera J. C. divinitas demonstratur amplius contra hæreticos ex N. T. et Patribus Antenicænis* . . . . . 73

I. — Argumentum ex Joan. 1. v. 1. . . . . 73
II. — Argumentum ex Joan. 10. v. 30. . . . . 74
III. — Argumentum ex Joan. 5. v. 20 . . . . . 75
IV. — Argumentum ex ep. ad Rom. 9. v. 5. . . . . 75
V. — Argumentum ex Antenicænis Patribus . . . . . 76

ARTIC. IV. — *Utrum Liberius P. alicujus reus prævaricationis fuerit, sive subscribendo condemnationi Athanasii, sive ulli Arianorum formulæ?* . . . . . 91

Liberius S. P. neque condemnationi S. Athanasii, neque ulli unquam Arianorum formulæ subscripsit, neque eorum complexus est communionem; proinde in causa illa contra Arianos nunquam lapsus est Liberius. . . . . 92

SECTIO III. — DE VERITATE INCARNATIONIS CONTRA GENTILES.

ARTIC. I. — *Utrum et quomodo contra gentiles probetur Incarnationis veritas?* 107

Incarnationis mysterium gentilibus efficaciter probari potest. . . . 107

ARTIC. II. — *Genealogia Christi a cavillis et antilogiis tum gentilium, tum deistarum vindicatur.* . . . . . 119

I. Jesus Christus ex stirpe David secundum naturam humanam progenitus est. . . . . 120
II. — Evangelistæ S. Matthæus et S. Lucas in Christi genealogia nec sibi invicem, nec V. T. historiæ repugnant. . . . . 122

# DISSERTATIO II.

DE QUIDDITATE SIVE NATURÂ INCARNATIONIS.

SECTIO I. — DE UNITATE PERSONÆ IN CHRISTO.

ARTIC. I. — *Epitome historica Nestorianismi.* . . . . . 132

I. — Nestorii ejusque hæresis initia. . . . . 132
II. — Nestorii impura dogmata . . . . . 132

Pag.
III. — Gesta inter S. Cyrillum Alexandrinum et Nestorium . . . . . 133
IV. — Synodus Ephesina generalis III. et Nestorii condemnatio. . . . . 134
V. — S. Cyrilli et Joannis Antiocheni reconciliatio. . . . . 135

ARTIC. II. — *Utrum unio utriusque in Christo naturæ vere sit hypostatica sive personalis?* . . . . . 135

Unio Verbi divini cum natura humana in Christo est vere hypostatica. 138

ARTIC. III. — *An in Concilio Ephesino canonice damnatus sit Nestorius, et num hujus errori adhæserit Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus episcopis?* . . . . . 143

I. — Nestorius legitime ac canonice ab Ephesina synodo damnatus est. . . 143
II. — Nunquam Joannes Antiochenus Nestorii erroribus adhæsit. . . . . 147

ARTIC. IV. — *Utrum S. Cyrillus, impugnando Nestorium, lapsus sit in Apollinaris hæresim; ejusque epistolæ et anathematismi omnis vacent erroris culpa?* . . . . . 149

S. Cyrillus impugnando Nestorium, in Apollinaris hæresin lapsus non est, ejusque scripta, epistolæ et anathematismi omni errore vacant. 149

SECTIO II. — DE DUARUM IN CHRISTO NATURARUM DIFFERENTIA.

ARTIC. I. — *Historiæ Eutychianæ hæresis summaria relatio* . . . . . 154

I. — Hæresis Eutychianæ origo et incunabula. . . . . 154
II. — Eutyches in synodo Constantinopolitana damnatur. . . . . 155
III. — Latrocinium Ephesinum . . . . . 155
IV. — Concilium Chalcedonense in causa Eutychis. . . . . 157
V. — Turbæ post concilium Chalcedonense, Henoticon Zenonis . . . . . 158
VI. — Eutychianæ sectæ propagatio. . . . . 159

ARTIC. II. — *Dogma catholicum de duplici vera integraque natura post unitionem contra Eutychianos et Semi-Eutychianos ostenditur.* . . 159

Natura divina et humana per Incarnationem Verbi sive unitionem non coaluerunt in unam; sed utraque post unitionem inconfusa, impermixta et integra permansit. . . . . 159

ARTIC. III. — *S. Cyrillum Alexandrinum circa naturarum in Christo differentiam orthodoxe sensisse, nec favisse Eutychianis ostenditur.* . 166

S. Cyrillus Alexandrinus quoad dogma de duarum in Christo naturarum differentia prorsus orthodoxe sensit, omnique Eutychianismi labe ac suspicione purus est. . . . . 166

SECTIO III. — DE GEMINA CHRISTI VOLUNTATE ET DUPLICI OPERATIONE.

ARTIC. I. — *Monothelismi synopsis historica.* . . . . . 171

I. — Monothelismi origo. . . . . 171
II. — Ecthesis Heraclii, sive rectius Sergii . . . . . 172
III. — Typus Constantis imperatoris. . . . . 173
IV. — Synodus generalis VI. sive Constantinopolitana III. . . . . 173

ARTIC. II. — *Contra Monotheletarum impietatem defenditur dogma catholicum.* . . . . . 175

Pag.

Duæ sunt in Christo voluntates et duæ pariter operationes, divina scilicet et humana. . . . . 176

ARTIC. III. — *Utrum Honorius I. summus Pontifex in errorem Monotheletarum prolapsus fuerit?* . . . . . 179

I. — Honorius in ipsam Monotheletarum hæresin lapsus non est. . . . . 180

II. — Nec Honorius unam simpliciter Christi operationem asseruit, nec dici duas prohibuit; sed prima Honorii ad Sergium epistola, ubi in eo unam asserere operationem, aut prohibere duas dicitur, est a Monotheletis interpolata; altera vero vel ab his penitus conficta, vel pariter corrupta. . . . . 181

III. — Honorius neque negligentiæ alicujus, aut socordiæ culpam in causa Monotheletarum contraxit. . . . . 188

# DISSERTATIO III.

## DE CAUSIS INCARNATIONIS TUM INTRINSECIS TUM EXTRINSECIS IN SPECIE.

### SECTIO I. — DE UNIONE HYPOSTATICA.

ARTIC. I. — *Quid sit unio hypostatica?* . . . . . 199

I. — Unio hypostatica non est entitas modalis physica realiter a Verbo et humanitate unitis distincta; adeoque Verbum et humanitas seipsis immediate ac formaliter, sine tali medio uniuntur. . . . . 200

II. — Unio igitur hypostatica, physice sumpta, consistit in personalitate Verbi et humanitate, non quidem absolute, et secundum se sumptis, sed sumptis respective, hoc est in humanitate ut terminata ac dependente a Verbi hypostasi; et in hypostasi Verbi ut terminante humanitatem ita dependentem. . . . . 201

ARTIC. II. — *An et quomodo unio hypostatica sit supernaturalis, substantialis, omnium maxima, indissolubilis?* . . . . . 205

I. — Unio hypostatica est intrinsece et quoad substantiam supernaturalis. . 205

II. — Unio hypostatica est substantialis. . . . . 205

III. — Unio hypostatica in ratione unionis et doni est maxima. . . . . 206

IV. — Unio hypostatica perpetua et indissolubilis est, ac nequidem in morte Christi, dissoluta licet unione inter corpus et animam, destructa fuit. 207

V. — Verbum Christi sanguini in passione effuso hypostatice unitum mansit. 208

### SECTIO II. — DE PERSONA ASSUMENTE ET DE NATURA ASSUMPTA.

ARTIC. I. — *Utrum naturæ humanæ assumptio solius personæ Verbi sit propria?* . . . . . 211

I. — Sola persona Filii naturam humanam assumpsit, sive incarnata fuit. . 211

II. — Ratio formalis, per quam Verbum divinum formaliter terminat naturam humanam, non est natura aut aliud prædicatum ejus absolutum; sed proprietas relativa Verbi, hujus scilicet personalitas. . . 212

ARTIC. II. — *An Verbum naturam nobis consubstantialem vere sumpserit?* . 218

Verbum divinum veram nobisque consubstantialem naturam assumpsit. 218

ARTIC. III. — *An Christus carnem assumpserit ex matre Maria Virgine, illæsa integritate matris?* . . . . . 221

Pag.
I. — Verbum divinum ex beatissima Virgine Maria corpus assumpsit. . . 221
II. — Verbum divinum carnem traxit ex Maria *Virgine*, sive integra, et ante Christi partum viri experte. . . . . 222
III. — Etiam post Salvatoris partum beatissima Dei Genitrix Maria Virgo constanter integra permansit. . . . . 225

ARTIC. IV. — *An Verbum omnes corporis humani partes, et quo ordine sibi hypostatice conjunxerit?* . . . . . 228

I. — Sanguis a Verbo divino secundum hypostasim, sive immediate et proxime assumptus est. . . . . 228
II. — Verbum immediate assumpsit partes integrales reliquas, solidas et fluidas; sive dicantur anima informari, sive non. . . . . 229
III. — Verbum naturam humanam cum ejus constitutivis assumpsit simul tempore, sive instanti eodem. . . . . 230

SECTIO III. — DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

ARTIC. I. — *An detur vera et realis in Christo idiomatum communicatio?* . 233

Datur vera et realis in Christo communicatio idiomatum. . . . . 233

ARTIC. II. — *Quo sensu detur in Christo idiomatum communicatio?* . . . 236

I. — Abstracta unius naturæ non prædicantur de abstractis naturæ alterius; sed neque abstracta de concretis, aut concreta de abstractis prædicari possunt. . . . . 236
II. — Communicatio idiomatum solum datur in concreto; ut proin concreta unius naturæ de concretis naturæ alterius vere prædicari possint; sive sint substantiva, sive adjectiva. . . . . 237
III. — Communicatio tamen idiomatum non datur in quibuslibet concretis. . 237

ARTIC. III. — *An detur communicatio idiomatum in abstracto ad mentem Ubiquistarum?* . . . . . 240

Non datur communicatio idiomatum in abstracto ad mentem Ubiquistarum, sive ita ut attributa divina intelligantur realiter esse in humanitate secundum se et formaliter. . . . . 241

ARTIC. IV. — *Resolvuntur quædam Erotemata ad extrinsecas compositi Theandrici causas pertinentia.* . . . . . 250

QUÆRES I. — *Quæ sit causa efficiens physica Incarnationis?* . . . . . 250

QUÆRES II. — *An humanitas Christi merita sit, vel mereri potuerit unionem cum Verbo?* . . . . . 251

QUÆRES III. — *An Christus ipse meritus fuerit unionem hypostaticam?* . . 252

QUÆRES IV. — *An Patriarchæ, aliique veteris Testamenti Patres, ac ipsa beatissima Virgo meruerint Incarnationem?* . . . . . 252

QUÆRES V. — *Quænam fuerit Incarnationis causa finalis, seu motiva principalis?* . . . . . 254

QUÆRES VI. — *An remedium peccati fuerit incarnandi Verbi motivum adæquatum et unicum, sive*, sine quo non; *ita ut Christus in præsenti ordine et vi præsentis decreti non venisset, si Adam non peccasset?* 254

# DISSERTATIO IV.

## DE HUMANITATIS CHRISTI PERFECTIONIBUS ET AFFECTIONIBUS.

### SECTIO I. — DE PERFECTIONIBUS HUMANI IN CHRISTO INTELLECTUS.

Pag.

ARTIC. I. — *An Christus qua homo habuerit scientiam beatam, sive beatificam, a quo tempore, et qualem?* . . . . . 260

I. — Anima Christi scientia beatifica donata fuit, et quidem a primo conceptionis momento. . . . . 260

II. — Licet Christi, qua hominis, scientia beata longe fuerit clarior et perfectior quam cæterorum Beatorum omnium, non tamen fuit comprehensiva Dei . . . . . 261

III. — Nec per scientiam beatam humanitas Christi videt in Deo omnes creaturas possibiles in particulari, sive distincte omnia quæ cognoscit Deus scientia simplicis intelligentiæ. . . . . 261

IV. — Christus tamen, qua homo, videt in Verbo omnia præterita, præsentia et futura. . . . . 262

V. — Christi humanitas non videt omnia futura absolute actualiter, sive actu unico et distincte; sed quasi habitualiter tantum. . . . . 262

ARTIC. II. — *An præter scientiam beatam, anima Christi habuerit scientiam per se infusam, et quod hujus fuerit objectum?* . . . . . 265

I. — Fuit in Christo scientia per se infusa a primo conceptionis suæ momento. 265

II. — Christus homo per scientiam per se infusam, quoad res ordinis supernaturalis, cognoscit tum omnia entia creata supernaturalia in seipsis; tum Deum unum et trinum evidenter, non quidem intuitive, sed abstractive per species alienas. . . . . 266

III. — In ordine naturali, scientia per se infusa, cognoscit humanitas Christi secreta cordium, res futuras, absentes, præteritas, futura conditionata libera, ac possibilia eo modo, quo attingi a creato intellectu possunt. 266

ARTIC. III. — *An et qualem scientiam naturalem habuerit Christus?* . . . . 268

I. — Habuit Christi humanitas, præter scientiam beatam, ac infusam per se, scientiam quoque naturalem eamque perfectissimam, per accidens infusam, ab instanti conceptionis suæ . . . . . 268

II. — Habuit tamen etiam Christi humanitas scientiam experimentalem, nullo modo infusam, sed propriis actibus successive acquisitam : per quotidianam experientiam acquirendo novas objectorum species . . . . 269

### SECTIO II. — DE HUMANA IN CHRISTO VOLUNTATIS PERFECTIONE.

ARTIC. I. — *An Christi humanitas obstricta unquam peccato fuerit, aut esse potuerit, et cur non? Tum an in eo locum habuerit fomes peccati?* . 271

I. — Christus Sanctus sanctorum, nulli unquam peccato obstrictus fuit. . . 271

II. — Nec potuit Christi humanitas ullo peccato obstringi. . . . . 273

III. — Impeccabilitas Christi hominis oritur non ex vi solius visionis beatificæ, sed etiam unionis hypostaticæ, ita ut, seclusa etiam visione beata, Christus adhuc foret essentialiter impeccabilis. . . . . .

IV. — Nequidem in Christo peccati fomes fuit, sive actu primo, sive secundo; sed uterque in eo extinctus fuit. . . . . 274

Pag.

ARTIC. II. — *An et qualem libertatem habuerit Christi voluntas humana, etiam ad actus inæqualis perfectionis?* . . . . . 277

I — Humana Christi voluntas libertate privata non fuit. . . . . 277

II. — Voluntas Christi humana non tantum a coactione, sed et a necessitate perfecte libera fuit. . . . . 278

III. — Christus nec physice nec moraliter necessitatus fuit ad optimum; sed libertatem habuit ad actus inæqualis perfectionis, ita ut potuerit, omissis perfectioribus, actus minus perfectos ponere. . . . . 279

ARTC. III. — *An Christus, et quale habuerit præceptum obeundi mortem?* . 281

Christus non accepit præceptum rigorosum, obligans in conscientia et moraliter, obeundi mortem. . . . . 282

ARTIC. IV. — *De sanctitate humanitatis Christi, gratia, aliisque supernaturalibus donis.* . . . . . 287

I. — Humanitas Christi sancta est substantialiter sanctitate increata Verbi.. 288

II. — Præter gratiam unionis, sive sanctitatem substantialem, habuit quoque humanitas Christi gratiæ habitualis plenitudinem; unde in illam promanabat sanctitas accidentalis excellentissima. . . . . 290

III. — Gratia tamen illa accidentalis in Christo non est infinita physice, sed solum moraliter: sive tanta, quanta esse potuit spectato fine redemptionis. . . . . 291

IV. — Humanitas Christi cum gratia, infusas pariter accepit virtutes omnes, quæ, respectu Christi, indecentiam vel imperfectionem non important . . . . . 291

V. — Extiterunt in Christo omnia dona Spiritus sancti; ac demum gratias omnes gratis datas in excellentissimo gradu ejus humanitas habuit. . 292

## DISSERTATIO V.

### DE PROPRIETATIBUS ET PERFECTIONIBUS IPSIUS COMPOSITI THEANDRICI.

### SECTIO I. — DE TITULIS CHRISTI.

ARTIC. I. — *Utrum Christus Homo sit verus ac naturalis Filius Dei?* . . . 295

Christus, in quantum homo, est verus ac naturalis Dei Filius; et sub nulla ratione adoptivus. . . . . 297

ARTIC. II. — *Expenduntur reliqui Tituli Christi.* . . . . . 302

I. — Tituli honoris et potestatis sunt: 1°. Rex et Dominus omnium. 2°. Sacerdos verus et novæ legis Pontifex. 3°. Caput hominum et angelorum. . 302

II. — Tituli officii sunt: 1°. Propheta. 2°. Doctor. 3°. Mediator. 4°. Redemptor . . . . . 304

### SECTIO II. — DE CHRISTI REDEMPTORIS SATISFACTIONE ET MERITO.

ARTIC. I. — *An satisfactio Christi fuerit necessaria?* . . . . . 306

Necessaria fuit Christi satisfactio ex hypothesi, quod perfecte et condigne sibi satisfieri vellet . . . . . 307

ARTIC. II. — *An Christus vere pro nobis satisfecerit?* . . . . . 311

Christus vere ac proprie pro nobis satisfecit . . . . . 311

Pag.

ARTIC. III. — *Utrum Christi satisfactio condigna fuerit ac superabundans, imo valoris infiniti, et unde istud?* . . . . . 317

I. — Satisfactio Christi fuit condigna et superabundans; et quidem ex se et in actu primo, independenter ab acceptatione divina. . . . . 317

II. — Satisfactio Christi, in genere moris, ex se valoris infiniti fuit; quin illum primo acciperet ex gratuita Dei acceptatione. . . . . 318

ARTIC. IV. — *Utrum Christus sit mortuus pro omnibus omnino hominibus?* . 322

Christus vera ac sincera voluntate pro redemptione ac salute æterna omnium et singulorum, ne uno excepto, mortuus est mortemque obtulit, ut gratias mereretur omnibus ad salutem æternam vere sufficientes. . . . . 322

SECTIO III. — DE ADORATIONE CHRISTI, CULTU SANCTORUM ET SS. IMAGINUM.

ARTIC. I. — *An et quomodo Christus adorandus?* . . . . . 330

Christus homo in utraque natura, divina et humana, hoc est, homo Deus, sive humana Christi natura Verbo hypostatice conjuncta, uno eodem latriæ actu absolute adorari debet, quo Verbi divinitas. . . 331

ARTIC. II. — *An et quo cultu licitum sit Sanctos colere; rectene ac utiliter invocentur?* . . . . . 333

I. — Pie ac licite coluntur sancti, cultu religioso duliæ. . . . . 333

II. — Cultus ille religiosus, quem Catholici sanctis cum Deo in cœlo regnantibus deferunt, omni idololatriæ specie ac umbra caret. . . . . 335

III. — Pie etiam ac utiliter sancti, sive angeli sive homines, a viventibus nobis invocantur. . . . . 335

ARTIC. III. — *An et quo cultu S. Crux, item sanctorum Reliquiæ venerandæ?* 343

I. — Crux Christi tam vera, hoc est, ipsa illa in qua crucifixus est, quam alia sculpta aut picta, ad priorem repræsentandam formata, veneranda est. . . . . 343

II. — Adoratio Crucis est cultus latriæ relativæ, sive imperfectæ, quæ simul est latria vera absoluta ipsius Christi: consistens in hoc, ut Cruci exhibeamus exteriora signa adorationis, ac adoratio interior, quæ est latria vera, terminetur solum ad Christum crucifixum . . . . . 346

III. — Licitus, pius, ac utilis est Reliquiarum Christi ac sanctorum cultus. . 346

ARTIC. IV. — *Sacrarum Imaginum cultus contra Iconomachos asseritur* . . 350

Cultus SS. Imaginum Christi ac sanctorum pius et licitus est . . . . 351

QUÆRES: *Quonam cultu, absoluto an relativo colendæ sint sacræ imagines?* . . . . . 359

GTU Library
3 2400 00779 3528

DATE DUE

| | |
|---|---|
| | |
| | |
| | |